R. P. PATRITII
SPORER
Passaviensis, Ord. FF. Min. Recollect. Prov. Argent. SS. Theologiæ Lectoris Jubilati

THEOLOGIA MORALIS
SUPER
DECALOGUM
AD PRÆCEPTA SECUNDÆ TABULÆ,

TOMUS SECUNDUS
Continens tres Partes, seu Tractatus,

I. *De Justitia, & Restitutione in communi.*

II. *De Delictis contra Justitiam, seu injusta læsione Proximi in Bonis Animæ, Vitæ, seu Corporis, Famæ, Fortunæ, ac Restitutione inde debita.*

III. *De Dominio, & Acquisitione Rerum legitima: adeoque etiam de Contractibus in Genere, & in Specie.*

Cui accessere Supplementa
R. P. KILIANI KAZENBERGER,
Post Propositiones damnatæ ab ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. ALEXANDRO VIII. & CLEMENTE XI.

VENETIIS, MDCCXXXI.
Apud Nicolaum Pezzana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

CATALOGUS PROPOSITIONUM A SUMMIS PONTIFICIBUS,

ALEXANDRO VII. 1665. & 1666. INNOCENTIO XI. 1679. & ALEXANDRO VIII. 1690. Damnatarum.

Adjecta etiam Bulla ab ALEXANDRO VIII. *die 4. Mensis Augusti Anno 1690. contra Propositiones Cleri Gallicani.*

Decretum I. Alexandri VII.

Feria V. die 24. Sept. 1665.

IN Congregatione Generali S. Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Santiss. D. N. Alexandro divina providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere: per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo umquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit, qui tantum negotium strenue aggressi, eoque sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

PROPOSITIONES.

1. Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congr. Em. Card. visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus horas canonicas non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, *commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem*, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctiss. re mature considerata, statuit, & decrevit prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus Sanctae Romanae, & universalis Inquisitionis Not.

Loco (✠) Sigilli.

ANno a Nativitate D. N. JESU Christi 1665. Indict. tertia die vero 2. Mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, D. N. ALEXANDRI Divina Providentia Papa VII. Anno undecimo supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Cancell. Apostol. ac in acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem SS. D. N. Papae, & SS. Inquisitionis Cursorem.

Romae, Typis Rev. Camer. Apost. 1665.

Decretum II. Alexandri VII.

Feria 5. die 18. Martii 1666.

IN Congregatione Generali S. Romanae, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram S. D. N. D. Alexandro divina providentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die 24. Septembris proxime elapsi, quo 28. propositiones damnatae fuerunt, examinatis sedulo, & accurate usque ad hanc diem infrascriptis aliis 45. tum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos D. D. Cardinales adversus haereticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia sigillatim super unaquaque ipsarum audivit.

PROPOSITIONES.

29. In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit Praecepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, & revocatae a Paulo V. hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi *quamprimum*, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula, *quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illo nimis aegre ageret vitam, & aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per 10. Annos.

44. Quoad forum conscientiae reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus mature pensatis idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, praedictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum, tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet; ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, aut de iis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae Obedientiae, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus Sanctae Romanae, & universalis Inquisitionis Not.

Loco (✠) Sigilli.

ANno a Nativitate D. N. JESU CHRISTI 1666. Indictione 4. die vero 25. Mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. ALEXANDRI divina Providentia Papae VII. Anno undecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, & in acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum ejusdem Sanctiss. D. N. Papae, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Romae, Typis Rev. Camer. Apost. 1666.

Decretum Innocentii XI.

Feria V. Die 2. Maii 1679.

IN Generali Congregatione Sanctae Romanae, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctiss. D. N. Innocentius Papa XI. praedictus, ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salabre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis a fel. rec. Alexand. VII. Praedecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate saepius eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem Sanctissimus D. N. re postea mature considerata, statuit, & decrevit pro nunc sequentes, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum, tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas; sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suae quomodolibet, & ex quacumque parte exhibendas ullatenus approbare.

PRO

PROPOSITIONES.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita elicere, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se.

17. Satis est, actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum, per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta ex Testimonio Creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in Testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui, mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus: sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi, quam Legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale. Immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent Concilium, vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccati versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri JESU Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, Prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognita super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Franciscus Richardus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.
Loco (✠) *Sigilli.*

Anno a Nativitate D. N. JESU CHRISTI 1670. Indictione 2. die vero 4. Mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. INNOCENTII divina Providentia Papæ XI. Anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perimum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Romæ, Typis Rev. Camer. Apost. 1679.

Decretum Alexandri VIII.

Feria V. Die 7. Decemb. 1690.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. Alexandro Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus D. N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. prædictus, pro Pastorali cura Ovium a Christo Domino sibi commissa de earum salute solicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commissis, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes supra unaquaque ipsarum suffragia Sanctitati Suæ singillatim intulerunt.

PROPOSITIONES.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, a gratia sufficienti *Libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei, propter se, non est bonus metus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ, re id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris Simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *in nomine Patris* &c. prætermissis illis, *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, *non intendo, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus mature consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit 39. supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi Fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & speciosissima nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Alexander Speronus S. Rom. Pastoralis, & universalis Inquisitionis Not.

Loco (✠) Sigilli.

ANno a Nativitate D. N. JESU Christi 1690. Indict. 13. die 20. Decembris, Pontificatus autem SS. D. N. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VIII. Anno secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Franciscum Perimum SS. D. N. Papæ, & SS. Inquisitionis Cursorem.

Joan. Bapt. de Comit. Mag. Curs.

BULLA
Contra Propositiones Cleri Gallicani.

De dato 4. Augusti 1690.

ALEXANDER
PAPA VIII.

IN Nomine Domini Amen. Cunctis ubique pateat, & sit notum, quod Anno a Nativitate Domini Nostri JESU Christi Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Primo, Indictione xiv. Die vero trigesima prima Januarii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. ALEXANDRI VIII. Anno ejus secundo: Ego infrascriptus Officialis deputatus vidi, & legi quasdam litteras sub Annulo Piscatoris more Romanæ Curiæ expeditas, sanas, integras, & non vitiatas, tenoris, qui sequitur ult. ALEXANDER PP. VII. ad perpetuam rei memoriam. Inter multiplices Pastoralis Officii Nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicæ Sedis, ac universalis Ecclesiæ, nec non etiam singularum Ecclesiarum, Locorumque piorum, ac Personarum Ecclesiasticarum Jura ubique sacra, tecta, ac illibata tueri, & conservare, eaque adversus quæcumque, per quæ illis aliquid detrimenti inferri posset, tradita nobis divinitus Potestate vindicare satagamus, sicut omnibus mature, ac debite pensatis, Justitiæ, ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Cum itaque ex quo primum humilitatem nostram inscrutabili Divinæ suæ Providentiæ arcano in suprema militantis Ecclesiæ specula collocavit Altissimus, præ cæteris, quæ Pontificiæ Nostræ solicitudini sese obtulere negotiis, illa in primis gravissima, ac nobis, qui Charissimum in Christo Filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum ac florentissimum illius Regnum in visceribus gerimus charitatis, permolesta, & plane acerba acciderint, quæ sive adversus dicti regni Ecclesiarum jura, sive adversus Romani Pontificis, & Ecclesiæ universæ auctoritatem nonnulli Venerabiles Fratres Archiepiscopi, Episcopi, & alii ejusdem Regni Ecclesiastici Viri in Comitiis Cleri Gallicani Parisiis Anno M. DC. LXXXII. congregati tum præstito inibi per eos extensioni illius Juris, quod vocant Regaliæ, ad omnes dicti Regni Ecclesias assensu, cum edita subinde de Potestate Ecclesiastica quatuor Propositiones continente declaratione, peregerunt, quæque ipsa Comitia subsequuta fuerunt Mandata, Arresta, Confirmationes, Declarationes, Epistolæ, Edicta, & Decreta, quæcumque a quibusvis Personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quavis auctoritate, & potestate fungentibus edita, seu publicata; nec non quæ alias demum nonnullis abhinc annis, in Regno præfato eidem Sedi Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ, seu quibuscumque aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Locis piis, illorumque respective Personis, Rebus, Bonis, & Juribus, seu alias Jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ, quomodolibet præjudicialia quovis modo peracta, ac gesta fuerunt: hæc Nos, qui Jurium Ecclesiasticorum Assertores in Terris a Domino constituti sumus, dies, noctesque in amaritudine Animæ nostræ cogitantes, manus nostras cum lachrymis, & suspiriis levavimus ad Dominum, eumque toto cordis affectu rogavimus, ut nobis potenti gratiæ suæ auxilio adesset, quo ardua hac in re commissi nobis Apostolici muneris partes salubriter exequi valeremus. Eaque consideratione adducti, ac ne Supremo Judici rationem villicationis nostræ reddituri negligentiæ in credita Nobis administratione argueremur, (quantum Divina Bonitas dedit) nihil hucusque prætermisimus, quo præjudicialia præfata ab iismet, qui eam peregerant, ex animo retractarentur. Verum quo efficacius, ac uberius Sedis præfatæ Ecclesiæ universæ, Jurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis Ecclesiasticæ, Ecclesiarumque, Monasteriorum, & Locorum piorum hujusmodi, illorumque Personarum præfatarum indemnitate perpetuis futuris temporibus consultum sit, auditis quamplurium ex Venerabilibus Fratribus nostri S. R. E. Cardinalibus & nonnullorum in Sacra Theologia Magistrorum, ac etiam in Decretis Doctorum ad examen negotii hujusmodi a Nobis specialiter delectorum, qui illud mature discusserunt, remque totam nobis exposuerunt, sententiis, quantum Nobis ex Alto conceditur, providere volentes, ac fel. rec. Innoc. Papæ XI. Prædecessoris nostri, qui occasione rescribendi ad Litteras, quibus Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiastici Viri supradicti, de rebus ab ipsis gestis certiorem eum reddiderant, per quasdam suas simili forma Brevis die 11. Aprilis M. DC. LXXXII. expeditas Litteras improbavit, rescidit, & cassavit, quæ in dictis Comitiis acta fuerant in negotio Regaliæ cum omnibus inde sequutis, & quæ subinde attentari contigisset, eaque perpetuo irrita, & inania declaravit, vestigiis inhærentes, nec non in dict. Conc. Anni M. DC. LXXXII. tam circa extensionem Juris Regaliæ, quam circa declarationem de potestate Ecclesiastica hujusmodi actorum; ac etiam omnium, & singulorum Mandatorum, Arrestorum, Confirmationum, Declarationum, Epistolarum, Edictorum, Decretorum quavis auctoritate, sive Ecclesiastica, sive etiam Laicali editorum seu publicatorum, nec non aliorum quomodolibet præjudicialium præfatorum in regno supradicto quandocumque, & a quibusvis, ac ex quacumque causa, & quovis modo factorum, & gestorum, ac inde sequutorum quorumcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas etiam veriores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime specificatis habentes motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine omnia, & singula, quæ tam quoad extensionem Juris Regaliæ, quam quoad declarationem de Potestate Ecclesiastica, ac quatuor in ea contentas Propositiones in supra dictis Comitiis Cleri Gallicani Anno M. DC. LXXXII. habitis acta, & gesta fuerunt cum omnibus, & singulis Mandatis, Arrestis, Confirmationibus, Declarationibus, Epistolis, Edictis, Decretis a quibusvis Personis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate, & Potestate, etiam individuam expressionem requirente, fungentibus, editis, seu publicatis, nec non reliqua omnia quotcumque, & qualiacumque eidem Sedis Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ, vel Jurisdictioni, Immunitati, vel Libertati Ecclesiasticæ, seu aliis Ecclesiis, Monasteriis, & Locis piis præfatis, illorumque respective personis, Rebus, Bonis, Privilegiis, Prerogativis & juribus, quibuscumque quomodolibet præjudicialia in dicto Regno peracta, & gesta cum omnibus, & singulis quandocumque, & quomodocumque inde sequutis, & quocumque tempore sequuturis, ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse ac perpetuo fore; neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, aut præscribendi causam, etiamsi longissimi, & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem, vel interruptionem subsequuta sit, vel subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, neque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde, ac si nunquam emanassent, vel facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuo haberi debere tenore præsentium declaramus, & decernimus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, acta, & gesta præfata, aliaque præmissa omnia, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus improbamus, cassa-

cessamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur. Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes etiam specifica, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensus, aliove quocumque etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a Jure, vel facto, aut Statuto, Consuetudine, vel Privilegio resultante, notari, impugnari, invalidari, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci ullatenus posse, sed ipsas præsentes litteras semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Sac. Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & auctoritate semper, & ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, legibus quoque etiam Imperialibus, & Municipalibus, nec non quibusvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque Indultis, Concessionibus, & Litteris Apostolicis quibuscumque locis, & personis etiam Regali, & alia quavis, sive Ecclesiastica, sive Mundana Dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, & Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro plena, & sufficienter expressis, & insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis eam expressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & Gentium in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die quarta Mensis Augusti M.DC.XC. Pontificatus nostri Anno primo. J. F. Cardinalis Albanus. Loco † Annuli Piscatoris. Super quibus quidem Litteris Ego Notarius Publicus infrascriptus hoc præsens publicum Transumpti Instrumentum confeci, ut eidem stetur, firmiterque credatur in Judicio, & extra illud. Actum Romæ, ut supra, præsentibus itidem DD. Joanne Baptista Rigante, & Ernesto Ziglino ad præmissa vocatis, &c.

Præinsertæ Litteræ Apostolicæ cum suo Originali revisæ concordant.

Joseph Paulutius Officialis deputatus.

Loco (✠) Sigilli.

B. Cardinalis Prodatarius.

J. F. Cardinalis Albanus.

Ita est. Seraphinus Crucianus Cancellariæ Apostolicæ Notarius deputatus.

Loco (✠) Sigilli.

SERIES

SERIES
Capitum, & Sectionum, seu Materiarum
In hoc Tomo secundo super Decalogum.

PARS QUARTA.

CAPUT I.

DE Justitia, & Injuria in communi. pag. 1

SECTIO I.

Justitiæ definitio explicatur. 2

SECTIO II.

Justitia perfecta, & imperfecta. 3

SECTIO III.

Justitiæ species explicatæ. 4

SECTIO IV.

Injustitia, Injuria. 7

CAPUT II.

De Restitutionis Natura, Obligatione, & Radicibus. 8

SECTIO I.

Restitutio quid sit, unde debita, qualiter obligans, & necessaria. ibid.

SECTIO II.

Quid, & quantum restituendum. 13

SECTIO III.

Quid, & quantum restituendum ex delicto materiali ratione rei acceptæ a possessore bonæ fidei, vel etiam dubitare incipiente. 17

SECTIO IV.

Quid restituendum ex delicto formali ratione injustæ acceptionis a possessore malæ, vel etiam dubiæ fidei. 21

SECTIO V.

Quid restituendum ex delicto formali ratione injustæ damnificationis tantum: item impeditionis a consecutione alicujus boni. 28

SECTIO VI.

Quid restituendum ex contractu justo, & licito. 32

CAPUT III.

De aliis Restitutionis circumstantiis. Quis, cui, quando, ubi restituendum. 36

SECTIO I.

Quis, & quinam restituere obligentur; ubi de causis cooperantibus ad damnum. ibid.

SECTIO II.

Cui restituendum. 46

SECTIO III.

Quando restituendum. 51

SECTIO IV.

Ubi, quo loco restituendum. 55

CAPUT IV.

De Modo, & Ordine Restitutionis, causisque excusantibus. 58

SECTIO I.

Quomodo restituendum. ibid.

SECTIO II.

Quo ordine restituendum. 60

SECTIO III.

Causæ excusantes a restitutione, ut vel differri, vel omnino omitti possit. 63

SECTIO IV.

Causæ excusantes a restitutione, ut omitti possit. 66

PARS QUINTA.

CAPUT I.

De Scandalo velut Homicidio Spirituali. pag. 70

SECTIO I.

De Scandalo activo. 71

SECTIO II.

De Scandalo passivo. 73

SECTIO III.

De inductione, & cooperatione ad peccatum alterius jamjam parati, & volentis peccare, vel alias certo peccaturi. 75

SECTIO IV.

De Obligatione scandalizantis proximum in bonis animæ. 82

CAPUT II.

De Homicidiis licitis. 85

SECTIO I.

De Homicidio ex justitia publica. 86

SUBSECTIO.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in Justitia publica. 90

SECTIO II.

De homicidio in bello justo. 94

SUBSECTIO.

De Irregularitate ex bello justo, & injusto. 99

SECTIO III.

De homicidio per defensionem inculpatæ tutelæ. 100

SUBSECTIO.

De Irregularitate ex homicidio ob defensionem facto. 105

SECTIO IV.

De Homicidio in duello, saltem aliquando licito. 106

CAPUT III.

De Homicidiis illicitis. 109

SECTIO I.

De Sui ipsius occisione directa, & indirecta, ac mutilatione. ibid.

SECTIO II.

De Homicidiis voluntariis illicitis proximi, maxime physice patratis, & sua irregularitate. 114

SUBSECTIO.

De Irregularitate ex homicidio voluntario, mutilatione. 116

SECTIO III.

De Homicidiis voluntariis moraliter causatis, per mandatum, consilium, cooperationem quamcumque: & sua irregularitate. 118

SUBSECTIO.

De Irregularitate ex homicidio dubie patrato, vel causato. 123

SECTIO IV.

De Homicidiis indirecte tantum voluntariis seu casualibus mixtis, & sua irregularitate. 125

SUBSECTIO.

De Homicidio casuali moraliter causato, ex mandato, consilio &c. 127

SECTIO V.

De Homicidiis mere casualibus, & casibus ambiguæ irregularitatis. 128

SUBSECTIO.

Casus ambigui irregularitatis ex homicidio casuali. 131

SECTIO VI.

De Restitutione ex homicidio debita. 134

SUBSECTIO.

De dispensatione super prædictis irregularitatibus ex homicidio tam licito, quam illicito. 138

APPENDIX.

In Sextum, & Nonum Præceptum. 140

CAPUT IV.

In Octavum Præceptum Decalogi.

De Injusta læsione famæ, & honoris proximi, ac restitutione inde debita. 141

SECTIO I.

De sui diffamatione. 142

SECTIO II.

De Læsione interna famæ proximi per temerarium judicium, suspicionem, dubium de malo proximi. 144

SECTIO III.

De Injusta læsione externa famæ proximi per detractionem, calumniam &c. 146

SECTIO IV.

De Restitutione famæ læsæ alterius. 152

SECTIO V.

De Causis excusantibus a restitutione famæ, & honoris. 156

SECTIO VI.

De injusta læsione honoris proximi, ejusque restitutione. 158

CAPUT V.

In Septimum, & Decimum Præceptum Decalogi. 161

SECTIO I.

Furti definitio, divisio, malitia, materia gravis, ac levis. ibid.

SECTIO II.

De furtis minutis multiplicatis, seu continuatis respectu ejusdem, & diversorum. Ubi simul de furtis domesticorum. 165

SECTIO III.

Furta excusata, seu accepta per occultam compensationem. 169

SECTIO IV.
Iterum furta excusata, seu accepta propter necessitatem extremam, vel gravem. 172
SECTIO V.
De Acceptione personarum, ac munerum. Ubi generatim de acceptis ob opus alias debitum, & ob causam turpem. 174
SECTIO VI.
Defraudatio tributorum, vectigalium, gabellarum. 178

APPENDIX.

Crimina falsi, falsificando aliquid &c. 181

PARS SEXTA.

CAPUT I.
De Dominio, & modis acquirendi illud usque ad Contractus. 182
SECTIO I.
De Dominio, ejusque divisione, & speciebus. ibid.
SECTIO II.
De Subjecto Dominii. 186
SECTIO III.
De Objecto Dominii, ejusque acquisitione generatim. 196
SECTIO IV.
De acquisitione rerum per occupationem, inventionem &c. rerum vacantium, derelictarum, incertarum &c. 199
SECTIO V.
De Acquisitione Dominii rerum per præscriptionem, seu usucapionem. 204
SECTIO VI.
De Acquisitione Dominii per alluvionem, accessionem, confusionem, commixtionem. 208
CAPUT II.
De Contractibus in genere. 212
SECTIO I.
De natura, Divisione, Valore Contractuum in genere. ibid.
SECTIO II.
De Promissione. 215
SECTIO III.
Qualiter Contractus validus debeat esse liber a deceptione, & dolo. 222
SECTIO IV.
Qualiter Contractus validus esse debeat liber a coactione, vel metu. 225
SECTIO V.
Quænam Personæ possint valide contrahere. 228
CAPUT III.
De Contractibus gratuitis transferentibus Dominium plenum, scilicet Donatione, Testamento, Legato, Hæreditate, & annexis. 230
SECTIO I.
Donatio quid, & quotuplex. ibid.
SECTIO II.
Quis Donare possit. 232
SECTIO III.
Cui, & quantum donari, ac ob quas causas donatio revocari possit. 233
SECTIO IV.
De Testamentis. 237
SECTIO V.
De Legatis &c. 239
SECTIO VI.
De Testatore, ejus Consultore, executore, & Hæredibus. 241
CAPUT IV.
De Mutuo, & usura. 244
SECTIO I.
Mutuum quid sit, & quibus liceat. 245
SECTIO II.
Tituli justi, & casus, quibus licite ex mutuo aliquid accipi potest ultra sortem sine vitio usuræ. 248
SECTIO III.
De Usura, ejusque speciebus, & casibus variis. 252
SECTIO IV.
De Usuræ prohibitione, acquisitione, restitutione, & cooperatione. 259
CAPUT V.
De Venditione, & Emptione. 263
SECTIO I.
De justo pretio rerum. 264
SECTIO II.
De Merce, seu re vendita, ac vendibili: quænam scilicet res vendi, vel emi possit, & de fraudibus occurrentibus. 269
SECTIO III.
De Mercis venditæ acquisitione, seu translatione in emptorem. 277
SECTIO IV.
De Pactis quibusdam venditioni adjectis, negotiatione, monopoliis. 279
CAPUT VI.
De Contractibus reliquis transferentibus Dominium, Censu, Cambio, Societate, Ludo, & Sponsione. 280
SECTIO I.
De Censibus. ibid.
SECTIO II.
De Cambiis. 285
SECTIO III.
De Contractu Societatis. 288
SECTIO IV.
De Ludo, & Sponsione. 290
CAPUT VII.
De reliquis Contractibus Dominium utile tantum, vel nullum proprie transferentibus, Commodato, Precario, Locato, Conducto, Emphyteusi, & Feudo, Fidejussione, & Assecuratione, Pignore, Hypotheca, & Deposito. 293
SECTIO I.
De Commodato, & Precario. ibid.
SECTIO II.
De Locato, & Commodato, seu Locatione, & Conductione. 295
SECTIO III.
De Emphyteusi, & Feudo. 299
SECTIO IV.
De Fidejussione, & Assecuratione. 301
SECTIO V.
De Pignore, & Hypotheca. 303
SECTIO VI.
De Deposito. 305

TRACTATUS IV.
PRÆLIMINARIS
AD PRÆCEPTA SECUNDÆ TABULÆ.

De Justitia, & Restitutione in communi.

Quia præceptis secundæ Tabulæ (post quartum) continentur peccata , seu delicta contra justitiam, omnia inducentia obligationem restitutionis , ideo necessario admodum præmittendus est hic Tractatus præliminaris de Justitia, & Restitutione in communi , cujus proinde quatuor erunt capita. *Primum* de Justitia, & injuria in communi. *Secundum* de restitutionis natura , & necessitate , ejusque quatruplici radici , ex re accepta , ex injusta acceptione , ex injusta damnificatione , & ex contractu, quibus explicandæ manebunt duæ principales circumstantiæ restitutionis ; Quid , & quantum restituendum ? *Tertium* de aliis restitutionis circumstantiis. Quis , cui , quando , ubi restituendum ? *Quartum* de modo , & ordine restitutionis , causisque excusantibus , ut aut differri , aut omnino omitti possit . Has novem restitutionis circumstantias quidam his versibus complexus est .

Quis , quid restituet , cui , quantum , quomodo , quando .
Ordine , quove loco , quæ causa excuset iniquum .

CAPUT I.

De Justitia, & Injuria in Communi.

Capite hoc speculativo potius , quam practico, brevi compendio ex Scholastica delibabo, quæ pro intellectu terminorum in decursu utilissimæ materiæ magis necessaria, vel utilia videbuntur.

SUMMARIUM.

1 *Nomen* Justitiæ *varie sumitur ; sicut &*
2 *Nomen* Juris.
3 *Quid sit debitum* morale, *&* legale.
4 *Debitum legale aliud est* legitimum , *aliud* æquum.
5 *Justitiæ divisio.*

PRÆNOTIONES TERMINORUM.

§. I. *Justitia .*

1 Justitiæ nomen varie , & potissimum tripliciter accipitur . 1. Latissime Justitia accipitur pro quavis virtute , vel actu virtutis, quo bene , & honeste , hoc est , conformiter ad regulam rectæ rationis , ac legum vivimus . Ut Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum , & Pharisæorum , non intrabitis in regnum cælorum* . Ibid. cap. 6. *Attendite , ne justitiam vestram faciatis coram hominibus &c.* & alibi passim . 2. Strictissime justitia accipitur pro gratia sanctificante, quæ etiam justificans dicitur: qua nimirum coram Deo justi sumus. Item (quod fere coincidit) sumitur pro charitate, quæ est vinculum perfectionis , & plenitudo legis : ideoque merito vocatur justitia , quatenus adfert adæquationem cum tota lege. Hinc August. lib. de Natura, & gratia cap. 38. dicit : *Charitatem esse veram , perfectamque justitiam* . Neutro modo accepta justitia est hujus loci . 3. Medio , & communi modo justitia accipitur pro una ex quatuor virtutibus Cardinalibus , seu pro virtute particulari recte ordinante hominem ad alterum , seu proximum suum , reddendo cuivis , quod suum est ; & sic accepta justitia est hujus loci , mox definienda , ejusque objectum dicitur jus .

§. II. *Jus .*

Juris nomen itidem varie accipitur apud doctos . 1. Pro 2
scientia Legum, vel jurium , seu pro arte , qua cognoscitur justum . Quo sensu jus definitur a Jurisconsulto : *Ars boni , & æqui* . 2. Jus accipitur pro loco, ubi fit justum, seu ubi justitia administratur . Quo sensu dicitur quis , *in jus ambulare , & in jure comparere , aliquem in jus vocare* . Quin etiam accipitur pro ipsa sententia judicis : Judex enim sententiam pronuntians dicitur *jus dicere* , etiam in jure . *Extra territorium jus dicenti non paretur* . 3. Jus accipitur pro ipsa lege , quæ est Regula justi. Sic enim dividitur jus, in naturale , positivum , divinum, humanum, Jus gentium , & Civile , ac Canonicum . Et passim audis aliquid esse de Jure naturali , de Jure positivo &c. de jure sic accepto agitur in materia de legibus . 4. Ad propositum jus accipitur pro justo , idest adæquato , ac debito alteri : & sic est objectum Justitiæ varia ratione , ut mox patebit . 5. Principaliter Jus accipitur pro potestate, vel facultate legitima ad aliquam rem obtinendam , vel functionem aliquam exercendam , cujus violatio fit injuria . Et fere coincidit cum dominio late sumpto, ac diviso in dominium jurisdictionis , & proprietatis. Quo sensu dicitur aliquis *uti jure suo* . Et hoc modo acceptum jus est fundamentum juris justi , & titulus quem respicit justitia ex parte proximi , ut propter illum velit tribuere ei jus suum . Ideo enim justum est , ut mihi aliquid detur , aut fiat , quia ego ad illud jus , seu facultatem , ac potestatem legitimam illud exigendi, eoque fruendi, habeo. De hoc jure latius alibi. Jus quarto modo acceptum pro justo , vel debito alteri , hic porro explicandum est.

§. III. *Justum , seu debitum morale , & legale .*

Jus (prout idem est ac justum) latissime sumitur pro debito 3
cujuscumque virtutis (velut objectum justitiæ latissime sumptæ pro actu cujuscumque virtutis supra §.1.) sicque justum dicitur, quidquid est conforme , vel commensuratum rectæ rationi , ac legi. Quo modo sæpissime accipitur in sacra Scriptura, Luc. 1. *Erant ambo justi coram Domino incedentes in omnibus mandatis , & justificationibus Domini* . Et sic latissime acceptum communiter dividitur *in morale , & legale . Justum* , seu *debitum morale* dicitur, quod quis debet alteri ex honestate virtutis, & operantis tantum, absque jure, vel potestate alterius illud exigendi : ut sunt debita Charitatis , Misericordiæ , Fidelitatis, Temperantiæ , Fortitudinis &c. quæ quis omittendo, nullum lædit jus alterius, sed solum deficit, vel recedit ab honestate virtutis, seu rectitudine debita , quam operans in suis actionibus servare deberet. *Justum* , seu *debitum legale* dicitur, ad quod reddendum alteri quis lege adstringitur ex eo, quod alter jus , ac potestatem habeat ad tale quid exigendum, vel obtinendum. Et sic est objectum peculiare virtutis justitiæ, & nonnullarum virtutum ipsi annexarum:

rum : ut Religionis, Pietatis, Observantiæ, Obedientiæ, de quibus infra.

§. IV. *Justum legitimum, seu æquum.*

4 JUstum, ac debitum legale porro dividitur in *legitimum*, & *æquum*. Legitimum dicitur, quod a singulis partibus seu civibus debetur ipsi Communitati, vel Reipublicæ in ordine ad bonum Commune, ex eo præcise, quod sint partes, seu membra talis Communitatis, vel Reipublicæ. Et hoc tanquam proprium objectum spectat ad Justitiam legalem. *Justum*, seu *debitum æquum* dicitur, quod ab una parte, vel cive debetur alteri parti, vel civi Communitatis, quo proinde ipsæ partes Reipublicæ inter se velut coæquentur in eo, quod eis secundum leges debetur, ita ut nulla pars plus, vel minus habeat ab altera, quam ei debeatur. Et hoc tanquam proprium objectum constituit justitiam particularem, aut commutativam, si constituat æqualitatem arithmeticam: ut pro quinque acceptis ab alio debentur alia quinque. Aut distributivam, si constituat æqualitatem geometricam: ut de bonis communibus duobus civibus, uni merito ut quatuor, alteri merito ut duo, de jure æquo primo debetur præmium ut quatuor, alteri præmium ut duo tantum. Atque hinc jam emergit solemnis

Justitiæ divisio.

5 JUstitia communissime dividitur in *Legalem*, seu *Universalem*, & *Particularem*. Et hæc subdividitur in commutativam, & distributivam. Alii immediate assignant triplicem justitiam; *Legalem Distributivam*, & *Commutativam*: idque juxta triplicem habitudinem bonorum alicujus Communitatis. *Prima* est habitudo partium ad totum, qua singulæ partes, seu cives debent aliquid Communitati in ordine ad bonum commune: & hoc debitum reddit justitia legalis, seu universalis. *Secunda* est habitudo totius ad partes, qua ipsa Communitas debet aliquid singulis partibus inter se se comparatis de bonis communibus: & hoc debitum reddit justitia particularis distributiva circa bona communia partibus distribuenda. *Tertia* est habitudo partium ad partes: qua una pars, vel civis privatus debet aliquid alteri parti, vel concivi privato de bonis particularibus: & hoc debitum reddit ad æqualitatem commutativa particularis Justitia. Denique ad has tres Justitiæ species etiam spectat, & reduci debet Justitia vindicativa debitas delictis pœnas infligens. De singulis ordine incipiendo a definitione Justitiæ in communi.

SECTIO I.

Justitiæ definitio explicatur.

SUMMARIUM.

6 Justitia est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Ubi
7 Voluntas *sumitur pro habitu virtutis inclinante ad tribuendum*
8 Jus suum, *quod est objectum formale* quod *justitiæ*.
9 *Per ly* cuique *significatur objectum* Cui, *seu quivis alius homo*.
10 *Per ly* tribuendi *significatur actus proprius Justitiæ*.
11 *Differentia inter Justitiam, & alias virtutes morales*. Usque ad num. 64.

6 J*Ustitia est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Est ab omnibus tam Theologis, quam Juristis, recepta definitio, tradita ab Ulpiano *in legem Justitiæ, ff. De Justitia, & jure*. Explico particulatim.

§. I. *Est constans, & perpetua Voluntas.*

7 V*Oluntas* hic accipitur non pro ipsa potentia voluntatis omnibus communi, quæ utique sine justitia esse potest: neque solum pro actu, seu actuali volitione tribuendi jus suum cuique, sic enim est actus justitiæ potius, quam ipsa justitia: sed accipitur pro habitu virtutis ordinante voluntatem, & inclinante hominem ad volendum suum cuique jus tribuere. *Constans*, & *perpetua*. Significatur Justitiam, ut veram virtutem debere firmiter, ac immobiliter, & omni tempore, non semel, vel iterum tantum, & in omni materia, non in hac, vel illa tantum, inclinare ad actum justum, seu jus suum cuique tribuendum, ut quis vere justus dici possit. In his ergo particulis, velut genere, Justitia convenit cum aliis virtutibus moralibus voluntatis: quælibet enim virtus est constans, & perpetua voluntas operandi honeste, seu, quod idem, est *habitus indefectibiliter attingens bonum honestum*.

Reliquæ sequentes particulæ: *jus suum cuique tribuendi*: differentiam Justitiæ ab aliis virtutibus, desumptam a proprio suo objecto, & actu, exprimunt, ut mox patebit. Unde clarius hanc definitionem reddit D. Thom. 2. 2. quæst. 58. art. 1. in corpor. *Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate jus suum cuique tribuit*.

§. II. *Jus suum.*

HIc significatur objectum formale *quod* Justitiæ, quod est jus, seu justum æquale debitum alteri ex eo, quod alter habeat jus reale, seu potestatem legitimam exigendi talem rem tanquam suam, in suum commodum referendum. Unde hoc jus, seu justum, & debitum alteri reddendum, quod respicit Justitia, differt ab aliarum Virtutum debitis, penes diversum fundamentum. Illud enim debitum non fundatur in superioritate, ut Obedientia: nec in excellentia, ut Religio, Dulia, Observantia, vel in aliis titulis, sed in jure reali, & dominio alterius ad talem rem, vel ejus usum, tanquam principaliter in suum commodum referendum, ut optime, & late explicat *Lugo de Justit. disp. 1. sect. 1. a num. 4.* 8

§. III. *Cuique.*

SIgnificatur objectum *Cui* Justitiæ, quod est quivis, seu omnis alius homo, excepto se ipso: justitia enim directe semper est ad alterum: ut habet communis DD. cum *S. Th. cit. art. 2.* Ratio est, quia justitiæ proprium officium est facere æqualitatem: sed æqualitas non potest esse, nisi inter duos, cum nihil sit sibi ipsi æquale: ergo justitia semper debet esse ad alterum, cui reddat jus suum ad constituendam æqualitatem. 9

Dices. Si ego consulam alteri, ut mihi fideliter restituat debitum, nonne actus iste participat bonitatem justitiæ ab actu justitiæ alteri consulto? Ergo justitia versatur tunc circa seipsam. *Resp. Indirecte* transeat. Ideo enim caute dixi: Justitiam *directe* semper esse ad alterum.

Dices iterum. Qui occidit seipsum, peccat contra justitiam: ergo Justitia potest esse ad se ipsum directe. *Dist. Ant.* peccat contra justitiam respectu sui ipsius. N. (sic enim solum peccat contra Charitatem) peccat contra Justitiam respectu Dei Supremi vitæ, & mortis Domini, cujus proinde jus violat, *Conc. ant.* & *nego conseq.* Potest etiam dici aliquorum sensu talem peccare contra justitiam legalem respectu Communitatis, quam aliqua sui parte spoliat, ad quam ipsa Communitas jus habebat.

Dices adhuc. Dux belli distribuens præmia, vel spolia, attributa sibi ipsi æqua, & legitima parte, nonne exercet actum justitiæ distributivæ, etiam erga se ipsum? Resp. Nequaquam: solum enim justitiam distributivam exercet respectu aliorum, quibus proportionatas suas partes relinquit: respectu autem sui ipsius potius exercet actum generosæ temperantiæ, moderando appetitum inordinatum habendi.

§. IV. *Tribuendi.*

SIgnificatur actus proprius Justitiæ, scilicet actu jus suum cuique attribuere: idque vel reparando, si læsum sit, vel conservando, seu non lædendo, si adhuc sit integrum. Neque enim Ly *tribuere* hic accipi debet solum positive, pro actu positivo, quo quis alteri aliquod jus suum tribuit, debitum solvendo, vel ablatum restituendo; sed etiam, & maxime, negative, pro omissione, seu abstinentia a contrario actu injuriam inferendi. Ejusdem enim virtutis est facere bonum in sua propria materia, & abstinere a malo contrario. Justitiæ ergo virtutis actus immediatus, & elicitus est *velle jus suum cuique reddere; & nolle jus cujuspiam lædere, vel violare*: actus vero mediatus, & imperatus, est actualis redditio juris cujusvis, nimirum debiti solutio, vel ablati restitutio, & abstinentia ab injuria opposita. Unde justitiæ partes integrales dicuntur: facere bonum, & declinare a malo. 10

COROLLARIUM.

EX dictis hactenus patet triplex valde notanda differentia inter justitiam, & alias virtutes morales.

Prima: ex parte objecti *Cui*. Justitia enim secundum propriam suam rationem rectum facit hominem in ordine ad alterum; justus enim per se semper alteri justus est: at temperans per se sibi ipsi est temperans: fortis sibi ipsi per se fortis est. Quod vero etiam quis alteri, Communitati fortis, vel temperans esse possit, & debeat, per accidens est, & ex imperio aliarum virtutum, ut Justitiæ legalis, Charitatis, Pietatis. 11

Secun-

12 *Secunda*: ex parte materiæ. Quæ Justitia, aliæque ei annexæ virtutes versantur circa actiones humanas externas moderandas, quatenus ad alterum tendunt: aliæ vero virtutes, Temperantia, & Fortitudo versantur solum circa passiones moderandas, quatenus ipsum hominem afficiunt: utpote Temperantia circa moderandas passiones appetitus concupiscibilis, & irascibilis: Fortitudo circa moderandas passiones timoris, & audaciæ.

Et licet passiones cupiditatis, iræ, vindictæ &c. nimis sæpe obstent, quominus Justitia suos actus debite exerceat, judicando, restituendo &c. non tamen est ipsius Justitiæ proprium moderari illas passiones, sed hoc spectat ad alias virtutes, etsi ex imperio Justitiæ. Nam ad essentiam cujuscumque virtutis solum spectat moderari difficultates in sua propria materia occurrentes; non item omnes difficultates undecumque occurrentes, sed hoc aliis virtutibus relinquitur: alioquin sufficeret una virtus pro omnibus actibus honestis.

13 *Tertia*: ex parte medii. Justitia enim in suis operationibus circa proximum præcise servat medium rei, hoc est, ex ipsa rei natura determinatum absque ullo ordine, vel respectu ad hominem operantem, ut nimirum æqualitas dati, & accepti æstimetur ex natura ipsarum rerum, ut v.g. præcisa causa, cur huic sint reddenda quatuor, sit, quia ei ablata, vel pacto promissa sunt quatuor, nulla habita ratione personæ operantis, sitne dives, pauper, firmus, infirmus. At vero aliæ virtutes, Temperantia, Fortitudo, &c. in suis operationibus moderandis servant medium rationis tantum, determinandum scilicet a recta ratione cum habitudine, & proportione ad operantem, v. gr. Temperantia moderans appetitum, & usum cibi, & potus, non sumit medium ab ipsa re, scilicet cibo, & potu, sed a recta ratione mensurante qualitatem, & constitutionem operantis, comedentis, & bibentis, quod enim infirmo nimium est (v.g. mediam libram carnis comedere, integram mensuram bibere) robusto minus est, sic in cæteris. Adeoque cur tantus cibus, & potus sit moderatus, seu in medio virtutis positus, causa non est in ipsa re, sed ex parte ipsius comedentis, & bibentis, cui juxta suam constitutionem tantum sufficit, ut nec plus exigat, nec minori contentus esse valeat.

SECTIO II.

Justitia perfecta, & imperfecta.

SUMMARIUM.

14 *Justitia perfecta requirit tres conditiones*, 1. alteritatem, 2. debitum simpliciter, 3. æqualitatem. *Unde*

15 Usque ad nu. 19. *ex defectu horum aliæ virtutes a ratione veræ justitiæ deficiunt, hinc etiam*

19 *Inter Patrem, & filium; Dominum, & servum; maritum & uxorem* formaliter *sumptos, non datur justitia proprie dicta*, & 20.

21 *Bene vero inter eos* materialiter *sumptos, quatenus scilicet singuli eorum habent peculiare jus, vel dominium.*

22 Usque ad num.26. *quoad delicta inter hos, observatio practica multum notanda.*

§. I. *Justitiæ perfectæ conditiones.*

14 Justitia perfecta, & simpliciter dicta (ut ex definitione explicata evidenter constat) tres conditiones essentialiter requirit.

Prima. Ut sit ad alterum simpliciter, seu inter duos totaliter inter se distinctos, non tantum quoad personam, sed etiam quoad jus, & dominium propriorum bonorum, sic ut quilibet habeat sibi proprium ab altero independens jus. Cujus ratio mox patebit ex conditione tertia. *Secunda*. Ut sit debitum simpliciter alteri, habeatque veram rationem debiti legalis, sic ut alter ad illud jus, seu potestatem habeat, illud sibi tanquam lege debitum exigendi, etiam in Judicio. *Tertia*. Ut constituat æqualitatem simpliciter inter debitum, & jus alterius, ut scilicet omnino tantum detur, quantum postulat jus alterius. Hæc conditio rursus infert primam, quod nimirum Jus, & justitia simpliciter debeat esse ad alterum simpliciter, cum enim æqualitas necessario sit inter duos ita distinctos, ut unus sit sibi totus proprius, & non alterius aliquo jure, inter illos tantum poterit esse jus, & justitia simpliciter, qui sunt ita diversi inter se, & distincti, ut unus non sit pars, vel quasi pars alterius, sed totus sibi proprius: uti se habent duo cives disparati Communitatis. Justitia ergo secundum quid & imperfecta erit, quando una ex dictis tribus conditionibus deficit, quando scilicet, aut non est ad alterum simpliciter, aut non constituit æqualitatem simpliciter, aut non est debitum simpliciter, & legale, sed morale tantum. Et huc spectant in primis virtutes annexæ Justitiæ, seu partes potentiales justitiæ.

§. II. *Justitiæ imperfectæ enumerantur.*

Virtutes annexæ Justitiæ, tanquam Justitiæ secundum quid, seu species imperfectæ Justitiæ, in aliquo scilicet a perfecta ratione justitiæ deficientes, communiter enumerantur novem. 1. *Religio* erga Deum. 2. *Pietas* erga Parentes. 3. *Observantia* erga homines virtute excellentes, & Superiores (ad quam spectant Dulia, & obedientia) 4. *Veritas* erga omnes, qua se talem quis exhibet dictis, & factis, qualis revera est. 5. *Gratia*, seu *Gratitudo*, qua quis alteri compensat beneficia. 6. *Vindicatio*, seu *Justitia vindicativa*, qua maleficia digna pœna compensantur. 7. *Liberalitas*, qua quis aliorum consulit utilitatibus. 8. *Magnificentia*, qua id ipsum facit magnis sumptibus. 9. *Amicitia*, *seu affabilitas*, qua quis se reddit alteri charum. 10. additur Epikeia, quæ clementer, juxta æquitatem, temperat rigorem legis: omnes dicuntur Justitiæ secundum quid, quia in aliquo a vera Justitiæ ratione deficiunt, quæ debet esse *ad alterum*, *de debito*, & *secundum æqualitatem simpliciter*. 15

I. Ob defectum personæ æqualitatis a ratione veræ justitiæ deficiunt Religio, Pietas, & observantia. Religio quidem erga Deum: quia homo non potest Deo reddere æquale, scilicet quantum ei debet, juxta illud Psalm. 15. *Dixi Domino; Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Pietas item erga parentes: Quia nec iis æquale reddi potest eo ipso, quod esse dederint. Observantia erga Majores, virtute, & dignitate pollentes: quia nec his nostro cultu æquale reddi potest hoc ipso, quia agnoscimus, & profitemur nos inferiores. Interim tamen hæc tria servant perfectissimam rationem debiti legalis, æque ac vera justitia: strictissimum enim est illud debitum, & scriptis etiam legibus præcipitur, additque obligationem civilem. 16

II. Ob defectum debiti legalis a perfecta ratione justitiæ deficiunt virtutes reliquæ enumeratæ: veritas quidem, gratitudo, & justitia vindicativa: in his enim solum est debitum morale, etsi necessarium, & obligans sub peccato. Et multo magis liberalitas, amicitia &c. in quibus est debitum morale congruum tantum, & solum ad melius esse, seu majorem honestatem morum necessariorum, sic ut eo omisso non peccetur. 17

III. Ob defectum perfectæ alteritatis a perfecta ratione juris, & justitiæ deficiunt (ut vocat Aristot. 5. *Ethicorum c.7. & D.Th. cit.*) Jus paternum inter patrem, & filium: Jus herile inter Dominum, & servum: Jus conjugale inter maritum, & uxorem, licet & hæc perfectissimam rationem debiti legalis contineant. Sed advertendum est, filium, servum, uxorem posse dupliciter considerari. *Primo* formaliter, & quatenus tales sunt: qua ratione filius ut filius, servus ut servus, uxor ut uxor, sunt velut aliquid patris, domini, mariti, & velut una cum ipsis persona moraliter, atque cum iis in eodem jure participant: ita ut quoad res, vel actiones talis juris paterni, herilis, œconomici, vel conjugalis, commodum, vel damnum æque in utrumque redundet. Adeoque licet pater & filius, dominus & servus, maritus & uxor physice sint duo homines, moraliter tamen censentur unus homo saltem in jure civili, & externo. *Secundo* Filius, servus, uxor, possunt considerari materialiter, ut homines sunt, & distincta membra Reipublicæ, vel Communitatis: qua ratione possunt habere omnino distinctum jus, dominium vel peculium, a patre, domino, marito omnino independens: ita ut quoad actiones, & res illius juris proprii, commodum, vel damnum in ipsos solos redundet, & alium, patrem, dominum, maritum, non contingat, nam præter jus vitæ, & famæ, filius jam emancipatus habet proprium jus & dominium bonorum suorum: immo etiam filiusfamilias potest habere proprium peculium castrense, vel quasi castrense. Servus quoque proprium potest habere peculium independens a Domino: uxor etiam propria bona paraphernalia. Quo notato, resolvendum erit, ut sequitur. 18

§. III. *Qualis Justitia inter Patrem, & filium.*

Primo dicendum. Inter Patrem, & filium, Dominum, & servum, maritum, & uxorem, formaliter, quatenus tales sunt, non potest esse jus, vel justitia simpliciter, sed tantum secundum quid. *Communissima cum Aristot. & D. Th. proxime citatis*. Ratio patet ex dictis. Quia jus, & justitia perfecta debet esse ad alterum, & æqualem in jure, qui scilicet natura, & jure sit ab altero distinctus, ut supra dictum est: sed filius, servus, uxor, quatenus tales sunt, non sunt ita natura, & jure a patre distincti. Nam 1. filius ut talis, est quasi pars patris, & natura, quippe ex paterno semine natus; & jure, nam usque 19

usque ad emancipationem in omni jure paterno patriæ potestati est subjectus, adeoque licet sit alius in persona physica, non tamen est alius in jure, cum totum jus filii, quantum ad ea, quibus respicit patrem, sit sub patria potestate, adeo ut quidquid filius debet, vel tribuit patri, censeatur etiam debere, vel tribuere sibi ipsi, atque omne commodum, vel incommodum filii in his etiam redundat in patrem. 2. Servus similiter est aliquid Domini, nempe instrumentum ejus animatum ad opera domestica, & quiddam ex ejus bonis: atque ut talis, quibus respicit dominum, nullum habet jus in iis non subjectum potestati Domini. 3. Uxor denique est etiam aliquid mariti, & e contra, cum sint moraliter unum corpus, & una caro; atque in iis, quæ ad vitæ societatem, & administrationem familiæ pertinent, uxor jure marito subjecta est, ut damnum unius semper redundet in alterum: ergo inter illos, ut tales sunt, non potest esse jus, vel justitia simpliciter, sed tantum secundum quid. Eadem ratione dicimus infra de justitia legali. Eademque ratione idem dicendum de omni justitia erga Deum, ut Religione, Pœnitentia, Obedientia: nam etiam ex hoc capite deficiunt a vera ratione justitiæ simpliciter, quod scilicet in homine respectu Dei nec reperiatur perfecta æqualitas, nec perfecta distinctio: Dei enim opus, & possessio sumus, & quidquid Deo debemus, ac facimus, verissime debemus, ac facimus nobis ipsis.

20 ¶ Interim semel pro semper valde notandum est, quod, licet prædicta deficiant a perfecta ratione justitiæ, quantum ad distinctionem, & æqualitatem perfectam, minime tamen deficiant, sed servent perfectissimam rationem debiti Legalis, imo majus, & strictius est debitum, v. gr. Religionis erga Deum, justitiæ Legalis erga Communitatem, Pietatis, ac juris paterni &c. quam justitiæ simpliciter dictæ erga concivem, & proximum æqualem: unde, & graviora peccata sunt, graviusque puniuntur in jure delicta contra Deum, Communitatem, parentes, dominum &c. quam contra concivem æqualem. Hæc ergo doctrina speculativa potius, quam practica, parum favet reo in foro conscientiæ: imo neque externo, excepto furto, cujus ratio patebit infra.

21 *Secundo dicendum*. Inter patrem, & filium, Dominum, & servum, maritum, & uxorem materialiter sumptos, ac quatenus singuli peculiare jus, vel dominium habent, potest esse justitia simpliciter. Ita *Sotus*, *Less. Molina*, aliisque allatis Tanner. *disp.4. q.2. dub.1. nu.12. Lug. disp.1. de Justitia sect.5. a n.31.* Et patet ab opposita ratione. Quia filius, servus, uxor, materialiter spectati, quatenus homines sunt, & partes condistinctæ Communitatis, possunt habere jura, vel dominia sibi propria prorsus distincta, & independentia a patre, Domino, marito; secundum quæ vero contractu, vel delicto possunt contrahere vera debita, activa, & passiva ad patrem, dominum, maritum. Nam v. g. filius, non tantum jam emancipatus, est verus dominus bonorum suorum, sed etiam minorennis sub patria potestate constitutus, potest habere proprium peculium castrense ex militia acquisitum, vel quasi castrense, ex officio publico, vel donatione principis comparatum: in quo peculio a patre independens est, potestque inter ipsum, & patrem esse verus contractus emptionis, vel venditionis, vel alius ex justitia obligans, juxta legem 2. *ff. de emptione*. Servus item potest habere proprium peculium, eoque se a Domino redimere, ita ut Dominus injustus esset, si, eo pacto inito, acceptaque pecunia, servum non manumitteret. Uxor denique potest habere propria bona paraphernalia, & de ipsis cum marito celebrare contractus ad justitiam spectantes, atque ex justitia obligantes alterum ad restitutionem. Præterquam quod etiam quoad debitum conjugale, & dotis legitimam administrationem, est inter maritum, & uxorem juris stricti æqualitas, adeoque justitia simpliciter: cum negatio debiti, adulterium, dotis dissipatio, secundum omnes, sint proprie contra justitiam. Insuper singuli istorum habent sibi proprium, & strictum jus famæ, & vitæ. Unde universaliter delicta inter patrem, & filium, servum, & Dominum, uxorem, & maritum, ut homicidium, injusta infamatio, furta de bonis non subjectis, vere sunt contra justitiam simpliciter, & quidem qualificata, ut mox patebit: ergo tandem inter patrem, & filium, Dominum, & servum, maritum, & uxorem potest esse jus, & justitia, atque adeo etiam injuria simpliciter: quia nimirum in iis omnibus, filius, servus, uxor non habent se ut pars, instrumentum, vel aliquid patris, Domini, mariti, sed habent se ut concives, & partes condistinctæ Communitatis: eoque respectu ipsis per accidens est, quoad illos contractus, vel delicta, quod unus eorum sit pater, alter filius &c.

§. IV.

OBSERVATIO PRACTICA.

Quoad delicta inter prædictos.

I. Ex dictis in ordine ad praxim observanda est notabilis differentia quoad delicta inter filium & patrem, uxorem & maritum &c. nam quoad injustam læsionem vitæ, famæ, & honoris, ut si filius patrem occidat, verberet, injuste diffamet, aut quavis contumelia afficiat; peccatum erit qualificatum, & contra justitiam, & contra pietatem speciali malitia, & circumstantia speciem mutantes, necessario explicanda in confessione, secundum omnes: ut in quarto Præcepto etiam notatum. *Contra justitiam* quidem: quia Pater, ut homo est, habet jus suæ vitæ, famæ, & honoris contra omnes homines, etiam filium, uxorem &c. *Contra Pietatem* vero; quia pater, ut pater est, habet peculiare jus reverentiæ, amoris, honoris erga filium tanquam aliquid sui, cui reverentiæ repugnant delicta illa. 22

II. E contra vero furtum, vel defraudatio in bonis temporalibus patris facta a filio, est tantum contra justitiam; & quidem minus peccatum, quam furtum, vel defraudatio de rebus extraneis: cum propter arctissimam inter eos tam naturalem, quam legalem conjunctionem, quæcumque bona temporalia patris aliquo modo spectent ad filium, & viceversa etiam bona filii ad patrem, ut cum aliis recte observat *Laym. lib.3. tr.1. cap.3.* 23

III. Insuper, etiam non est speciale peccatum contra virtutem Pietatis: quia furtum regulariter non opponitur graviter contra pietatem, & reverentiam parentibus debitam. Unde ea circumstantia, nimirum furtum esse factum de bonis patris, non est necessario explicanda in confessione: ut apud *Laym.* ibidem optime infert *Molina* dicens *non tenetur filius confiteri furtum, aut defraudationem factam fuisse patri: quoniam peccatum est ejusdem speciei, ac si adversus alium factum fuisset; & quod defraudatio in bonis temporalibus sit facta patri, non aggravat, sed extenuat culpam.* 24

IV. Dixi tamen: *Regulariter* furtum non opponi graviter contra Pietatem, vel reverentiam, & amorem patri debitum. Non est enim negandum, posse etiam aliquando opponi graviter, speciali gravi malitia contracta: ut si filius auferret a patre tantam substantiæ partem, ut pater reduceretur ad egestatem: vel inde multum pateretur circa statum, & conditionem suam: aut si aliunde prævideret ex tali furto, rei v. gr. charissimæ, patrem merito quoque gravissime offendendum: tunc enim omnino filius etiam graviter peccaret contra Pietatem: adeoque deberet eam circumstantiam explicare in confessione, ut sapienter monet *Lug. disp. 1. num.32.* 25

SECTIO III.

Justitiæ species explicatæ.

SUMMARIUM.

26 *Justitiæ* legalis, *seu* universalis, & particularis *definitio.*
27 *Cur* legalis *dicatur*, *&* universalis, *vel* generalis.
28 *Est virtus specialis distincta ab aliis virtutibus.*
29 *Et eadem, seu ejusdem rationis in Principe, & Subdito.*
30 *Non tamen Justitia stricte, & simpliciter dicta.*
31 *Quid Justitia* distributiva, &
32 *Quid* commutativa.
33 *In quo conveniant, & differant,*
34 *Cum eis diversi sint actus,*
35 *Diversa ratio debiti, &*
36 *Diversa objecta formalia, ideo*
37 *Specie, & essentialiter differunt, velut species analogæ.*
38 *Justitia* vindicativa *sub uno respectu reducitur ad legalem,*
39 *Sub alio ad commutativam.*
40 *Simpliciter tamen non est justitia proprie dicta.*
41 *Corollarium.*

Duæ sunt immediatæ species Justitiæ: *Legalis*, seu *Universalis*, & *Particularis*. Justitia *Legalis*, *seu Universalis*, *est virtus ordinans hominem in suis actibus ad bonum commune Reipublicæ seu Communitatis:* qua nimirum homo reddit, & præstat, quod justum, & debitum est ipsi Communitati ad sui conservationem. Justitia particularis *est virtus*, *quæ cuique particulari personæ jus suum debitum reddit;* seu, quod idem est, *est virtus*, *quæ recte inter se ordinat*, *& adæquat homines quoad commutationem bonorum particularium*, *& distributionem bonorum communium*. Ubi indicantur ejus geminæ species, commutativa, & distributiva Justitia, de quibus ordine per Paragraphos, 26

§. I.

§. I. *Justitia Legalis, seu Universalis.*

27 DEfinitionem jam modo audivisti. Pro cujus explicatione aliquot quæstiunculæ scholasticæ explicandæ sunt.

I. Cur dicta Justitia *legalis*, seu universalis? Resp. *Legalis* justitia vocatur, quia versatur circa justum *legitimum*, seu *lege debitum*: cum leges omnes principaliter præscribant ea, quæ sunt bona, & conducibilia ipsi Communitati: adeoque Justitia efficiendo ea, quæ sunt bona apta communitati, maxime fit conformis Legibus, ideoque Antonomastice *legalis* dicta: *Universalis* autem, vel *Generalis* Justitia vocatur, eo quod omnes alias virtutes morales quodammodo in se contineat; nimirum non essentialiter, per prædicationem; sed causaliter, & imperative, quatenus Justitia illa omnium aliarum virtutum actus ordinat, & imperat, *in ordine ad bonum commune*. Quemadmodum enim Leges in omni materia virtutum præscribunt ea, quæ sunt conducibilia bono communi, ut pulchre ostendit Philosophus 5. *Ethicorum* dicens: *Leges de omnibus præscribunt, & ea, quæ ad virum fortem pertinent, ut non deserere ordines, non fugere, non arma abjicere: & id, quod est temperantis, ut non committere adulterium, non contumeliose se gerere: & id, quod est mansueti, ut non verberare, non maledicere. Simili modo secundum alias virtutes, & vitia, alia jubet lex, alia prohibet*. Sic Aristotiles. Ita etiam Justitia Legalis perficit, & dirigit hominem, ut recte, & juste se gerat erga Communitatem in omni materia virtutum moralium: merito ergo dicta Justitia *Universalis*, & a Philosopho ibidem *Justitia perfecta*.

28 II. Estne virtus specialis distincta ab aliis? Resp. Quod sic. Communis cum *S. Th. q. 58. art. 6.* aliis apud *Tann. disp. 4. de Justit. q. 2. dub. 1.* Nam licet hæc Justitia Legalis, universalis, seu generalis sit secundum materiam, quia scilicet versatur, ut dictum est, circa materiam omnium aliarum virtutum, quarum omnium actus ad bonum commune dirigit, ordinat, & imperat: attamen secundum se, & rationem suam essentialem, virtus specialis est, distincta a quavis alia virtute morali. Quia & peculiarem rationem honestatis, & laudis obtinet, distinctam ab honestate, & laude aliarum virtutum: & peculiarem difficultatem habet in agendo propter bonum commune: ejusque proprium objectum formale est agere ob bonum commune, utique diversum ab objectis omnium aliarum virtutum moralium propriis. Quemadmodum Charitas secundum se spectata, specialis ab aliis distincta virtus est ex suo proprio objecto, & motivo formali, quod est bonum Divinum; attamen ea ipsa virtus maxime universalis, & generalis est, immo omnium aliarum virtutum forma, quatenus similiter omnium aliarum virtutum actus imperat, & ordinat; ut propter Deum, & bonum divinum exerceantur, atque sic actus formati, ac meritorii esse possint. Vide citt.

29 III. Estne eadem virtus in Principe, & subdito? Resp. est eadem. Ita cum aliis *Valentia*, & *Lugo hic*. Ratio patet: quia uterque, & Princeps, & subditus in operando, is imperando, hic obsequendo, movetur eodem motivo, & affectu boni communis ad juvandam, seu protegendam Rempublicam, cujus uterque pars est. Si subditus habeat speciales difficultates in obediendo, & operando propter bonum commune, eæ non habitu Justitiæ Legalis, sed habitu aliarum virtutum, Fortitudinis, Temperantiæ, & maxime Patientiæ superandæ sunt: quemadmodum speciales difficultates Principis ad bonum promovendum commune, similium virtutum, & maxime Prudentiæ superari debent. Qua ratione *S. Th. cit. ar. 6.* ex Aristotile docet, hanc virtutem Justitiæ Legalis, in Principe, seu Magistratu inesse *Architectonice*, quatenus ea per Leges præcipiunt, & statuunt, quæ ad bonum commune, optimamque administrationem Reipublicæ pertinent: in subditis autem inesse *ministerialiter*, & *executive*; quatenus ejusmodi leges ob bonum commune acceptant, & observant, executioni mandando, quæ per Magistratum decreta sunt.

30 IV. Estne Justitia stricte, & simpliciter dicta? Resp. Non est. Ita cum aliis *Valentia cit. q. 1. pu. 2.* Lug. *cit. sect. 4. n. 68.* Ratio est: quia licet Justitia Legalis servet perfectissimam rationem debiti Legalis, & legitimi, non tamen servat perfectam alteritatem requisitam ad Justitiam simpliciter dictam. Quare sicut Pietas, v. g. erga parentes, non est Justitia simpliciter, & perfecta ob defectum alteritatis perfectæ, cum filius sit quasi pars patris, & jure idem: ita a fortiori non erit justitia simpliciter & perfecta inter civem, & Communitatem, cujus ille, non *quasi*, sed *revera* pars est, & jure particeps in commodis: nam & in incommodis Communitatis non distinguitur a suis membris: & ideo Justitia Legalis non ita respicit bonum commune, ut præscindat a bono particulari operantis, sed potius ideo respicit illud bonum commune, quia censetur esse bonum etiam ipsius operantis ac singularum partium; sicut bonum corporis est bonum membrorum. Justitia autem perfecta respicit bonum alterius, præscindendo omnino ab utili proprio, ut acute observat *Lugo cit.* De obligatione, & violatione Justitiæ Legalis habetur tract. 5. de delictis in septimo præcepto, cum de defraudatione tributorum, Vectigalium &c.

§. II. *Justitia Distributiva, & Commutativa definita.*

JUstitia *distributiva* dicitur, quæ distribuit bona Communitatis in singulas partes secundum debitam proportionem dignitatis, vel meriti cujusque, sicut e contra etiam onera Communitatis secundum proportionem facultatis cujusque. Unde ejus materia 1. proprie per se, & principaliter sunt bona communia Reipublicæ, vel communitatis, ipsi communitati, vel Reipublicæ, aut superflua, aut vacantia; ut sunt æraria superflua &c. dignitates, beneficia, officia vacantia: omnia debita proportione pro cujusque statu, & merito, partibus Reipublicæ distribuenda. Quo spectant bona Oeconomica Communitatis, Collegii, Familiæ &c. singulis debita proportione impendenda. Et quia particeps honorum communium debet etiam esse particeps onerum communium: ideo 2. indirecta materia justitiæ distributivæ etiam sunt onera communia, tributorum, operarum, laborum, periculorum ad bonum commune suscipiendorum; omnia juxta proportionem distributionis bonorum communium inter cives pro ratione facultatum distribuenda: adeo ut sicut bona communia distribuenda sunt juxta proportionem dignitatis, & meriti personarum, ita & onera, & opera distribuenda sunt juxta proportionem facultatis personarum. 3. Reductive, & ob aliquam similitudinem ad materiam justitiæ distributivæ etiam reduci possunt pœnæ delinquentibus communibus Reipublicæ legibus decretæ, & in singulos Communitatis delinquentes, pro ratione delicti æqua proportione infligendæ. Quæ tamen proprie spectant ad specialem virtutem justitiæ annexam, scilicet vindicativam. De qua §. 4. 31

Justitia commutativa dicitur, quæ commutat bona particularia inter ipsas partes Communitatis secundum æqualitatem debitam, sive ex contractu, sive ex delicto propter damnum alteri illatum. Unde & ejus materia propria sunt bona particularia inter cives particulares secundum debitam æqualitatem commutanda. Quia nimirum unus civis, vel pars Communitatis non potest ulla ratione habere jus ad bona particularia alterius civis: neque e contra unus alteri quidpiam debere potest, nisi facta aliqua commutatione, qua unus alteri sua commutat bona, rursus ab altero compensanda; eaque commutatio, vel est voluntaria, & ex contractu cum consensu utriusque, & dantis, & accipientis, ut in emptione, venditione, mutuo, locato, commodato &c. de quibus in materia de contractibus: vel est involuntaria commutatio, & ex delicto, cum quis alicui invito aliquid suum aufert, seu damnum injustum infert in bonis fortunæ, famæ, vel vitæ, ut furto, calumnia, homicidio &c. de quibus Tract. sequenti in materia de delictis. Ex his utrisvis semper uni remanet jus rem suam exigendi, vel repetendi; alteri vero incumbit jus, & obligatio reddendi, vel restituendi. Circa omnes istas commutationes reficiendas, & ad æqualitatem redigendas, tamquam propriam (sane amplissimam) materiam versatur; ideo sic dicta, *justitia commutativa*, cujus proprius actus est restitutio. Hic iterum aliquid Scholastice dicamus. 32

§. III. *Justitia Distributiva, & Commutativa comparatæ.*

COnveniunt ambæ eæ justitiæ in hoc, quod utraque reddat jus, seu justum debitum particulari civi, seu parti Communitatis; *at diversi utriusque sunt actus, diversa ratio debiti, diversa objecta formalia, seu media constituenda ad æqualitatem debitam: adeoque differunt essentialiter, & specie.* 33

I. *Diversi sunt actus*. Nam actus justitiæ commutativæ sunt commutationes bonorum particularium inter cives particulares. Justitiæ autem distributivæ actus sunt distributiones bonorum communium inter cives, ut partes communitatis: quæ duæ actiones, scilicet commutationes, & distributiones, in se, & natura ipsa maxime differunt, etiam in hoc, quod actio justitiæ commutativæ per se, & proprie sit ipsius hominis particularis aliquid debentis, & non nisi directive, vel coactive ad Magistratum pertinere possit: actio vero justitiæ distributivæ, scilicet ipsa distributio communium bonorum per se, & proprie est ipsius Magistratus, seu Rectoris Reipublicæ, & non nisi imperfecte potest esse in privatis, quatenus approbant justam distributionem, eaque contenti vivunt. Ejusdem enim rationis & perfectionis est, actum externum virtutis exercere, & eum sola mente approbare. 34

II. *Diversa est ratio debiti utriusque Justitiæ*. Justitia enim commutativa attendit alteri debitum, quod ei secundum se est proprium, & particulare: vel ex contractu cum altero, vel ex delicto alterius: Justitia autem distributiva attendit

dit tantum illud debitum, quod ex bonis communibus ideo alicui debetur, quia est pars Reipublicæ, seu, quia in quantum id, quod est totius, est debitum parti (ait D. Th. *cit. art.* 2.) quia nimirum hoc ipso, quod bona sunt communia, & vel Communitati superflua, vel vacantia, debentur partibus ejusdem Communitatis, servata debita proportione supradicta. Unde si Princeps, vel Magistratus ex bonis communibus reddat civi, quod ei tenetur, vel ex contractu, vel ob præstitam Reipublicæ operam, non exercet actum Justitiæ distributivæ, sed commutativæ.

36 III. Diversa quoque sunt objecta formalia, & media constituenda utriusque Justitiæ. Nam Justitia commutativa constituit medium, & æqualitatem simpliciter secundum proportionem arithmeticam: seu (quod idem est) secundum æqualitatem rei ad rem, inter datum, & acceptum: ita ut quantum datum est, vel acceptum, tantum reddatur: v. g. qui mutuo, vel furto accepit triginta, totidem tenetur reddere, nulla habita ratione personæ. Justitia vero distributiva constituit medium, & æqualitatem non simpliciter, & arithmetice, sed solum proportionaliter, seu secundum proportionem geometricam, ac quod idem est, attendit proportionem rerum ad personas, adeo ut in distributione bonorum communium Justitia distributiva postulet, ut in quantum una persona excedit aliam in dignitate atque merito, in tantum res danda uni personæ excedat rem dandam alteri personæ proportionaliter: ut si dignitas, & meritum unius personæ superet alterum duplo, duplo plus illi tribui debeat, quam alteri. Exempla sunt in distributione, & collatione officiorum, dignitatum, præmiorum, stipendiorum, spoliorum militarium, bonorum communium, familiæ, &c. Et reductive etiam onerum, laborum, pœnarum. Et sic in Justitia distributiva conditio personæ attenditur per se, & secundum se: in justitia vero commutativa per se attenditur ipsa res data, vel accepta, & solum per accidens quandoque attenditur conditio personæ, quatenus per eam diversificatur, vel aggravatur ipsa res: idque maxime in injuriis personalibus; major enim est injuria, graviusque compensanda, si percutias Principem, quam si privatum civem.

37 IV. *Differunt ergo hæ Justitiæ essentialiter, & specie.* Communissima cum *D. Th. cit.* Ratio patet. Illæ virtutes differunt essentialiter, & specie, quæ habent diversos actus, & objecta formalia cum diversa honestate, & difficultate: sed justitia commutativa, & distributiva. 1. Habent diversos actus, & objecta formalia, ut modo dictum est. 2. Habent diversam honestatem, ac laudem; longe enim aliam laudem meretur justus bonorum communium administrator, seu distributor, quam justus venditor, vel redditor boni privati. 3. Habent diversas difficultates; quia per justitiam commutativam datur aliquid alteri tamquam vere suum, & nullo modo spectans ad dantem; per justitiam vero distributivam datur aliquid alteri tamquam aliquo modo spectans ad dantem, quatenus bona communia sunt etiam aliquo modo dantis; facilius autem est aliquid dare alteri, quod est vere alterius, quam quod est aliquo modo suum, maxime cum valde proclive sit, bona communia applicare sibi ipsi. Advertunt tamen communiter DD. hanc divisionem Justitiæ in commutativam, & distributivam non esse in species univocas simpliciter, seu æqualiter perfectas, sed in species analogas, & inæqualiter participantes rationem justitiæ: quia nimirum ratio formalis, & proprietates justitiæ, scilicet *alteritas, debitum, & æqualitas* longe perfectius requiruntur in justitia commutativa, quam distributiva. Nam 1. justitia commutativa, (merito sola justitia perfecta simpliciter dicenda) proprie, & simpliciter est ad alterum; justitia vero distributiva non est omnino ad alterum, est enim totius ad partem: pars autem non adæquate distinguitur a toto, sed in toto includitur. 2. Strictius longe est debitum Legale in justitia commutativa, quam distributiva: strictius enim est jus, quod quisque ad petendam rem sibi proprio suo jure debitam habet, quam ad petendam partem boni Communitatis, v.g. officium, dignitatem &c. longeque gravior committitur injuria contra Justitiam commutativam (quæ sola inducit obligationem restitutionis, ut suo loco videbitur) quam contra Justitiam distributivam, quæ non inducit obligationem restitutionis erga partem neglectam, sed solum aliquando per accidens erga ipsam Communitatem, ut si Princeps contulit officium indigno cum detrimento Reipublicæ, tenebitur ad compensationem damnorum &c. Vides ex Justitia commutativa non distributiva. 3. Denique Justitia commutativa constituit æqualitatem simpliciter, & arithmeticam; distributiva vero solum secundum quid, seu geometricam, secundum proportionem personarum, ut supra dictum.

§. IV. *Justitia vindicativa reducta.*

I. JUstitia vindicativa, seu virtus illa, qua superior subdito infert debitam, & condignam pœnam pro delicto commisso; quatenus per eam Superior respicit bonum commune procurandum, & conservandum, debita punitione delinquentium, est vera Justitia Legalis, primario, & quasi architectonice residens in Principe, se extendit ad omnia officia a Principe in utilitatem Reipublicæ exercenda: quorum non infimum est condigna punitio delinquentium. Sicut enim ipsa Legislatio ad bonum commune in Principe spectat ad Justitiam Legalem; ita consequenter etiam vindicatio Legis contra transgressores ad eamdem Justitiam legalem spectabit. 38

II. Justitia vindicativa, quatenus exercetur a Judice officio debito, ut nimirum satisfaciat obligationi suæ, & erga Rempublicam, & erga partem læsam, compensationem injuriæ sibi factæ expetentem, est vera Justitia commutativa, uti ex D. Thom. observant DD. citt. Quia nimirum Judex ex officio, & Justitia commutativa tam erga ipsam Rempublicam, quam erga partes læsas, quarum nomine pro tali officio constitutus est condigno stipendio, tenetur pro loco, & tempore ad condignam pœnam delinquentibus inferendam: idque faciendo æqualitatem inter se ex una parte, & Rempublicam, ac partem læsam ex altera parte constituit: id autem negligendo ipse injuriam infert, teneturque ad restitutionem damnorum, quæ tam Reipublicæ, quam parti læsæ ex tali impunitate inferuntur, ut omnes fatentur. Quatenus autem Judex præcise constituit æqualitatem inter delinquentem, & partem læsam, scilicet in pœnam pro delicto inferendo condignam satisfactionem, exercet propriissimum actum Justitiæ commutativæ. Sed vides, non elicitive, & proprium, sed directive, & alienum, directum, ac imperatum a Justitia commutativa. 39

III. Justitia vindicativa, quatenus puniens, præcise constituit æqualitatem in ipso delinquente inter pœnam, & crimen commissum; juxta illud Deuter. 25. v. 3. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus:* ut nimirum sic fiat æqualitas in delinquente inter ipsum aliquid ultra suam voluntatem patientem, & antea plus justo sibi tribuentem delinquendo: etsi habeat aliquam similitudinem cum Justitia commutativa ob dictam æqualitatem: & etiam habere possit similitudinem cum Justitia distributiva, quatenus inter plures delinquentes servetur debita proportio pœnarum, & delictorum, simpliciter tamen non est Justitia proprie dicta: non enim distributiva; quia non fit distributio bonorum communium; neque commutativa, quia per illam hoc respectu nulla fit compensatio damni particularis, ut supponitur, sed præcise spectatur æqua vindicatio delicti. Est ergo hac ratione Justitia vindicativa Justitia imperfecta secundum quid, seu pars potentialis Justitiæ, & virtus Justitiæ annexa, prout supra enarravimus. 40

IV. Ex dictis patet corollarie: non idem esse *justum, & contra passum*, ut scilicet ex eo præcise constituatur justum, quo quis tale quid patiatur, vel recipiat, quale alteri intulit, vel debet, ut probat etiam Philosophus 5. Eth. Etsi enim contrapassio, vel retaliatio, quandoque justum constituat juxta illud Exod. c. 21. v. 24. *Reddet animam pro anima, & oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu &c.* id tamen semper, & universaliter fieri non potest: quia ratione circumstantiarum personæ, vel rei fieri potest, & plerumque fit, quod passio actioni respondens non sit æqualis; ut si privatus alapa percutiat principem, major est actio, quam passio repercussionis. Et certe non repercutietur, sed longe graviori pœna plectetur. Et generaliter, cum quis alterum invitum in re sua lædit, semper major est actio: quippe cum injuria conjuncta, quam similis repassio, quippe absque injuria reposita. Unde Exod. 22. præcipitur, ut si quis furetur, vel occidat ovem, vel bovem alterius, &c. restituat quinque boves pro uno bove, & quatuor oves pro una ove. Ut ergo contrapassum justum constituat, debet fieri ad æqualitatem, non tantum quoad æstimationem damni illati proximo, ex ipso objecto, & effectu lucri cessantis, vel damni emergentis; sed etiam quoad æstimationem injuriæ illatæ alteri pro ratione circumstantiarum, juxta prudens judicium, seu dictamen rectæ rationis, ut infra de restitutione declarabitur. Et hac ratione, si accipiatur contrapassum non pro eo, quod est idem pati in specie, seu physice, sed pro eo, quod est idem pati æquivalenter, & moraliter, secundum dictamen rectæ rationis, aut legis, consideratis nimirum omnibus circumstantiis, utique contrapassum idem erit, ac justum, in justitia tam commutativa, quam vindicativa. 41

SE-

SECTIO IV.

Injustitia, Injuria.

SUMMARIUM.

42 *Injustitia, & injuria quid, & qualiter differant.*
43 *Sicut justitia* legalis *est specialis virtus, ita injustitia legalis, seu illegalis, est speciale vitium.*
44 & 45 *Sicut pariter injustitia* particularis *est speciale vitium, oppositum justitiæ particulari.*
46 *Nullus nisi* volens *potest facere injuriam, &*
47 *Nullus nisi* nolens *potest pati injuriam.*
48 *Ut autem* volens *aliquid pati, non patiatur injuriam, requiritur voluntas plena cedendi juri suo, &*
49 *Jus plenum, seu facultas cedendi juri suo.*
50 *Quando volens non potest juri suo cedere sine præjudicio tertii vel certi status, licet ei tunc consentienti, & volenti non fiat injuria, fit tamen tertio, vel certo statui.*

42 HÆc duo passim confunduntur pro eodem, cum tamen proprie, & in rigore re ipsa differant. *Injuria* enim opposita juri, seu justo debito alteri, significat ipsum injustum alteri illatum velut passive, in patiente vero est injuria, & tot modis potest accipi, quot modis acceptum est supra jus, seu justum debitum alteri: ut facile est applicare. *Injustitia* autem opposita Justitiæ significat ipsam actionem, vel omissionem, qua alteri jus debitum aufertur, vel negatur, adeo ut injustitia sit ex parte agentis, injuria vero ex parte passi injustum: sed retento communi modo loquendi sumamus pro eodem, & breviter dividamus.

Injustitia, vel injuria proprie est *voluntaria læsio juris alieni*: nimirum quodcumque factum, vel omissum, quo violatur jus debitum alteri: aut positive aliquod jus debitum auferendo, aut negative, jus debitum non reddendo. Sicque opponitur virtuti Justitiæ, cuique jus suum tribuenti: atque eodem modo, ac illa, dividitur in Legalem, & particularem; Distributivam, & Commutativam. De quibus ordine.

§. I. *Injustitia Legis*

43 EST, qua quis facit contra id, quod ex Justitia Legali deberet facere ad bonum commune: seu *Est violatio Legis, in ejus despectum, ad detrimentum boni communis.* Sicut autem ipsa justitia Legalis formaliter, & quoad essentiam est specialis virtus distincta a cæteris: causaliter vero, seu quoad materiam dicitur virtus generalis, quatenus omnium aliarum virtutum actus ordinat, dirigit, & imperat ad bonum commune: ita directe injustitia legalis, vel potius (ut vocat S. Thomas) illegalis, formaliter quidem, & quoad essentiam, est speciale vitium, distinctum a cæteris, quia habet proprium objectum formale, & deformitatem distinctam a cæteris vitiis: scilicet contemptum, vel detrimentum boni communis, directe, vel indirecte intentum: causaliter vero, & quoad materiam dicitur vitium generale, quia habet hominem impellere ad omnia alia vitia, & peccata in detrimentum, vel contemptum boni communis patranda, ut homicidia, furta, defraudationes bonorum communium, adulteria &c. Immo ordinarie vix committitur injustitia legalis, nisi cum aliquo alio vitio particulari. Injustitia autem hæc legalis tunc solum committitur, & est speciale vitium, & peccatum, atque adeo in confessione necessario explicandum, quando quis violat legem sic, ut noceat Reipublicæ, vel bono communi, seu cum quis peccando directe, vel indirecte intendit detrimentum, vel contemptum Reipublicæ, ac boni communis, ut notat D. Thomas 2. 2. *q.* 59. *ar.* 1. Alioquin violatio legis absque omni directa, vel indirecta intentione detrimenti, vel contemptus boni communis, ac Reipublicæ, sed ex sola privata passione, vel cupiditate: v. g. furatur quis, defraudat vectigalia, adulterat, occidit, præcise ut cupiditati, vel passioni suæ satisfaciat, minime vero ut bonum commune perturbet, absque ulla intentione, vel advertentia ad detrimentum, vel contemptum boni communis, non erit speciale peccatum injustitiæ legalis distinctum ab ipsis illis peccatis particularibus contra illas alias virtutes, Temperantiam, Justitiam commutativam &c. sed erit generalis quædam conditio, seu circumstantia omnium peccatorum, quod fiant contra bonum commune. Quemadmodum etiam generalis conditio omnium peccatorum est, quod omnia fiant contra Charitatem Dei, contra obedientiam Legum, &c. quæ tamen non tribuunt malitiam specialem actui, nisi intendantur: ut si quis ea intentione velit peccare, ut Deum offendat, ut legem contemnat, &c.

§. II. *Injustitia particularis.*

DIcitur, qua quis agit contra id, quod debet particulari personæ, seu parti Communitatis ex justitia particulari, seu commutativa, seu distributiva. Hic rursus 44
sicut ipsa Justitia particularis supradicta est virtus specialis distincta a cæteris, tam formaliter, quoad essentiam, quam materialiter, quoad materiam, seu objectum proprium, quod est jus æquum debitum alteri, seu æqualitas cum altero: ita opposita hæc injustitia particularis speciale est vitium, ac peccatum distinctum a cæteris tam formaliter, & quoad essentiam, quam materialiter, quoad materiam, & objectum: habet enim propriam materiam, scilicet ipsas res debitas alteri, & non tributas, & proprium objectum formale, scilicet inæqualitatem cum altero: quod nimirum homo plus sibi, minus alteri tribuat, quam debet. Omnis autem injustitia est peccatum mortale ex genere suo, omnium consensu cum D. Thoma *cit. art.* 4. cum & Justitiæ, & Charitati graviter repugnet: nam ex sua ratione detrahit alteri bonum, quod debet ipsi ex Charitate velle, & ex Justitia tribuere. Potest tamen fieri, & sæpe fit veniale, tum ob parvitatem materiæ, ut si modica inferatur injuria, & modicum quid furto surripiatur: tum ex imperfectione actus ob defectum sufficientis deliberationis, ac voluntarii: ut si quis injuriam inferat ex repentino motu, ex ignorantia juris, vel facti etsi non omnino inculpabili: res certa est, & particularibus materiis manifesta erit.

Injustitia porro particularis varie subdividitur. *Primo*: In 45
Injustitiam *commutativam*, qua defraudatur alter in bono suo proprio: & *distributivam*, qua defraudatur alter in bono communi ipsi ex merito præ aliis debito, quod maxime fit in acceptatione personarum, ac munerum de quibus in septimo præcepto. *Secundo:* Injustitia commutativa ex parte materiæ dividitur in injustam læsionem corporis, vel vitæ, de qua in quinto, & sexto præcepto, in injustam læsionem bonorum fortunæ (de qua in septimo.) Et in injustam læsionem famæ, & honoris, de qua in octavo præcepto. Solum hic generatim ad praxim quæritur, quomodo committatur injustitia, & inferatur injuria, tam ex parte facientis, quam ex parte patientis: seu expressius an quis nolens possit facere, aut volens pati injuriam.

§. III. *Nullus nisi volens potest facere injuriam.*

CErtum apud omnes. Constat ex communi ratione pec- 46
cati. Omne enim peccatum necessario est voluntarium, ac ut loquitur D. Augustinus. *Ita est voluntarium, ut si voluntarium non sit, eo ipso peccatum non sit*: atqui facere injuriam formaliter, maxime peccatum est, & quidem ex genere suo mortale, ut sæpe dictum: ergo necessario debet esse voluntarium; consequenter nullus potest facere injuriam, nisi aliquo modo volens; scilicet directe in se, vel indirecte in sua causa posita, vel non ablata. De quo latius suis locis. Hic communis est distinctio: *Aliud esse injustum agere, aliud injuste agere: aliud vero esse injustum, seu agere ut injustum.*

Injustum agere est aliquid facere, quod secundum se est injustum, seu contra æqualitatem Justitiæ, seu jus alterius: quod potest fieri materialiter tantum ab involuntario, vel invito: utpote per ignorantiam invincibilem, per motum primo primum, per violentiam extrinsecam, ut si quis auferat rem, invincibiliter ignorans esse alienam: si occidat motu primo primo: si percutiat, altero violenter movente manum ejus, ut exemplificat Philosophus citandus; is injustum facit, materialiter scilicet, non tamen facit injuste. *Injuste agere*, seu quod idem est injustum, vel injuriam formaliter facere, est sponte, & deliberate facere aliquid, quod revera est, & cognoscitur esse contra Justitiam, & Jus alterius, etsi non fieret ex mera electione, vel habitu malo, sed ex passione, vel cupiditate. *Injustum autem esse*, seu agere ut injustum, est facere aliquid, quod revera injustum est, sponte deliberate, non quomodocumque, sed ex mera electione; quia scilicet sibi placet injustitia, & non ex passione aliqua, & consequenter ex pravo habitu injustitiæ, ante quem contractum habitum non solet quis ex mera electione, vel malitia male operari, juxta illud: *Nemo repente fit pessimus.* Ita ex Aristotile 5. *Eth. cap.* 8. *D. Th. qu.* 59. *art.* 2. Monet tamen *Valentia ibid.*, quæstionem esse de nomine: cum certum sit, quemlibet voluntarie injuste agentem, etiam posse vocari injustum, saltem actualiter, juxta illud *Joan.* 3. *Qui facit justitiam, justus est*: ergo & e contra, qui facit injustitiam, injustus est.

§. IV. *Nullus nisi nolens potest pati injuriam.*

NImirum volenti, & consentienti nulla fit injuria: seu 47
ut loquuntur Jura, *nulla est injuria, quæ in volentem fit.*

fit. Communis cum Philosopho 5. *Eth. c.* 9. *Et S. Thoma q.* 59. *ar.* 3. Ratio est: Quia nemo potest sibimet inferre injuriam ex eo, quod non possit habere volitionem sibimet contrariam: sic nemo potest alteri injuriam propriam, & formalem inferre, nisi ille habeat voluntatem contrariam: atqui non potest habere voluntatem contrariam, qui volens, & consentiens in tale factum, omnino cedit juri suo, nam eo ipso aufert a se omnem contrariam voluntatem, quantum est de se, & vult sibi reddere licitum illud factum; quare sicut implicat alicui fieri injuriam in eo, in quo nullum habet jus, ita sane nullus potest pati injuriam in eo, in quo voluntarie cedit juri suo: ergo implicat aliquem pati formalem injuriam, nisi aliquo modo nolens: cum injuria, vel injustitia formaliter consistat in læsione juris alterius inviti, vel reluctantis. Quod ut plene intelligatur,

Advertendum est: ad hoc ut aliquis volens pati aliquid, quod alias est injustum, seu contra jus suum, non tamen patiatur injuriam formaliter, duo necessaria requiruntur; & *voluntas plena cedendi juri suo, & jus plenum, seu facultas cedendi juri suo*. Explico seorsim, & applico ad casus.

Voluntas plena cedendi juri suo.

48 UT nimirum quis plena, & libera voluntate consentiat aliquid pati, vel aliquid fieri, quod est contra jus suum, vero animo cedendi juri suo, absque admixto involuntario ex errore, dolo, metu &c. Alioquin, ut aliquis vere patiatur injuriam, sufficit, ut quis aliquo modo sit nolens, etiam sola nolleitate, seu involuntario mixto, quale est ex errore, metu, necessitate: ex. g. *Primo*. Si consentiam tibi a me auferri nummum, vel annulum, putans esse cupreum, tu autem scis essem aureum, facis mihi veram, & gravem injuriam; quia in ablationem cuprei solum consensi, non vero aurei: nihil enim volitum, quod non cognitum. *Secundo*. Si latroni ad evitandam mortem, vel vexationem, dem pecunias, aut omnino involuntarie solum exterius, aut licet voluntarie simpliciter, tamen admixto involuntario secundum quid: quia scilicet volo quidem de facto dare, tamen simul nollem dare, nisi metu, vel vi cogerer, patior veram injuriam, latroque tenetur ad restitutionem secundum omnes. *Tertio*. Idem est, si necessitate compulsus petam mutuum, & sine usura petere nequeam, sicque partim volens, partim nolens usuram promitto, & solvo, patior veram injuriam, & restitutio mihi debetur ab usurario. Secus esset, si seclusa omni necessitate, vel metu, ex mera liberalitate, v. g. ad excessivum luxum, vel lusum petam mutuum, & solvam usuras: tunc enim mihi volenti simpliciter, & consentienti, nulla fit injuria, neque mihi debetur restitutio: tametsi usurarius adhuc teneatur usuram restituere ad pias causas per modum pœnæ: ut suo loco patebit. *Quarto*. Denique hinc intellige Christum, *qui oblatus est, quia ipse voluit*, *Isa.* 53. *v.* 7. & Sanctos Martyres plerosque etsi paratissimos, & maxime volentes pati, & mori, adhuc tamen passos esse veram injuriam: quia licet in ipsis fuerit promptissima voluntas ad ipsum opus, seu injurias materiales, cruciatus, tormenta, necem: attamen non fuit in ipsis, immo in Sanctis non potuit esse voluntas cedendi juri suo: neque etiam profuisset illa cessio juris: cum per illam non impediretur ex aliqua parte malitia hostium, vel tortorum: dum ipsi vel ignorassent eam cessionem, vel licet cognovissent, nihil tamen curassent, sed perinde cruciassent ac si posita non esset: quin aliunde melius erat Christo, & Sanctis Martyribus pati non solum cruciatus, & mortem materialiter, sed etiam injuriam formaliter, ut major esset passio extensive, patiendo plura propter Deum: uti observat *Lugo hic disp.* 8. *De Justitia*, *Sect.* 1.

Et Jus plenum.

49 ALterum requisitum ad hoc, ut volenti non fiat injuria est, ut quis habeat plenum, ac proximum jus disponendi de tali re, & ita pro arbitrio suo valide juri suo cedere possit: alioquin quantumvis volenti adhuc fiet injuria. Sic pupillus etsi consentiat donando, vel permittendo, ut sibi res auferatur, adhuc tamen ei fit injuria, quia nondum habet jus plenum disponendi de rebus suis sine auctoritate & consensu Tutoris. Simile est de Religiosis Societatis post vota biennii. Sic secundum plures apud Lugo *cit. n.* 3. is, qui petit ab alio occidi, occisus adhuc patitur injuriam, quia non habuit dominium, & jus plenum vitæ suæ, sed potius Deus, nec consequenter potuit illi juri cedere. Sic secundum aliquos ibidem, maritus consentiens in adulterium factum ab alio cum uxore sua, adhuc patitur injuriam, quia non habet jus, vel dominium plenum in corpus uxoris, sed restrictum ad legitimum usum suum tantum. Utrumque non improbabiliter. Sed de his mox dicam expeditius.

50 Insuper quando quis habet quidem jus aliquod pro parte sua, non tamen potest cedere juri suo sine præjudicio, vel injuria alterius personæ, vel status certi, adhuc ei consentienti, & volenti cedere juri suo, non fiet injuria; quamvis tunc fiat injuria tertiæ personæ, ipsi certo statui: e. g. 1. Si maritus consentiat ad auferenda bona dotalia, vel in stuprum cum filia, ipsi patri, seu marito nulla fit injuria ab auferente, vel stupratore, sed bene uxori, vel filiæ invitæ. 2. Qui occidit volentem, vel petentem occidi, simpliciter nullam facit illi injuriam, ut habet communis DD. ob rationem a nobis supra datam, attamen gravissime peccatur contra jus Dei, qui solus est Dominus vitæ, & mortis: item contra Justitiam legalem respectu Communitatis cui utrique juri non potuit cedere occisus. 3. Qui committit adulterium cum ligata, expresse consentiente marito, simpliciter huic nullam infert injuriam, neque ad ullam ipsi restitutionem tenebitur, ut iterum habet communis DD. sententia: attamen fit gravissima injuria ipsi statui sacro matrimoniali contra bonum Sacramenti, & prolis, cui juri non potuit cedere maritus ille sponte cornutus, sed tantum juri suo proprio, quod habet in corpus conjugis, quod solum esset objectum injuriæ in ipsum committendæ; qua ratione ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio. 50. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum*. 4. Qui percutit, vel occidit Clericum quantumvis consentientem, volentem, petentem, nullam quidem ipsi infert injuriam, adhuc tamen incurrit excommunicationem Canonis. *Si quis suadente &c.* nimirum ob injuriam, & irreverentiam illatam sacro statui Clericali; cujus juri non potuit cedere Clericus, cum jus illud immunitatis non in favorem suæ personæ, sed in favorem sacri status principaliter collatum sit, prout expresse deciditur in jure Canonico *c. contingit*. *De sententia Excommunicationis*. Ubi sic respondet Pontifex: quando Clericus se offert juxta morem patriæ, ut in satisfactionem injuriæ fustibus percutiatur, percussionem quidem non esse violentam, & involuntariam, esse tamen injuriosam. *Quia Canon, in quo prohibetur percussio Clerici, positus non est propter personam Clerici, sed propter Ordinem Clericalem, & ideo consensus Clerici non impedit injuriam*. Sic Pontifex. Intellige tamen non contra jus particulare debitum Clerico, cui ipse sponte cessit, sed contra jus debitum sacro Ordini Clericali, ut ex verbis citatis liquet.

CAPUT II.

De Restitutionis Natura, Obligatione, & Radicibus.

SECTIO I.

Restitutio quid sit, unde debita, qualiter obligans, & necessaria.

SUMMARIUM.

1 & 2. *Restitutio quid.*
3 *Quid late*,
4 *Quid stricte sumpta.*
5 Usque ad n. 10. *Ejus obligatio unde; ubi quid delictum materiale, formale.*
10 Usque ad num. 13. *Regulæ generales semper præ oculis habendæ.*
13 Usque ad nu. 18. *Explicatur differentia restitutionis a satisfactione.*
18 *Restitutio, seu obligatio restituendi per se oritur ex violatione* solius justitiæ commutativæ.
19 *Non ex violatione aliarum virtutum.*
20 *Nec ex violatione justitiæ legalis.*
21 *Nec ex violatione justitiæ distributivæ*, & 22.
23 *Nisi quandoque per accidens, quatenus simul violatur commutativa*, & 24.
25 *Restitutio est necessaria ad salutem.*
26 *Non quidem necessitate medii.*
27 *Sed necessitate præcepti*, & 28.
29 *Nimirum Septimi ex Decalogo.*
30 *Secundum plures principaliter* negativi.
32 *Secundum alios verosimilius principaliter* affirmativi, & 33.
34 *Obligantis sub mortali ex genere suo.*
35 *Ut quis in foro conscientiæ sub mortali ad restitutionem obligetur, debet delictum fuisse commissum*. I. Per actionem injustam.
35 II. Externam.
37 III. *Quæ sit* culpa Theologica. Usque ad n. 41. *nam*
41 *Ex sola culpa civili nulla oritur obligatio restituendi in foro conscientiæ: ideoque* Usque ad n. 44.
44 IV. *Debet esse culpa Theologica, & quidem* gravis, *ut gravem inducat obligationem, nam*
45 *Culpa* levis *levem tantum inducit obligationem, sic*

46 *Qui*

46 *Qui minutis furtis venialibus magnam summam abstulit, tenetur quidem sub mortali restituere, at non ratione ablationum, sed ratione injustæ detentionis. Unde etiam*, & 47.
48 *Esto probabilis, & magis pia sit sententia, eum obligari sub mortali restituere, qui culpa solum veniali graviter lædit, seu in materia gravi:*
49 *Nihilominus æque probabilis, & tuta est sententia opposita.*
50 *Immo satis probabiliter nulla omnino tunc oritur obligatio restituendi, nec sub veniali*, & 52.
52 Usque ad num. 56. *Proponitur, & resolvitur dubium notabile.*

ASSERTIO I.

1 *Restitutio est redditio debiti alterius: late sumpta, cujusvis, sive ex contractu, sive ex delicto: stricte sumpta ex delicto tantum formali, vel materiali. Est debita per se ex sola justitia commutativa, & nulla alia virtute læsa, necessaria ad salutem, non necessitate medii, sed præcepti, nimirum septimi tantum, verosimilius principaliter affirmativi, & secundario negativi, ac proinde obligans sub mortali ex genere suo, dummodo delictum commissum sit per actionem externam injustam & culpam Theologicam gravem.* Assertio valde prægnans accurate explicanda est.

§. I. *Est redditio debiti alterius.*

2 Nimirum est actio, qua redditur debitum alteri, ad quod scilicet alter jus habet, seu id quod alteri debitum est ex justitia, sive deinde debitum sit ex contractu per modum solutionis, sive ex delicto aliquo per modum compensationis damni illati. Unde generatim restitutio bene definitur ab aliquibus; *Est redditio rei acceptæ, vel damni illati compensatio.* Et hinc restitutio quandoque late, quandoque stricte sumitur, & variæ assignantur ejus radices.

I. Restitutio late sumpta.

3 Est actus justitiæ commutativæ, quo secundum æqualitatem arithmeticam redditur alicui quomodocumque debitum, seu quod ab eo volente, vel nolente est acceptum. *Ita S. Thom. 2. 2. qu. 62. art.* 1. Et patet ex terminis jam dictis. Sic ergo restitutio est actus adæquatus justitiæ commutativæ, cujus proprium est emendare, seu adæquare commutationes factas, sive voluntarie ex contractu, sive involuntarie ex delicto: ut *cap. præced.* explicatum est. Restitutio ergo sic late sumpta oritur ex triplici causa, vel radice. 1. *Ex contractu*, quo quis sponte se obligavit ad aliquid dandum, vel reddendum alteri, secluso ejus damno. 2. *Ex delicto*, vel injuria materialiter tantum, seu ex re aliena accepta tantum. 3. *Ex delicto*, vel injuria formali, & injusta acceptione rei alienæ.

II. Restitutio stricte sumpta.

4 Est actus justitiæ commutativæ, quo alicui secundum æqualitatem arithmeticam damnum injuste illatum compensatur, seu redditur id, quod ab alio injuste ablatum, detentum, vel damno datum est (ut nimirum omnes species injuriarum, & damnorum contra justitiam per restitutionem compensandorum aperte comprehendantur) aut injusta acceptio, aut sine injusta acceptione, injusta detentio; aut sine acceptione, & detentione sola injusta damnificatio in bonis alterius. Exempla patebunt abunde per decursum.

5 Restitutio ergo sic stricte sumpta est actus partialis tantum justitiæ commutativæ, cujus obligatio oritur ex duplici tantum causa, & radice sub geminis terminis passim significata: *ex delicto materiali, & ex delicto formali. Ratione rei acceptæ, & ratione injustæ acceptionis: a possessore bonæ fidei, & possessore malæ fidei.* Termini hujus triplicis distinctionis passim quidem confunduntur, reipsa tamen non nihil differunt. Nam

6 Delictum materiale, vel injuria materialis dicitur, cum quis rem alienam accipit, detinet, vel destruit, sed inculpabiliter ignorans esse alienam, seu rationabiliter credens esse suam, vel se habere jus in illa, adeoque *bona fide*. Delictum vero formale, ac formalis injuria dicitur, cum quis rem alienam accipit, detinet, vel destruit probe sciens, vel scire potens, ac debens, esse alienam, adeoque *mala fide*. Vides in his terminis generaliter comprehendi non tantum injuriam, vel damnificationem lucrosam, cum quis utrovis modo aliquid sibi acquirit, sed etiam puram damnificationem, seu injuriam non lucrosam, cum quis sibi nihil acquirit, sed solum aliquid alterius destruit, & deteriorat.

7 Jam vero si per delictum materiale, vel formale lucrosum aliquid acquisitum sit, jam specialiter dicetur restitutio facienda in secundis terminis, vel *ratione rei acceptæ*, quia revera res aliena accepta fuit, etsi non culpabiliter, & injuste formaliter, ob ignorantiam, & bonam fidem accipientis, putantis rem esse suam. Aut *ratione injustæ acceptionis*; quia res aliena etiam formaliter injuste, & mala fide accepta est, nimirum a sciente rem non esse suam. Vides iterum in his terminis distinctionis adhuc perinde esse, sive res accepta adhuc existat, sive non.

8 Jam denique, si res accepta delicto materiali, vel formali adhuc existat, detineatur, vel possideatur ab accipiente, jam specialiter dicetur restitutio facienda, aut *a possessore bonæ fidei*, qui scilicet hactenus ignorabat rem esse alienam; aut *a possessore malæ fidei*, qui scilicet scivit rem acceptam, & possessam esse alienam, & non suam. Vides ergo terminos hujus triplicis distinctionis esse magis, & minus late patentes, sic ut posteriores semper includant priores, non e contra, sed priores latius pateant, quam posteriores. Atque hinc emergunt

III. Restitutionis radices immediatæ quatuor.

9 *Prima*, ex delicto materiali, ratione rei acceptæ, & a possessore bonæ fidei. *Secunda*, ex delicto formali ratione injustæ acceptionis, & a possessore malæ fidei. *Tertia*, ex delicto formali, ratione solius damnificationis non lucrativæ, seu damni injuste dati. *Quarta*, ex contractu. De quibus in sequentibus ordine. Prænoto hic breviter duas generales regulas semper præ oculis habendas.

10 I. Regula, & mensura restitutionis ex delicto materiali ratione rei acceptæ a possessore bonæ fidei, est *quantitas possessionis*: tantum nimirum restituendum est quantum de re aliena adhuc possides, vel quantum inde ditior factus es. De quo latius *Sect.* 3.

11 II. Regula, & mensura restitutionis ex delicto formali quocunque tam ratione injustæ acceptionis a possessore malæ fidei, quam ratione injustæ damnificationis non lucrosæ, est *quantitas damni illati*: tantum nimirum restituendum est præcise, quantum damnum intulisti, sive inde aliquid habeas, sive nihil. De quo late *Sect.* 4. & 5. Similiter etiam pro restitutione ex contractu observanda sunt duo axiomata. Primum: *Omnis res, quæ casu perit, suo Domino perit*. Secundum: *Omnis res, quæ culpa perit, culpabili perit*, seu illi, qui culpam commisit, *juxta tamen rationem culpæ, & contractus*. De quo *sect. 6.* Hic tamen simul sub aspectum ponere libuit, quia, ut dixi, semper præ oculis habenda sunt

IV. Restitutionis, & satisfactionis differentia.

13 Restitutio, & satisfactio, etsi large loquendo, confundantur etiam jure, ut patet *c. si culpa de injuriis, & damno dato*, proprie tamen loquendo, maxime differunt, quod ut radicitus intelligatur, necessario explicandi sunt illi alii termini, *offensa, injuria, damnum*.

14 I. *Offensa* generatim est læsio, vel irritatio voluntatis alterius: qua nimirum aliquis alteri contra voluntatem ejus molestiam infert, sicque eum movet, eique sufficiens motivum, & fundamentum, ac quasi jus aliquod tribuit ad iram, indignationem, vel aversionem adversus offendentem: potestque fieri aut absque læsione ullius juris alterius: & dicetur *offensa pura* contra Charitatem, vel pacem humanam tantum: ex. g. Amico petenti a me librum commodato, quo is valde indiget, & ego facile carere possum, nolo tamen commodare: procul dubio offendo amicum, & do ipsi sufficiens motivum, ac fundamentum, ut avertatur a me, mihique indignetur, non tamen infero ei injuriam, cum nullum ejus jus lædam, sed tantum voluntati ejus molestiam infero, ideoque est offensa pura contra Charitatem, & pacem humanam, pro qua proinde debetur aliqua satisfactio amica ex virtute Charitatis, & pacis humanæ, nihil omnino ex justitia, nullaque actio in foro externo. Aut offensa fit cum læsione juris alterius, & tunc speciali nomine dicitur *injuria*.

15 II. *Injuria* generatim est læsio voluntaria juris alterius, qua nimirum fit aliquid non solum contra voluntatem, sed etiam contra verum, & strictum jus alterius. Et iterum potest fieri, aut absque damno alterius: nihil scilicet auferendo, quod suum erat: & dicitur *injuria mera*, vel non damnosa: ut si cui soli, vel coram aliis nihil inde motis contumeliam inferas: si committas adulterium cum uxore Titii, nulla suscepta prole, crimine manente occulto, adeoque nullo damno secuto: utrique inferes injuriam, quia lædis jus primi ad suum honorem, secundi ad corpus uxoris suæ: nullum tamen damnum infers, ideoque est injuria non damnosa, attamen contra justitiam: proinde jam ex justitia, saltem vindicativa, debetur satisfactio, atque in foro

foro externo datur eis actio injuriarum pro satisfactione. Aut injuria fit cum damno alterius, auferendo scilicet aliquid, quod suum erat: & jam dicitur *injuria damnosa*, seu damnificatio injusta, cujus effectus est ipsum damnum illatum, seu privatio boni alterius: itaque

16 III. Injuria damnosa, vel damnificatio est læsio specialis, & stricti juris alterius per ablationem alicujus, quod suum erat in bonis animæ, vitæ, famæ, fortunæ. Ut si fureris Titio pecuniam, si cognoscas uxorem ejus, nata prole, quam is putatitius pater alere debeat, gravi suo, & liberorum legitimorum damno, est injuria damnosa contra justitiam commutativam: pro qua proinde ex eadem justitiæ commutativæ virtute debetur ei *restitutio*: & in foro externo competit ei actio, non tantum civilis ad recuperandum jus suum, seu compensandum damnum illatum, sed etiamsi velit, & prohibitus non sit, actio criminalis ad vindictam sceleris. Jam ergo

17 IV. *Restitutio* proprie est redditio debiti, & compensatio damni illati alteri in bonis suis, per aliquid necessario ipsimet damnificato conferendum: cujus proinde objectum est damnum alteri taliter compensandum: finis vero est æqualitas rei restituendæ ad rem ablatam, vel damnum datum: ideoque est actus justitiæ commutativæ, & in conscientia semper debetur ante omnem sententiam judicis, ut infra patebit amplius. *Satisfactio* vero est compensatio injuriæ tantum vel offensæ alterius, in hoc consistens, quod sicut alterum offendimus, vel injuriavimus contra voluntatem, vel jus suum, ipsum molestando, ita nos vicissim in gratiam ipsius aliquid molestum contra propriam voluntatem agendo, vel patiendo, eum nobis reconciliemus. Cujus proinde objectum est injuria, vel offensa compensanda, ex parte nostra solum aliquid molestum subeundo, alterius conciliandi gratia, absque eo, quod necessario reipsa aliquid in alterum conferatur: finis vero est reconciliatio cum altero offenso, vel offensæ remissione (nota hic obiter, cur Deo satisfacere, non autem restituere possimus: quia nimirum eum offendere, non autem damnificare: aliquid in ejus gratiam molestum agere possumus.) Unde satisfactio pro injuria est actus justitiæ vindicativæ, cujus exercitium ad publicam tantum potestatem pertinet, proinde ante judicis sententiam nulla per se est obligatio satisfaciendi pro injuria præcisa a damno, ut ex communi notat Laym. *l.* 3. *t.* 2. *c.* 1. Pro offensa autem, jam ut dictum est, debetur semper satisfactio amica ex Charitate, & pacis humanæ virtute.

§. II. *Est debita per se ex sola justitia commutativa, & nulla alia virtute læsa.*

18 Restitutio nimirum est actus solius justitiæ commutativæ, adeo ut obligatio restituendi oriatur ex violatione solius justitiæ commutativæ, non ex violatione aliarum virtutum: neque justitiæ legalis, neque justitiæ distributivæ, nisi per accidens, quatenus simul violatur justitia commutativa. *Communissima*. D. Th. *q.* 62. *n.* 1. aliique cit. Laym. *cit. c.* 1. *n.* 4. Lugo *disp.* 1. *Sect.* 3. Ratio clara est: quia restitutio proprie est damni alieni restauratio, qua scilicet redditur alteri, quod suum est, seu, ad quod vere aliquod jus habet, in re, vel ad rem, & quidem ad æqualitatem arithmeticam, modo supra explicato: atqui hoc est proprium solius justitiæ commutativæ, ut ex ejus definitione constat: atque ex violatione solius justitiæ commutativæ aufertur alteri, quod suum est, seu ad quod verum aliquod jus habet, & non ex violatione ullius alterius virtutis, ut mox patebit inductione: ergo restitutio est actus solius justitiæ commutativæ, & ex ejus solius violatione orietur ejus obligatio, & non alterius virtutis. Nam ecce

I. Non ex violatione aliarum virtutum præter justitiam.

19 Quia per nullius alterius virtutis violationem læditur jus alterius auferendo, quod suum est, ut consideranti patet: & licet aliæ virtutes etiam debitum contineant, Ex. g. charitas succurrendi proximo in necessitate: Pietas honorandi, & juvandi parentes: observantia colendi Superiores &c. tamen per illarum violationem non aufertur istis, quod jam suum erat, sed solum omittitur, quod ipsis in certo casu præstandum erat: ergo ex illarum violatione nulla oritur obligatio restituendi per se loquendo: nisi forte per accidens simul læderetur justitia commutativa damnum inferendo; ut si quis superiores, vel parentes contumeliis afficiat, verberet: sic enim lædit simul justitiam commutativam auferendo debitum, quare tenebitur honorem debitum compensare.

II. Non ex violatione justitiæ legalis.

20 Hac enim tenentur membra procurare bonum commune Reipublicæ, etiam cum opus est, bona sua privata contribuendo: atqui ex hujus violatione non aufertur Reipublicæ aliquid jam suum, seu quod ipsi jam appropriatum erat; sed solum negatur, quod ei erat præstandum & quidem pro solo necessitatis casu: constat autem non esse restituendum, quod alicui non absolute, sed pro solo casu necessitatis debetur: ergo ex violatione illius justitiæ legalis nulla est obligatio restitutionis per se, nisi similiter quandoque per accidens, si simul violaretur justitia commutativa: ut si quis ex officio, vel pacto obligatus procurare bonum commune, negligat, ut Magistratus, milites, vigiles, &c. sic tenebuntur utique damna secuta Reipublicæ compensare.

III. Neque ex violatione justitiæ distributivæ per se.

Hic distinguendum est. Nam quædam bona communia Reipublicæ ex justitia distributiva dividenda sunt, 21
principaliter in bonum ipsius Reipublicæ, vel Communitatis, quæ proinde non singulis de Communitate, sed solum aliquibus, iisque dignioribus conferenda sunt, ut beneficia Ecclesiastica, Officia publica, Dignitates &c. utriusque status: atque in his ex violatione justitiæ distributivæ, quod prætermissis dignioribus, conferantur minus, tamen vere dignis, nulla oritur obligatio restituendi: neque ipsi Communitati, vel Reipublicæ, cui supponitur sufficienter provisum per aliquem dignum, & idoneum: neque dignioribus prætermissis, quia illi ante collationem nullum omnino jus habent ad ea bona, beneficia, officia, & similia nec in re, nec ad rem, ut patet, adeoque non aufertur eis, quod suum erat, nec infertur injuria. *Ita omnes*. De peccato alibi sermo erit. Quod si conferantur indignis, & ineptis, prætermissis dignis, erit quidem obligatio restituendi, seu compensandi damnum secutum Reipublicæ ipsi, non autem dignis prætermissis; ob eandem rationem datam. Verum id jam non ex violatione justitiæ distributivæ præcise, sed potius commutativæ: quia iniquus distributor ex officio, & pacto, adeoque ex justitia commutativa tenetur Reipublicæ, vel Ecclesiæ providere dignum, & idoneum Ministrum ad ejus bonum procurandum, & damnum cavendum: secus faciens, causa vera damni in justitiam commutativam impingit. Vide *Laym. Lugo, & alios citatos*.

22 Alia sunt bona communia per distributivam justitiam distribuenda singulis partibus Communitatis, quatenus partes sunt, & quidem proprie, & principaliter in commodum earum partium: veluti cum Dux belli spolia hostium inter milites pro singulorum meritis, & dignitate distribuere debet. Idemque in aliis bonis communibus vacantibus œconomicis. Hinc si distributor, dignis subtrahendo, minus dignis, vel indignis conferat, aut sibi arroget, præter peccatum, orietur obligatio restitutionis: at rursus non ex violatione justitiæ distributivæ præcise, sed ex violata simul justitia commutativa: nam bona illa communia jam sunt appropriata ipsi Communitati: quatenus ex his omnibus suis membris constat, quippe secundum proportionem dignitatis in singulos distribuenda, adeoque implicite, & quoad jus ad rem jam sunt appropriata partibus ipsius Communitatis: ergo si eis non dentur secundum proportionem dignitatis; aufertur dignis, aut dignioribus, quod jam suum erat, quoad jus ad rem: ergo infertur eis injuria etiam contra justitiam commutativam: ergo ex justitia commutativa distributor eis restituere debet: omnibus quidem fraudatis servata proportione geometricæ dignitatis: singulis vero etiam servata proportione arithmetica, tantum scilicet singulis restituendo, quanto minus justo receperunt. Ita ex S. Thoma *cit.* recte explicant Molina *t.* 3. *tr.* 4. *d.* 714. Cajet. aliisque *cit.* Tanner. *disp.* 4. *qu.* 6. *dub.* 1. *num.* 4.

IV. Ergo solum per accidens.

Ex violatione justitiæ distributivæ per accidens solum potest oriri obligatio restitutionis, quatenus simul violatur 23
justitia commutativa. Patuit jam in exemplis allatis. Et patet amplius in distributione iniqua communium onerum. Ex hac enim semper quidem oritur obligatio restituendi, sed patenter ratione simul violatæ justitiæ commutativæ, quatenus scilicet uni imponitur onus supra facultatem respectu cæterorum, aut plus ab eo exigitur, quam teneatur præstare; adeoque aufertur ei quoad partem, quod vere suum erat, quod secundum justitiam commutativam, & æqualitatem arithmeticam eidem restituendum erit, inter plures, etiam servata proportione geometrica facultatum secundum justitiam distributivam. Exempla obvia in Officialibus, Exactoribus, dispensatoribus, &c.

Tandem ipsa Justitia commutativa in restituendo singulis secundum æqualitatem arithmeticam sæpe per accidens 24
annexam habet justitiam distributivam in restituendo pluribus, vel omnibus secundum proportionem geometricam,

Ca-

Casus communis. Debitor, qui pluribus obligatus, non est omnibus solvendo totum, debet partes suorum bonorum majores, & minores dividere secundum proportionem debitorum majorum, & minorum, sicque singulis restituere proportione geometrica. Si secus faciat, uni minus dando, quam proportione debiti ei debeatur, violat de novo justitiam commutativam, & æqualitate arithmetica eidem restituere debet quantum minus justo eidem dedit.

§. III. *Restitutio est necessaria ad salutem.*

25 RES nimis certa. Notissimum est illud mox infra allegandum: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*; atqui remissio peccati utique est necessaria ad salutem: ergo, & restitutio. Sed videndum, qualiter sit necessaria. Assertio sic habet

I. *Non necessitate medii.*

26 QUia necessarium ad salutem necessitate medii illud est, quod necessario concurrit ad salutem eo quod debeat in se, vel in suo voto causare primam gratiam: ut sunt Baptismus, Pœnitentia, Fides &c. ideoque per nullam ignorantiam, vel impotentiam excusatur: sed tale non est restitutio, non enim debet concurrere ad causandam primam gratiam, sed solum requiritur ad salutem, ut caveatur peccatum, sicut observatio aliorum præceptorum. Deinde ignorantia, impotentia, & plures causæ excusant a restitutione, ut *Sect.* 4. patebit, & significat Lugo mox citandus: *Si res aliena reddi non possit &c.* ergo non est necessaria necessitate medii. Unde corrigendus est vulgaris error putantium adeo necessariam ad salutem esse restitutionem, ut animæ a purgatorio non possint liberari, donec hæredes restituant, quæ defunctus in vita restituere debebat. Est enim contra rectam rationem, quod quis ex ea culpa patiatur, quæ ejus non subjacet voluntati, sed aliorum. Exempla quædam allata de usque in purgatorio detentis, donec restitutio facta sit, in occultum, & justum Dei judicium referenda sunt, juste sic punientis illos in altera vita, qui restitutionem faciendam, cum facile possent, distulerunt: & hæredibus, ordinarie in hoc negotio negligentibus, aut dolosis, reliquerunt.

II. *Sed necessitate præcepti.*

27 HAbetur expresse in S. Scriptura ad Rom. 14. *Reddite omnibus debita &c.* Tob. 2. *Videte, ne forte furtivus sit hædus; reddite eum dominis suis: quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Et Ezechiel c. 33. *Si dixero impio, morte morieris: & egerit pœnitentiam a peccato suo, & fecerit judicium, & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, & ambulaverit in mandatis vitæ, nec fecerit quidquam injustum, vita vivet, & non morietur.* Ubi ad pœnitentiam, & salutem æque necessario præcipitur restitutio, ac observantia aliorum præceptorum. Celeberrimum est testimonium S. Augustini Epist. 25. ad Macedonium. *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non reddatur; pœnitentia non agitur, sed simulatur: Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui possit, ut dictum est.* Sic Augustinus. Ratio clara autem est: quia ejusdem malitiæ est auferre, & retinere alienum: cum retentio moraliter nihil aliud sit quam continuata ablatio: atqui non auferre alienum sine dubio est necessarium necessitate præcepti divini naturalis, & positivi: ergo sic quoque necessarium erit non retinere alienum, & consequenter restituere.

28 *Dices*: Non restituens non peccat: ergo restitutio non est necessaria necessitate præcepti, *Antecedens prob.* Si non restituens peccaret, Dominus rei deberet ei remittere: quia ex lege Charitatis quilibet debet bona temporalia propria postponere saluti spirituali proximi, atqui si Dominus remittit, non restituens non peccat: ergo. *Resp. Neg. anteced. & distinguitur probatio.* Si proximus sit in necessitate vera salutis spiritualis, *concedo*. Si non sit in necessitate, sed libera malitia tantum, ut est in proposito: *Nego* hoc.

III. *Nimirum septimi.*

29 PRæceptum restituendi continetur in septimo Præcepto Decalogi, omnium consensu. *Patet*: Quia in eodem Præcepto præcipiente aliquem finem, præcipitur etiam medium ad illum finem per se necessarium: atqui septimo præcepto, *Non furtum facies*, prohibetur injusta ablatio rei alienæ, & consequenter etiam injusta detentio: cum hæc sint ejusdem malitiæ, ut dictum est. Et significat Innocentius Papa *c. sæpe de restit. spoliatorum* dicens *Quod non multum interfit, quoad periculum animæ, injuste detinere ac invadere alienum*: atqui ad hoc ut res aliena injuste non detineatur, per se necessarium medium est restitutio: ergo in eodem præcepto septimo, quo præcipitur, ut rem alienam injuste non detineas, consequenter etiam præcipitur, ut restituas. Est ergo (ut suo loco videbitur) præceptum illud partim negativum prohibens injuriam, partim affirmativum præcipiens restitutionem, seu injuriæ illatæ compensationem.

IV. *Verosimilius principaliter affirmativi.*

PRæceptum restitutionis principaliter negativum esse, & secundario solum affirmativum, docent sane communius Doctores. Scotus 4. *dist.* 15. *q.* 2. Paludanus, Gabriel, Adrianus, Pet. Nav. aliique *cit.* Tanner. *disp.* 4. *de Justitia qu.* 6. *dub.* 1. *n.* 8. Lugo *disp.* 8. *Sect.* 2. Ratio est: Quia *propter quod unumquodque tale, ipsum est magis tale*: in præcepto autem restitutionis duo includuntur: Unum negativum, ne scilicet res aliena injuste detineatur, invito Domino: alterum affirmativum, ut positivo actu restituatur: atqui illud negativum est magis principale, propter ipsum enim præcipitur affirmativum de restituendo, & non e contra, ergo præceptum restitutionis principaliter est negativum, & secundario solum affirmativum, scilicet ex supposito, si res aliena detineatur, ut restituatur. 30

Dices: Ipsum detinere est negativum, cum nihil aliud, sit quam non reddere: ergo præceptum ipsum non detinendi est affirmativum: quia duæ negationes faciunt unam affirmativam. *Resp. disting. anteced.* Detinere est negativum physice, *transeat*: moraliter, *Nego anted.* Moraliter enim detentio est positiva actio, & quasi continuata acceptio, ut notant *Tannerus*, & *Lugo cit.* 31

Verum mihi semper probabilior visa est sententia opposita, nimirum præceptum restitutionis principaliter, & per se esse affirmativum de ipso actu positivo restitutionis, & secundario negativum de non detinendo rem alienam. Ita significat D. Thomas 2. 2. *qu.* 62. *ar.* 8. *ad* 1. Et docent *Navar. Rebellus*, aliisque citatis Laym. *lib.* 2. *tr.* 1. *c.* 2. *n.* 2. Tamb. *lib.* 8. *tr.* 3. *de restitut. c.* 1. *n.* 5. Ratio jam posita est: Quia præceptum restitutionis principaliter per se intendit, ut fiat æqualitas arithmetica inter datum, & acceptum cum Domino rei ablatæ: hæc enim æqualitas est objectum formale adæquatum justitiæ commutativæ, secundum omnes: atqui hæc æqualitas non fit nisi per actum positivum restitutionis; nulla enim æqualitas resultaret, si rem acceptam tantum non detineres, & tamen Domino positive non redderes: & quod idem præceptum restitutionis præcipiat, ne detineatur res domini, ideo præcipit, ut te rem non detinente, eandem restitutam Dominus recipiat: (vides minorem oppositæ rationis æque facile negari, ac affirmari) ergo præceptum restitutionis principaliter affirmativum est, & secundario tantum negativum. Et certe, qui alium læsit in fama, vel honore, propriissime tenetur restituere, seu reddere ablatum, licet proprie nihil detineat. Sed vide *DD. cit.* Non enim libet immorari speculationi parum utili ad praxim. Sufficit nobis nosse præceptum hoc simul esse affirmativum & negativum; (quidquid sit de principaliori) atque ideo obligari statim semper, & pro semper, & quamdiu rationabilis causa non excusat, ut suo loco videbitur. 32

Neque inde inferas in non restituente duo esse peccata, unum *detinere* rem alienam contra præceptum negativum: alterum *non restituere* contra præceptum affirmativum. Nam utriusque præcepti idem est finis intrinsece, nimirum Dominum habere, quod suum est, secundum æqualitatem arithmeticam. 33

§. IV. *Obligans sub mortali ex genere suo.*

PRæceptum restitutionis obligare sub mortali ex genere suo, nimirum pro ratione materiæ, & damni illati gravis, certissimum est apud omnes. Et clarum ex dictis, ut alia probatione non egeat; sed bene perfunctoria explicatione terminorum adjunctorum: *Dummodo delictum commissum sit per actionem injustam externam, & culpam Theologicam gravem.* Ad hoc ergo, ut quis ex delicto in foro conscientiæ obligetur sub mortali ad restitutionem, requiritur, ut injustæ ablationis, vel damnificationis delictum sit commissum. 34

I. *Per actionem injustam.*

RAtio patet. Quia ex sola justitia commutativa læsa inducitur obligatio restitutionis, ut §. 2. probatum est. Nulla ergo inducitur obligatio restitutionis, si actio tua contra justitiam, seu injusta non sit, quantumvis alioquin peccaminosa sit contra alias virtutes, charitatem, Pietatem, Religionem. Ut si graviter, vel extreme egenti eleemosynam non præbeas: si ipsis parentibus ita egentibus non 35

non succurras: si vovisti calicem Ecclesiæ, & non solvas: si domum, vel segetem incensam ab alio, non extinguas: nisi aliud ex officio, vel pacto, adeoque ex justitia obligeris: si judex reum secundum allegata, & probata juste condemnatum, verbis, vel aliis modis contra Charitatem offendat: si reus etiam legitime a Judice interrogatus crimen neget, unde damnum sequatur vel fisco, vel alteri, cui cederent bona rei: neque enim reus ex justitia commutativa tenetur fateri veritatem, aut procurare utilitatem fisci, vel aliorum, sed ad summum ex obedientia, & justitia legali. Plura similia audies inferius tract. seq. cap. 5. sect. 3. 4. & 5. ubi de compensatione occulta, de acceptis propter necessitatem, de acceptis ob turpem causam &c.

II. *Per actionem injustam externam.*

36 RAtio iterum clara est: quia ut quis obligetur ad restitutionem, debet fecisse inæqualitatem in altero, aliquid scilicet auferendo, vel destruendo, quod ipsius erat: hæc autem inæqualitas utique non potest fieri per solam actionem internam quantumvis injustissimam, quippe quæ in sola mente sistens nihil operatur exterius, sed tantum per actionem externam realem: ergo per solam *actionem externam injustam* inducitur obligatio restitutionis. Nullam ergo restitutionis obligationem contrahit, qui solo actu interno proximo damnum optat, aut de damno aliunde illato gaudet, & exultat. Qui maligno affectu odii, & vindictæ proximum de crimine aliquo, vero tamen, & juste accusat. Si ipse Judex justam sententiam ferat contra inimicum suum gaudens de ejus damno, & afflictione: Immo etiamsi Judex proferret tunc injustam sententiam sua opinione, quam postea deprehendit fuisse justam, ad nihil restituendum obligabitur, quia sententia illa formaliter tantum, interne, & ex conscientia erronea, non autem materialiter, reipsa, & externe injusta fuit. Similiter si furer vestem, quam puto esse tuam, sed deinde adverto revera fuisse meam, quamvis auferendo peccaverim ex interno affectu injustitiæ, tamen propter eandem rationem non teneor ad restitutionem. Plures, & difficiles casus dabimus in quinto præcepto, de homicidio casuali.

III. *Per culpam theologicam.*

37 AD contrahendam obligationem restitutionis ex delicto injustæ acceptionis, vel damnificationis omnino requiritur culpa theologica, & non sufficit sola culpa civilis, vel politica quæcunque lata, levis, levissima. Explico terminos.

38 Culpa theologica dicitur *Defectus voluntarius in operando contra legem Dei, vel rectam rationem*, adeo ut actio, vel omissio aliqua vere in conscientia, & coram Deo culpabilis sit, ideo enim dicitur culpa theologica, quam scilicet Theologi in foro conscientiæ, & in ordine ad Deum spectare soleant. Et hæc alia gravis, & mortalis, alia levis & venialis tantum: quæ ex dictis supponuntur.

39 Culpa civilis, politica, vel juridica dicitur *Defectus externus in operando contra exactum modum agendi humanum*: & definiri solet: *Defectus ab eo, quod bonum, & debitum est, hominisque diligentia præstari potest.* Unde & juridica culpa dicitur, quia eam Jura attendunt pro foro externo: in quo interna non patent. Triplex communiter distinguitur, *lata*, *levis*, *levissima*. Culpa *lata* dicitur omissio diligentiæ, quam solent in tali negotio adhibere omnes prudentes, & diligentes. Culpa *levis* est omissio diligentiæ, quam solent adhibere prudentiores, diligentioresque. Culpa *levissima* dicitur omissio diligentiæ, quam solent adhibere soli in agendis rebus diligentissimi, & accuratissimi. Exemplum vulgo adfertur: Accepisti librum, vel vestem commodato, & reliquisti in loco patulo, quo omnes communiter accedere solent, ubi nec tuas res alicujus momenti relinqueres, & sic periit res alterius: commisisti culpam latam. Reposuisti quidem in cubiculo tuo, vel cista cum rebus tuis, sed ostium non clausisti: est culpa levis. Clausisti ostium, sed non tentasti, an pessulus bene obductus fuerit: est culpa levissima. Simili modo judicandum in cæteris.

40 Quod si ergo in his nullum adsit voluntarium internum, nulla scilicet advertentia, vel intentio ad damnum secuturum, tunc est culpa politica seu juridica tantum. Si autem adfuit aliquod voluntarium internum directum, vel indirectum, utpote quia vel intendisti, vel saltem prævidisti, aut prævidere debuisti damnum inde secuturum proximo, tunc erit culpa politica, & theologica simul. Et quidem, si adsit intentio indirecta, seu voluntarium indirectum, quo prævidisti damnum proximi, nec cavisti, etsi directe minime intenderis, jam apud Juristas vocabitur *culpa latissima*. Si autem adfuit etiam directa intentio, & voluntas per hoc nocendi proximo, vocabitur a Juristis *dolus malus*: utrumque etiam apud Theologos peccatum mortale, & inducens obligationem restituendi, ut in sequentibus patebit. His notatis,

Dicimus: Nullam oriri obligationem restituendi in foro conscientiæ, ex sola culpa civili etiam lata, & levi, vel levissima. Quoad culpam levem, vel levissimam (contra *Angelum*, *Adrianum*, *Paludanum*, *Panormitanum*, & alios nonnullos) consentiunt DD. communiter apud mox citandos. Et ratio est: Quia nullus, nec circa proprias, nec circa alienas res, secluso speciali pacto, tenetur adhibere majorem diligentiam, quam homines suæ conditionis communiter prudenter adhibere solent: atqui omittere ejusmodi diligentiam, quam homines sic communiter adhibere solent, dicitur culpa lata, ut modo vidimus: ergo qui non omisit, sed adhibuit hanc diligentiam, vitando culpam latam, ad nullam tenetur restitutionem damni secuti ex sola culpa levi vel levissima, in foro conscientiæ, & ante Judicis sententiam. 41

Universaliter autem quoad omnem culpam civilem tantum, etiam latam, id docent Molina *t. 3. disp. 698. n. 6.* Less. *lib. 2. c. 7. dub. 6. n. 27.* Vasq. *de rest. c. 2. §. 1. dub. 2. a n. 15.* Tannerus *disp. 4. q. 6. d. 2. n. 40.* Lugo *disp. 8. Sect. 4.* Tamb. *cit. c. 2. §. 4. num. 3.* aliique moderni satis communiter. Ratio est: Quia in foro conscientiæ non potest esse obligatio restituendi ex delicto, vel injustitia facta, nisi ablatio, vel damnificatio fuerit delictum, ac injustitia in foro conscientiæ: sed quod non est peccatum, seu culpa theologica, non est delictum, vel injustitia in foro conscientiæ: ergo ex sola culpa politica quacumque etiam lata, non est obligatio restituendi in foro conscientiæ, quidquid statuatur per leges in foro externo, nec injuste ad acuendam diligentiam civium circa res alienas. Quod autem alii DD. præsertim antiquiores communiter doceant, culpam latam inducere obligationem restitutionis, ideo dicunt, quia culpa lata civilis ordinarie simul est etiam theologica: ordinarie enim late culpabilis, omittens scilicet diligentiam communiter adhiberi solitam, circa res proximi advertit, vel saltem advertere debuisset damnum proximi secuturum, eoque ipso theologice culpabilis est. 42

Ex dictis sequitur, nullam contrahi obligationem restitutionis, si quis cum moderamine inculpatæ tutelæ contra aggressorem, alteri proximo damnum inferat, v. g. pecus, vel etiam hominem fortuito in ictum incurrentem lædat, vel occidat. Item si miles subditus jussus bona fide pugnavit in bello injusto, prudenter tamen a se putato justo, non obligatur in conscientia restituere damna illata ex bello, nisi ratione rei acceptæ adhuc extantis, vel quantum forte inde ditior factus esset, quod rarum. Item, si quis bona fide credens esse rem suam, illam absumat: nec inde in aliquo ditior factus est, ad nullam tenetur restitutionem, & ita in similibus: quantumvis in his culpa aliqua politica interveniat. *Ratio est*: Quia in his, & similibus in conscientia, & theologice non peccatur: ergo nulla obligatio restitutionis ex delicto. 43

IV. *Per culpam theologicam gravem.*

AD inducendam obligationem restitutionis gravem, & sub mortali, ex delicto injustæ acceptionis, vel damnificationis, requiritur culpa theologica gravis, seu mortalis in conscientia, & non sufficit culpa etiam theologica levis, seu venialis tantum, sive ex parvitate materiæ, sive ex imperfectione actus, seu indeliberatione. 44

I. In primis quando culpa injustitiæ in ablatione, vel damnificatione rei alienæ fuit venialis tantum ex parvitate materiæ, modicum quid auferendo, absumendo, destruendo, per se clarum est, non posse oriri obligationem restituendi sub mortali: cum acceptio, & detentio, seu non restitutio sint ejusdem malitiæ, saltem quantum est ex ratione materiæ: ob hanc ipsam tamen rationem tunc adhuc oritur obligatio restituendi sub veniali: sicut enim peccasti auferendo venialiter, ita peccas venialiter, detinendo, vel non restituendo; *Nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*: ergo sub veniali teneris restituere. Ita communis Doctorum cum Sanch. *lib. 2. in Decal. c. 23. n. 6.* aliisque contra Vasq. *c. num. 20. & 25.* & alios nimis laxe ab omni restitutione liberantes. 45

II. Qui pluribus acceptionibus, vel furtis minutis, etsi de facto singulis venialibus tantum, magnam tamen quantitatem ad mortale sufficientem congregavit, secundum omnes tenetur sub mortali ad restitutionem summæ congregatæ, at non ratione ablationum venialium, sed ratione detentionis injustæ, ac damnificationis proximi in quantitate notabili aggregata, ut in septimo Præcepto de furtis minutis dicemus. Sed contra 46

Dices: Supponamus talem, postquam advertit, accrescente materia notabili, se grave damnum intulisse alteri, statim velle restituere, is adhuc tenetur restituere sub mortali: atqui tunc certe neque detentio ulla erit mortalis: 47

ergo adhuc ex solis venialibus consurget obligatio restituendi sub mortali: *Respondetur neg. cons.* Vel enim talis restituit statim, cum potest, & tunc nulla unquam contracta est obligatio restituendi sub mortali, sed statim restituendo illam obligationem præcavit, & extinxit. Vel non restituit statim, cum potest: & ecce, jam exurgit detentio injusta mortalis, & inde obligatio restituendi sub mortali: quod valde notandum est. Aliter tamen, & laboriose huic difficultati respondet *Lugo* apud *Tamburinum cit. n. 7.*

48 III. Insuper quando injusta ablatio, vel damnificatio etiam in materia gravi est culpa venialis tantum ex imperfectione actus, seu indeliberatione, utpote facta ex non omnino inculpabili inadvertentia, præcipitantia, vehementi passione, plenam deliberationem, & perfectum voluntarium impediente: tametsi probabilis, magis pia, & tuta sit sententia, esse tunc obligationem restituendi in foro conscientiæ, & quidem sub mortali. Mol. *disp. 698. n. 6.* Vasq. Laym. *tr. 3. p. 1. c. 6.* cum enim hoc casu necesse sit alterum duorum damnum subire, æquitas naturalis postulare videtur, ut damnum potius luat nocens, qui aliquo modo moralis, & culpabilis damni causa fuit, quam alter omnino innocens, ac dominus rei perditæ.

49 Nihilominus æque probabilis, & in praxi satis tuta est sententia opposita negativa, neque tunc in foro conscientiæ ante sententiam Judicis, esse obligationem gravem restituendi: atque adeo in foro conscientiæ nullam sufficere culpam venialem, sed mortalem requiri ad inducendam gravem obligationem ex delicto. Ita *Sotus*, *Toletus*, *Henriq. Sa*, aliisque *cit.* Less. *cit. c. 7. dub. 6. n. 24. & 27.* Tanner *disp. 4. q. 6. dub. 2. num. 45.* Lugo *c. Sect. 5.* & probabilem, ac tutam fatetur ipse *Laym. l. c.* Ratio est: quia sicut ad contractum, ita etiam ad injuriam simpliciter, & inducentem obligationem simpliciter seu gravem restituendi, requiritur voluntarium simpliciter: atqui in proposito, cum culpa est venialis ex imperfectione actus, inadvertentia &c. non est voluntarium simpliciter, & perfectum, ut per se patet: ergo nec est injuria simpliciter, ergo consequenter nec inducet obligationem restituendi simpliciter, & perfectam, nimirum sub mortali, cum obligatio restituendi ex delicto non possit esse major in suo genere (secluso alio accidente) quam sua causa, scilicet ipsum delictum, seu injuria, ex qua nascitur. Quare eximendus fuit a mortali obligatione restitutionis, qui temere tractans sclopetum oneratum, eo improvise soluto, virginem occidit. Alius similiter, qui horreum fœni incendit, secuta aliquot domorum combustione. Et idem in similibus.

50 IV. Insuper satis probabiliter nulla tunc omnino oritur obligatio restituendi, neque sub veniali quidem. Ita Lugo *l. c. n.* 58. & Tamb. *cit.* §. 5. *n.* 3. Ratio hujus sumitur a simili: Quia in probabili multorum sententia, etiam nostra, neque promissio facta homini, neque votum Deo factum, neque juramentum, neque præceptum Superioris, si procedant ex imperfecta deliberatione, inducunt ullam obligationem, ne venialem quidem: ergo neque injusta acceptio, vel damnificatio ex eadem indeliberatione procedens. Sicut ergo votum rei parvæ v. g. deliberate factum quidem, inducit obligationem, sub veniali: at vero votum rei magnæ sine sufficienti deliberatione, vel advertentia factum, nullam omnino, nec venialem parit obligationem, ut suo loco tenuimus: ita damnificatio rei parvæ deliberate, & advertenter facta, obligat quidem ad restitutionem sub veniali: at vero damnificatio etiam rei magnæ, sed sine sufficienti advertentia, & deliberatione facta, nullam, nec venialem parit obligationem. Monent tamen *DD. cit.* nisi certe constet, raro præsumendam esse ejusmodi culpam venialem ex imperfectione actus in gravi damnificatione, ideoque Confessarios ordinarie debere inducere pœnitentem ad aliquam compensationem, vel amicam compositionem cum parte læsa, quoad commode fieri poterit, quod omnino consultissimum. Idcirco jam

51 Ex dictis sequitur, nullam contrahere obligationem restituendi eum, qui subita ira percitus, actione tantum venialiter mala hominem occidit, vel quodvis damnum homini intulit; Less. *lib. 2. t. 2. n.* 28. Item si famuli, vel ancillæ simili veniali negligentia relinquant fores domus Domini apertas, unde fures damnum inferant. Item si custos vinearum, segetum, nemorum, vectigalium veniali solum negligentia sinant damnum inferri, & ita in similibus: supponuntur enim solum venialiter deliquisse: unde tantum onus certæ obligationis sub mortali non potest progigni.

52 Sed restat hic grave dubium, & celebre: an culpa externa quidem levis, sed cum interna mortali voluntate, & intentione nocendi graviter, secuto gravi damno inducat onus restitutionis sub mortali? Ex. g. Titius explodens in feram, adhibita non tamen omnino sufficienti cautela (adeoque veniali solum culpa) ad cavendum homicidium, interim animum habet, & optat occidere hominem inimicum suum, & fortuito casu per errorem hominem occidit, culpa venialiter tantum externa injusta est, at interna mortalis. Item reponis venenum in loco non periculoso admodum, nec supra venialem culpam, interim habes animum, ut illuc accedens forte Petrus inimicus tuus, eo sumpto pereat: actio externa rursus ad summum venialiter est mala, at culpa interna mortalis. Item modicam pecuniam furaris a sene avarissimo, furto externo non nisi veniali, sed cum mortali intentione interna, ut is ex mœrore amissæ pecuniæ conficiatur. Similiter alapam levis dedecoris impingis adolescenti generoso, eo tamen animo, ut iste dedecoris impatiens moriatur.

Quæstio nunc est, an ita explodens, venenum reponens, furans, alapam impingens, culpa externa venialiter tantum mala, sed cum interna mortali voluntate nocendi graviter proximo, ita peccet contra justitiam, ut secuto effectu, morte scilicet alterius, teneatur ad restitutionem ac etiam irregularitatem incurrat. 53

Affirmativam cum aliis cit. tenet. *Lugo t. 1. de Justit. disp. 8. Sect. 6. a n.* 74. eo, quod actio illa externa, etsi secundum se venialis, & leviter influens in damnum proximi, tamen hic & nunc ab intentione interna mortali, revera mortalis fit, & vera causa illius damni: & consequenter & obligationem restitutionis, & irregularitatem inducat. 54

Negant autem tunc induci obligationem restitutionis, cum aliis Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 16. nu.* 112. Sanch. *l. 1. cons. cap. 4. dub. 5. n. 9.* Tamb. *cit. c. 2. §. 5. n.* 11. Ratio est: Quia jure naturali non inducitur obligatio restitutionis, nisi quando quis per suam actionem externam physice, vel moraliter est efficax, & sufficiens causa damni illati, v. g. mortis, incendii, &c. atqui in casibus propositis illæ actiones externæ ex se sunt omnino leves, ac leviter tantum, raroque influentes in talem effectum: simpliciter enim non sunt causa efficax absoluta, & sufficiens talis effectus, v. g. mortis: & licet adsit animus internus mortaliter malus, ille tamen animus internus nihil omnino adjuvat, vel auget illam actionem externam. Unde quamvis illam actionem externam vere reddat mortalem quoad affectum, non potest tamen illam reddere mortaliter malam, & injustam quoad effectum, cum de se sit insufficiens ad causandum talem effectum. Obligatio autem restitutionis non sequitur ad malitiam actionis internæ tantum, sed ad ejus efficaciam, & injustitiam externam (quo patet responsio ad fundamentum oppositæ Sententiæ) ergo ea causa non inducitur obligatio restitutionis. Esto adhuc incurratur irregularitas: hæc enim per sacros Canones inducta est contra homicidium voluntarium quovis modo causatum, vel occasionatum, etsi non omnino efficaciter absolute: certe accusans criminaliter, secuta morte, vel mutilatione, irregularis fit, sine dubio tamen non est causa efficax absoluta: de quo suo loco in quinto præcepto. Hæc sententia negativa videtur mihi probabilior: sed prior affirmativa tutior, in confessionali suadenda, vel urgenda. 55

Sermo hactenus fuit de obligatione restituendi ex delicto formali injustæ acceptionis, vel damnificationis: nam de restitutione ex contractu seorsim dicetur *infra sect. 6.* His præmissis de natura, & obligatione restitutionis, nunc explicandæ sunt ejus circumstantiæ supra in initio capitis indicatæ. Omnium latissime patens est circumstantia *quid, & quantum*: ubi necessario explicandæ sunt omnes quatuor radices supra §. 1. indicatæ. Sed ut omnibus communia prius explicemus clarioris doctrinæ gratia, ne eadem sæpius repetere cogamur, sit 56

SECTIO II.

Quid, & quantum restituendum.

SUMMARIUM.

57 *Ex justitia commutativa id, & tantum restituendum est, quod & quantum ablatum, vel damnificatum est.*

58 *Loquendo autem de restitutione late sumpta pro satisfactione, aliquando plus restituendum est, quam acceptum sit: sed*

59 & 60 *Non nisi post Sententiam Judicis,*

61 *Per se loquendo res ablata adhuc existens, eadem numero restituenda est, nisi Dominus sit, aut rationabiliter præsumatur, aut debeat esse contentus restitutione alterius rei æquivalentis. Unde*

62 & 63 *Resolvuntur varii casus. Et*

64 Usque ad n. 67. *Audiendus non est Navarrus universaliter volens eum, qui in æquivalenti jam restituit, posse sine justitia rem ablatam retinere.*

67 *Quid, & qualiter restituendum sit, si res ablata non amplius existit.*

68 *Divisio, & explicatio fructuum rei, industriæ &c.*

69 *Fructus mere industriales ex re aliena restitui non debent, etiam a possessore malæ fidei. Hinc*

70 Usque ad n. 75. *Resolvuntur varii casus notabiles.*

75 *Fructus vero rei, & mere naturales simpliciter restituendi sunt Domino rei.*
76 *Sicut & fructus mixti seu partim naturales, partim industriales: detractis tamen expensis, & æstimatione industriæ.*
77 *Idemque est de fructibus civilibus.*
78 *& 79. Resolvitur dubium.*
80 *Licite detrahi possunt expensæ, &*
81 *Æstimatio melioramentorum, quæ triplicis generis esse possunt.*
82 *Qualiter, & quæ melioramenta detrahere possit possessor bonæ fidei: qualiter, & quæ possessor malæ fidei:*
83 *& 84 Resolvitur dubium.*
85 *Quoad melioramenta voluntaria, seu voluptatis tantum, distinguendum est.*
86 *Quædam notantur.*

ASSERTIO II.

Et

Regula Generalis.

EX *justitia commutativa id, & tantum restituendum est, quod & quantum ablatum, vel damnificatum est una cum fructibus, non industriæ solius, sed rei, & mixtis, detractis tamen expensis, & æstimatione laboris, industriæ, ac melioramentorum necessariorum, ac utilium tantum, in foro conscientiæ a quovis, in foro externo autem a bonæ fidei possessore tantum: eaque omnia ex re accepta quidem in sola re; ex injusta autem acceptione, vel damnificatione etiam in æquivalente, seu valore.* Explico particulatim.

§. I. *Ex justitia commutativa id, & tantum est restituendum &c.*

57 AGitur enim hic de restitutione proprie dicta, qua satisfit justitiæ commutativæ compensando damnum injuste illatum: justitia autem commutativa intendit in restituendo solum æqualitatem inter datum, & acceptum: ergo ex justitia commutativa solum restituendum est id, & tantum, quod, & quantum ablatum, seu ut vocant *simplum* tantum, & non plus: *Deinde* justitia commutativa id solum, & tantum præcipit restitui, ad quod, & quantum alter jus habet: sed alter solum habet jus ad id, & tantum quod & quantum ab eo ablatum est: ergo illud, & tantum solum restituendum est. *Communis DD. apud citatos omnes.*

58 At vero loquendo de restitutione late sumpta pro satisfactione actus justitiæ vindicativæ, qua nimirum non tantum pro damno illato, sed etiam pro injuria satisfaciendum est, plus etiam restituendum erit, quam acceptum erat, sed non nisi post sententiam Judicis. Sic *Exodi* 22. statuitur. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.* Quo respiciens Zacchæus *Lucæ* 19. ait ad Christum; *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Et instit. De actionibus*, jure veteri statuitur, ut præter rem ablatam fur occultus in duplum, fur manifestus in quadruplum condemnetur, & domino applicetur. Licet autem hæc jura non sint amplius in usu, simile tamen etiam hodie juste fit per sententiam Judicis. Et Ratio est: quia ex injusta acceptione vel damnificatione non solum læditur proximus, damnum, & injuriam patiendo, sed etiam læditur Respublica: ergo juste solet, & potest a Republica, præter restitutionem simpliciter faciendam civi læso, infligi alia pœna gravior civilis, & pecuniaria, applicanda aut civi ipsi læso ob injuriam sibi factam, aut ipsi Reipublicæ, seu fisco, prout circumstantiæ exegerint. *Ita communis DD. cum S. Thoma cit. art. 2.*

59 Verum, ut dictum est, ejusmodi restitutio major, & pœnalis in foro conscientiæ non debetur, nec obligat ante sententiam Judicis. Sola enim justitia commutativa per se urget in foro conscientiæ ad reddendum æquale: Justitia autem vindicativa quoad pænales satisfactiones ad Judicem spectat. Quilibet ergo, qui offendit, vel injuriam intulit, tenetur per sententiam Judicis pœnam admittere, non tamen ad illam se offerre, multo minus eam sponte sibi infligere: cum exercitium justitiæ vindicativæ publicæ, non privatæ, auctoritatis sit: & rei sit pati, & non agere.

60 Nota hic obiter discrimen inter excommunicationem, aliasque censuras latæ sententiæ ipso facto incurrendas, etiam ante omnem Judicis sententiam, & alias pœnas legales, non nisi per sententiam Judicis subeundas. Censuræ sunt pœnæ mere privativæ, ad quarum executionem nulla requiritur actio patientis: ideoque incurri possunt per legem ante aliam sententiam Judicis: aliæ vero pœnæ legales v. g. mulctæ pecuniariæ &c. sunt positivæ, & requirunt actionem positivam rei, v. g. solutionem pecuniæ, cessionem ab officio &c. quam reus pati tantum debet per Judicis sententiam inflictam, cum rei non sit agere.

§. II. *Id restituendum, quod ablatum est.*

UNiversaliter, & per se loquendo, res ablata adhuc existens, eadem numero restituenda est, nec fas est aliud pro alio restituere regulariter. *Communissima DD.* Quia Dominus rei amissæ, vel debitæ habet verum jus ad hanc numero rem adhuc existentem, juxta *L. Manifeste, C. de solutionibus*. Unde potest Dominus eandem rem, ubicumque illam invenerit, sibi vindicare: nam res quomodocumque accepta, ubicumque est, Domini est: ergo illam habens, si non eandem restituat, Domino injuriam infert. Contra vero eandem restituendo perfectissime satisfit justitiæ commutativæ, & pars læsa perfectissime restituitur in jus suum ad omnimodam identitatem, nedum æqualitatem. Excipiendum tamen: Nisi dominus sit, aut rationabiliter præsumatur, aut rationabiliter debeat esse contentus restitutione alterius rei æquivalentis. 61

Sic 1. In rebus functionem suscipientibus, pecunia, frumento, vino &c. facile potest reddi unum pro alio in eadem specie, & bonitate, quia in rebus adeo æquivalentibus non potest rationabiliter invitus esse dominus. 2. Etiam in rebus functionem non habentibus potest unum reddi pro alio, v. gr. pro equo par boum, aliave res ejusdem valoris, quando dominus non habet peculiarem affectum ad rem suam eamdem numero: quin ipse facile esset permutaturus; sic enim iterum non erit invitus. 62

3. Occultus fur, si eandem rem numero non possit restituere sine sua infamia (ut certe aliquando contingere potest) retenta eadem, licite poterit ejus valorem in pecunia vel alio æquivalenti reddere: etsi ipsi constaret, dominum non velle valorem, sed omnino ipsam rem suam habere velle. Ratio est, quia tunc dominus irrationabiliter est invitus, cum pluris facienda sit fama proximi, utpote bonum altioris ordinis, quam res sua temporalis, v. g. equus, vestis &c. eadem numero habenda. Quin ob eam causam quandoque omnino excusari poterit a restitutione fur: juxta dicenda suo loco. 63

Quare non audiendus Pet. Navar. *lib. 4. de restitut. cap. 1. dub. 3.* universaliter asserens, illum, qui in æquivalenti pro re ablata aliam rem æque præstantem jam restituit, posse sine injustitia rem ablatam, etiam existentem, etiam domino repetente, retinere. Ratio in contrarium est; Quia non obstante restitutione facta, sed nondum acceptata, alterius rei dominus retinet dominium rei suæ amissæ adhuc existentis, ubicumque sit. Insuper potest habere aliquem specialem, & rationabilem affectum erga rem suam eandem numero: utpote qui eam a Majoribus suis acceptam, vel a magno Principe, aut singulari amico donatam habet, aut alia speciali commoditate charior est alia re, quantumvis æquivalente, vel æque præstante, aut forte pretiosiore: propter quod merito potest esse, & præsumi debet rationabiliter invitus, ut ipsi pro re sua alia restituatur: atqui retinere rem alienam rationabiliter invito domino, semper injustum est: ergo eo casu, & maxime domino repetente suam rem in specie, non sufficit restituisse, vel restituere aliam rem, etiam æquivalentem, vel etiam præstantiorem. 64

§. III. *Et tantum, quantum ablatum est.*

QUando nimirum res ablata non amplius existit, & tamen restitutio facienda est, utpote ratione injustæ acceptionis, tunc *tantum* restituendum est, *quantum* ablatum fuit, in æquivalenti. Hinc. 1. Si illa res in suo genere functionem recipiat, ut pecunia, frumentum, vinum &c. restitutio facienda erit in alia re ejusdem generis, & qualitatis, cum fieri potest. 2. Sive autem recipiant functionem, sive non, si res sint certi, & determinati valoris, per legem, vel consuetudinem: ut fere sunt merces communes, & usu consumptibiles, ille valor restituendus erit, sive in pecunia, sive in alia re æquivalenti ejusdem, vel diversi generis, prout fieri commode potest, dummodo dominus contentus sit: nam in hac ratione satisfit justitiæ commutativæ reddendo æquivalens. 3. Si vero res ablatæ non sint determinati valoris per legem, vel consuetudinem, nec per communem æstimationem determinabiles, uti est vita, sanitas, fama &c. Aut de rei ablatæ, vel damnificatæ quantitate, vel qualitate non satis constet: ut si quis incendat domum variis rebus instructam, aut destruat segetes incerti adhuc in futurum fructus, &c. tunc restituendum erit ad arbitrium prudentis, & probi viri, consideratis bene omnibus circumstantiis, judicando, quantum requiratur, vel sufficere possit ad æqualitatem rei quoad fieri poterit. 4. Addit Scotus *dist. 15. quæst. 2. art. 2.* restituendum esse, 67

esse, non tantum ipsam rem ablatam, sed etiam ejus usum, vel potius pro ejus usu: v. gr. Qui solum usus fuit alieno equo, veste, instrumento &c. tenetur ad restitutionem, scilicet etiam ad valorem, seu pretium illius usus æstimandum ex consuetudine, vel arbitrio prudentis; quia & ipse usus est pretio æstimabili, adeoque, invito domino usurpatus injustus est, & restitutioni obnoxius. Verum hic usus revocari potest ad fructus civiles.

§. IV. *Una cum fructibus.*

68 FRuctus alii dicuntur *rei*, alii *industriæ*, seu ut loquuntur Theologi: fructus alii sunt *naturales*, alii *industriales*: iique vel *meri*, vel *mixti*. *Fructus meræ industriæ, vel industriales* dicuntur, quos sola industria humana profert, & nullo modo natura rei ex se producit, licet concurrat ut instrumentum hominis industrii operantis, vel negotiantis: cujusmodi est lucrum ex rebus de se sterilibus præsertim usu consumptilibus, ut pecunia, vino, frumento, &c. his negotiando acquisitum, fructus industriæ est, non rei. Sic opus alieno instrumento ab artifice confectum, non instrumento, sed artificis industriæ pro fructu tribuitur. *Fructus mere rei, seu pure naturales* dicuntur, quos sola natura ex se progignit, nullo, vel vix ullo humano labore, vel industria cooperante, ut sunt animalium fœtus, herbæ gramina, L. fructus 45. ff. de usuris. *Fructus mixti, seu naturales, & industriales simul* dicuntur, ad quos producendos natura simul, & industria humana cooperantur, ut segetes, omnesque fructus serendo, & colendo producti, vinum, oleum, lana, caseus, butyrum, &c. ut notat etiam Sanch. *lib.* 2. *Moral. cap.* 23. *n.* 54. Quo etiam spectant *fructus civiles*; nimirum pretia domorum, jumentorum, aliarumque rerum elocatarum pro pretio: sic dicti, quod non proprie fructus sint, sed ad similitudinem fructuum jure civili constituti; ut habetur L. Prædiorum ff. eod. *prædiorum sponsiones pro fructibus compensantur*. Denique *fructus rei naturales meri, vel mixti*, alii sunt percipiendi, & pendentes adhuc; alii sunt percepti, seu a solo jam separati. His positis circa fructus indifferenter, sive res aliena bona fide, sive mala fide obtenta, & possessa sit, dicimus restituendos esse *fructus*.

§. V. *Non Industriæ solius.*

69 FRuctus mere industriales ex re aliena non sunt restituendi domino rei, sed ad possessorem, seu bonæ, seu malæ fidei, pleno jure spectant. Communissima. *Navar. cap.* 17. *num.* 25. Mol. *tom.* 3. *disp.* 719. & 720. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *dub.* 6. *num.* 111. Laym. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. *nu.* 3. Ratio est: quia ad eum spectant fructus, cujus est causa fructificans: sed fructus mere industriales non sunt effectus rei alienæ, utpote omnino sterilis, ut supponitur, sed solius hominis industrii operantis, vel negotiantis: ergo fructus mere industriales ex re aliena non sunt restituendi domino rei, sed spectant ad hominum industriam, sive is deinde bonæ, sive malæ fidei possessor sit; neque enim malæ fidei possessori hic suffragatur iniquitas, sed industria sua, labor, & ingenium, aut etiam fortuna. Et hinc resolves;

70 I. Bona, vel mala fide possidens pecunias alienas, quibus dominus in lucro quærendo usus non fuisset, quidquid iis lucratur, sibi acquirit, nec tenetur restituere: nisi solum ipsam pecuniam alienam. Idem est, si pecuniam furtivam, vel usurariam negotiationi, vel ludo exponas; solum enim ipsam pecuniam furtivam, vel usurariam, non vero lucrum inde acquisitum, quippe mere industriale, restituere teneberis. Idemque est, si frumentum alienum, seu quidvis aliud mercium, alio, ubi plus valet, deportatum longe carius vendidisti: lucrum non domino, sed tibi acquiris, cum sit fructus meræ industriæ, ac laboris tui; satisfacisque restituendo frumentum ejusdem qualitatis: Quod si autem dominus sua pecunia, frumento &c. si habuisset, & ipse usus fuisset ad lucrum quærendum, tenebitur quidem possessor malæ fidei compensare lucrum speratum, at non per modum fructus, sed per modum interesse, seu lucri cessantis. Omnia certa apud omnes.

71 II. Officiales Principum, vel Magnatum Thesararii, Camerarii, Quæstores, Telonarii, Eleemosynarii, item famuli, depositarii &c. pecuniis dominorum sibi commissis negotiando, cambiendo, mutuando, ludendo &c. lucrantes, secluso omni præjudicio, vel periculo dominorum, salva nimirum ipsis forte ejusdem qualitatis, quandocumque perierint, omnino lucrum sibi acquirunt, nec dominis restituere tenentur, cum sit fructus meræ industriæ, & non rei ad dominum spectantis, scilicet pecuniæ natura sua sterilis: neque enim peccant contra justitiam, secluso omni periculo, & præjudicio dominorum; esto peccent contra obedientiam, si domini id espresse, vel tacite prohibeant, (& certe regulariter sic prohibere præsumendi sunt) atque in pœnam delicti, saltem speciem fraudis, ac injustitiæ habentis, subinde eo lucro privari possunt. Sic *Molina, Reginaldus*, aliique citatis Diana *par.* 1. *tractat.* 8. *resol.* 22. Et ex professo probat Laym. *lib.* 3. *de contractibus tract.* 4. *cap.* 25. *nu.* 4. *per totum*. Sed monendi sunt Confessarii, ut quoad hoc cauti sint in consulendo de futuro; nam Domini postea comperta re, graviter inde scandalizantur, ut experientia patuit. De hoc redibit sermo, cum *de contractibus*.

III. Si quis bona, vel mala fide frumentum alienum seminavit in agro suo, segetem totam sibi acquirit: est enim fructus & sui agri, & industriæ suæ: & solum tenebitur domino restituere ipsum frumentum seminatum æquivalens; & si mala fide accepit, & seminavit, etiam interesse, seu damnum emergens, & lucrum cessans domino ex carentia sui frumenti. Contra si tuum frumentum in alieno agro, seu bona, seu mala fide seminasti, tota seges erit Domini agri, quia est fructus rei suæ. Accipe ergo frumentum æquivalens pro fructu tuo seminato, & expensas, laborisque pretium, & nihil præterea, juxta mox dicenda. 72

IV. Si quis alieno instrumento opus elaboravit, v. g. alterius penicillis in tabula sua pinxit; alterius serra, & tabula arcam confecit ex sua materia: non ad dominum instrumenti, sed ad artificem opus elaboratum spectabit: est enim partus artificis, adeoque fructus industriæ, & non instrumenti, seu rei alienæ. Tenebitur tamen artifex præter instrumenta ipsa, etiam valorem, seu æstimationem illius usus instrumentorum domino restituere, ut ex communi notat Laym. *lib.* 3. *de rest. tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 3. 73

Contra: si tuo instrumento in aliena materia labores, v. g. tuis penicillis pingas in aliena tabula, tuo calamo scribas in alieno pergameno, regulariter adhuc opus factum ad te spectabit, cum onere compensandi pro materia: quia regulariter artificium pluris valet, quam materia. Secus dicendum, si oppositum contingat, ut si pingas in aliena lamina aurea, vel argentea; si artifex in alieno auro operetur. Sed de hoc alibi; cum de acquisitione dominii per adjunctionem. 74

§. VI. *Sed Rei.*

FRuctus rei, & mere naturales simpliciter restituendi sunt domino rei. *Ita omnes*, etiam citati mei. Habetur L. 22. *C. de rei vendicatione*. Ubi dicitur: *Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei vero, extantes: post litis autem contestationem, universos*. Ratio est, quia omnis res fructificans suo domino fructificat, & quod ad rem ablatam naturaliter sequitur, spectat ad dominum rei, sed fructus illi mere naturales omnino naturaliter sequuntur ad rem ablatam, ergo domino rei restituendi sunt. Idque verum est: 1. Tam de fructibus jam perceptis, & e solo separatis, quam de fructibus percipiendis, seu pendentibus: ut sunt segetes adhuc agro adhærentes, fœtus adhuc in utero matris, vel pecudis latens &c. hi enim fructus censentur pars rei fructiferæ. *L. fructus ff. de rei vindicat.* 2. Etiam verum est, etsi dominus eos fructus per se non percepisset ob suam negligentiam, vel aliam causam: ut si animal non fuisset apud ipsum maritatum, ager non seminatus, seu cultus. Ratio est, quia adhuc vere sunt fructus rei, quæ semper suo domino fructificat. 3. Etiam verum est de fructibus perceptis ex re per possessorem bonæ fidei meliorata, quia res meliorata adhuc est domini pristini: ergo adhuc domino fructificat (detractis impensis meliorationis, de quo mox infra) ex communi Molina *disp.* 719. Lugo *disp.* 17. *sect.* 3. *num.* 524. Adeoque etiam verum est de possessore quantumvis bonæ fidei jure civili: nam fructus mere naturales manere sub dominio domini rei, expresse habetur *L.* 45. *ff. de usuris*. At vero fructuum mixtorum, postquam percepti, & a solo separati sunt, dominium bonæ fidei possessori acquiritur quidem, ut habetur *Instit. de rerum divisione* ubi dicitur. *Si quis a non domino fundum bona fide emerit, vel ex donatione, aliave justa causa, æque bona fide acceperit, naturali ratione placuit fructus, quos percepit, ejus esse pro cultura, & cura*: sed hoc solum valet in foro externo civili, & usque ad sententiam Judicis contrariam implorandam, ut cum aliis docent Sanch. *lib.* 2. *Moral. cap.* 23. *num.* 73. Laym. *cit. cap.* 3. *num.* 5. 75

§. VII. *Ex mixtis.*

I. ETiam fructus mixti, seu partim naturales, partim industriales Domino rei restituendi sunt, sed detractis expensis, & æstimatione industriæ. Communis DD. Ratio est eadem, quia fructus omni jure ad eum spectant, cujus est causa fructificans: sed fructus mixti partim sunt 76

veri

veri fructus rei alienæ, v. g. fundi: partim autem sunt fructus industriæ, ac laboris alterius: ergo fructus mixti ita restituendi sunt domino rei, ut tamen detrahantur impensæ, & æstimatio ipsius industriæ: ut nimirum retineri possit pars fructuum, expensis, & æstimationi industriæ respondens.

Deinde nullus debet locupletari cum alterius jactura. *Regula* 48. *in* 6. sed possessor seu bonæ, seu malæ fidei locupletaretur cum jactura, & damno domini rei, nisi ipsi restituerentur fructus rei etiam mixti, detractis tamen expensis, & æstimatione prædictis: ergo &c. Nec obstat quod dicitur L. 48. ff. de acquirendo rerum dominio. *Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex re aliena suos interim facit: non tantum eos, qui diligentia, & opera ejus provenerunt, sed omnes: quia quod fructus attinet loco, domini pene est*. Verum enim est, quod bonæ fidei possessor interim, dum illi lis non movetur, quasi domini loco habeatur; adeo ut si fructus etiam naturales alienarit, vel consumpserit, durante bona fide, ad nihil amplius teneatur, nisi quatenus inde locupletior factus sit. Per quod non negatur, quod fructus mixtos domino rei comparenti (prædicto modo) restituere teneatur.

77 II. Eadem ratione dicendum de fructibus, ut vocant, civilibus: ut si quis seu bona, seu mala fide possidens alienam domum, vel jumentum, pro pretio locavit, pretium ad dominum rei spectabit, detractis tamen, si quæ factæ sunt, impensis. Unde etiam malæ fidei possessor, si domum alienam a se melioratam per adjunctionem v. g. portarum, fenestrarum, cancellorum, horologiorum &c. ratione illius melioramenti majori pretio locavit, quam alias in statu ad dominum pertinente locare potuisset, istum excessum pretii sibi retinere poterit, restituto solum pretio communi; ut cum *Dicastillo*, & aliis docet Tamburinus *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 3. §. 5. *num.* 9. Ratio est: quia hæc melioratio, cum sit per meram adjunctionem, & quidem separabilem, est ipsius possessoris, etiam iniqui, vel furis, ideoque ipsi fructificat. Secus esset, si melioratio facta esset per inædificationem, vel per implantationem &c. hæc enim velut pars rei domino fundi cedunt. De quo *tract.* 6. *cap.* 1. *sect.* 4. *a num.* 229. At

78 III. Quid dicendum de rerum locatione extraordinaria, quæ non solent sic locari? v. g. bonæ, vel malæ fidei possessor torquem aureum alienum ad solam ostentationem pro pretio locavit, cujusnam erit istud pretium? an domini, tanquam fructus civilis, an locatoris, tanquam fructus industriæ, uti placuit Navarro *in manual. cap.* 17. *num.* 25. Lopez & aliis? Respondetur: Omnino spectare ad dominum, eique una cum torque restituendum esse. Ita communis DD. Rodriquez, P. Navar. Molina *disp.* 719. *num.* 5. aliisque citatis Sanch. *lib.* 1. *in Decal. cap.* 13. *num.* 132. Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 17. *num.* 114. Laym. *cit. nu.* 6. Tambur. *cit. nu.* 8. Ratio est: quia illud lucrum revera non est fructus industriæ locantis, sed datur pro usu ipsius rei vero pretio æstimabili, sicut si quis locaret usum agri sterilis; atqui usus rei facit fructus civiles, sicut facit domus locata; ergo pretium locati torquis est fructus civilis ipsius rei, pro cujus usu datur, consequenter ad dominum spectabit.

79 IV. Nec obstat, quod dominus forte torquem illum nunquam locaturus fuisset: quia sæpe fit, quod res apud alienum possessorem plus domino fructificet, quam si in ejus potestate mansisset. Quemadmodum, si injustus possessor ædes alteri elocet, pretium locationis ad dominum spectat, non obstante, quod ipse dominus ædem forte nunquam elocasset, juxta communem sententiam apud *Laym. cit.* Quod etiam de fructibus naturalibus supra notatum est. Solum ergo ejusmodi locans excusabitur a restitutione pretii locationis talis, quando creditur dominum omnino nolle tale futile pretium, quemadmodum Diana *p.* 2. *tr.* 17. *Miscel. res.* 50. liberavit a restitutione quendam rusticum, qui mulum a ditissimo domino surreptum locavit pretio per multos annos notabili lucro: quia nimirum nobilis ille ditissimus non credebatur curare ejusmodi pretium, & remissio saltem implicita creditoris, generalis est causa excusans a restitutione. Plures casu huc revocabiles habentur in materia de cambiis.

§. VIII. ***Detractis tamen expensis, & æstimatione laboris, ac industriæ, nec non melioramentorum necessariorum, ac utilium tantum.***

80 I. CErtum est apud omnes, quoad expensas a possessore seu bonæ, seu malæ fidei factas in percipiendis fructibus, eas semper in foro conscientiæ licite posse detrahi: & a possessore bonæ fidei, etiam in foro externo, jure Civili. Nam *fructus non intelliguntur, nisi deductis impendiis*. *L. Fructus*, *ff. soluto Matrim.* Et *L. fundus ff. Familiæ herciscundæ* dicitur: *Nullus casus intervenire potest, qui hoc genus deductionis* (impendiorum in fructibus) *impediat*. Et ratio clara est: quia, nisi in restituendis fructibus detrahantur expensæ ejusmodi, quas ipse rei dominus facere debuisset, plus ipse recipiet, quam ei debeatur. Quoad æstimationem etiam laboris, & industriæ, docet communissima DD. Navar. *c.* 17. *n.* 27. Molin. *tr.* 13. *n.* 115. *Less. Sanch.* Laym. *ll. cc.* Lugo *disp.* 17. *sect.* 3. Eadem omnino est ratio allata §. *præced. n.* 76. (etsi nonnulli negent: sed sane parum consequenter, ut recte etiam advertit Tamb. *cit.* §. 5. *n.* 11.) Nam sicut si labor, & industria fuissent adhibita ab alio extraneo, debuisset dominus eorum pretium solvere, quando deducerentur expensæ: ergo idem debebit, eique detrahi poterit, quando idem labor, & opera adhibita sunt a possessore bonæ fidei (immo & malæ fidei in foro conscientiæ, ut bene probat Lugo *l. cit. n.* 61.) etiam quando vocantur labor, & industria: neque enim propterea naturam mutant.

II. Eadem vero est ratio de contrahenda æstimatione melioramentorum, seu expensis, labore, industriaque factis a possessore in re aliena melioranda, utpote, si sunt plantatæ novæ arbores, nova ædificia erecta, novus puteus effossus, vel fons, aut rivus adductus &c. Sed advertendum: melioramenta, seu impendia illa posse esse triplicis generis: *Necessaria, utilia, & voluntaria*. *Necessaria dicuntur*, quæ necessario adhibentur ad conservationem rei alienæ: quippe quæ alias periret, nullos, vel deteriores fructus produceret: ut reficere domum, fruges sub tecto conservare, agrum extirpare, impinguare &c. *Utila* dicuntur, quæ fiunt ad rem utiliorem reddendam, ut scilicet plures fructus ferat, quam necessariis solis impendiis adhibitis afferret: ut novas arbores plantare, agros ampliare, extraordinarie meliorare &c. *Voluntaria*, seu voluptatis impendia dicuntur, quæ rem, vel fructus non augent, sed mere ad ornatum, vel voluptatem fiunt: ut sunt fontes, picturæ, statuæ, viridaria, & his similia, quibus sine dubio prædium pluris valet, & majoris æstimatur: tamen quia ex illis prædium non reddit plures fructus, non dicuntur melioramenta utilia, sed voluntaria, ac voluptaria. His positis, dicimus ulterius. 81

III. Omnia impendia ad melioramenta necessaria, & utilia, in restitutione rei alienæ, & fructuum, possessor bonæ fidei quidem in omni foro, malæ fidei autem possessor in foro conscientiæ tantum, juste, & licite detrahit, *juxta communissimam DD. apud sæpe cit.* Ratio est, quia illa impendia & melioramenta cesserunt in commodum, & utilitatem, vel etiam indemnitatem domini rei: cumque utiliter rem domini gesserit, etiam possessor malæ fidei, spectata juris naturalis æquitate, etiam huic compensatio debetur. Insuper si res cum ejusmodi melioramentis, utcumque venerit ad domini manum, antequam detractæ, vel solutæ sunt expensæ illæ, eas possessor bonæ fidei adhuc poterit petere, & dominus in conscientia tenebitur adhuc solvere: *juxta communem DD.* 82

At dubium est hic de possessore malæ fidei, an tunc adhuc teneatur dominus illas expensas solvere in conscientia: Negat cum aliis Sanch. *lib.* 2. *Moral. c.* 23. *num.* 143. & 144. Ratio ejus est: Quia quoties lex juste negat actionem ad aliquam rem petendam, & simul concedit debitori rei petitionem, si solverit, licebit etiam eidem debitori possidenti non solvere in conscientia, ut fuse probat idem Sanch. *lib.* 6. *de matr. disp.* 38. *n.* 35. & *lib.* 18. *disp.* 8. *nu.* 15. Sed possessori malæ fidei negat lex actionem petendi expensas melioramentorum, & dat domino repetitionem, si solverit, sicut v. g. in usuris; ergo &c. 83

At vero Navar. apud eundem Sanch. & Lugo *tom.* 2. *de just. disp.* 17. *sect.* 3. *n.* 66. affirmant, eum in conscientia obligari solvere ante sententiam Judicis contrariam. Ratio est: Quia lex in pœnam delicti negat possessori malæ fidei talem actionem petendi expensas illas, & concedit repetitionem solventis: atqui pœna non obligat nisi post sententiam Judicis; ergo ante hanc manet obligatio naturalis solvendi illas expensas, ob rem utiliter gestam, etiam malæ fidei possessori. Utramque sententiam probabilem merito censet Tambur. *cit. c.* 3. §. 5. *nu.* 17. Sicque inter dominum, & possessorem malæ fidei poterit dari bellum ex utraque parte justum. 84

IV. Quoad melioramenta, seu impendia voluntaria, seu voluptatis tantum, distinguendum est. Siquidem ea a re salva separari possunt, ut portæ, fenestræ, statuæ, horologia, insignia &c. alienis prædiis, vel ædibus affixa, licite auferuntur a possessore seu bonæ, seu malæ fidei, ut omnes concedunt. Quod si vero sine damno rei separari nequeant, ut per implantationem accesserint rei, ut arbores, plantæ, herbæ &c. pro iis possessor malæ fidei nihil poterit repetere, nec dominus tenebitur solvere ejusmodi voluntarias expensas; sed possessor ille iniquus sibi ipsi imputet, quod amittat eas expensas, quas circa rem, scienter alienam, sine domini consensu, & citra ejus utilitatem fecit, ut pluribus docent Molina *disp.* 725. Sanch. *cit. nu.* 139. 85

&

& Lugo *cit. n. 61.* Qui tamen ibidem *num. 63.* vult saltem aliquid modicum esse a domino solvendum, eo quod etiam ejusmodi melioramenta vili emere ei utile sit, non improbabiliter. Cæterum possessori bonæ fidei conceditur facultas libera non tantum auferendi ejusmodi melioramenta si separari possint, sed etiam cogendi dominum ad solvendum pro iis, quantum ipse expendit, aut vendendum ipsi totam rem justo pretio; ut ex communi notat Tamb. *ibid. n. 14. in fine.*

86 Denique generaliter notandum pro dictis melioramentis etiam necessariis, & utilibus, dominum non teneri solvere quantum crevit valor rei suæ, sed quantum valuerunt expensæ, quibus ea melioramenta facta sunt, aut si expensæ excesserint, quantum de facto ei res utilis est, v.g. plantavit possessor fundi alieni arborem fructiferam expensis unius aurei, nunc autem arbor plantata valet decem aureos, unum tantum aureum debebit dominus, non autem decem reddere. Ratio est; quia ex una parte plus non expensum est a possessore, quam unus aureus, ex altera autem parte augmentum illud est partus sui agri. E contra; si expensæ fuissent decem aureorum, sed arbor nunc valet unum tantum aureum, rursus unum tantum, non decem debebit dominus, quia pro uno aureo tantum utilis est domino arbor, non autem æquum est, ut cogatur emere rem pluris, quam ei utilis est. Immo si possessor bonæ, vel malæ fidei expendisset unum integrum aureum: ipse autem dominus in ejusmodi melioramento expendisset medium tantum, dimidium solum tenetur dominus reddere: quia ipse solum debet id, in quo emolumentum capit ex alterius expensis: capit autem in solo dimidio: ut ex L. *Si fundo ff. de rei vindicatione*, colligit, & pluribus explicat Sanch. *lib. 1. Dec. c. 23. n. 147. & Molina cit.* Tandem ex communi admittit *Tamb. nu. 16.* possessorem tam bonæ, quam malæ fidei ex fructibus, quomodocumque consumptis, debere compensare cum melioramentis necessariis, & quantumvis utilibus. Quia quo plures fructus percepit possessor, etsi eos consumpserit, eo minus censetur pro melioramentis expendisse, vel sumptus illos redemisse.

Et hactenus de quantitate restitutionis in communi prout abstrahit, ut plurimum, a bonæ, vel malæ fidei possessore, etsi aliquæ particulares differentes sparsim indicatæ sint. Sequitur jam differentia generalis *ultimis verbis assertionis.*

Eaque omnia, ex re accepta quidem in sola re: ex injusta autem acceptione, vel damnificatione, etiam in æquivalenti, seu valore.

87 HIc traditur duplex radix restitutionis stricte sumptæ, scilicet *ratione rei acceptæ tantum, & detentæ a bonæ fidei possessore*, qui scilicet probabiliter credit rem esse suam, & in eam se jus habere: v. gr. qui rem empto, vel dono accepit a non domino, credens tamen esse dominum rei: qui rem inventam retinet, credens domino carere, vel pro derelicta haberi &c. Et ratione injustæ acceptionis, vel detentionis *a possessore malæ fidei.* Qui nimirum scit, vel scire potest, & debet, rem esse alienam, ut si ipse furatus est, aut rem empto, vel dono accepit ab eo, quem scivit non esse dominum, vel rei alienandæ potestatem non habere, v. grat. a fure, filiofamilias, pupillo, Religioso. De quibus jam *distinctis Sectionibus.*

SECTIO III.

Quid, & quantum restituendum ex delicto materiali, ratione rei acceptæ, a possessore bonæ fidei, vel etiam dubitare incipiente.

SUMMARIUM.

89 *Possessor bonæ fidei tenetur restituere statim.*
90 *Postquam vero intellexit rem esse alienam.*
91 *Si incipiat dubitare per leves solum rationes, non tenetur examinare veritatem.*
92 *Si vero rationes dubitandi sint graves, tenetur inquirere &*
93 *Interea rem conservare: & si dubium vincere non possit, rem licite retinet tanquam suam,* & 94. *ac*
95 Usq; ad n. 98. *Licite usurpat, consumit, alienat, &c.*
98 *Et ea sic bona fide absumpta nihil restituere tenetur, si nihil remaneat, in quo factus sit ditior,* & 99.
100 *Si vero inde factus est ditior, id restituere tenetur, quamprimum advertis, id sibi per se provenisse ex re aliena, & non ex sola industria,*
101 *Unde quis cognoscere possit se ex re aliena ditiorem esse factum.*
102 *Qui rem alienam bona fide alienavit, ea ratione, sicut accepit, sine lucro, ad nihil tenetur; secus si alienavit diversa ratione, & cum lucro.*
103 Usque ad n. 109. *Resolvuntur varii casus.*
109 *Similiter qui rem alienam bona fide consumpsit ad usus ordinarios alias ex propriis faciendos, restituere tenetur pro tanto: secus si consumpsit ad usus extraordinarios.*
110 Usque ad n. 116. *Exempla, & casus particulares de invitato ad cœnam furtivam; utente alterius veste, militibus prædas agentibus &c.*
116 *Cognoscens rem esse alienam, non tantum ipsam; sed etiam fructus rei naturales, & mixtos restituere debet: tamen*
117 *Fructus extantes tantum, detractis expensis.*
118 *Idque ipsi Domino rei, etiam non repetenti, per se loquendo, & non furi, v.gr. a quo accepit.*
119 *Idque verum est non tantum, quando possessori bonæ fidei nullum imminet periculum amittendi pretium datum.*
120 *Sed juxta communem etiam, quando ei certum imminet periculum amittendi pretium, si rem immediate restituat ipsi Domino.*
121 *Nihilominus satis probabile est, posse rem furtivam immediate etiam reddere furi ad pretium recuperandum.*
122 Usq; ad n. 126. *Probatur variis exemplis, & casibus, &c.*
126 Usque ad nu. 130. *Respondetur ad fundamenta oppositæ sententiæ.*

ASSERTIO, & REGULA.

REstitutionis ex delicto materiali, & ratione rei acceptæ tantum, mensura est quantitas possessionis in re, fructu, vel emolumento: Hoc est, *Possessor bonæ fidei postquam certo intellexit rem esse alienam, tenetur statim restituere, aut ipsam eandem rem adhuc extantem in toto, vel in parte: Aut si bona fide absumpta est, quantum ex ea ditior factus est: Item fructus rei extantes naturales, ac mixtos, detractis tamen expensis, ac æstimatione laboris, & industriæ: idque ipsi domino, etiam non repetenti per se loquendo: probabile tamen est, rem furtivam posse reddere furi ad recuperandum pretium, seque indemnem servandum.* 88

§. I. *Tenetur statim restituere.*

ASsertio, & Regula tota (excepto ultimo) est communissima. D. Thom. *2. 2. qu. 62. ar. 6.* Scot. *in 4. dist. 15. q. 2.* Ratio generaliter est: quia ex una parte nemo potest scienter rem alienam detinere, invito domino: atqui possessor bonæ fidei, postquam intellexit, rem esse alienam, jam detineret rem alienam invito domino, eoque ipso inciperet fieri possessor malæ fidei: ergo tenetur eam statim restituere. Sed de hoc *statim* latius infra, cum de circumstantia *Quando* restituendum. Ex altera autem parte, eo ipso, quod possessor bonæ fidei non teneatur restituere ratione injustæ acceptionis, cum nulli injuriam intulerit, ut supponitur, sed solum ratione rei alienæ acceptæ, & possessæ non tenetur plus restituere, quam de facto possideat, sive in ipsa re, sive in aliquo ejus effectu, ut sunt fructus rei, & emolumenta inde percepta, seu id, quo inde factus est ditior, ut mox particulariter declarabitur. Idque totum intelligendum, nisi ille jam antea legitimo præscriptionis beneficio (de quo alibi forte) dominium rei, aut fructuum sibi comparaverit. Ubi obiter notandum fieri posse, quod bonæ fidei possessor dominium fructuum, præscriptione, seu usucapione sibi acquisierit, at nondum dominium rei fructiferæ, utpote prædii, seu fundi, ex quo fructus percepti sunt. Quia ad præscriptionem fructuum, frumenti &c. tanquam rerum mobilium sufficit triennii spatium: ad præscriptionem autem prædii, seu fundi, tamquam rei immobilis, longum tempus requiritur, nimirum decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Hinc ergo fit, ut sæpe tenearis restituere prædium v.g. quia pro illo non est elapsum tempus præscriptionis debitum; non autem omnes fructus, etiamsi extantes, vel in quo inde ditior factus es, sed solum illos, pro quibus triennium præscriptionis nondum elapsum est, v. g. possedisti bona fide hactenus prædium per sexennium, idque tibi evincitur, restitue ergo prædium, & fructus infra triennium proximum nondum elapsum perceptos extantes; vel si consumpti sint, quantum ex his ditior factus es, prætereaque nihil. 89

§. II. *Postquam certe intellexit rem esse alienam.*

QUamdiu enim possessor bonæ fidei certo credit, vel saltem probabiliter sibi persuadet, rem esse suam, vel ad se jure pertinere, ipsa ea bona fides, & probabilis ignorantia eum a restitutione excusat, ac primo tempore legitimo præscriptionis capacem reddit. At postquam certo scit, rem esse alienam, per rationes omnino convincentes, nisi eam, quampri- 90

primum commode potest, statim restituat, aut restituere proponat, eo ipso incipit esse possessor malæ fidei, & injustus detentor (ut jam supra indicatum) & deinceps, ut talis restituere tenebitur. At quid si possessor bonæ fidei incipiat dubitare, sitne res sua, vel aliena? Conformiter ad dicta alibi *de conscientia dubia* breviter sic resolvendum.

91 I. Si quidem possessor bonæ fidei incipiat dubitare solum per leves rationes, vel conjecturas, non tenetur examinare veritatem, sed tuto pergit possidere, usurpare &c. quia nemo tenetur inquisitionem contra se ipsum instituere ex levibus rationibus: sicut enim ipse Superior non tenetur, & forte non potest, ex levibus conjecturis moveri ad inquirendum contra te; sic multo minus nec tu contra te ipsum. Perge ergo in possessione tua.

92 II. Quod si vero incipiat dubitare ob graves, & probabiles rationes occurrentes, omnino tenebitur inquirere, & examinare veritatem, adhibita diligentia humana morali ordinaria (ad extraordinariam enim vi legis nemo ordinarie obligatur) eaque majori, vel minori, prout res possessa incipiens esse dubia, majoris, vel minoris momenti fuerit. *Omnes*. Ratio: Quia quando rationes graves, & probabiles contra te apparent, prudenter timere debes, ne tua possessio vincatur a certitudine contraria, forte inquirenti apparitura, & alioquin, si orto tali dubio, omittas inquirere veritatem, & rem pro tua detinere pergis, eo ipso peccas contra justitiam, exponens te periculo injustitiæ detinendi rem alienam: adeoque injuste alterum verum dominum privas spe recuperandi rem suam, quam haberet, si tu, facta inquisitione, agnosceres rem esse ipsius. Denique eo ipso incipis esse possessor malæ fidei, atque ut talis deinceps domino postea comparituro restituere teneberis, omnium consensu.

93 III. Facta ejusmodi morali inquisitione veritatis, possessor tenetur interea rem conservare, non consumendo, vel alienando, quamdiu spes est attingendi veritatem, judicio prudentis: & siquidem veritatem non attingere possit, sed dubium æque perseveret, jam licite, & juste rem retinebit tamquam suam, juxta notissimas, & receptissimas Regulas utriusque Juris. *In dubio, seu in pari causa, melior est conditio possidentis*. Regula 170. *ff. de Regula Juris*, & Regulas 65. *in 6.* & Ratio est: Quia possessio bona fide cœpta prævalet contra omnes rationes probabiles non convincentes: neque talis ullam committit injustitiam, injustitia enim necessario importat inæqualitatem juris inter utramque partem, atqui in dubio illo possessor hactenus bonæ fidei nullam constituit inæqualitatem in altera parte; nam quoad proprietatem rei dubiæ quidem, ipse habet æquale jus cum altera parte, stante tali dubio: quoad possessionem vero ipse habet majus jus, quam altera pars: ipse enim certus est de jure suo possidente, quippe bona fide inchoato, & ideo dicitur ejus potior, vel melior conditio, seu causa, ergo manendo in suo jure possessionis, remque detinendo, nullam committit inæqualitatem, vel injustitiam quousque de vera rei proprietate constare possit. Ita communissima Theologorum, & Juristarum. *Mol.* aliisque congestis Sanch. *lib.* 1. *Moral. cap.* 10. *num.* 9. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 3. *num.* 21. Lug. *disp.* 17. *Sect.* 4. Qui recte addunt, etiamsi bonæ fidei possessor probabilius judicet speculative, rem ad alterum pertinere, quamdiu moralem certitudinem non habet, ad nullam obligari restitutionem, non enim tenetur aliquis se ipsum jure possessionis suæ spoliare ante omnem Judicis sententiam, nisi constet, rem ad alterum pertinere, cum, ut dictum est, possessio certa prævaleat rationibus in oppositum non convincentibus, sed solum quantumvis probabilibus. Consentit etiam *D. August. lib. de Fide, & operibus c.* 7. dicens: *Bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum*. Quamdiu autem moraliter non constat veritas, recte dicitur, quod possessor *ignoret* se possidere alienum. Licet porro possessor tunc retinendo rem, ageret cum conscientia dubia speculative, non se resolvendo scilicet, sitne res revera sua, nec ne; non tamen agit cum conscientia dubia practice, quia stante, & non obstante illo dubio speculativo, an res sit sua, necne, aliunde ex alio principio, quod nimirum in tali dubio melior sit conditio possidentis, practice se resolvit judicio mortaliter certo, licere sibi hic, & nunc talem rem, ut suam retinere, & usurpare. Et hinc

94 Sequitur, quod si quis alius talem rem dubiam ab altero bona fide possessam æque dubitet, vel probabiliter putet esse suam, injuriam isti inferat, si invito auferat, & ablatam restituere teneatur. Quia nimirum melior conditio possidentis bona fide: & alter licet habeat jus aliquod proprietatis ad illam rem, nullum tamen habet jus possessionis: ideoque injuste spoliat illum possessione sua. Attamen hoc casu, utroque dubitante, & probabiliter putante, rem esse suam, dividendam esse rem pro rata dubii, sane probabilissime, & tutissime docent Lugo *t.* 1. *de just. dis.* 18. *Sect.* 1. *n.* 4. Tamb. *lib.* 1. *de conscientia c.* 3. §. 7. *verbo. Restitutio n.* 6.

95 IV. Ulterius talis non solum licite retinet rem dubiam, sed etiam licite usurpat, consumit, alienat. Et Communior DD. apud *cit. Molin. Sanch. Laym. Lugo*, & alios passim. Ratio est: Quia eo casu tanquam possessori bonæ fidei, & domino præsumpto conceditur justa possessio rei, donec dominus appareat intra tempus præsumptionis: atque frustra concederetur ei justa possessio, nisi concederetur ei simul usus, & alienatio; præsertim cum nulla sit ratio cogens ad perpetuo servandam rem penes te, & abstinendum ab ejus usu; & multæ sint res, quæ ipso non usu absumuntur, vel corrumpuntur: ergo ille licite talem rem usurpat, consumit, alienat, donec compareat dominus. Et si dominus rei compareat, tenebitur ei solum restituere, ut possessor bonæ fidei, scilicet ipsam rem extantem, vel si absumpta sit, quantum inde factus est ditior, v. g. Si dono acceptum vendidit, vel emptum viliori, vel cariori pretio vendidit &c. tenebitur restituere pretium, vel excessum pretii, ut jam supra indicatum est.

§. Advertendum autem: si possessor rem ita dubiam alteri vendat, tenetur ex justitia emptorem monere de illo dubio, sibi nimirum omnino certum non esse, rem esse suam vel alienam, adeoque subesse periculum evictionis. 96
Quia generaliter venditor debet aperire emptori vitium mercis, ratione cujus minus valeat; & emptor vel non emeret, vel non tanti emeret, si sciret: atqui in proposito res incerta, num sit aliena, vel furtiva, habet magnum vitium ratione cujus merito multo minus valeat, quam res certa venditoris, & ratione cujus emptor magnum posset damnum incurrere, si res a domino comparente evinceatur; ideoque ille vel non emeret, vel non tanti emeret: ergo ex justitia tenetur hoc ei aperire: alioquin exponeret emptorem periculo damni, quod ei tenebitur compensare, si res a domino comparente evinceretur: prout latius docetur *in materia de contractibus, ubi de emptione*.

Ex dictis sequitur, eum qui etiam bene intelligit rem talem dubiam ab alio sic bona fide possideri, licite posse eam emere, eadem ratione, qua ille licite potest eam vendere, vel absumere. 97

§. III. *Ipsam rem adhuc extantem in toto, vel in parte.*

Ratio cum exceptionibus generatim jam *supra Assertione* 2. §. 2. est: Quia res ubicunque est, sui domini est: unde dominus ubicunque eam invenerit, potest eam sibi vindicare, nihil obstante quantacunque bona fide alterius. Nihil ergo tenetur restituere possessor bonæ fidei, si res bona fide ita tota absumpta sit, ut nihil omnino remaneat, in quo ipse factus est ditior: quomodocunque etiam cum gravi sua culpa absumpserit, perdiderit, destruxerit, prodegerit, v. gr. ludo immodico, luxu, dummodo durante bona fide. Ita contra *Navar. & Sotum* communissima DD. cum Molina *disp.* 720. *num.* 5. Ratio est: Quia, cum sine culpa contra justitiam fuerit absumpta, non est caput, unde oriatur obligatio restitutionis. Etenim nulla culpa etiam gravissima obligat ad restitutionem, nisi sit contra justitiam, ut constat ex dictis Assertione 2. §. 2. Sed bonæ fidei possessor per ignorantiam inculpabilem credens rem esse suam, eam quomodocunque absumendo, non peccat contra justitiam, nec formaliter ulli infert injuriam, quia non ut alienam, sed ut suam absumit, esto peccaret contra aliam virtutem, castitatem, temperantiam &c. ergo non tenetur ad restitutionem: quippe non ratione injustæ acceptionis, ut supponitur, nec ratione rei acceptæ, cum illa amplius non extet, nec ex illa in aliquo ditior factus supponatur. 98

Quod si tamen quis nondum omnino certus rem esse suam, v. g. inventam pecuniam domino carere, vel pro derelicta haberi, adeoque adhuc obligatus veritatem inquirere, rem tunc positive destruat, absumat, alienet, peccat contra justitiam, injustum damnum domino inferendo, & postea comparenti domino resarciendum. Si vero solum negative negligat, amittat, & perire, vel ab alio auferri sinat, peccat solum contra charitatem, non justitiam, nec consequenter restituere tenebitur. Ratio hujus est: Quia nemo censetur causa damni alieni, non impediendo, cum possit, nisi illud impedire ex justitia obligatus sit, ut infra videbitur: atqui inventor in hoc casu non obligatur ex justitia ad illam rem custodiendam, quippe neque ex pacto, neque ex delicto, ut supponimus: ergo &c. 99

§. IV. *Aut quantum inde ditior factus est.*

Quando nimirum res aliena a possessore bonæ fidei non ita in totum absumpta est, quin remaneat aliquid, in quo is factus sit locupletior, quamprimum is advertit illud sibi per se provenisse ex re aliena (non autem per accidens ex sola sua industria, uti est lucrum ex pecunia aliena) debet id restituere domino agnito illius rei absumptæ. *Omnes*. Habetur exprese *L. Item veniunt*, §. *Præter hæc ff. de* 100

ff. de petitione hæreditatis. Ubi dicitur: *Eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea refecti essent, condemnandos*. Scilicet ad restitutionem. Ubi Glossa ait: *Hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in jure: ut bonæ fidei possessor ad id tantum, quod ad se provenerit, teneatur*. Ratio patet ex dictis: Quia id, quo quis ex re aliena ditior factus est (detracta sua industria) est effectus, & quasi fructus rei alienæ, & succedit in patrimonio ipsi rei alienæ, quia ut dicitur *L. 72. ff. de legatis*. *Non absumitur, quod in corpore patrimonii retinetur*: ergo sicut rem, vel partem rei ipsius alienæ, si extaret, deberes reddere, ita & illud loco rei absumptæ teneberis restituere. Adde, non esse æquum quempiam divitem fieri ex alieno. Jam res difficilis graviter explicanda est.

101 Cognoscitur autem aliquis ex re aliena ditior factus esse, si ab instanti, quo cognoscens rem a se possessam esse alienam, præter rem alienam, inveniat inter bona sua aliquid plus, quam habiturus esset, si illa re aliena caruisset: ut si ex domo aliena aliis locata pretium accepit, aut si ipse inhabitans, aliorum pretium dare debuisset, &c. tunc enim illo excessu censetur ex alieno ditior factus, illudque una cum re aliena restituere tenebitur (nisi esset fructus solius industriæ.) Similiter ex re aliena absumpta dicetur quis fieri locupletior, si occasione illius rei consumptæ suum patrimonium in aliquo est auctum vel aliquid lucratus est, quod alioquin non haberet, illud autem quantum fuerit, aut ejus valorem, tenebitur loco rei alienæ bona fide absumptæ domino comparenti restituere. Quod si vero occasione illius rei alienæ patrimonium suum in nullo auctum est, non dicetur inde factus locupletior, & re ipsa bona fide absumpta nihil tenebitur restituere, ut jam dictum est. Exempla, & casus ad duo capita, & velut Regulas reduci possunt quoad *alienationem*, & quoad *absumptionem*.

REGULA PRIOR.

Quoad alienationem.

102 QUi rem alienam bona fide alienavit, eadem ratione sicut accepit, & alias nihil expensurus, nihil debet restituere, cum in nullo sit ditior factus. Secus si alienavit diversa ratione lucrativa, tunc enim lucrum acceptum, quippe quo ditior factus est, restituere tenebitur. *Hinc resolves*.

103 I. Qui rem alienam etiam furtivam, bona fide dono accepit, rursusque bona fide donavit alteris aut eidem donatori in gratitudinem retro donavit aliud æquivalens, alioquin nihil donaturus de proprio, nihil restituere tenetur; quia in nullo factus est ditior. At vero, si alioquin aliud æquale vel minus donaturus fuisset amico v. g. quod, re aliena data, sibi reservavit, jam illud æquale, vel minus restituere tenebitur domino comparenti, quia illo factus est ditior. At, quid si donaturus fuisses aliquid majus, v. g. centum aureos in tritico, sed quia dedisti quinquaginta alienos in furtivo, totum triticum tibi reservasti? §. Veritate cognita solum quinquaginta debebis restituere domino: iis enim solis ratione alienæ pecuniæ donatæ, tibi reservatis, per se factus es ditior: alios vero quinquaginta reservasti solum per accidens ratione alienæ pecuniæ, ideoque tui sunt, non alieni.

104 II. Qui rem alienam dono accepit, & bona fide vendit, tenetur domino, comparenti totum pretium restituere, quia eo factus est ditior. Quod si tamen interea dominus rem suam recuperavit ab ipso emptore (prout potest jure evictionis, cum res semper sit sua) certum est, te debere ipsi emptori tuo totum pretium suum reddere, ne tu ex re aliena cum damno proximi fias ditior. At nunquid tenebor etiam domino semper totum pretium restituere, an sufficiet restituere partem, vel aliquanto minus? Respond. *cum distinctione*. Siquidem rem alienam dono acceptam bona fide vendidisti communi, medio, vel infimo pretio justo, totum hoc certe restituere debes; quia hoc succedit loco rei domino debitæ. At vero si vendidisti pretio summo, vel majori extraordinario, siquidem excessus illius pretii sit ex sola industria, labore &c. (ut mox iterum in casu sequenti) excessum totum tibi reservare poteris tanquam fructum solius industriæ tuæ.

105 Secus est, si excessus ille pretii provenisset ex parte illius rei alienæ, vel alia circumstantia, ut si equus alienus tibi donatus interea crevit, aut quia supervenit penuria equorum &c. tunc enim debebis totum pretium, quantumcumque fuerit, restituere, quia eo toto, ex re aliena factus es ditior: nam res semper est domini, & domino suo valet, quanti valet. Excipit probabiliter Molina *tr.* 4. *disp.* 7. *nu.* 10. Nisi dominus minori, v. gr. medio pretio facile possit sibi æqualem rem emere v. g. equum æque bonum: tunc te satisfacere reddendo pretium medium, excessumque posse tibi reservare. Ratio est: quia sufficit domino reddi ad æqualitatem: reddis autem ad æqualitatem, si reddas tantum pretium, quo possit sibi æqualem rem emere, ergo excessus pretii tuus est. Sicut, si dominus ipsam rem suam recuperasset ab emptore tuo, certe illum excessum pretii non teneris ipsi restituere, cum recepta re sua, jam sit ei satisfactum, sed potius emptori: ergo nec in proposito teneberis ei reddere excessum illum, cum etiam sic sit ei satisfactum ad æqualitatem. Non possum negare probabilitatem, sed de veritate dubito; cum sic ditescas ex verissime re aliena, ideoque a communi sententia non puto recedendum.

III. Qui rem alienam bona fide emptam rursus bona fide 106
vendidit eodem pretio, nihil restituit ipsi domino rei: quia in nullo fit ditior. Secus, si eodem loco, statim majori pretio vendidit, tunc incrementum pretii ex re aliena per se consecutum domino rei restituere teneberis: quia ex re aliena factus es locupletior: nisi placeat iterum exceptio *Molinæ* supra posita. Quod si vero rem illam non in eodem loco vendidisti, sed in alio loco distanti, aut post longum tempus asservatam non sine notabili industria, labore, expensis &c. rursus nihil restitues de excessu, quia tunc augmentum pretii, quo ditior fis, non est fructus rei, sed industriæ tuæ.

Dixi tamen iterum, te nihil debere restituere domino 107
rei. Nam si dominus ipse rem suam apud emptorem evincat, ac sibi recuperet, sicque emptor privetur re a te sibi vendita, teneberis ipsi restituere suum pretium, etiamsi jam absumpseris, perdideris &c. ut contra *Navarrum* habet communis *DD. in materia de contractu emptionis*. Ratio hujus restitutionis non sumitur ex radice injustæ acceptionis, neque ex ratione rei acceptæ, sed ex radice contractus, quo tu rem alteri vendidisti, nam in contractu venditionis implicite semper includitur, quod venditor indemnem servare debeat emptorem, quoad rem venditam, & præstare, quod res sit vendibilis, isque dominium rei possit transferre in emptorem: ergo sicut si bona fide vendidisti vitrum coloratum pro gemma pretiosa, cognito errore, debes rescindere contractum, & restituere pretium, ut indemnem serves emptorem: ita si quantumvis bona fide rem alienam, seu furtivam, adeoque invendibilem, mercem omnium maxime in jure vitiosam, alteri vendidisti, ut eum postea evictum serves indemnem, ex vi venditionis a te factæ obligaris eidem pretium restituere. Et licet vicissim tu ob eamdem rationem indemnitatis, habeas actionem contra venditorem priorem, a quo rem illam alienam, v. g. equum furtivum emisti ut possis ab eodem etiam tuum pretium repetere, non potes tamen ad eumdem remittere tuum emptorem, eique tuam adversus illum actionem cedere (ut voluit Navarr.) cum tuus venditor cum tuo emptore nullum inierit contractum, sed tecum tantum: ideoque tu ipse tantum personaliter manes emptori tuo obligatus de evictione, & indemnitate servanda.

IV. Quartus modus esset, si rem alienam bona fide emptam 108
alteri donasti. Sed eo casu te ad nihil teneri cæci vident.

REGULA ALTERA.

Quoad consumptionem.

QUi rem alienam titulo gratuito acquisitam bona fide 109
consumpsit ad usus ordinarios, quos alias ex propriis expensis facere debuisset, tenetur restituere pro quantitate expensarum, quas ipse fecisset: quia tunc parcendo propriis expensis, factus est locupletior. Secus si consumpsit ad usum aliquem extraordinarium, quem alias ex propriis bonis suis non fecisset, si rem, vel pecuniam illam alienam non habuisset: utpote ad extraordinarium convivium, donationem, eleemosynam &c. tunc enim in nullo factus est locupletior.

Præter exempla, & casus obvios pono aliquot particulares.

I. Qui invitatus ad cœnam furtivam, cibaria, & vina 110
pretiosa bona fide absumpsit, re postea intellecta, tenetur domino solvere in defectum furis, non integram æstimationem convivii, vel cœnæ, bona fide a se absumptæ, sed solum tantum, quantum domi in cœnam propriam insumpsisset: eo enim solo, occasione furtivæ cœnæ, in proprio patrimonio reservato factus est ditior. Navarrus *cap.* 17. *Manual. num.* 9. Molin. *disp.* 71. 9. Sanch. *cit. cap.* 23. *num.* 34. Laym. *lib.* 3. *tr.* 2. *cap.* 3. *num.* 1. At, quid si talis domi plus consumpsisset, quam consumpsit in cœna aliena furtiva? Non tenebitur plus restituere, quam de facto consumpsit: Quia illud solum ex justitia restituendum est, quo quis ita factus est ditior, ut dominus rei fiat pauperior: in proposito autem per te solum tanto dominus rei factus est pauperior, quantum tu de facto absumpsisti, non autem eo, quod plus domi absumpsisses: ergo.

Scio Cardinalem de Lugo *disp.* 19. *sect.* 1. *num.* 11. hunc 111
talem

talem convivam omnino liberare a restitutione (quemadmodum & alibi a peccato proprietatis liberat Religiosum, qui sine licentia Superioris invitatus ad convivium comedit, & bibit pretiosa) eo quod talis comedat, & bibat tanquam minister, & velut instrumentum invitantis, sicque cibos, ejus invitatu, sine culpa destruat, & non tanquam suos acceptet: sicut, si jussu Petri, quem dominum putas, gemmam alienam projiceres in lacum &c. Subtilis speculatio.

112 Verum practice, nec mihi, nec aliis placere potest: Nam practice invitatus non utitur speculationibus, nec intendit comedere, & bibere ut merum instrumentum invitantis, sed more humano cibum, & potum acceptat, comedit, & bibit; adeoque moraliter vere accipit, consequenter tenebitur ad restitutionem ex re accepta. Non sic est de gemma prædicta; non enim acceptas gemmam pro te, nec tuam projicis (certe stultus esses) sed mere ut alienam, cumque sic bona fide destruas, ut merum alterius domini putati instrumentum, merito a restitutione liberaris.

113 II. Qui vestem holosericam valentem aureis viginti a fure dono acceptam bona fide attrivit, usque ad dimidium valorem v. gr. decem aureos, postea domino comparenti, tenetur restituere ipsam vestem attritam, & pretium usus, non totius attritionis, utpote decem aureos, sed quantum alias veste propria consumpsisset, nisi veste illa aliena usus fuisset, v. gr. tres, vel quatuor aureos: in hoc enim solo factus est locupletior. Quod si vero talem non dono accepit, sed pretio emit, præter vestem ipsam attritam nihil omnino restituit, quia in nullo factus est ditior.

114 III. Eadem ratione milites, qui in bello injusto bona fide militantes, prædas egerunt, damna intulerunt, postea intellecta injustitia belli, non tenentur restituere pro rapinis, & damnis illatis, nisi quatenus inde se locupletiores factos esse agnoscunt. *Ut contra Sylv.* docet communis *DD. Sanch. Laym. Lugo cit.* Similiter, qui bona fide, seu per ignorantiam inculpabilem contractum celebravit, quem postea usurarium esse intelligit, non tenebitur plus restituere, quam se ditiorem factum, & patrimonium suum auctum esse animadvertit: qui enim bona fide egit, non tenetur ex injusta acceptione, sed solum ex re accepta, quantum scilicet superest in re, vel emolumento percepto.

115 IV. Insuper etiamsi qui rem bona fide acceptam, & detentam, postea intelligat esse alienam, seu injuste materialiter acquisitam, sed per ignorantiam inculpabilem non advertens obligationem restituendi, ideo rem consumit, (casus frequens inter simplices) simpliciter non amplius restituere tenebitur, quam exinde patrimonium suum auctum reperit, ut ex communi notat Laym. *cit. in fine*. Denique quocumque eventu bona fide rem alienans, vel absumens, si dubius sit, an ex re aliena factus fuerit ditior, nec ne, ad nihil obligatur: Quia tunc melior conditio est possidentis, *juxta dicta* §. 1.

§. V. *Etiam fructus rei extantes naturales, ac mixtos.*

116 Ratio generalis dicta est *Assertione* 2. Quia nimirum fructus sunt partus, & quasi partes rei: nam propterea dicitur, quod res, ubicumque est, domino fructificet: tota autem res domino debetur; ergo & fructus. Ex alia autem parte æquum est, ut expensæ, labor, & industria in iis faciendis adhibita bona fide, cedant in utilitatem ea præstantis, quemadmodum generatim dictum, & probatum est.

117 Dico autem, *Fructus extantes tantum*. Quod si ergo bona fide durante absumpsisti, vel quomodocumque perdidisti, ad nihil teneberis ratione absumptionis, nisi similiter, quantum inde factus es ditior, juxta modos prædictos, ut contra Juristas aliquos, & Glossas Juris docet communis Theologorum sententia, *Angelus*, *Sylvest. Rodriquez*, *Toletus*, *Valentia*, aliisque citatis Molina *cit. disp.* 719. Lessius *lib.* 2. *c.* 14. *dub.* 2. Laym. *cit. cap.* 3. *num.* 5. Ratio est, quia in foro conscientiæ saltem eadem omnino est ratio, sive quis ditior fiat ex ipsa re aliena, sive ex fructibus alienis: nimirum: Quia *locupletari non debet aliquis cum alterius jactura*, Regula 48. *in 6.* Et naturaliter æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem: ergo si ditior ex re aliena tenetur restituere emolumentum, cur non similiter restituere teneatur ditior factus ex fructibus alienis, cum & ipsi aliquæ res sint, & maxime etiam augere possint patrimonium possessoris cum jactura, & detrimento veri domini? Idque etiam pro foro externo jure civili optime ostendunt Molin. *Lessius*, *Laym. ll. cc.*

§. VI. *Detractis tamen expensis, & æstimatione laboris, ac industriæ.*

Remissive. De hoc simul, & de differentiis quibusdam inter possessorem bonæ, & malæ fidei, quoad hanc detractionem sufficienter diximus *Assertione* 2. §. 8. *per totum*. Nec aliquid speciale addendum occurrit.

§. VII. *Idque ipsi domino rei, etiam non repetenti, per se loquendo.*

Possessor bonæ fidei, postquam intellexit rem esse alienam, dominumque rescivit, tenetur eam restituere ipsi domino, sive repetenti, sive non repetenti ob ignorantiam, vel aliam causam, quæ non denotet implicitam remissionem. *Omnes*. Ratio clara est: scis enim rem esse alienam, & cujus sit: ergo jam urget te præceptum restitutionis. Et quidem teneris restituere domino, etiam nullo persoluto pretio, quod pro ea re aliena emenda dedisti: cum res ipsius antea sit, ideoque non de novo a te emenda: & tuo infortunio imputare debes, quod res aliena apud te inveniatur, & pretium datum amittere debeas. Excipiunt omnes casum, quo quis modico pretio emisset rem alienam eo ipso animo, ut reddat eam domino comparituro, quem videt alias rem suam non, aut vix recuperaturum: tunc enim emptor censebitur utiliter gessisse negotium domini, qui proinde in utroque foro cogetur illud modicum pretium pro re sua expensum emptori solvere: ut plurimis cit. docent Molina *disp.* 721. *num.* 2. Lugo & *alii cit.* 118

Sed quæstio difficilis, & controversa est, utrum possessor bonæ fidei semper teneatur restituere rem ipsi domino, ut non possit restituere illi, a quo accepit, ad recuperandum pretium suum, & se indemnem servandum. 119

Conveniunt omnes. 1. Quando possessor bonæ fidei rem alienam habuit titulo gratuito, seu sine pretio, re cognita, semper tenebitur restituere ipsi domino, & non furi, v. gr. tenetur enim tunc ex re accepta restituere utique illi, cujus est: atqui est veri domini, & non furis: ergo illi restituenda est, & non furi, nisi moraliter certo scires ipsum furem pœnitentem restituturum: tunc enim restituendo furi, adhuc restitueres *mediate* domino vero, sicut si per famulum, vel amicum fidelem reddendam mitteres. 2. Quod si possessor bonæ fidei rem accepit titulo oneroso pro pretio, isque pretium datum a fure facile recuperare possit privata petitione, occulta compensatione, implorata judicis sententia &c. Iterum certum est, rem *immediate* restituendam domino vero comparenti, & non licere, rescisso contractu, reddere rem furi. Quia eo casu nulla erit justa excusatio, cur domino non restituas. Et insuper palam injustum est, reddere te indemnem cum damno proximi, cum tamen tibi aliter facile prospicere possis, ut hic supponimus. 3. Quod si e contra possessor bonæ fidei pretium suum a fure non facile, vel omnino non recuperaturus esset: e contra vero domino rei nullum periculum immineat recuperandi rem suam, omnes concedunt, licite te posse, rescisso contractu, reddere rem furi ad recuperandum pretium tuum: Quia eo casu dominus esset irrationabiliter invitus, quod absque suo damno, & periculo, tu, quod tuum est, recuperares. 4. Quando denique & possessori bonæ fidei imminet certum periculum amittendi pretium suum, si rem restituat ipsi vero domino; & e contra vero domino instet periculum amittendi rem suam, si alter, rescisso contractu, reddat rem furi;

Jam res controversa est inter Doctores. Communior Sententia DD. est, rem ipsi domino adhuc restituendam esse, nec posse reddi furi, seu alteri possessori malæ fidei. *Sic Cajetanus*, *Major*, *Medina*, *Sotus*, *Armilla*, *Ledesma*, *Tabiena*, aliisque plurimis cit. Molina *disp.* 722. Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 3. *num.* 24. 120

Ratio multiplex est, & satis bona. *Prima*: Dominus rationabiliter est invitus, quod rem suam non sibi, sed furi restituat, cum suo periculo, & damno: ergo emptor facit ipsi injuriam, & insuper dat furi occasionem rem alienam ulterius detinendi. *Secunda*: Si dominus rei præsens rem repetat, teneberis ei immediate dare: insuper si te possessorem coram Judice conveniat, Judex potest, & debet te per legitimam sententiam compellere, ut rem immediate restituas domino vero: atqui per hoc, quod non petat ob ignorantiam facti, non amittit jus suum ad suam rem, ergo etiamsi non petat, ei sua res immediate restituenda est. *Tertia*: Si fur amplius non compareat, vel mortuus sit, utique tenebitur emptor bonæ fidei rem domino immediate restituere, etiam cum jactura pretii sui, nec potest eam alteri vendere ad recuperandum suum pretium, secundum omnes: ergo etiam tenetur, quando fur adest, vel haberi potest. *Quarta*: Rem alienam in statu meliori repertam in pejorem statum reducens, facit injuriam domino, cum melior status rei pertineat ad utilitatem domini: sed res furtiva apud possessorem bonæ fidei est in meliori statu, quam in manu furis, ideoque ille scienter reddens furi rem e statu meliori deducit in pejorem; ergo facit injuriam domino rei. Denique non potest debitor rem, gladium v. g. restituere etiam vero domino, si sciat dominum illo abusurum, v. g. ad injuste occidendum: ergo minus in proposito emptor poterit rem furi restituere: quia certo scit illum abusurum, non reddendo rem domino, sed rursus deti-

detinendo, alienando &c. Sed his non obstantibus, constanter dicimus:

§. VIII. *Probabile est, rem furtivam posse reddi furi ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum.*

121 ITA plurimi æque graves Doctores, Navarr. *c.* 17. *num.* 9. *Angelus*, *Sylvester*, *Sayrus*, *P. Navar. Vasq. Turrian. Dicastillus*, aliisque plurimis cit. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 3. Lugo *t.* 1. *de justit. disp.* 17. *sect.* 2. Diana *par.* 1. *de Contractibus resol.* 69. Tab. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 3. §. 2. Et probabilem censet ipse Laym. *loc. cit. versu*, *Dico* 3. Ratio efficax sumitur ab exemplis.

122 1. Si quis in platea inventam pecuniam tollens, postea adverteret eam sibi fore damnosam, si reservet, utique poterit eam licite reponere in eodem loco, quo invenit, nec tenetur eam cum suo periculo reservare, ut domino reddatur; esto interim ab alio auferatur, domino nunquam reddenda. 2. Quinimo, si quis equum furtivum e stabulo furis animo furandi extractum, postea tamen adverteret eum sibi damnosum, potest eum dimittere etiam directe ad furem reversurum, & forte domino nunquam restituendum. 3. Si auferam a fure librum, vel vestem Petri, ut eam Petro reddam, fur autem a me auferat pallium, vel aliquid aliud æquivalens, nec velit mihi reddere, nisi reddam ipsi librum, vel vestem, possum ipsi relinquere librum, ut meum pallium v. g. recipiam. 4. Si hominem manibus elatum ex incendio, vel fluvio velim eripere, alius autem mihi necem intendat, nisi dimittam, possum ipsum dimittere, etsi certo moriturum: ergo similiter in proposito, possessor bonæ fidei potest rem furtivam reddere, & relinquere furi, aliter nolenti mihi pretium meum restituere, neque teneor cum tanto meo incommodo rem reddere immediate domino.

Ratio autem omnium a priori est: Quia neque justitia obligat me, ut cum æquali, vel majori meo incommodo promoveam bonum, & evitem damnum proximi, sed tunc sufficit, ut reponam, & relinquam rem proximi in eodem statu, in quo antea erat, prout fit in casibus allegatis. Sicque etiam in nostro casu, restituens rem alienam furi, ut meum pretium recuperem, alias certe amittendum, relinquo rem proximo in eodem statu, in quo erat ante, quando eam accepi: ergo licite, & juste sic reddo, nec teneor immediate restituere domino, cum, ut minimum, æquali meo damno: nam facile posset contingere, ut ultra damnum pretii amittendi, deberem subire aliud grave periculum actionis furti mihi intentandæ, si sufficienter non possem probare, me rem ab alio emisse: Quæ autem lex justitiæ me obligat, ut (saltem secluso delicto, vel contractu) duplex periculum, & damnum subeam ad tollendum simplex periculum, & damnum alterius? Ratio, & probabilitas nostræ sententiæ clarius patebit ex solutione rationum sententiæ oppositæ.

123 ¶ Insuper idipsum etiam licere possessori malæ fidei: ut si etiam mala fide sciens rem furtivam emisti a fure, & pretium alia via recuperare nequeas, adhuc licite te posse reddere furi, ut is tibi tuum pretium reddat, nec teneri restituere domino (contra plures quidem, ac ipsum *Lessium cit. dub.* 3. qui tamen probabile censet) docent gravissimi Doctores *Sylv. Angelus*, *Alensis*, *Gabriel*, aliique plures, quos citant, & sequuntur Lugo *cit. sect.* 2. *n.* 37. Diana *par.* 5. *tr.* 14. *resol.* 87. Ratio est: Quia possessor malæ fidei non tenetur immediate restituere vero domino ratione rei acceptæ, eadem omnino ratione, sicut nec possessor bonæ fidei: nec ratione injustæ acceptionis, quia sua acceptione, postquam iterum reddidit furi, non facit, quod res domini sit in deteriori statu, quam antea fuerit, sed relinquit in suo pristino statu: neque tenetur statuere in statu meliori cum gravi suo incommodo: ergo.

124 Tandem nec bonæ, nec malæ fidei emptor reddens rem furi non restituturo suo domino, censeri debet cooperari cum malitia furis, sed solum permissive se habere: Quia suum damnum utrumque sufficienter excusat a cooperatione.

125 Utroque tamen casu monent Doctores hujus Sententiæ, possessorem seu bonæ, seu malæ fidei non debere diu rem detinere, cum gravi damno domini (alioquin certum est, eos teneri compensare damnum consecutum) sed debere eos, quamprimum moraliter poterunt, rescisso contractu, rem furi reddere, ut is, si velit, quamprimum restituere possit: si nolit, ipsius malitiæ præcise deinceps imputabitur. Jam breviter respondeamus ad rationes oppositæ sententiæ.

126 *Ad primum negatur antecedens* ob rationem a nobis datam, nimirum dominum tunc esse rationabiliter invitum. Quia sicut ipse dominus ex lege Charitatis potius suo, quam meo commodo prospicere potest: ita non debet esse rationabiliter invitus, quod ego potius prospiciam meo, quam suo commodo: nec rationabiliter exigere potest, ut cum tanto meo damno ipsum servem indemnem, suam rem ipsi immediate restituendo.

Ad secundum conc. maj. dist. min. Dominus per hoc, quod rem suam non repetat, non amittit jus suum absolute: *conc. min.* Respectu possessoris bonæ fidei: *nego min.* Quia sicut dominus potest uti jure suo, rem suam semper repetendo: ita possessor bonæ fidei potest uti jure suo ad servandum se indemnem, recuperando pretium suum: atque per hoc interim impeditur jus domini, ut possessor ultra teneatur ei reddere suam rem: sed solum, non obstante damno suo, teneatur non resistere, vel impedire dominum rem suam repetentem, vel vindicantem, maxime per judicem. Unde vides non sequi bellum ex utraque parte justum per se, cum hic locus non sit defensionis, vel resistentiæ, si dominus rem suam repetat intra, vel extra judicium. Vide optime *Lugo cit. a num.* 32. 127

Ad tertium conc. anteced. & nego cons. Quia si fur non compareat, non restituetur domino mediate res sua, consequenter immediate restituenda erit domino: at vero si ipsi furi reddatur, restituitur domino mediate res sua, cum ipse fur possit, & teneatur in conscientia rem suam domino restituere: quod autem de facto non restituat, non sequitur ex mea redditione, sed ex ipsius furis malitia. 128

Ad quartum dist. maj. Qui rem alienam positive reducit in pejorem statum, quam invenerit, facit injuriam domino, *conc. maj.* Qui rem alienam solum negative relinquit, vel dimittit in eodem malo statu, quo invenit (idque ob rationabilem causam, ad servandum scilicet se indemnem ab æquali detrimento, vel periculo) facit injuriam domino, *nego maj. & consequentiam.* Hinc enim rem furtivam emptam possum reddere furi ad recuperandum meum pretium: Quia sic solum negative me habens, relinquo rem in eodem statu, quo erat, quando rem accepi. At certe, omnium consensu, non possum eam destruere, absumere, vel ad recuperandum pretium alteri vendere. Quia (præterquam, quod facerem contractum injustum, & invalidum, vendendo rem alienam, cujus dominium in alterum transferre non possum) etiam rem positive ponerem in novum pejorem statum apud alium possessorem; in quo statu eam rem ego non inveneram. Reddere autem furi, non est facere novum contractum injustum, sed est contractum injustum rescindere, quæ rescissio injusta non est, cum non tenear stare contractui cum tanto meo damno amissionis pretii. 129

Ad ultimum, negatur consequentia, & paritas. Quia debitor ille supponitur nullum pati damnum, si non reddat rem abusuro domino, v. g. gladium injuste occisuro; ideoque merito obligatur non reddere ob cavendum grave adeo damnum proximi. Alioquin secus dicendum esset. Nam si dominus gladii v. gr. te ipsum necaturus esset, nisi eum reddas occisuro alterum, numquid redderes? Utique, gravi damno proprio excusatus. Sic in proposito, ego damno gravi proprio, scilicet amissionis pretii, excusari debeo, ne tenear rem reddere ipsi domino, sicque bonum procurare. His omnibus bene ponderatis, apparet Sententia omnino probabilis, quam non semel secutus sum. 130

SECTIO IV.

Quid restituendum ex delicto formali, ratione injustæ acceptionis, a possessore malæ, vel etiam dubiæ fidei.

SUMMARIUM.

131 *Quid possessor malæ fidei restituere teneatur.* & 132.
133 *Accipiens, & retinens rem dubiam animo eam reddendi Domino forte comparenti, non peccat: & facta diligenti inquisitione incipit fieri possessor bonæ fidei, si is non compareat.*
134 *Si vero rem dubiam accipiat animo retinendi, peccat; & restituere obligatur ad integrum.*
135 *&* 136. *Si dubium sit æquale pro utraque parte, cujus res sit, quid, & cui restituendum.*
137 *Quando possessor possidet rem diverso tempore partim bona, & partim dubia fide, quid restituendum.*
138 Usque ad n. 141. *Resolvuntur duo dubia.*
141 *Possessor malæ fidei tenetur restituere ipsammet rem in individuo.*
142 *Vel si destructa, aut ita commixta sit cum propria, in æquivalenti,*
143 *Cum omni incremento intrinseco, & extrinseco,*
144 *Detractis expensis.*
145 *Incrementum intrinsecum, & extrinsecum quid.* & 146.
147 *Quando res apud possessorem malæ fidei aucta est augmento intrinseco, restitutio fieri debet secundum optimum statum, quem in manu ejus habuit.*

148 *Quan-*

148 *Quando vero aucta est augmento, seu valore extrinseco tantum, restituendus est pariter valor optimus, quo ipsi Domino valuisset.*
149 Usq; ad n. 161. *Exemplificatur clarissime variis casibus, & exemplis, præsertim de tritico v. g. per tria tempora, quibus valor modo crescit, modo minuitur.*
161 *Possessor malæ fidei tenetur restituere totum rei alienæ valorem, quomodocumque ea apud ipsum perierit, etiam mero casu, si ea apud suum Dominum similiter non periisset.*
162 *Secus, si res similiter casu fortuito, v. gr. incendio, apud Dominum periisset.*
163 Usque ad n. 166. *Limitationes.*
166 *Si res aliena periit dolo, vel culpa possessoris iniqui, tenetur is, non obstante, quod pariter apud Dominum periisset, eam compensare juxta valorem, quem apud Dominum habuit.*
167 Usq; ad n. 170. *Quid de eo, qui rem alienam destruxit, non prævidens, vel prævidens, aut probabiliter credens, eam quoque apud Dominum perituram.*
170 *Qui surripuit rem, apud Dominum etiam certissimo perituram, tenetur tamen restituere*, & 171.
172 *Resolvitur casus militis*, & 173.
174 *Possessor malæ fidei tenetur insuper restituere non solum fructus adhuc extantes, sed etiam quomodocumque consumptos.*
175 *Immo non tantum quos percepit, sed etiam quos Dominus verisimiliter percepisset; ac*
176 *Perceptos, etiamsi Dominus illos, vel tantos non percepisset:*
177 *Et hæc omnia vera sunt etiam in foro conscientiæ, sive res aliena adhuc apud iniquum possessorem existat, sive jam ad alium translata sit.*
178 Usque ad n. 180. *Resolvuntur duo dubia.*
180 *Tenetur denique possessor malæ fidei etiam compensare omne damnum emergens, & lucrum cessans Domino ex iniqua detentione rei suæ.*
181 Usque ad n. 184. *Exempla utriusque.*

ASSERTIO IV.

ET REGULA.

131 RE*stitutionis ex injusta acceptione mensura, est quantitas totius damni illati.* Hoc est. *Possessor malæ fidei, qui nimirum sciens, vel rationabiliter dubitans rem esse alienam, possidere cœpit, tenetur restituere in primis ipsam rem alienam adhuc extantem: aut si absumpta sit, vel quomodocumque perierit (nisi casu certo etiam peritura apud dominum) ejus valorem, vel æstimationem secundum se, & omne incrementum intrinsecum, & extrinsecum domino valiturum: Item omnes ejus fructus naturales, ac mixtos (detractis tamen, in foro conscientiæ tantum, expensis, & æstimatione industriæ, ac laboris.) Item omne interesse, seu omne inde damnum emergens, & lucrum cessans ex iniqua detentione, vel absentia rei suæ.* Assertio tota est communissima omnium cum S. Thom. 2. 2. q. 16. art. 6. Scoto 4. dist. 15. qu. 2. a. 4. Molina, Lessio, & aliis. Habetur expresse in Jure variis locis, *L. Bona fides ff. de acquirendo rerum dominio. L. Fructus ff. de rei vindicatione. L. Domum. C. De rei vindicatione.* Ratio clara est: Quia voluntarie violans justitiam commutativam tenetur restituere ad medium justitiæ commutativæ, scilicet ad æqualitatem arithmeticam, ut nimirum tantum reddatur, quantum ablatum est, & pars læsa in eundem omnino æqualem statum restituatur, in quo fuit, & nunc esset, si nihil omnino ablatum esset; atqui ad hoc necessario requiritur restitutio, seu compensatio omnium prædictorum, & ipsius rei ablatæ, vel ejus æstimationis, & omnium ejus fructuum, & incrementorum, & insuper omnis interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, ut manifestum est consideranti, ergo &c. Jam explico particulatim.

§. I. *Possessor malæ fidei, qui sciens, vel rationabiliter dubitans rem esse alienam, possidere cœpit.*

132 SI scivit rem esse alienam, res clara est. At, si dubitans rem esse alienam, adeoque dubia fide possidere cœpit, v. g. dono, vel empto accipiens a persona de furtis infami, vel de qua rationabiliter dubitat, an habeat dominium vel administrationem rei: aut rem inventam detinens, dubitans, aut nihil inquirens de domino, &c. Breviter sic resolvendum est.

133 I. Accipiens, & retinens ejusmodi rem dubiam cum animo, & proposito eam reddendi suo domino forte comparenti, tamquam utiliter negotium ejus gesturus, non peccat: & si facta diligenti inquisitione per tempus sufficiens, judicio prudentis, dominus non compareat, incipit fieri possessor bonæ fidei, licite retinens, absumens, alienans illam rem: & si postea primus dominus compareat, non tenetur plus restituere, quam possidet, vel ditior factus est. Communis DD. Molina *to. 3. tr. 2. disp.* 723. Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 14. q. 2. n. 19.* & alii passim. Ratio patet: Cum enim talis non peccet, nec ulla dominum rei injuria afficiat, quin potius magnum ei beneficium exhibere paret, quippe alias rem suam tam facile non recuperaturo, ad nihil tenetur ratione injustæ acceptionis, sed solum tenebitur ratione rei acceptæ, si dominus compareat ad mensuram possessoris bonæ fidei, quantum scilicet possidet, vel ditior factus est.

II. Accipiens, & detinens ejusmodi rem dubiam, animo, & proposito eam sibi retinendi, & usurpandi, &c. peccat contra justitiam, & tenetur restituere ad integrum, ratione injustæ acceptionis. *Communis DD. apud citt.* Ratio patet a fortiori: Quia si possessor bonæ fidei, seu qui bona fide possidere incipit, postea aborto dubio, sitne res sua, vel aliena, nihilominus absque inquisitione veritatis eam simpliciter retinet, usurpat, absumit, peccat contra justitiam, & deinceps ut possessor malæ fidei in integrum restituere tenetur, ut *Assertione præcedenti* §. 2. probatum est; multo magis, qui cum tali dubio possidere incœpit, peccavit contra justitiam, & simpliciter ut possessor malæ fidei in integrum restituere tenetur quoad omnia expressa in *Assertione.* Qui enim rem alienam accipit, dubitans, utrum accipiendi jus habeat, mala fide possidet, & consequenter perseverante eo dubio, possessio iniqua nihil ei suffragatur. 134

III. Quod si vero talis postea, mutata iniqua intentione sibi rem simpliciter retinendi, & assumpto proposito restituendi vero domino comparenti, adhibeat moralem diligentiam ad inquirendam veritatem, & assequi nequeat, sed nihilominus dubium perseveret, tunc tenebitur solum restituere juxta proportionem dubii remanentis, plus, vel minus: ut si dubium sit æquale pro utraque parte, restituatur dimidium: si probabilius sit rem esse alienam, restituatur plus, quam dimidium: si vero minus probabile sit, rem esse alienam, restituatur minus, quam dimidium. Sed cui? 135

Si dubitetur de aliquo particulari, an res illius sit, illi soli partialis restitutio facienda erit. Si dubitetur de pluribus cujusnam sit, & veritas sciri nequeat, res restituenda inter illos ex æquo dividatur. Si vero solum dubitetur absolute, an res sit tua, vel aliena, & nullus in particulari in dubium veniat, tunc pars proportionalis distribui debet pauperibus, vel ad pios usus applicari pro salute illius, cujus forte fuit. Ita communior DD. Mol. Sanch. *cit. n.* 21. Less. *lib. 2. c. 14. dub. 4. Laym.* (& approbat Lugo *disp. 18. sect. 1.* quando dubitatur circa aliquem, vel aliquos in particulari, an res sit illius, vel eorum: non item, quando solum dubitatur in genere, an res sit aliena, tunc enim censet rem a possidente retineri posse.) *Ratio est:* Quia talis dubitans ex una parte quidem tenetur restituere ratione injustæ acceptionis, cum enim possessio cœpta sit cum dubio, re non examinata, non potest ulli suffragari. Ex altera vero parte, cum, re postea sufficienter examinata, non constet rem esse alienam, ideoque altera pars jus certum ad illam non habeat, remanet ipsi jus suum dubium ex præsumpto titulo emptionis, inventionis, donationis, &c. consequenter non obligatur ad restituendum totum, sed solum ad partem secundum prædictam dubii proportionem, quam partem proportionalem, quia ex injusta acceptione habetur, vero domino non comparente, tenebitur præstare pauperibus, vel ad pios usus, in communiori, & tutiori Sententia. Licet quoad hoc probabiliter sentiat oppositum *Lugo cit.* Eo quod lex illa pœnalis de debitis ex delicto certo non videatur extendenda ad ejusmodi dubium, & nos alibi consentiemus. 136

IV. Quando denique possessor possidet rem diverso tempore, partim bona, partim dubia fide: siquidem comparente Domino vero, res, ac fructus adhuc existant, semper restituenda sunt: si vero non amplius existant, attendendum est, non tempus acceptionis rei, vel perceptionis fructuum, sed tempus consumptionis; ita ut sive bonæ, sive malæ fidei fueris, quando accepisti rem, vel fructus rei percepisti, si tamen bonæ fidei fuisti, quando rem, vel fructus absumpsisti, nihil teneberis restituere. Non enim ratione rei acceptæ, quæ non amplius existit; nec ratione injustæ acceptionis, quia etiamsi tempore acceptionis fuisses malæ fidei, & injuste accepisses, illa tamen mala fides correcta est per subsequentem bonam fidem, qua consumpsisti. Si vero malæ fidei fuisti, quando consumpsisti rem, vel fructus rei alienæ, domino teneberis eorum æstimationem præstare, sicut alius possessor malæ fidei, non obstante, & nihil opitulante priori bona fide, quippe quæ per subsequentem malam fidem corrupta, & extincta fuit. Ita cum *Molina, Sanchez, & aliis*, rectius resolvit Lugo *disp. 17. sect. 3. n. 68.* citans, & explicans bene alios, qui videntur oppositum sentire. *Ratio autem est:* Quia tunc mala fide durante consumens injuste te geris contra dominum, vereque peccas contra justitiam: ergo ex vi illius culpabilis consumptionis contra jus alterius, contrahis obligationem restitutio- 137

tutionis. Quod si contingat casus, ut post illam malæ fidei consumptionem, rursus superveniat bona fides, ac certitudo, rem illam, vel fructus fuisse revera tuos, quos mala fide absumpsisti, putans, vel dubitans esse alienos, jam utique non obligaberis restituere: quia consumptio illa non fuit reipsa, & materialiter injusta, sed per accidens, & formaliter tantum ex conscientia erronea, qua proinde cessante, jam ab omni onere liber eris; ut in simili sæpius notatum.

138 Restat unum, aut alterum dubium explicandum. *Unum dubium est*. Quid si per errorem sis in mala fide respectu unius, at non respectu veri domini? v. g. putas prædium a te possessum esse Petri, ejusque fructus consumis, utique mala fide: sed revera prædium est Pauli: eritne obligatio restituendi ex injusta acceptione? Respondetur, si durante errore restitutio facienda sit, utique debebis restituere Petro a te putato, quia ex uno errore sequitur alius error. At vero cognita veritate, teneberis restituere, & regulariter saltem etiam æstimationem fructuum consumptorum, Paulo vero Domino, ex ratione injustæ acceptionis: ut ex communi resolvit Tamb. *lib. 8. tr. 3. cap. 3. §. 6. n. 2.* Ratio est: Quia scis prædium non esse tuum, adeoque nec fructus ejus, & tamen eos absolute, & sine conditione absumis, injuste agis, & quidem interpretative etiam adversus eum ipsum dominum, cujus revera est res, & prædium v. g. etsi tunc eum non agnoscens in individuo, per errorem putes alium dominum.

139 Dixi tamen, *Regulariter loquendo;* Nam si eo animo affectus fuisses: quia ii fructus sunt Petri v. g. Principis, vel divitis, ideo eos accipio, & consumo, si autem scirem esse Pauli, vel alterius privati, vel egeni, non acciperem, & consumerem: tunc certe, si fructus de facto sint Pauli, non esses injustus: nec respectu Petri, cujus revera fructus non sunt: nec respectu Pauli, quippe quem non cognoscens nullo modo, nec interpretative quidem intendisti lædere, cum nihil volitum, nisi cognitum: nec consequenter eris obligandus ad restitutionem ex injusta acceptione, consumptis autem fructibus, non erit etiam locus restitutionis ex re accepta, nisi forte inde ditior factus sis: ergo omnino liber evades, juxta probabilem multorum Sententiam in simili *de occidente per errorem unum pro altero, in quinto Præcepto*.

140 *Alterum dubium est*. Quid si ego quidem sim possessor bonæ fidei, sed meus præcessor, qui prius habuit rem, erat malæ fidei, nocebitne mihi? Respondeo. Quantum ad nostrum propositum, nihil omnino nocere tibi, quamdiu tua bona fides durat. At vero in ordine ad præscriptionem, seu usucapionem, ita distinguendum est. Mala fides præcessoris nocet successori, vel hæredi universali, non item successori particulari tantum, qui nimirum talem rem accepit ex legato, dono, empto &c. ut nos supponimus in proposito. Sed de hoc latius forte, cum *de Præscriptione*.

§. II. *Tenetur restituere ipsam rem adhuc extantem alienam.*

141 I. POssessorem malæ fidei debere restituere rem alienam adhuc extantem in individuo, nec posse pro libitu reddere ejus valorem, vel aliam rem pro alia, exceptis, & raris casibus, certum est apud omnes, & generaliter dictum *Assertione 2. casu 2.*

142 II. Quod si etiam possessor malæ fidei, vel fur rem alienam mixtibilem, v. g. pecuniam, vinum, &c. commiscuit, cum sua: siquidem adhuc discerni queat, adhuc eadem numero restituenda erit: si vero amplius discerni, vel separari nequeat, jam velut moraliter consumpta in dominium furis transit, ideoque restituendum erit in æquivalenti cum toto interesse. Sed de hoc professo alibi *in septimo Præcepto de acquisitione dominii per commixtionem*.

143 III. Possessor malæ fidei tenetur restituere rem alienam cum omni suo intrinseco, vel extrinseco incremento: ut si equus, vel bos apud furem crevit, vel impinguatus est, si ager melioratus, in horto arbores plantatæ, &c. Item si interim pretium rei alienæ, equi, bovis, frumenti, vini, &c. quantumcumque creverit. *Omnes*. Ratio est: Quia quando res crescit, suo domino crescit: fur autem cum non sit dominus rei ablatæ, non potest esse dominus ejus augmenti, vel valoris majoris; ergo tota res, quomodocumque creverit, adhuc restituenda est domino.

144 IV. Supponendum pro certo, seu pro semper etiam possessorem malæ fidei, ac ipsum furem, in restituendo ipsam rem alienam, aut fructus rei: aut rei alienæ, vel fructuum consumptorum pretium, seu valorem, semper in foro conscientiæ licite, & juste posse detrahere expensas necessarias, ac operas in rei alienæ, ac fructuum conservatione factas, quas nimirum expensas, vel operas necessario etiam fecisset ipse dominus rei suæ, si ipsi ablata non fuisset, v. g. in alendo equo, bove, in agro colendo, *secundum omnes*. Quia nimirum alioquin, si non detraherentur illæ expensæ, ac operæ, dominus plus reciperet, quam exigat damnum ipsi illatum, quod intuenti patet. Excipe tamen, nisi illæ expensæ sint compensandæ cum usu rei alienæ, equi v. g. a fure percepto: ut ex se patet, & jam supra indicatum est.

§. III. *Aut si absumpsit, vel periit, ejus valorem secundum se & omne incrementum intrinsecum, & extrinsecum domino valiturum.*

RES potest crescere, & decrescere, aut intrinsece, in se, & secundum substantiam suam: ut si pullus equinus adolescat, & fiat equus, sicque plus valeat: & contra rursus senescens minus valeat. Aut extrinsece, quoad solum valorem: ut si modius tritici modo valeat sex aureos, deinde ob penuriam, vel multitudinem ementium valeat octo, vel decem, &c. Quod si ergo possessor malæ fidei ejusmodi rem alienam, vel furtivam absumpsit, alienavit, vel perdidit, quæritur quantum valorem debeat restituere in pretio. 145

Regula universalis, & verissima reipsa est, quam tradunt *Medina, Vasq. Turrianus, Rebellus*, alii cum Mol. *t. 3. disp. 725.* Lessio, *l. 2. c. 12. dub. 16.* Nimirum in restitutione pretii pro re aliena consumpta, vel perdita, non esse attendendum nunc, vel illum valorem, quem habuit res, sed præcise ad damnum, quod domino illatum est per injustam ablationem, detentionem, ac consumptionem rei suæ: hoc ipsum significamus in Assertione: *Debere restitui valorem rei secundum se, & omne incrementum intrinsecum, & extrinsecum domino valiturum*. Hoc enim toto restituto, compensabitur totum damnum domino illatum. Verum quia hæc regula valde late patens nimis varie, & intricate applicatur a Doctoribus ad casus particulares, ideo sistendo in Regula generali, velut fundamento, pono duas Regulas distinctas particulares. 146

REGULA PRIMA.

Quoad incrementum intrinsecum.

QUando res aliena apud possessorem malæ fidei aucta est augmento intrinseco, & quoad substantiam, restitutio facienda erit secundum optimum statum rei, quem in manu furis, seu possessoris iniqui habuit, etsi forte augmentum illud apud dominum habitura non fuisset*. Communis DD. Sylv. Major, Gabriel, aliisque citat. Navarr. *c. 17. n. 26.* Less. *cit. dub. 16. n. 105. 10°.* Laym. *lib. 3. de just. tr. 2. c. 4. n. 5.* Lugo *cit. sect. 6.* Et tradit Ulpianus L. in re furtiva, ff. de condict. furtiva. *Si ex causa furtiva res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat, quæritur: Placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit. Maxime cum deteriorem factam fur dando non liberatur, semper enim moram fur facere videtur*. Ratio est: Quia totum incrementum intrinsecum, & optimus status rei inhærens, una cum ipsa re ad dominum spectat: ergo sicut res ipsa, vel ejus æstimatio, ita etiam quodvis incrementum intrinsecum rei, aut ejus absumpta æstimatio integre domino restituenda erit. Adeoque si res aucta semel, vel absumatur, vel longiori mora possessoris iniqui deterior reddatur, is injustus damnum domino inferens compensare tenetur semper secundum æstimationem rei in optimo statu, quem apud ipsum habuit, etsi forte apud dominum manens, nunquam accepisset illud augmentum, E. g. furatus es vitulum, pullum equinum, bovem macrum, & postea factum equum, bovem adultum, vel pinguem absumpsisti, vendidisti, vel culpa tua perire, aut deteriorari permisisti, teneris restituere pretium, vel æstimationem equi, bovis adulti, ac pinguis, secundum optimum statum, quo eos habuisti tu: esto dominus illos ad talem statum non deduxisset, sed antea consumpsisset, vendidisset, perdidisset. Limita tamen: nisi res ita constituta sit, ut licet iniquus possessor rem in optimo statu restituisset, tamen a domino servata, similiter periisset, vel deterior facta esset, sicut periit, vel deterior facta est sine culpa apud possessorem iniquum: ut si vinum furto ablatum apud furem corrumpatur in acetum, similiter certo corrumpendum apud dominum: tunc enim satisfacit restituendo rem in illo statu deteriori sine sua culpa evenienti: Ut ex communi notat *Laym. loc. cit.* Quoad expensas, & operas detrahendas, jam generaliter dictum est §. *praced. in fine*. 147

Nam etiam fur non tenetur plus reddere, quam abstulit: expensas autem illas, & industriam in re aliena augenda, domino non abstulit, sed potius in utilitatem domini ipse contulit, si nunc facienda sit restitutio. E contra autem adde: Si res apud ipsum dominum manens ita aucta, vel meliorata fuisset, v. g. vitulus adolevisset, bos saginatus fuisset, &c. de facto autem apud furem non ita aucta sit ob ejus negligentiam, & culpam, vel statim absumpta, tenetur fur reddere æstimationem secundum valorem summum, quo dominus rem illam certo, vel probabilius deduxisset,

vel vendidisset: nimirum ratione damni emergentis, & lucri cessantis juxta dicenda inferius §. 6. secundum omnes.

REGULA SECUNDA.

Quoad augmentum extrinsecum.

148 *Quando res aliena apud possessorem malæ fidei aucta est augmento, seu valore extrinseco tantum, restituendus erit valor optimus, quo ipsi domino valuisset, seu quo ipsam deduxisset, si ei injuste ablata, vel detenta non fuisset: alioquin restituendus erit valor illius temporis, quo eam iniquus possessor absumpsit.* Hanc re ipsa colligo ex doctrina Cardinalis de Lugo *to. 1. disp. 18. sect. 6.* sparsim, & Tambur. *lib. 8. tract. 3. c. 2. §. 7. toto*, ut mox patebit. Ratio clara sumitur ex Regula generali restitutionis ex delicto. Quia tantum restituendum est ex delicto, quantum damnum illatum est: nimirum ad perfectam æqualitatem: atqui tantum damnum infertur domino, quantum ei sua res valuisset, si ei injuste ablata, vel detenta non fuisset; aut saltem quantum valuit res eo tempore quo eam possessor injustus absumpsit: tunc enim actu damnum illatum est, ut mox patebit amplius: ergo domino restituendus est optimus vallor illius temporis, quo ipse rem suam distraxisset, aut si non distraxisset, restituendus erit valor illius temporis, quo eam possessor iniquus absumpsit, quo scilicet damnum actualiter illatum est ex parte ipsius.

149 Jam vero pro clara applicatione Regulæ ad diversissimos casus figuremus hunc casum. Petrus furatus est Paulo mensuram tritici mense Augusti, quo valebat tres aureos: postea in hyeme valuit sex aureos. Rursus mense Junii, vicina jam optima messe, decrescit ad tres aureos, vel minus. Similiter potest dici de pullo equino, qui primo valebat quindecim aureos: postea perfectus equus valet triginta. Denique senescens reddit ad valorem decem, aut octo, vel adhuc minus. Statuamus ergo tria tempora valoris: Primum valoris minoris: Secundum valoris aucti: Tertium valoris rursus diminuti. Jam accurate inspiciendum erit, 1. Quonam dictorum tempore Petrus rem alienam consumpserit. 2. Quonam illorum tempore Paulus dominus rei, suam rem distracturus fuisset, si ei injuste ablata, & detenta non fuisset: & jam juxta datam Regulam clare elucescet, quem valorem pro re consumpta debeat restituere Petrus fur Paulo domino rei. Claritatis gratia percurramus breviter.

Petrus consumit rem primo tempore valoris minoris, quando scilicet triticum valebat tribus aureis, pullus equinus decem.

150 I. Si Paulus dominus rem suam fuisset venditurus, vel consumpturus eodem primo tempore minoris valoris, clarum est, Petrum furem solum debere restituere illum valorem ejusdem temporis: quia non damnificavit Paulum, nisi in illo valore, scilicet tribus, vel decem aureis: quare satisfacit ad omnem æqualitatem reddendo eundem valorem, aut mensuram tritici ejusdem qualitatis; sicut satisfaceret reddendo ipsum triticum ablatum, aut equum, si adhuc existeret.

151 II. Si Paulus frumentum suum erat venditurus secundo tempore valoris aucti, quando scilicet valebat sex aureis, aut, quia eo tempore hyemis frumento suo caruit, debuit emere aliud majori pretio, sicque ei aut lucrum cessavit, aut damnum emersit. Rursus certum est, Petrum debere reddere illum majorem valorem, scilicet sex aureos, aut duas mensuras similis tritici. *Ratio clara est.* Quia toto hoc majori pretio damnum intulit injuste fur Paulo: totum ergo compensare debet. At quid si Paulus frumentum suum non erat venditurus pro pretio, nec aliud empturus sibi, sed eo tempore ipse consumpsisset, vel donasset amico, vel erogasset pauperibus? Respondeo. Adhuc reddendum esse illum valorem temporis, quo Paulus rem suam consumpturus, vel donaturus erat. *Ita contra Vasq.* & alios cum aliis *Lugo cit. disp. 18. sect. 6. n. 123. Tamb. cit. §. 7. n. 9.* Ratio est: Quia Paulus non solum passus est carentiam tritici, sed etiam passus est damnum carendo tritico, ejusque usu, quando usus erat majoris æstimationis, sive pro se, sive pro aliis. Nam si furatus fuisses Paulo prandium valens decem aureos propter raritatem ciborum, etiamsi nullum aliud damnum ea de causa incurrerit, certe non satisfacies postea dando aliud simile prandium, quando jam propter abundantiam illorum ciborum solum valebit decem argenteos: alioquin, si urbe obsessa, furareris caput equi, vel asini, quod propter famem tunc valet decem aureis, postea soluta obsidione, satisfaceres, reddendo aliud caput asini, vel equi, quando jam amplius nihil valet. Fatendum ergo est in nostro proposito restituendum esse triticum, quantum valebat ejus usus tunc temporis, consequenter damnum illatum pro illo tempore.

III. Si Paulus frumentum suum consumpturus, vel distracturus erat tertio tempore rursus diminuti valoris, quando scilicet valet tribus aureis, vel minus; Petrus solum debebit restituere pretium primi temporis, scilicet tres aureos. 152
Ratio est: Quia ex una parte Paulus Dominus non est passus ullum interesse, vel damnum majus, quippe qui rem servaturus erat usque ad tempus illud valoris minoris: ex alia autem parte, quia fur tenetur reddere rem, vel rei pretium, quanti est eo tempore, quo rem consumit, (tunc enim actu damnum inferens injusta consumptione contrahit onus restitutionis) obligabitur ad pretium illud primi temporis, quo rem injuste consumpsit; esto res apud dominum suum existens illo ultimo tempore, etiam minus valeret, ut mox patebit amplius casu sequenti.

Petrus fur consumit rem secundo tempore valoris aucti, quando scilicet frumentum valebat sex aureis, equus triginta.

Tenetur totum illud pretium restituere pro re consumpta, quocumque tandem tempore Paulus dominus rem suam distracturus, vel consumpturus fuerit, juxta Regulam a nobis datam. Nam 153

I. Si Paulus rem suam distracturus erat jam primo tempore valoris minoris, nihilominus Petrum debere restituere pretium majus secundi temporis, scilicet sex, vel triginta aureos, merito certissimum sibi testatur *Tamb. cit. nu. 13.* Ratio manifesta est: Quia res adhuc existens illo medio tempore aucti valoris (impermixta tamen rebus furis) adhuc sui domini est, & non furis, consequenter in valore illo domino crevit, & non furi: ergo si tunc fur consumpsit, vel vendidit rem alienam, consumpsit, vel vendidit per injuriam, factam ipsi domino; ergo ulterius, sicut si ipsa res adhuc existeret tempore illo majoris valoris, deberet illam domino reddere totam, quantumcumque etiam in pretio crevisset; quia nimirum crevit domino suo, & non furi, ita si eodem tempore majoris valoris injuste consumpta, vel alienata sit, totum illud pretium majoris valoris domino Paulo restituendum erit a fure Petro: etsi non ratione damni majoris, tamen ratione juris domini.

II. Si Paulus rem suam distraxisset, vel consumpsisset, eodem medio tempore majoris valoris, quo a Petro absumpta est, jam nimis clarum, & certum est, debere Petrum illum valorem majorem, scilicet sex pro frumento, triginta pro equo restituere: quia nimirum & res tunc consumpta, & tantundem damnum omnimodis domino tunc illatum est. Non ita clarum, & expeditum, sed valde controversum est, si Paulus rem suam servaturus, & consumpturus erat primum tertio tempore rursus diminuti valoris. Nam *Less. l. 2. c. 12. dub. 16.* & ex illo *Laym. hic c. 4. nu. 6.* cum aliis censet, sufficienter tunc restituere pretium illius temporis posterioris, aut aliam rem ejusdem generis, & æqualitatis, etsi tunc minus valentem, si res functionem suscipiat. Immo (addit Molin. *cit. disp. 725. nu. 8.* probabile etiam esse in rebus functionem non recipientibus: ut si furatus es equum tunc valentem ducentos aureos, eo pereunte, satisfacies, si postea restituas similem equum æque bonum etiamsi postea nunc valentem multo minus) *Ratio satis suadens est;* quia injustitia commutativa obligat solum restituere ad æqualitatem inter datum, & acceptum: sed hoc casu servatur æqualitas, si possessor iniquus restituat, aut rem uti est, aut aliam ejusdem generis, & bonitatis, aut pretium temporis illius, in quo restituit, semper enim tantum habet dominus, quantum habuisset, si res ablata non fuisset. Neque etiam damnum ei illatum est, aut lucrum cessavit ratione illius majoris valoris intermedii temporis, quia, ut supponimus, non distraxisset rem illo intermedio tempore majoris valoris, at consumpsisset, vel æque servasset in posterius tempus minoris valoris, quo restituitur, adeoque augmentum intermedii temporis, etsi ad dominum spectans, censetur ipsi prorsus inutile, & nullius pretii. Quid si autem fur illud augmentum percepit vendendo rem alienam tempore majoris valoris, nonne tam rei, quam industriæ, vel fortunæ furis fructus fuit? Omnino, non improbabiliter. Nihilominus maneat nostra resolutio universalis. 154

III. Si Paulus etiam rem suam servasset in tertium tempus, eamque distraxisset, vel consumpsisset illo tertio tempore diminuti valoris, quando scilicet frumentum iterum valebat tribus aureis, vel minus: equus decem aureis, vel minus, adhuc tenetur restituere fur totum pretium, seu valorem majorem intermedii temporis, quo ipse absumpsit, vel alienavit. Ita post alios Lugo *cit. a n. 126.* Tambur. *cit. num. 15.* Ratio urgens est a priori: Quia quando fur triticum consumpsit injuste, tunc statim absque mora, ratione injustæ consumptionis, tenebitur ex justitia restituere ejus valorem, & sine dubio in omni foro, eundem valorem, quantum eo tempore triticum valebat, & non quantum va-

liturum

liturum erat postea decrescente pretio tritici : res enim tunc in toto suo valore domini erat, non furis: & postea jam absumpta non poterat amplius decrescere domino, immo nulli : atqui hanc obligationem ita restituendi semel contractam, fur semper retinet, nec eam tollit, vel minuit, quod valor ejus rei postea decrescat, quodque dominus rem suam servaturus fuisset in tempus posterius, quo pretium decrevit: ut sane manifestum est bene consideranti: ergo semper eundem valorem majorem illius temporis, quo rem absumpsit, restituere obligabitur. Adde nimis esse contra justitiam, rectamque rationem, quod fur reportet lucrum, & ditescat ex duplici suo delicto, nimirum ex furto, & ex injusta rei alienæ consumptione, si nimirum posset sibi retinere excessum illum majoris pretii. Ex quo patet ad rationem oppositæ Sententiæ *Negatur enim minor*: Cum enim res in illo toto majori valore vere fuerit domini, & ejus consumptæ rei eundem valorem tenebatur statim fur restituere, culpabili mora differens in posterius tempus minoris valoris, minime satisfacit domino ad æqualitatem restituendo ei illum minorem valorem (v.g. tantum tres florenos pro tritico, decem pro equo) nec totum damnum compensat, saltem ratione lucri cessantis domino ex illa culpabili mora. Compensandum enim damnum est, quantum de facto illatum est : atqui damnum de facto domino illatum est pro tempore posteriori, quando res minus valebat, sed pro tempore priori, quando res plus valebat, utpote triticum sex, equus triginta florenis: quemque valorem tunc fur statim domino restituere tenebatur ex delicto injustæ consumptionis, ut dictum est.

Petrus fur consumit rem tertio tempore diminuti valoris, quando scilicet triticum rursus valet tribus, vel minus, equus decem aureis, vel minus.

156 SI Paulus dominus rem suam distracturus fuisset primo statim tempore minoris valoris, scilicet tribus, vel decem, debet Petrus quoque solum reddere, quantum tunc valebat, scilicet tres aureos pro tritico, decem pro equo, *secundum omnes*. Quia ex una parte, ex illo tempore Petrus contraxit obligationem restitutionis : ex alia autem parte, pro tanto tantum pretio damnum intulit Paulo, & non pro majori, quippe qui rem suam pro alio tempore majoris pretii non erat servaturus, sed primo tempore minoris pretii consumpturus erat. At, ais : medio tempore pretium crevit: ergo domino crevit. *Contra*. At jam tertio tempore, quo rem Petrus consumpsit, pretium rursus decrevit: ergo domino decrevit. Solum ergo Petrus debebit restituere damnum illatum, quod solum fuit carentia pretii illius primi temporis.

157 II. Si vero Paulus disposuisset de re sua secundo tempore aucti valoris, quando scilicet triticum valebat sex aureis, equus triginta, rursus certum est, Petrum furem totum hunc valorem debere restituere Paulo domino : quia nimirum in toto illo valore ei damnum simpliciter intulit, dum Petrus rem ipsius illo medio tempore detinuit, ex quo eo tempore dominus de re sua disponere non potuit. Uti dictum est in utroque casu N. II.

158 III. Denique si Paulus de re sua disposuisset, vendendo, consumendo, tertio quoque illo tempore diminuti valoris, quo eandem Petrus absumpsit, iterum liquidum erit, Petrum solum debere restituere valorem minorem illius ejusdem temporis, scilicet tres, vel minus pro tritico, decem, vel minus pro equo. Ratio est : Quia pro tempore præcedenti nullum intulit damnum Paulo Petrus : pro tempore autem præsenti jam reddit, quanti res valet. Pretium autem illud majus intermedii temporis, licet quasi perierit in manu furis tamen æque periisset in manu domini: quippe, qui re in illo majori valore usurus non fuisset, nec fur eo tempore adhuc re existente, pretium aliquod restituere tenebatur: atqui mox dicemus, quando res æque peritura erat in manu domini, ac in manu furis, nil a fure deberi, quia in nihilo dominus damnificatus est. Ex dictis diligenti animadversori facile patebit, quid dicendum, si casus formetur solum cum duplici tempore majoris, & minoris valoris, v.g. Petrus furatus est decem ducatos valentes singulos tres florenos: postea diminuto valore valent singuli novem baceis minus (ut in Circulo Franconico) consumpsit ducatos; quo valore restituet Petrus alia moneta pro ducatis? Distingue tempus consumptionis Petri, & attende tempus, quo dominus ducatis suis usurus erat, & habebis ex dictis claram resolutionem. Circa tamen prædicta unum, aut alterum dubium restat.

159 *Primum dubium*: Quid si dubium sit, quonam tempore, scilicet majoris, vel minoris valoris, dominus rem suam distraxisset, nisi a fure inique detenta, & consumpta fuisset, quem tunc valorem fur restituet? eritne judicandum contra furem, in favorem domini, an e contra? *Respondetur*: Media via incedendum, & aliquid detrahendum ratione illius incertitudinis, quantum pro ratione dubii, ex circumstantiis prudenter expensis, prudentis arbitrio sufficere putatur : non enim pro damno incerto tantum restitui debet, quantum pro damno certo, & alias melior conditio est possidentis. *Ita Molin. Laym. cit. & Lugo n.* 133. contra *Vasq.* & alios plures, qui volunt judicandum tunc in favorem domini, & totum valorem majorem restituendum; eo quod in dubio inclinandum sit in favorem innocentis, cujus conditio melior est. Sed bene respondet *Lugo*, inclinandum esse in ejus favorem, quando res dividi non potest, neque utrique parti satisfieri, prout in hoc casu potest.

Alterum dubium est: Utrum in conscientia fur, vel debitor in proposito teneatur stare dictis creditoris, eique credere dicenti, se rem suam fuisse servaturum, venditurum, vel distracturum tempore majoris valoris, & non e contra? *Respondetur*: in rigore te non obligari sic credere, quia presumere potes dolum in propria causa nimis facilem. Erunt ergo considerandæ circumstantiæ, & conjecturæ, quibus talem veritatem expiscari certo possis: ut si aliquando dixisset, se non venditurum, nisi crescat pretium : aut contra pro tempore minoris pretii jam inquisivisset emptorem, vel de re vendenda jam egisset: quod si certitudo haberi nequeat, sed maneat res dubia, iterum restituendum erit proportione dubii, & majoris, vel minoris apparentis veritatis, & ut paulo ante dictum est. Ita fere Lugo *n.* 135. & Tambur. *cit. num.* 11. 160

§. IV. *Si absumpta sit, vel quomodocumque perierit, nisi casu certo sit peritura etiam apud dominum.*

REGULA I.

POssessor malæ fidei, juxta prædictos modos, tenetur restituere totum valorem rei alienæ, quomodocumque apud ipsum perierit, etiam absque omni sua culpa, mero casu, si illa similiter non periisset apud suum dominum, utpote qui ejus interitum præcavisset, aut casus, incendium, naufragium, &c. apud ipsum non evenit, qui evenit apud possessorem malæ fidei. Omnes: Ratio patet: quia fur, seu possessor malæ fidei, ipsa sua injusta detentione rei alienæ, quomodocumque hæc apud ipsum pereat, similiter non peritura apud dominum, est voluntaria causa totius illius damni alieni, quod proinde in integrum compensare debet (ut si furatus es equum mox in itinere a prædonibus, vel latronibus tibi ereptum) & insuper damna inde secuta domino, juxta dicenda infra §. 6. Quod si dubium sit, an non res etiam apud dominum periisset, patebit mox Regula sequenti. Eademque est ratio, si res aliena, equus v.g. apud furem, vel malæ fidei possessorem deterior fiat, similiter non deterioranda apud dominum, si ei injuste ablata, vel detenta non fuisset: tenetur enim tunc, immo & satisfaciet fur restituendo rem deterioratam una cum valore detrimenti, seu quanti æstimatur prudenti judicio, damnum per deteriorationem factum; non autem tenetur ita volenti domino restituere totum valorem rei deterioratæ sibi retentæ: ut contra *Molin.* observat Lugo *disp.* 18. *sect.* 6. *n.* 139. Ratio est: quia justitia solum exigit æqualitatem: servatur autem æqualitas, si restituatur domino res, quæ licet deteriorata, adhuc tamen sua est, & primo loco restitui debet, addito valore detrimenti: sic enim totum compensatur damnum illatum. Quod tamen intellige : dummodo res deteriorata, adhuc utilis manet, alioquin certe, & juste furi remittetur, integro pretio exacto. 161

Insuper advertunt mei omnes, possessorem, vel furem liberari ab hoc onere restitutionis, si antequam res apud ipsum pereat, vel deterior fiat, purgasset moram, offerendo illam domino, qui tamen voluit, ut adhuc apud furem, vel possessorem remaneret: jam enim ex tunc interitus rei, vel deterioratio omnino casu fortuito accidens non debet furi imputari, quia non censetur amplius ejus injusta causa, quippe non amplius injustus detentor : sed imputabitur ipsi domino, qui noluit rem apud se habere.

REGULA II.

QUod si res aliena apud furem, vel apud alium malæ fidei possessorem pereat, citra omnem ejus culpam, casu omnino fortuito, certo similiter peritura apud dominum, si ablata non fuisset, utpote communi incendio, naufragio, incursione hostium, ut si quis ante incendium Passaviense furatus est res vicini, mox utriusque bonis incendio absumptis; si navi vectus furatus est alterius pecunias, vel merces, & mox facto naufragio, omnes merces cum tuo furto perierunt: si furatus es equum, vel bovem, postea incursione hostium omnes equi, vel boves una cum tuo furtivo abiguntur; aut furatus es equum jam moribundum brevi moriturum, similiter necessario moriturum apud dominum, & talis, inquam, *in foro conscientiæ saltem, ad nullam obligatur restitutionem*. Ita contra Paludanum, Bartholum, 162

tholum, Baldum, & Legistas communiter apud Covarruviam *Reg. peccatum p.* 2. §. 6. communissima Theologorum, Molina *tom.* 3. *disp.* 725. *n.* 11. Lessius *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 15. Lugo *cit. disp.* 18. *sect.* 6. *n.* 142. Tambur. *l.* 8. *tr.* 3. *c.* 2. §. 8. *n.* 2. alii apud ipsos. Ratio est: Quia justitia commutativa solum obligat ad compensandum damnum illarum effective: atqui in proposito fur nullum damnum in effectu intulit domino, siquidem apud ipsum eodem modo, eodemque casu incendio, naufragio, &c. absumenda erat, sicut ad furem: neque propter hujus furtum dominus quicquam minus habet, quam haberet, si furtum factum non fuisset, licet fur in effectu voluerit inferre damnum, in effectu tamen nullum damnum intulit. Unde sequitur, eum, qui occidit hominem, alias ex occulto morbo, v. g. vel vulnere paulo post certissimo moriturum, etsi verus sit homicida, & irregularis, non tamen teneri de damno compensando hæredibus: quia moraliter non intulit damnum, alioquin certo secuturum.

163 Dixi autem 1. *Certo peritura apud dominum*. Nam si dubium sit, an res apud dominum fuisset peritura, adhuc tenebitur fur ad restituendum valorem rei alienæ apud se pereuntis: quia in dubio melior debet esse conditio domini. Et quidem totum valorem rei tunc restituendum esse, docent communius DD. cum *Molina*, *Less. cit.* Contra: solum restituendum esse pro rata dubii, contendit *Lugo cit. num.* 137. Utrumque probabiliter, ut videre potes apud ipsos.

164 *Dixi* 2. certo similiter peritura apud dominum: scilicet eodem, vel simili casu, incendio, naufragio, hostium incursione, &c. Sermo enim non est, quando res erat peritura apud dominum per alterius injustitiam, ex eo scilicet, quod licet tu non abstulisses, alius fur abstulisset: tunc enim, sicut hic alias fur contraheret obligationem restituendi domino, sic & tu fur, qui eum prævenisti, contrahes, ut notant *DD. cit.* Idemque dicendum est, si res periisset apud dominum, in injusta incursione hostium antea non prævisa, quod mox intelliges Regula sequenti, ob eandem rationem.

165 *Dixi denique*: Talem ad nullam restitutionem obligari de re certo peritura similiter apud dominum: intelligendo tamen, quatenus illa res certo apud dominum fuisset peritura, salvo alio interesse. Nam si v. g. antequam equus apud te perierit, tunc similiter certo periturus apud dominum, illo equo usus es, vel equus lucrum aliquod tibi peperit, vel ex ejus absentia dominus interea aliquod damnum incurrit, vel lucrum ejus cessavit, palam est, hæc omnia antecedentia damna debere a te fure domino compensari, quia illa lucra antecedentia non erant domino peritura; & alioquin res semper suo domino fructificat.

REGULA III.

166 *Si res aliena perit dolo, vel culpa iniqui possessoris, jam nihil obstante, quod similiter certo peritura fuisset apud dominum, tenetur eam fur, vel iniquus possessor compensare domino, attamen secundum valorem, quem res peritura apud dominum eo statu habuit.* E. g. Petrus furatur frumentum, vinum, merces, vel aliud, illudque hodie consumit, vel vendit mala fide: cras autem irruunt hostes, oritur incendium, ingruit alluvies, &c. quibus illud frumentum, vel vinum vel merx illa, sive fuisset inventum apud furem, sive apud dominum, æque certo periisset. Item navigans cum mercatore, ejus frumentum, vel vinum furatus es, & absumpsisti; postea orto naufragio, omnibus mercibus pereuntibus, etiam illa a te furto ablata certo periisset. Idemque est de mera damnificatione: ut si vicini segetem, vel domum hodie combussisti, cras autem fulmine, vel hostili incursu, æque comburendæ fuissent apud dominum, &c. *Talis*, inquam, *adhuc tenetur compensare rem secundum illum valorem, quem in illo statu habuit*. Communis DD. apud cit. & adhuc citandos. Ratio est: quia ex una parte, quamdiu res extat apud possessorem malæ fidei, dominus retinet dominium in illammet rem: ergo possessor iniquus sua culpa, vel dolo illam absumens, vendens, destruens, vel perire sinens, novam injuriam infert domino: consequenter eo ipso instanti contrahit obligationem restituendi jure naturali, nihil obstante, quod res postea etiam apud dominum periisset. Ex altera autem parte, justitia solum obligat ad compensandum damnum illatum ad æqualitatem: Atqui fur, vel possessor iniquus absumens, vel destruens rem alienam, etiam certo perituram apud dominum, tantum solum damnum intulit, quantum res tunc valuit in eo statu periculi: ergo tantundem solum restituere tenebitur, juxta hanc necessariam, valde notandam distinctionem.

167 I. Si fur rem alienam alioquin perituram consumpsit, destruxit, vendidit ante prævisum ejus interitus periculum, quando scilicet adhuc publice ignorabatur, rem illam perituram esse apud dominum, incursione hostium, incendio, naufragio, &c. omnino tenetur domino valorem rei restituere, ut ex communi docent Lessius *cit. n.* 95. Molina *disp.* 726. *n.* 2. Laym. *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 4. Lugo *tom.* 1. *de just. disp.* 18. *sect.* 4. *n.* 77. Tamb. *cit.* §. 9. *n.* 8. Ratio est: quia tunc res erat sui domini. Et quia non prævidebatur periculum ullum interitus, res valebat adhuc toto justo suo valore, vel pretio: quare tunc pro justo pretio vendi juste poterat, & emptor, re accepta, & improviso casu pereunte, nihilominus integrum pretium solvere cogeretur: sic si fur eam inique consumpsit, vendidit, distraxit, non minus contraxit obligationem restituendi domino totum valorem, vel pretium, nec minus restituendum erit postea ex eo, quod apud furem, vel ipsum dominum communi periculo æque peritura fuisset.

168 II. Si fur rem alienam alioquin perituram absumpsit, vel destruxit, certo jam præviso periculo interitus, quando jam publice certo sciebatur, vel prævidebatur rem certo esse perituram communi incendio, naufragio, hostium incursu, &c. neque res aliter ullo modo eripi possit ab interitu, tunc is ad nullam, vel non nisi valde modicam restitutionem obligabitur. Ita *DD. cit. alii apud ipsos*. Ratio est: quia tunc nullum damnum pretio æstimabile domino illatum est, cum res eo statu certi imminentis interitus nullius, vel nimis exigui pretii sit. Quis enim rem jam certo perituram, nullique usui sibi futuram emere pretio vellet? Adde, dominum tunc non posse censeri invitum, sed tacite consentire in consumptionem talis rei suæ; quis enim non vellet a te concive panem, vel vinum, v. g. consumi potius, quam absumi, vel corrumpi ab imminente domus incendio? Dixi tamen: *Si res aliter ab interitu servari non possit*. Si enim res interitu eripi possit, tunc revera domino in pretio est: adeoque adhuc ei merito invito injustum damnum infert fur eam tunc absumendo, vel vendendo. Qualiter autem fur teneatur tunc rem domini conservare, & eripere ab interitu, dicam mox Regula sequenti.

169 III. Si fur rem alienam absumpsit, vendidit, destruxit, non certo præviso, sed probabiliter tamen opinato, vel subodorato periculo interitus, adhuc manet obligatio restituendi domino ejus valorem: cum certa fuerit possessio domini suæ rei; dubius autem interitus, nisi tu consumpsisses. Attamen rursus probabiliter non totum valorem rei, sed aliquanto minus, quantum scilicet a viro experto judicabitur, ex illo periculo rei pretium diminui. Quare si eo casu rem, v. g. triticum, vinum, equum vendidit, debebit totum pretium acceptum restituere domino, cujus erat res, quia pretium succedit loco rei: & in hoc jam invenitur factus ditior ex re aliena fur. Debuit tamen eo casu minori pretio vendere rem alienam, propter illud vitium periculi imminentis probabiliter interitus. Quod si vendidit pretio ordinario, debebit pars pretii excedens emptori reddi, non domino; quia in illo excessu emptor deceptus est, non dominus. Vide Lugo *cit. Tamb. n.* 9.

REGULA IV.

170 *Etiamsi res certissimo peritura fuisset apud dominum pro tali tempore, vel casu, belli, incendii, naufragii, is, qui illam surripuit, & servavit, non potest illam, ut suam, consumere, vel retinere, sed omnino restituere obligatur: quin etiam, si post illud tempus primum apud furem quocumque modo, culpa, vel casu pereat, dum is est in culpabili mora restituendi, tenetur restituere ejus integrum valorem domino.* Communis: meique cit. omnes. E. g. Si quis alienum equum, vel mercem ex incendio, vel naufragio eripuisset, quo certo periisset, nihilominus postea domino comparenti (petito tamen operæ pretio) restituere tenetur; ac si ipse absumat, vel in culpabili mora reddendi, equus, vel merx quocumque eventu pereat, tenebitur præstare ejus æstimationem, seu integrum valorem. *Ratio clara est*: Quia res quomodocumque supersit, semper tamen domini sui est: neque enim dominus perdit dominium rei suæ ex hoc, quod in periculo interitus constituta fuerit, vel peritura fuisset (nisi ex circumstantiis certo constaret rem a domino jam fuisse vere, & ex animo, non vero solum ex necessitate, invito derelictam, juxta dicenda *de occupatione rerum vacantium, & derelictarum*.) Neque ex hoc, quod ab alio ex periculo erepta, & servata sit res sua; sed id fortunæ domini cedit, quod res sua in tuto posita sit ab alio, etiam fure: ergo fur, vel malæ fidei possessor semper obligatus manet illam restituere (soluto tamen, vel deducto pretio operæ, laboris, vel industriæ suæ, ex ipsa naturali æquitate,) & consequenter, si absumat, vel inculpabili mora restituendi quocumque casu perire sinat, tanquam vere novum damnum domino inferens, tenebitur ejus integram æstimationem præstare, quia, ut supponitur, tunc non amplius apud dominum periisset.

171 Sed quæstio, & difficultas non levis est, utrum fur, vel malæ fidei possessor rem alienam habitam in communi incendio, vel naufragio perituram, teneatur, si possit, eripere, & servare ex justitia, ita ut si eripere nolit, ac per

culpam

culpam saltem gravem perire sinat, teneatur adhuc ad restitutionem. Etsi negare videantur *Less. & Vasq.* apud Lugo *cit. sect. 6. num.* 145. eo quod fur non sit, sicut depositarius, cui custodia rei commissa sit. Recte tamen affirmat communis *DD. Molina*, *Petr. Navarr. Laym. ll. cc.* Lugo *nu.* 147. Tamb. *cit. num.* 11. Ratio est: Quia fur, quamvis non sit absolute custos rei ablatæ, tamen semper obligatur eamdem rem conservare, saltem æquali diligentia, ac labore, qua res suas conservaret: ne scilicet ponat voluntarium impedimentum ad restituendum: ergo is contra justitiam peccat, & consequenter ad restitutionem obligabitur, si, cum commode possit, non conservet, seu ex periculo eripiat, sed lata culpa perire sinat.

172 Ex hactenus dictis resolve casum vulgarem, valde practicum. Miles ita confitetur. Socii mei transeundo per terram non hostilem spoliarunt domum agricolæ, ego casu interveniens, duas vestes abstuli valoris quindecim florenorum, ea ratione motus, quod licet ego non auferrem, tamen socii sine dubio ablaturi essent: Quæro, an, & qualiter peccaverim? an, & quid restituere tenear? Respondeo. Si miles accepit animo non restituendi, sine dubio peccavit: quia sicut alii milites injuriam, & damnum injustum intulissent auferendo illam rem alienam invito domino, ita & ille eos præveniens, & idem agens, quod alii male acturi fuissent. Fieri tamen potest, ut eo casu miles solum peccarit venialiter ob levitatem materiæ: quia etsi vestes absolute æstimentur quindecim florenis, quæ utique est quantitas sufficiens ad peccatum mortale: attamen cum alias ob varias circumstantias pretia rerum minui soleant, tum maxime, quando imminet incursus militum, aut hostium, pretia rerum maxime diminuuntur, nemine volente emere, adeo ut vestes illas in eo periculo constitutas nemo æstimaret ultra dimidium florenum, ideoque miles non multum furatus, nec magnum damnum intulisse censendus erit. Ex quo patet de restitutione facienda. Si enim vestes adhuc extant, eas restituet: si autem non extent, restituet dimidium florenum, aut adhuc minus, idque sub veniali tantum. Eademque ratione disce discurrere in similibus.

§. V. *Item omnes ejus fructus naturales, & mixtos, detractis tamen in foro conscientiæ expensis, & æstimatione laboris, vel industriæ.* Remissive.

173 IN his terminis restitutionis jam generaliter explicatis *Assertione* 2. conveniunt possessor bonæ, & malæ fidei At præter differentias ibidem indicatas, disconveniunt quam maxime in hoc, quod possessor bonæ fidei solum teneatur restituere fructus rei; quos ipse de facto percepit, adhuc extantes, vel si absumpsit, quantum inde ditior factus sit: prætereaque nihil. At longe plus tenetur possessor malæ fidei. Nam

174 I. Possessor malæ fidei tenetur restituere non solum fructus adhuc extantes, sed etiam si fructus illos quomodocumque consumpserit, nec inde ditior factus sit, aut sua culpa, immo etiam casu perire permisit, non similiter perituros apud dominum, tenetur præstare eandem æstimationem, vel pretia, juxta omnia dicta §. *præced. num.* 3. & 4. de compensando valore ipsius rei alienæ absumptæ, vel pereuntis apud iniquum possessorem. *Omnes*. Ratio ex dictis constat: Quia scilicet res semper fructicat suo domino, ideoque possessor iniquus fructus illos absumendo injustum domino damnum intulit, necessario compensandum ad æqualitatem per restitutionem. Solum eo casu potest excusari fur a restitutione, si sine ejus culpa fructus illi sint omnino consumpti: ut si, dum ipse vellet eos restituere, sed nondum posset, casu fortuito destructi fuissent, esto non æque periissent apud dominum, tanquam jam inculpabili condescendendum, cum aliis merito censent Lugo *cit.* & Tamb. *cit.* §. 7. *num.* 23.

175 II. Fur, seu iniquus possessor tenetur restituere omnes fructus rei, non tantum quos percepit, sed etiam quos dominus verosimiliter percepisset; esto fur nihil perceperit. Ut si dominus ex agro, vel fundo suo ordinaria industria percepisset mille, ex equo pretium locationis triginta, (Idemque est de aliis fructibus rei, vel industriæ a domino percipiendis, & a possessore iniquo rei impeditis) tantundem ei tenetur restituere fur, etsi ipse tantos fructus minime perceperit, aut nullos, quocunque eventu. *Ratio patet*: Quia sua injusta detentione, & mora culpabili est vera causa totius illius lucri cessantis: & in casu injustæ damnificationis, dominum omnino indemnem servari oportet, uti diserte traditur Reg. 79. ff. generaliter. *Cum de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuit, considerandum est*, & in specie: L. fructus ff. de rei vindicat. *Fructus non modo percepti, sed qui honeste percipi potuerunt, æstimandi sunt, &c.* & alibi sæpius.

176 III. Fur, seu possessor malæ fidei tenetur restituere fructus perceptos ex re aliena, vel eorum æstimationem, etiamsi dominus illos, vel tantos fructus non percepisset; ut si vineam, vel agrum tam bene non coluisset, equum, vel domum pro pretio non locasset, &c. uti fecit possessor iniquus, ac etiamsi fructus percepti fuerint ex re per furis diligentiam, vel expensas meliorati, &c. Communis *DD. Mol. Less. Laym. aliique cit.* Ratio sæpe dicta est: Quia omnis res suo domino fructificat, atque id ejus fortunæ cedere debet, quod res plus in manu furis fructificarit, quam si ipsemet eam possedisset: quod autem sic dominus locupletior fiat occasione furti alieni, omnino per accidens est.

IV. Dicta hactenus vera sunt etiam in foro conscientiæ, 177
sive res aliena maneat apud ipsum furem, seu possessorem iniquum, sive jam sit ad aliquem alium quocunque modo translata, semper enim fur, vel possessor iniquus est, & manet causa totius damni alieni in re, & in fructibus: sive rem adhuc possideat, sive alienarit sponte, sive amiserit invitus, alio clam, vel vi auferente; ergo semper ipsi incumbet obligatio compensandi totum damnum illatum, quoad rem, reique fructus. Quod bene notandum.

Tandem tamen hæc obligatio restituendi fructus ex re aliena, tamdiu duntaxat durat, quamdiu manet res ipsa existens, tamdiu enim fructificat domino res, quamdiu existit. Postquam vero res periit, vel consumpta est, possessor iniquus ad nihil aliud tenetur, quam ad restituendum valorem illius rei, omnesque fructus rei, quos percepit, vel dominus percepisset usque ad illud instans desitionis. Non autem tenetur ad restituendum valorem fructuum illorum, qui perciperentur, si res adhuc perseveraret: nam, ut dictum est, res domino diutius non fructificat, quam existit.

Ex dictis patet solutio ad illam quæstionem, utrum fur, 178
vel iniquus possessor teneatur etiam restituere fructus, quos ipse ex re aliena non quidem percepit, tamen potuisset percipere. *Respondetur cum distinctione*: Si enim dominus rei eos fructus percepturus fuisset, si habuisset rem suam, omnino tenebitur fur pro iis restituere, juxta dicta *num.* 175. quia tunc fur fuit domino causa injusti damni. Si autem nec ipse dominus eos fructus percepturus fuisset, etsi rem suam habuisset, nequaquam pro iis tenebitur fur in foro conscientiæ: quia tunc in nullo damnificavit dominum, nec ipse aliquid percepit ex re aliena, ut supponitur. Dico autem: *In foro conscientiæ*: Nam in foro externo adhuc tenetur fur pro ejusmodi fructibus perceptibilibus, etsi non perceptis, compensare: *juxta leg. si fundum ff. de rei vindicat*. Vide Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 2. *num.* 110.

Alia quæstio esse potest, an fur teneatur restituere fru- 179
ctus, vel lucra, quæ dominus percepisset ex re sua illicite, seu ex turpi usu rei suæ. *Respondetur*: Si enim lucrum secutum fuisset ex ipso peccato supra: ut si Titius pecuniis a te ablatis, usuras exercendo, vel injuste ludendo lucratus fuisset: Si meretrix vestibus a te spoliata, interim opificio suo nihil lucrari poterit, &c. non teneberis restituere: quia ejusmodi lucrum non est fructus rei, neque industriæ honestæ, sed malitiæ, & turpitudinis. At si lucrum non fuisset secutum ex ipso peccato, sed ex usu rei suæ, teneberis restituere: quia tunc lucrum fuisset fructus rei domini. Sic solet obligari injustus possessor domus alienæ ad restituendum pretium locationis domus, quam dominus, etsi non sine peccato, locasset meretrici.

§. VI. *Item omne inde damnum emergens, & lucrum cessans domino ex iniqua detentione rei suæ.*

TEnetur tandem ei possessor iniquus compensare. *Omnes*. 180
Ratio clara est ex dictis: Quia possessor iniquus tenetur restituere ad æqualitatem arithmeticam justitiæ commutativæ; ita nimirum, ut dominus tantum recipiat, & habeat, quantum habuit, & haberet, si res sua ablata, vel detenta injuste non fuisset: ad hoc autem sine dubio requiritur compensatio damni emergentis, & lucri cessantis: his enim non compensatis, non recipiet dominus tantum, quantum haberet, si res ablata, vel detenta non fuisset, ut ex terminis patet: ergo &c.

Exemplum *damni emergentis* est. Si propterea quod equus, 181
bos, frumentum, &c. ablata, vel tempore debito restituta non sint: ipse dominus coactus est equum, vel bovem, vel frumentum majori pretio emere, agrum colere, vel serere non potuit, magna sua jactura, &c.

Exempla *lucri cessantis sect. præc.* multa allata. Ut si do- 182
minus frumentum ablatum habuisset, majori pretio vendidisset, postea receptum vilius vendere cogatur. Si dominus pecunia negotiationi destinata lucrum fecisset, nisi inique ablata, vel detenta fuisset. Si pecunia ablata, domum restaurasset, equum emisset, instrumenta comparasset ad lucra quærenda: quibus modo, ratione injustæ ablationis carere debet: sic in similibus. Omnia ejusmodi lucra cessantia possessor iniquus omni jure, & in utroque foro compensare tenetur, nisi pars læsa remittere censeatur; ut sane sæpe cen-

pecenseri debet nostris temporibus, cum possessores iniqui, aliique debita non solventes, vix unquam in foro conscientiæ compelli possint ad compensanda lucra cessantia, (quæ sane creditoribus plerumque magna cessant,) eo quod pars læsa non petat. Res sane, si ulla alia, plena est periculi, morosis illis solutoribus in confessione bene inculcanda. Sed de hoc alibi.

183 Atque hinc vides: Quod possessor iniquus, licet non teneatur restituere fructus solius industriæ suæ, v.g. lucrum ex negotiatione alienæ pecuniæ, vel mercis, tenetur tamen restituere domino totum damnum, quod inde emersit, totumque lucrum, quod inde ei cessavit, totum, inquam, lucrum, quod dominus non solum communi, sed etiam singulari sua industria percepisset: non tamen, quod quomodocunque percipere potuisset, ut ex *Dicastillo* notat Tamb. *cit. n.* 24. Ratio est: Quia in illo damnum passus est dominus ex alterius culpa: non vero in hoc, quod solum potuisset percipere, tamen verosimiliter de facto non percepisset lucrum. Verum de hoc interesse lucri cessantis, & damni emergentis, ex professio latius agendum est *c.* 3. §. 3. 4. & 5. Ubi de circumstantia, quando restituendum.

SECTIO V.

Quid restituendum ex delicto formali, ratione injustæ damnificationis tantum: Item impeditionis a consecutione alicujus boni.

SUMMARIUM.

186 *Qui per culpam Theologicam gravem rem alterius destruxit, vel deterioravit,*

187 *Etiam indirecte, per se, vel per suos.*

188 Usque ad n. 191. *Tenetur restituere valorem rei, ejusque fructus, omne damnum emergens, & lucrum cessans. Exempla varia.*

191 *Et si nulla culpa Theologica adsit, ad nihil tenetur in foro conscientiæ, nisi post sententiam Judicis.*

192 Usque ad n. 197. *Exempla & casus varii.*

197 *Qui impedit alium a consecutione alicujus boni, V.g. beneficii, officii, &c. jam ex justitia commutativa aliquo jure debiti, per vim, vel dolum, tenetur juxta æstimationem juris, vel spei habitæ, ad restitutionem.*

198 *Secus, si illud bonum sit debitum solum ex justitia distributiva; aut*

199 *Si bono zelo sine vi, vel fraude impedias, V.g. indignum. Nam*

200 *Qui perverso, & iniquo affectu digniores, vel vere dignos sic impediunt quovis modo, promovendo indignos, utique peccant gravissime, & Ecclesiæ, vel Reipublicæ obligantur ad restitutionem.*

201 *Immo impediens alium vi fraude, metu, mendaciis, detractionibus, &c. a consecutione alicujus boni, non ex justitia, sed ex libera solum, & determinata jam alterius voluntate conferendi, obligatur ad compensandum damnum juxta proportionom spei habitæ. Unde*

202 *Gravissime peccant, & ad restitutionem obligantur.* I. *qui sic malevole apud Episcopum, vel Principem impediunt dignum.*

203 II. *Qui Testatorem vi, vel fraude impediunt, ne testamentum sic, vel sic condat, &c. casus varii.*

204 III. *Qui vi, vel fraude, mendaciis, criminationibus, &c. apud dominos impediunt opifices, operarios, famulos, Mercatores, mendicos.*

205 IV. *Qui injuste alterius litteras aperiunt, ut ipsi beneficium consequantur, negotiatione lucrentur, &c. ex quo*

206 Usque ad n. 209. *Resolvuntur casus varii valde notabiles.*

209 *Qui vero sine vi, vel fraude tali alium impedit a consecutione boni, non ex justitia debiti, sed ex gratuita alterius voluntate jam determinata conferendi, non peccat contra justitiam, nec ad restitutionem obligatur.*

210 & 211. *Exempla, & Casus varii.*

212 *Eum, qui sine vi, vel fraude, ex odio tamen, vindicta, aut expressa etiam intentione nocendi, alium sic impedit, ad restitutionem obligant DD. Antiqui.*

213 *Sed vera est sententia communis opposita negans eo casu obligationem restitutionis.*

214 & 215. *Exempla, & casus.*

184 Damnificatio injusta proximi, rem ejus destruendo, vel deteriorando, potest fieri, aut *directe*, & per se intendendo damnum proximi: aut *indirecte*, solum causam ponendo, vel amovendo; seu aliquid agendo, vel omittendo, unde quis prævidet secuturum damnum proximi, tametsi illud damnum directe minime intendat. Item damnificatio potest fieri, aut *positive*, destruendo, vel deteriorando rem proximi, quæ de facto ipsius fuit, aut *negative*, solum impediendo proximum a consecutione alicujus boni, quod ipsi debebatur, aut alioquin conferendum erat. De utroque pono distinctas Assertiones.

ASSERTIO V.

Qui per culpam injustitiæ Theologicam gravem, rem alienam destruxit, vel deterioravit, etiam indirecte, per se, vel per suos, tenetur restituere domino valorem rei ejusque fructus. Item omne damnum inde emergens, vel lucrum cessans proximo. Si culpa Theologica absit, ad nihil tenetur in foro conscientiæ, etsi leges aliud statuant pro foro externo, quæ tamen in conscientia non obligant, nisi post sententiam Judicis.* Explico breviter, & pleraque remissive. 185

§. I. *Qui per culpam injustitiæ Theologicam gravem, rem alienam destruxit, vel deterioravit.* Remissive.

Hæc ad verbum explicata habes Assertione 1. §. 4. *a n.* 444. per totum, generaliter loquendo de obligatione restitutionis ex delicto formali, seu injustæ acceptionis, seu injustæ damnificationis rei alienæ, nimirum ad hoc, ut sit obligatio restitutionis ex delicto, sub mortali requiri, ut delictum commissum sit per actionem injustam externam, & culpam Theologicam gravem; adeoque, si nulla adsit culpa Theologica gravis, sed vel politica, vel venialis tantum, nulla, aut non nisi sub veniali erit obligatio restitutionis. Eadem autem omnino est ratio quoad hoc de delicto, seu injustæ acceptionis, seu injustæ damnificationis: hoc solum palmare discrimen esse potest, quod si sine culpa Theologica gravi rem alienam accepisti, & non statim eo statu absumpsisti, postea comperta veritate, rem esse alienam, eam adhuc extantem omnino teneberis restituere, sub mortali etiam: at non ratione injustæ acceptionis, quæ mortalis non fuit, sed ratione rei acceptæ, vel novæ injustæ detentionis. Id autem locum habere non potest in delicto injustæ damnificationis, ut de se patet, sed re aliena sine culpa Theologica destructa, vel deteriorata, nulla in foro conscientiæ potest superesse obligatio restitutionis. 186

§. II. *Etiam indirecte, per se, vel per suos.*

Utpote, si animadverso periculo damni proximo inferendi ex actione tua, v.g. ejaculatione, vel explosione, ejectione lapidum ex domo, vel e tecto, incustodia luminis, &c. nihilominus non præcaveas, (etsi directe minime intendas) damnum proximo, homicidio, incendio, aliove modo, intulisti, vel inferri permisisti. Si per filios, vel servos tuos sub tua potestate constitutos proximo grave damnum inferri scienter permittas, vel non impedias, cum tamen facile possis, etsi directe non intendas, mandes, vel consulas; Si animal tuum, canem, taurum, cervum, gravi culpa custodire negligens proximo damnum inferri sinas; & ita in similibus: omni jure, & in omni foro contrahis obligationem restituendi, seu compensandi damna illata; eaque obligatio etiam ante litis contestationem, ad tuos hæredes transmittitur, juxta communissimam DD. sententiam apud Molin. *disp.* 43. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 3. Ratio clara est: Quia omnia ejusmodi damna, etiamsi directe a te minime volita, & intenta, revera tamen tibi sunt voluntaria indirecte, in sua causa a te voluntarie posita, vel non ablata, qui enim voluntarie ponit, vel non tollit causam, unde prævidet secuturum effectum malum, vel damnum proximi, eo ipso indirecte censetur, immo convincitur velle ipsum effectum malum, vel damnum proximi: ideoque adhuc vere censeris illa damna inferre proximo injuste per culpam injustitiæ Theologicam gravem, consequenter in omni jure, & foro obnoxius manes. Itaque tales, 187

§. III. *Tenetur restituere domino valorem rei, ejusque fructus: Item omne damnum emergens, & lucrum cessans.*

Hæc omnia abunde patent ex late dictis modo Assertione 4. de restitutione injustæ acceptionis. Eadem omnino est ratio de restitutione ratione injustæ damnificationis; quia nimirum, nisi prædicta omnia restituantur, non inducetur æqualitas, seu non tolletur inæqualitas, quæ per tuam injustam damnificationem proximo inducta est in bonis suis. Quod si damnifices, vel destruas rem proximi, alioquin certo etiam apud dominum perituram incendio, incursione hostium, &c. qualiter restituere tenearis, in specie dictum est a *n.* 166. *Regul.* 3. *per totam*. Hæc sola specialis est difficultas hic quoad pretium rei alienæ destructæ restituendum: an nimirum restitui debeat valor rei in statu præsenti, quo destructa est, an in statu futuro, quem habitura fuisset apud dominum, si per te destructa non fuisset. Ex. gr. Occidis hodie equinum pullum, qui spectata spe futuri eventus, deductis expensis, labore, æstimatione periculi, 188

culi, &c. valet vix decem aureos; idem vero equus, si pervenisset ad perfectam ætatem, quia erat generosæ stirpis, domino valiturus erat aureos centum, quo valore restitues; an prioris, an præsentis? an posterioris futuræ temporis? Item hodie in Martio combussisti segetem, quæ ob expensas, & pericula consueta futuri eventus, cum tota spe futuri fructus, judicio experti viri, valet viginti aureis: at mense Augusto, messe jam feciliter adulta, certo valeret aureos ducentos, vel amplius, quo rursus valore restitues? an viginti, aut ducentos? Communis sententia indistincte affirmat, restituendum esse valorem status præsentis, quo res destructa est, nimirum decem pro equo, non centum: viginti pro segete, non ducentos, sive deinde per malitiam, sive per negligentiam mortaliter culpabilem, directe, vel indirecte occideris equum, vel combusseris segetem. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *ar.* 4. Molin. *disp.* 726. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *c.* 12. *dub.* 19. aliisque cit. Lugo *disp.* 18. *sect.* 8. *num.* 81. Dian. *par.* 3. *tract.* 6. *Miscell. resol.* 6. Ratio communis est: Quia justitia solum obligat, & exigit, ut restituatur, quantum ablatum est, ad æqualitatem: sed tu per illam occisionem equi, vel combustionem segetis, solum abstulisti, quantum tunc valebat equus, vel seges, nimirum aureos decem, vel viginti, &c. ergo illos tantum teneris restituere, non amplius. Secluso tamen alio interesse, damno emergente, vel lucro cessante domino, utique compensando: quod non negat hæc communis sententia, quæ tamen sic universaliter, & indistincte proposita non placet. Itaque

189 *Dicendum cum distinctione*. Aut enim restitutio fit (prout certe fieri debet, si possit) statim post damnificationem factam: & tunc omnino verissimam judico communem illam Sententiam; nimirum restituendum esse valorem temporis præsentis decem, vel viginti, ob rationem datam. Et quia tunc, accepto valore præsentis temporis, poterit sibi dominus facile comparare alium similem equum, vel aliam segetem: & sic plane servatur æqualitas. Si non comparet, sibi ipsi imputet, si non possit comparare, suo infortunio. Aut restitutio fit primo tempore futuro, quando nimirum equus, si extaret, jam valeret centum, seges ducentos aureos: & tunc omnino credo restituendum esse valorem illius futuri temporis. Ita *Salonius*, aliique cum Tamburin. *lib.* 8. *Decal. tr.* 3. *c.* 4. §. 1. *n.* 10. Ratio urgens est: Quia tu vere injusta causa fuisti, cur dominus modo, hoc tempore non habeat suum equum valentem centum, vel segetem valentem ducentos; quodque domino cessaverit hoc lucrum: ergo hoc totum compensare debes, deductis tamen expensis, & æstimatione periculorum, &c. Sicut si furatus fuisses domino pecuniam, v. g. centum aureos, nonne deberes eidem restituere & pecuniam, & lucrum cessans, quod illa pecunia idem dominus interea per negotiationem juste acquisivisset? eadem, immo major, est ratio in proposito casu: ergo &c.

190 Non tamen omnino displicet distinctio *Card. de Lug. cit. loco*. Nimirum hoc verum esse, quando dominus antea nullam aliam pecuniam habebat, qua talem equum emere, vel negotiari potuisset: tunc enim tu, qui abstulisti, vera fuisti causa damni sequentis: non item si dominus tunc alienam pecuniam habuit, qua talem equum emere, vel negotiari potuisset: tunc enim non tu auferens, sed ipse dominus negligens causa fuit sui damni secuti. Non, inquam, omnino displicet: sed neque omnino placet hæc distinctio: Quia intelligere satis non possum, te non fuisse veram causam hujus determinati, & specialis damni, quod emergit domino ab hoc individuo ejus equi, vel pecuniæ, quam surripuisti.

§. IV. *Si nulla culpa Theologica adsit, ad nihil tenetur in foro conscientiæ, nisi post sententiam Judicis.*

191 Communissima apud mox citandos. *Ratio est:* Quia si sine tua culpa Theologica gravi, sive per te, sive per tuos filios, servus, animal, res proximi destructa, vel deteriorata est, nullum adest caput restitutionis debitæ in foro conscientiæ. Non enim teneris ex re accepta; res enim supponitur periisse. Neque ex injusta acceptione, vel damnificatione; quia te nullam gravem culpam, seu delictum injustitiæ commisisse, supponimus. Neque ex pacto aliquo; quia etiam supponimus, nullum pactum, v. g. custodiæ, assecurationis, &c. intercessisse. Neque ex constitutione Legum civilium contraria mox alleganda: quia Leges illæ ad cives cautiores, & diligentiores reddendos institutæ, supponunt omissionem cautelæ, vel diligentiæ in ejusmodi damnis, ideoque proprie pœnales sunt: atqui legibus pœnalibus omnibus commune est, quod non obligent ad solutionem pœnæ ante Judicis sententiam, vel condemnationem, & in proposito, vel ex eo manifestum est, quod post mortem eorum, quorum culpa civili tantum, citra dolum, vel culpam Theologicam, damnum illatum, actio adversus hæredes non concedatur, nisi lis antea jam contestata fuisset; ut habetur in jure multis locis. Atque ita contra *Angel. Covarr. Dian.* aliosque nonnullos docet communissima DD. *Innocentius*, *Abbas*, *Sylvest.* aliisque cit. Molin. *disp.* 698. *nu.* 6. Less. *lib.* 2. *c.* 7. *dub.* 6. *& cap.* 9. *dub.* 17. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 1. *c.* 6. *n.* 2. *Lugo cit.* In foro autem externo, ob rationem jam insinuatam, quisquis ex culpa etiam civili lata, levi, levissima, damnum alteri dedit, ad ejus integram compensationem compelli potest per actionem legis Aquiliæ, *ff. de damn. datis & inst. ad Leg. Aquil.*

Exempla. Si inconsulto aliquid e domo ejeceris, effuderis: Si candelam ardentem extinguere, seram includere, canem alligare oblitus sis, unde damnum proximi rebus evenerit: Item, si ejus servus, animal vel damnum dedit, etsi ignaro domino, nihilominus compellitur ad damnum compensandum; vel mancipium, aut animal noxæ dandum, unde & actio noxialis dicta est. Item, ut nauta, caupo, stabularius teneatur de damno dato a famulis vel iis, quorum opera usus est *L. ult. ff. Nautæ, caupones, stabularii, &c.* Hæ, inquam, Leges similes, quamquam justæ in foro externo, in foro tamen conscientiæ non obligant, nisi post sententiam Judicis, qua legitime lata, jam erit obligatio, etiam in foro conscientiæ, ut omnes agnoscunt. Leges enim justæ possunt ob publicum bonum decernere, ut aliquid, etsi tua culpa non præcesserit, a te solvatur, vel compensetur post sententiam, ad quod ante illam nequaquam in conscientia obligabaris. 192

Ex dictis resolve hunc casum, & disce solvere similes. Titius facem, seu lumen ferens ingressus est domum Petri, animo furandi ejus pecuniam, sed casu, & præter ejus intentionem, ac culpam aliquam, eadem facula incendit aulæa, vel aliam supellectilem: deinde exiens domo Petri reliquit januam apertam, unde factum, ut eadem nocte ingressu alii fures, furati sint duos equos. Quid hic tenetur restituere Titius fur, & dupliciter damnificans indirecte? De furto pecuniæ res est liquida: Quoad damnificationem illam indirecte factam, *Respondetur*: Titium non teneri restituere pro aulæis, vel suppellectili illa casu combustis, sed bene pro equis ab aliis furibus abductis: Ratio discriminis patet ex hactenus dictis: quia combustio illa suppellectilis fuit omnino involuntaria, & casualis ipsi Titio, absque ulla nova culpa Theologica, quippe nec prævisa nec prævideri debita: cum præferre faculam ex se communiter non sit periculosum ad causandum incendium: ideoque non possit dici causa per se combustionis, & ideo Titio, tanquam indirecte voluntario ad culpam gravem non imputanda. 193

At vero, quia commune, & ex se periculosum est, quod aperta domo noctu ingrediantur fures, ideo Titius, qui domum apertam voluntarie reliquit, censetur causa voluntaria damni illati in furto equorum, quippe prævisi, vel prævideri debiti, ideoque ad illius damni restitutionem erit obligandus. *Ita ex communi Lugo citandus.* 194

At: Quid si Titius eo casu, præter intentionem sua facula incendisset illam ipsam vel rem, vel mercem, quam surripere intendebat? Respondet Lugo *tom.* 1. *de just. disp.* 18. *sect.* 4. *n.* 88. cum distinctione, si quidem illam vestem, vel mercem jam furatus est, & jam apud se detentam incendit: omnino obligabitur ad ejus valorem restituendum: quia statim atque illas apud se detinuit, contraxit obligationem restituendi ex injusta acceptione, quomodocumque deinde apud se eas perire contigerit. At vero, si antequam eas surripuerat, adhuc apud dominum existentes, sic casu, & præter omnem intentionem, vel advertentiam, adeoque citra culpam Titii incensa sunt, non contraheret is obligationem restituendi in foro conscientiæ, quia tunc mere per accidens, & omnino involuntaria fuit furi incensio, quia non incendere, sed furari intendit. Et hactenus de damnificatione positiva. Jam quoad damnificationem negativam, seu impeditionem alicujus boni debiti, vel conferendi, sequitur 195

ASSERTIO VI.

Qui impedit alterum a consecutione alicujus boni, jam ex justitia commutativa aliquo jure debiti, quovis modo: aut etiam ex libera voluntate alterius conferendi, per vim, vel dolum: tenetur ad restitutionem illius boni secundum æstimationem juris, vel spei habitæ ad illud bonum consequendum: Secus, si sine vi, vel fraude impediat: esto ex interno odio, vindicta, vel expressa intentione nocendi sic faciat. Communis DD. ut patebit explicatione. 196

§. I. *Qui impedit a consecutione alicujus boni, jam ex justitia commutativa aliquo jure debiti.*

I. Seu ad quod alter jam aliquod jus habet, sive perfectum, *& jus in re*, nondum tamen adita possessione; ut si impedias aliquem a consequendo beneficio sibi jam collato, & confirmato; a consequenda donatione mortis causa, 197

causa, aut capessenda hæreditate, jam adita post mortem Testatoris; a solutione debitorum, vel restitutione ablatorum ipsi facienda, &c. Aut jus imperfectum, seu *jus ad rem* tantum, ut, si impedias aliquem a consequendo beneficio, vel officio, ad quod jam acquisivit jus imperfectum, seu jus ad rem per legitimam electionem, vel præsentationem, etsi nondum perfectum per collationem, & confirmationem: a consequendo legato post mortem legantis: a consequenda re promissa acceptata ex quocumque contractu, sive gratuito, ut donatione, legato, commodato; sive oneroso, ut emptione, locatione, &c. *Quovis modo*, sive cum, sive absque vi, vel fraude impediat: sive directa, sive indirecta, sive etiam nulla intentione nocendi alteri; dummodo non adsit justa causa impediendi, utpote, si beneficium, vel officium conferendum esset manifeste indigno. Talis, inquam, impediens: 1. Peccat contra justitiam, *secundum omnes*: Ratio clara est ex terminis; quia injuste violat jus alterius, qualecumque sit, jam acquisitum ad illud bonum consequendum. 2. Tenetur ad restitutionem damni injuste illati. Communissima cum S. Thoma 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 4. Navarr. *in man. c.* 17. *n.* 69. Molin. *disp.* 727. *concl.* 2. Laym. *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 1. Lugo *disp.* 18. *sect.* 5. *nu.* 8. Ratio itidem patet: quia violatio justitiæ commutativæ semper inducit obligationem restituendi: atqui talis impediens vere violavit justitiam commutativam auferendo bonum alterius: id nimirum, ad quod alter jam jus aliquod habuit, ut prædictum, & exemplificatum est: ergo &c. 3. Et siquidem impediat alterum a consecutione boni ad quod jam alter jus perfectum, & *in re* habuit, sed nondum executione mandatum per possessionem illius boni, fere totum damnum compensandum erit, reddendo scilicet, vel ipsum beneficium, hæreditatem, &c. aut ejus valorem, detracta tamen æstimatione possessionis nondum habitæ, quæ etiam est pretio æstimabilis; quia jus *in re* ante possessionem adhuc periculo subest, ideoque minus valet, quam ipsa res possessa, minoremque injuriam infert impediens jus in re tantum, quo res nondum est perfecte alterius, quam auferens alicui rem, quæ est perfecte alterius. 4. Si vero impedit a consecutione boni, ad quod habuit jus imperfectum, & *ad rem* tantum, nequaquam tenetur compensare totum damnum, v. g. totum beneficium promissum, & præsentatum tantum, sed solummodo partem, seu æstimationem illius juris, & spei consequendi illud bonum, majoris, vel minoris, prudentis, & probi viri arbitrio. Communissima. Etiam Scot. 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *n.* 40. §. *Ad ultimum dico similiter, quod iste tenetur restituere beneficium, non totum, quia multum interest inter habere, & prope esse, sed aliquam portionem correspondentem alicui parti valoris beneficii*. Sic Scotus. Ratio patet ex modo dictis, quia multo minus valet *jus ad rem*, quam *jus in re*, necdum ipsa possessa.

198 II. Dixi autem, *a consecutione boni ex justitia commutativa debiti*. Nam quoad impedientes alium a consequendo bono ex sola justitia distributiva debito, utpote vere dignum, aut digniorem a consequendo, v. g. beneficio alias ab Episcopo, vel Principe libere conferendo: quia eligendus ille, quantumvis dignus, dignior, aut dignissimus, nullum tamen adhuc habet jus strictum, & proprium ad illud bonum, beneficium, vel officium conferendum, sed solum debitum aliquod morale; ideo quoad hos impedientes, eodem modo dicendum, & distinguendum est, sicut mox §. *sequenti* dicetur, & distinguetur de impedientibus alium a consecutione boni non debiti ex justitia, sed liberaliter conferendi.

199 III. Interim apud omnes in confesso est, eum, qui zelo bono, & sine vi, vel fraude impedit alium a consecutione boni indebite, ac injuste, vel vitiose conferendi, v. g. impediens Petrum vere indignum, & ineptum a collatione beneficii: aut ne consequatur injustam hæreditatem, aut legatum injustum, etiamsi vera ejus crimina occulta illius manifestes collatori, vel testatori ad eum finem impediendi, talem nec peccare, nec restitutioni obnoxium fore, quin potius laude dignum, & merito: quia maxime interest Reipublicæ, & Ecclesiæ officia non conferri indignis, neque ad illa ullum prorsus jus habent indigni. Quin etiam interest bono communi, ne bona relinquantur iis, qui eis abutentur. Quod si idem facias ex odio, vel vindicta, vel cum vi, vel fraude, alio ve simili peccato, peccas quidem contra Charitatem, vel aliam virtutem, sed quia non peccas contra justitiam in proposito, ad nullam obligaris restitutionem. Si denique talem impedias apud alios injuste infamando, peccas quidem contra justitiam, injusta læsione famæ alterius, hancque restituere obligaris, sed nihil pro bonis illis indebitis alioquin conferendis: ut in materia beneficiorum mox iterum dicam cum distinctione §. *seq.*

200 IV. Similiter e contra certum est apud omnes, eos, qui perverso, & iniquo affectu digniores, vel vere dignos impediunt quovis modo a consecutione beneficii, officii, vel alterius boni conferendi, curantque conferri patenter indignis, peccare gravissime, & ad restitutionem obligari, non quidem illis indignis, vel dignioribus impeditis, cum illi nullum adhuc jus ad ea bona habuerint, sed Ecclesiæ, vel Reipublicæ pro damnis consecutis: huic enim solum, non autem illis damnum injustum illatum est, juxta dicta *cap.* 1. §. 3. Quo quidem casu Reipublicæ, vel Ecclesiæ primo loco restituere tenetur ipse indignus habens beneficium, vel officium. Secundo loco Collator. Tertio loco tu, qui suasor, vel promotor fuisti. Quod si nullum damnum secutum est Reipublicæ, vel Ecclesiæ, huic adhuc facienda est restitutio fructuum perceptorum ab indigno: quia illud, quod est propria sustentatio ministri idonei, contra voluntatem Ecclesiæ, vel Reipublicæ, adeoque injuste, & irrite datur indigno. Quod si sine vi, vel fraude procurasti, ut, relicto digniore, conferretur minus, tamen vere, digno; aut relicto uno digno, alteri æque digno, jam ad nihil obligaberis. Non enim illi digniori, vel etiam digno relicto: hi enim non habent jus justitiæ, supra vere, vel æque dignos. Non Ecclesiæ, vel Reipublicæ: quia & his non facta est injuria, dum æque dignum acceperunt; ergo &c. Si autem per vim, vel fraudem sic facias, jam obligaberis restituere digniori, vel æque digno impedito juxta proportionem spei, quam habuit illud beneficium, vel officium consequendi: nam ille dignior, vel æque dignus gaudet jure, ne malis artibus impediatur, ut mox generaliter dicam §. *seq.*

Denique si aliquem dignum quomodocumque etiam vi, vel fraude impedias, ut beneficium, vel officium conferatur manifeste digniori, jam liquido ad nihil teneberis: quia dignus licet, non tamen habes prorsus ullum jus respectu dignioris: quare illum impediendo, & hunc promovendo, recte agis juxta intentionem Ecclesiæ, vel Reipublicæ volentis dare beneficia, vel munera dignioribus, ita exigente justitia distributiva.

§. II. *Aut etiam ex libera alterius voluntate conferendi per vim, vel dolum.*

Qui impedit alium a consecutione alterius boni, etsi minime debiti ex justitia ob aliquod jus acquisitum, sed ex libera, & determinata jam voluntate alterius conferendi, aut per vim, vel metum cogendo, vel collatorem ad non conferendum, vel alterum ad non acceptandum: aut per dolum, vel fraudem, mendaciis, detractionibus, criminationibus falsis, &c. tenetur ad compensandum damnum, non totum quidem, quia nullum ad huc jus habuit, sed partem, secundum proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illius boni consequendi. Communissima DD. cum ita intelligendis D. Thom. & Scoto *ll. cc.* *Navar. Tolet. Medina, Valentia*, aliique congestis Molina *disp.* 727. *nu.* 7. *concl.* 3. Lessius *c.* 14. *dub.* 18. *assert.* 1. Laym. *cit. c.* 7. *nu.* 3. Lugo *cit. sect.* 5. Ratio est, quia, talis impediens infert alteri damnum per veram injuriam. Nam licet Petrus, v. g. nondum ullum habeat jus ad illud bonum, beneficium, donum, ab altero gratuita voluntate conferendum, habet tamen verum jus illud ab alio petendi, sperandi, & obtinendi, atque ne in hoc ipso alius injuste, vel dolo, mendacio, aliave actione injusta impediat: ergo talibus modis ipsum impediens peccat contra justitiam lædendo jus alterius, ideoque obligabitur ad compensandum damnum secundum dictam proportionem certitudinis, vel spei habitæ ad bonum illud consequendum, juxta prudentis arbitrium. Peccant ergo gravissime, & prædictis modis ad restitutionem obligantur; 201

202 I. Qui Episcopum, vel Principem jam resolutum, ac determinatum alicui conferre beneficium, vel officium, vi vel metu cogunt, aut dolo, mendaciis, falsis criminationibus, persuadent, ut non illi, cum tamen revera dignus esset, sed sibi, vel alteri conferat. Ratio jam data est. Idemque dicendum, si simili vi, vel fraude impedias alterius digni procuratorem, tabellarium, &c. ne pro suo principali agere possit, sicque ipsum ab officio, vel beneficio excludas: ut late videre potes apud Lugo *cit. disp.* 18. Sermo autem est de impediente dignum: nam si ille prior non erat dignus, non peccabis, nec restitutionis onus contrahes, quin aliquando expediet, aliqua occulta ipsius crimina indignitatem afferentia ipsi soli collatori aperire, (ut ex communi patebit in octavo Præcepto.) *Ratio est*: Quia quando agitur de beneficiis, vel officiis, cuicumque est jus patefaciendi ea, quæ minus habilem hominem faciunt: nam propterea tunc solent capi informationes. At quid si prodas aliis, ac publice talem, occulta ejus crimina propalando, infames? Certum est, te postea teneri ad restitutionem famæ: non autem teneberis ad restitutionem valoris spei, officii, vel beneficii impediti, quippe quo indignus erat, ut supponitur. Limita tamen cum *Lessio cit.* Si talis excludatur, vel repellatur ex vi commissi criminis. Nam si excludatur ex vi infamiæ per tuam publicationem causatæ, adhuc

adhuc teneberis ei valorem spei suæ compensare. Ratio est: quia ibi excluditur a suo crimine; hic autem a tuo tantum.

203 II. Quicumque testatorem per vim, vel fraudem impediunt, ne testamentum condat, ut ipsi in hærede succedant; ut testamentum mutet, in quo hæredes jam scripti erant; aut volentem aliquem hæredem instituere, aut legatum alicui relinquere, non solum fraude, mendaciis, criminationibus contra alium, (aliquando etiam Religiosos) sed etiam importunis precibus, suasionibus, blanditiis, molestando impediunt, ut saltem ad se molestia liberandum, cogatur testamentum mutare, & sibi, vel suis relinquere. Vere enim peccant contra justitiam injustis ejusmodi mediis alios a consecutione ipsius destinati boni impediendo; adeoque proportionaliter ad compensationem damni illati obligati manent. Dolendum hic etiam Religiosos contra Religiosos reos fieri. Item huc etiam spectat, si Notarios, vel Consiliarios a moribundo eos vocante avertas, ne scilicet is testamentum, vel legatum in alicujus favorem condat. Si testatorem volentem disponere in favorem alicujus, tu falsa spe sanitatis, vel longioris vitæ a testamento condendo distrahas. *Ratio*: Quia talia facere, est per fraudem, vel vim, atque adeo injuste impedire proximum, ne bona liberaliter danda alii consequantur. Quo etiam spectat vehemens persuasio mariti, & metus probabilis incussus uxori testaturæ, si convalescat, durius habendæ a marito, nisi in testando ejus voluntatem sequatur in sui, vel suorum commodum, & impedimentum aliorum, quibus alias erat testatura, præsertim ad pias causas, & pro salute animæ suæ; ut ex Molina notat Laym. *cit. cap.* 7. Quibus, & similibus casibus, ubi ponitur ratio aliquid involuntarie agendi, oritur obligatio restituendi aliis a bono sibi destinato impeditis.

204 III. Qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus apud dominos locaturos impediunt opifices, & operarios, vel famulos ab opere, vel servitio suo, quo erant lucraturi: mercatores ab emptionibus, &c. Qui simili fraude Magistris abstrahunt discipulos, ad se, vel alios attrahunt: Judices injuste detinentes opifices, & operarios, ne operis suis interim lucrari possint. Item injuste impedientes veros mendicos, ne mendicando necessaria sibi acquirere valeant: quia licet non habeant jus exigendi eleemosynas tanquam sibi debitas, habent tamen jus eas petendi, & accipiendi, si dentur, & ne in hoc injuste ab alio impediantur. Huc reducito, quod in quinto præcepto quæri solet: obligari nimirum ad restitutionem, eum, qui suum benefactorem occidit, ea directa intentione, & motivo, ut te ejus beneficiis, vel eleemosynis privet. Dictaque maxime vera sunt, quando eleemosynæ dandæ sunt certis, & determinatis personis hujus civitatis, ditionis, studiosis, pauperibus domesticis: hos enim quomodocumque, cum, vel sine vi, vel fraude impedias, peccas, & ad restitutionem obligaberis: quia tunc illi singuli habent jus ad eleemosynam, & illis ex voluntate ita disponentis ea debetur.

205 IV. Qui injuste aperit litteras alterius, ex quibus intelligit, eum beneficium consecuturum, negotiatione lucraturum, &c. & postea impedit, vel sibi acquirit, etiam absque alia fraude, vel dolo, peccat contra justitiam, & damnum juxta proportionem certitudinis, vel spei habitæ ad illud bonum consequendum, compensare tenetur. Uti contra *Dianam* recte resolvit Lugo *cit. disp.* 18. *sect.* 5. *nu.* 104. Ratio est: Quia hoc ipso, quo injuste aperuit alterius epistolam clausam, dolose egit, ideoque tenetur ei ad compensandum damnum inde secutum; sive ab ipso aperiente, sive ab alio tertio illatum: quale damnum sine dubio est impedimentum a bono sibi destinato, vel sperato consequendo. Clarioris doctrinæ, & praxis gratia, accipe unum, aut alterum casum factum, non fictum, authentice resolutum, & ex istis disce solvere innumeros.

206 Lugo *Respon. Moral. lib.* 5. *dub.* 10. refert hunc casum: Titius litteras destinatas Joanni a bono amico, & significantes vacaturam præbendæ mille ducatorum, sciens dedit Paulo amico suo: hic litteras aperuit, & pinguem præbendam ipse impetravit, prævento, & impedito Joanne. Quid nunc de Titio? Quid de Paulo, quoad restitutionem? Quoad Titium distinguendum est. Aut enim Titius ex officio, vel pacto tenebatur litteras tradere Joanni: & tunc peccavit contra justitiam tradendo eas Paulo, & tenetur ad restitutionem totius damni. Aut non tenebatur ex officio, vel pacto, sed gratuito solum ex amicitia, vel precario accepit litteras tradendas Joanni: & sic peccavit contra Charitatem, & fidelitatem, & ad nullam obligatur restitutionem. Quoad Paulum vero etiam distinguendum est: Paulus enim solum detinendo illas litteras, solum peccasset contra Charitatem, non enim is tenebatur Joanni reddere ex justitia: si ergo ipsa sola detentio fuisset causa damni illati, & impediti commodi tanti, & apertio, ac lectio nihil novi damni causasset, nulla erit obligatio restitutionis; utpote, si Paulus aliunde rescivisset vacaturam illius præbendæ, & ideo litteras illas, ut suspectas detinuisset. At vero Paulus peccavit contra justitiam: si ipsa apertio, ac lectio fuerit vera causa damni illati, utpote, quia apertio fuit causa detentionis, quod litteræ non redderentur Joanni; sive, si Paulus per illam furtivam notitiam ex litteris apertis non prævenisset, Joannes aliunde accepta notitia adhuc illam præbendam impetrasset: utique Paulus tenebitur ad restitutionem damni illati, idque juxta taxam, & æstimationem, arbitrio boni viri, pro mensura probabilitatis, ac spei, quam Joannes habebat illam præbendam consequendi, & fruendi, si litteræ illæ apertæ non fuissent: aut securius per interpositæ personæ compositionem ad tollendos scrupulos, eo casu intricatissimos; sic latius Lugo *l. c.*

Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *a num.* 130. refert, & resolvit hunc alium similem casum. Petrus aperuit litteras directas Paulo mercatori ab amico, significantes superventuram frumenti penuriam magnam. Unde Petrus Paulum præveniens frumenti copiam ingentem, currente vili pretio coemit, postea magno pretio, & ingenti lucro venditurus, Paulo ab eo lucro impedito: Obligaturne hic Petrus ad restitutionem? Respondet *Lessius ibidem* ita distinguendo. Si Petrus omnino detinuit istas litteras, aut non consignavit tempestive Paulo, & peccavit, & tenetur ad restitutionem: Quia Paulo secutum est damnum directe ex illius detentione, vel morosa consignatione illarum litterarum. Si vero Petrus tempestive satis consignavit litteras Paulo, ipse quidem Petrus peccavit eas aperiendo, sed ad restitutionem non tenetur. Quia cum eo tempore Paulus potuisset adhuc sufficienter se applicare negotiationi, apertio litterarum remote, indirecte, & per accidens tantum se habet ad damnum Pauli. Sic *Lessius*, approbante Francisco Bardi *l.* 6. *quæst.* 15. quando ita se potuisset applicare negotiationi Paulus, ut integre intra illud tempus eam perfecisset, & sua causa non perfecit, & non ob præventionem Petri. Qua limitatione adhibita, & ego assentior: alioquin merito ambigerem cum Tamburino *l.* 8. *Decal. tr.* 3. *cap.* 4. §. 2. *n.* 5. *in fine*. 207

Sylvester *v. Emptio qu.* 17. narrat hunc casum contigisse Venetiis. Mercator acceptas litteras ab Alexandria, significantes de superventura penuria aromatum, laceravit, & abjecit in foro: has deinde collegit alius Mercator, & partibus conjunctis legit; tum magnam aromatum copiam currente vili pretio coemens, alterum prævenit, & lucrum præripuit. Quæsitum est, an secundus mercator fecerit injuriam primo, & restituere obligetur. Affirmavit Rebellus *par.* 2. *lib.* 9. *q.* 7. *n.* 9. Sed melius negat ipse Sylvest. *loc. cit.* cumque secutus Laym. *lib.* 3. *de justit. tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 4. *n.* 4. dicens: Cum enim mercator ille litteras in publicum abjecit, & veluti pro derelictis habuit, hoc ipso omnibus fragmentorum illorum potestatem, ac usum concessisse censetur, et proinde quisque in suum commodum iis uti potuerit. Igitur recte resolvit ibid. *Sylvest.* Si quis litteras in publicum locum abjectas legat, solum ut sciat, curiositas est: si, ut sibi provideat, commodisque suis studeat, humana, non vitiosa, prudentia est. Ita cum *Sylvest. Laym.* recte tamen notans ibidem: si litteris abjectis aliquid occultum quis legat, eum peccare contra Charitatem, immo & contra justitiam, si illud aliis, vel alteri manifestet, unde damnum injustum alicui contingat. Quemadmodum si Titio hominem quærenti ad necem injustam, tu ostendas locum, ubi latitat, homicidio cooperari censeris. Tandem merito monet Tamb. *lib.* 8. *tr.* 3. *cap.* 7. §. 12. *n.* 16. non excusandum esse a dolo, & consequenter injustitia illum, qui legeret litteras alterius, quas in iis circumstantiis invenit, ut certo moraliter judicet, non esse consulto derelictas, sed casu, & involuntarie, aut certe velle secretas manere: tunc enim dominus non poterit censeri eas pro derelictis habere, earumque usum liberum aliis reliquisse, ideoque non militabit ratio excusationis in dicto casu allegata a *Laym.* 208

§. III. *Secus, si sine vi, vel fraude impediat.*

Qui impedit alium a consecutione boni non debiti ex justitia, sed ex gratuita alterius voluntate etiam jam omnino determinata, attamen sine omni vi, fraude, mendacio, solis communibus mediis persuasionis, consilii, precum, &c. idque maxime in suum, vel suorum dumtaxat commodum absque ulla intentione offendendi, vel damnificandi alterum, vel alios, is non peccat contra justitiam, nec ad ullam restitutionem obligatur. Communis DD. *Cajetanus*, *Paludanus*, *Sylvest. Navar.* aliique cit. Molina *disp.* 727. *concl.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. Laym. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 7. *nu.* 1. Lugo *cit. disp.* 8. *sect.* 5. *num.* 93. Ratio est: Quia talis utitur jure suo, quod habet ad alterum persuadendum in sui, vel alterius utilitatem: neque alteri impedito, vel prævento ullam infert injuriam, cum is ad illud bonum sibi destinatum, nullum adhuc jus acquisierit; ideoque sicut collator absque ejus injuria poterat libere mutare voluntatem suam, ita sane alius sine illius injuria 209

juria potest collatorem inducere ad mutandam voluntatem suam: tandem supponitur, illud fieri nullo injusto medio, vi, fraude, mendacio, &c. ergo non peccat contra justitiam.

210 Non ergo peccat contra justitiam, nec restituere quidquam obligatur, qui Episcopum jam determinatum ad Ecclesiasticum beneficium alicui conferendum, suasione, vel precibus eo perducit, ut sibi, vel alteri etiam minus digno conferat, uti contra plures recte docent Navar. *cap.* 17. *num.* 72. *Sotus*, *Toletus*, *Sa*, alii cum *Lessio*, *Lugo*, Laym. *cit. n.* 2. Omnino enim est eadem ratio. Item, qui collatorem suasu, vel precibus movet, ut officium, legatum, donum gratuitum, &c. non ei, cui jam destinarat, sed sibi, vel alteri conferat, immo accedente justa causa, & recta intentione, v. g. quia alter, cui bonum illud destinatum erat, minus indiget, minus dignus est, aut eo abusurus esset, &c. bonum opus erit ita impedire. Idemque dicendum in cæteris casibus §. præced. N. I. II. III. allatis. *Neque obstat*: quod collator jam determinatus erat animo huic, & non alteri conferre: ea enim voluntate nullum adhuc jus in alterum transtulit, & sine ejus injuria poterat illam voluntatem mutare per se: ergo etiam suadente, vel inducente alio. Neque etiam his obstat dictum Aristotelis 2. Physicorum ca. 5. *Quod parum distat, nihil distare videtur*: adeoque posse eum dici infortunatum, cui parum defuit, ut aliquod bonum consequeretur, quia intellectus concipit illud, ac si jam esset, & postea consecutus non est; hoc enim intelligi debet in ordine ad effectus naturales gaudii, vel tristitiæ in eo casu: non item in ordine ad effectus morales, & juridicos: plurimum enim distant spes proxima, & res ipsa. *Plurimum distat, qui proximus fuit, ut eligeretur Papa, a vero Papa electo de facto*, ait Lugo *cit. num.* 94. forte expertus loquens.

211 Tandem si ex bono zelo, & prudenti consilio ejusmodi facias, nec peccas, nec restitutionis es obnoxius: quia ubi nulla est culpa, ibi nulla debet esse pœna: & prudens consilium non est restitutionis pœna mulctandum: quin etiam in specie nec peccant, nec restitutionis obligationem contrahunt Religiosi, qui ex recto zelo salutis Testatoris, illi suadent, ut potius aliis, quam Ecclesiæ matrici, bona relinquat: non obstante *Clement.* 1. *de privilegiis*, sub excommunicatione, & mortis æternæ comminatione prohibente Religiosis, ne dum intersunt testamentis condendis, retrahant testatores a legatis faciendis matricibus Ecclesiis, sed sibi potius, vel suis monasteriis conferendis. Est enim præceptum positivum pro illo casu particulari dumtaxat conditum ad pacem inter Clericos, & Religiosos conservandam, & necessario aliquam saltem imprudentiæ culpam supponens: bona autem, & prudentis consilia sub tam gravi pœna certe prohiberi non potuerunt, ut notant *DD. mox citandi*. Sed esto Religiosi, qui se in hoc imprudenter, & culpabiliter gerunt, peccent graviter, & excommunicationis reatum incurrant: attamen seclusa vi, vel fraude ad nullam obligabuntur restitutionem, saltem ante Judicis Ecclesiastici Sententiam: quia in Canone allegato hæc pœna non apponitur. Ita Sanchez ex professo *lib.* 2. *consil. cap.* 1. *dub.* 49. *num.* 2. Lugo *loc. cit.* Tambur. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 4. §. 2. *num.* 4.

§. IV. *Esto etiam ex odio, vindicta, aut expressa intentione nocendi ita faciat.*

212 Etiam hunc peccare contra justitiam, & ad restitutionem obligari, qui ex odio, vindicta, aut expressa nocendi intentione alium impedit a consecutione alicujus boni non debiti ex justitia, seclusa tamen omni vi, vel fraude, affirmant *Richardus*, *Paludanus*, alii antiqui; & videntur docere ipsi principes: D. Thomas 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 4. Et omnino Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 4. §. *Ad ultimum dico similiter*, *n.* 40. Pono ejus verba. *Iste tenetur restituere beneficium, &c. si directe abstulit sibi beneficium intentione damnificandi eum: si autem indirecte, scilicet procurando sibi ipsi, & cum hoc etiam damnificare alium intendebat, tenetur, ut dixi. Sed si tantummodo propriæ utilitati intendebat providere, & sic procurat sibi, & ex consequenti alius præter intentionem illius damnificatur, iste ad nihil tenetur illi, quia licet unicuique providere sibi ipsi, alio neglecto.* Confirmatur hoc per illud L. 1. §. *idem ajunt*, *ff. De aqua pluvia arcenda. Si præscindo venas in fundo meo, per quas derivabatur aqua ad puteum alterius, intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni: Sed si hoc facio sine fraude, intendens consulere utilitati propriæ, ut, quia mihi est utile facere murum, qui non potest convenienter fundari, sine præcisione venarum illarum, non damnifico alium: quia jus habeo faciendi utilitatem meam in fundo meo, &c.* Hæc, & plura Scotus. Adde etiam in plerisque aliis casibus solam intentionem pravam nocendi inficere opus contra justitiam, quod sine tali intentione non esset contra justitiam. E. g. Mulier prægnans sumens medicinam in infirmitate gravi: si sumat ex solo motivo sanitatis, non est homicida, secuto abortu: si tamen intendat occisionem prolis, est homicida: Idemque est de Medico procurante talem medicinam. Item gladium apud se depositum alteri occisuro reddens, animo reddendi depositum tantum, etsi sequatur occisio, non erit homicida: si autem reddat, intendens occisionem futuram, erit homicidii particeps. Item in mutuo accipiens aliquid ultra sortem datum, ut debitum putatum, animo tamen accipiendi, ut gratis ablatum ex gratitudine, non erit usurarius; si vero accipiat cum intentione tanquam sibi debitum vi mutui, erit usurarius, & restitutioni obnoxius, & sic in aliis. Ergo similiter in proposito impediens alium a consecutione alicujus boni ex odio, & directa intentione nocendi, vel damnificandi alium, peccabit contra justitiam, & restitutionis reatum contrahet, etsi seclusa ea intentione nocendi, sed solum sibi providendi gratia impediens, nec contra justitiam peccet, nec obligationem contrahat. Sed his non obstantibus,

Vera est communis Sententia opposita negans eo etiam casu obligationem restitutionis. *Ita Sotus*, *Navar. Molina*, *Sanch. Less. Laym. ll. cc.* Tambur. *cit. n.* 4. testans hanc esse communem Theologorum, & Canonistarum sententiam. 213
Ratio manifesta est. Quia quando ipsum opus ex se, & objecto suo non est contra justitiam, eo quod nullum lædat jus alterius, neque intentio interna prava lædendi alterum faciet, ut sit contra justitiam: sola enim intentio interna nocendi, absque externa læsione juris alterius non est contra justitiam, nisi solum in affectu, quod idem est, ac contra Charitatem, ex qua nulla oritur obligatio restitutionis: atqui impedire aliquem a consecutione alicujus boni non debiti ex justitia, sed ad quod alter nullum adhuc jus habuit, ex se, & objecto suo non est contra justitiam, si id fiat absque prava intentione nocendi secundum omnes, etiam Adversarios: ergo etiam intentio ipsa prava nocendi, vel lædendi alterum, non faciet, ut sit contra justitiam, nec consequenter inducet obligationem restituendi. *Scotum* recte explicat *Cavellus Scholiastes* de intentione lædendi, seu damnificandi proximum per fraudem. Sicut & lex illa de incisione canalis solum in foro externo, concedit actionem de dolo; ut ostendit Molina *disp.* 709. sed concedendo illud, & omnia reliqua exempla allata ratione intentionis pravæ nocendi fieri peccata contra justitiam. Ad propositum negatur consequentia, & paritas, hac universali assignata Regula disparitatis. Quotiescumque opus aliquod ex objecto suo, vel in iis circumstantiis, non est læsivum alicujus juris alterius, ita ut sine injuria possit id quis illi directe velle, tunc etiam intentio prava nocendi non facit, ut sit contra justitiam cum onere restitutionis, ob rationem modo datam.

I. Exempla sunt: si judex reum morte dignum capite plecti jubeat, licet ex odio, & pessima intentione vindicandi, vel damnificandi faciat, non tamen peccat contra justitiam: quia actio ipsa in iis circumstantiis, non est læsiva juris alterius. Item qui proximo in gravi necessitate constituto, ex mero odio, malitia, & pessima nocendi, ipsumque affligendi cupiditate, subsidium negat, non ideo peccat contra justitiam, nec aliquid restituere tenebitur, quocumque etiam secuto damno. Quia ea actione nullum læsit jus alterius; & ita in similibus. Eadem ipsissima ratio est in proposito de eo, qui simili prava nocendi voluntate impedit alterum a consecutione boni ex justitia non debiti. 214

II. Quando vero opus ex natura sua, vel in his circumstantiis est læsivum juris alterius, ut quis ei illud directe velle non possit, tunc, etsi habeat quis jus exercendi illud opus in suum commodum, permittendo indirecte alterius damnum: intentio tamen prava nocendi, vel damnificandi alterum, faciet illud opus esse contra justitiam cum obligatione restituendi damnum secutum. *Ratio est*: Quia ad obligationem restituendi requiritur, ut damnum a te procedat ut causa; ad hoc autem, ut damnum a te procedat ut causa requiritur intentio damnificandi, quando opus tale est, ut in tuum commodum jure exercere potuisses; si ergo tali intentione exerces, ut vera causa proximum injuste damnificas. Atque ita se habent exempla allata de incisione canalis, de medicina sumpta cum periculo prolis, de restituendo gladium, de accipiendo lucrum ultra sortem: ut bene consideranti liquido apparebit. Vide Lugo *disp.* 8. *sect.* 5. & rursus *disp.* 18. *sect.* 5. *a num.* 98. 215

SECTIO VI.

Quid restituendum ex contractu justo, & licito.

SUMMARIUM.

216 *Obligatio restitutionis ex contractu duplex.* Usq; ad n. 219.
219 *Quando res determinata in individuo apud alium perit casu, Domino, seu creditori perit*, & 220.

221 Ex-

221 *Exceptis tribus casibus*. Usque ad 224.
224 *Si vero res indeterminata in certo genere pereat, debitori perit*.
225 Usque ad n. 229. *Casus, & exempla varia*.
229 *Si res pereat culpa debitoris, jure naturali tenetur is solum ex dolo malo*.
230 *Leges vero civiles, & canonicæ statuunt I. ut, quando contractus factus est in utilitatem solius dantis, debitor recipiens teneatur solum ex dolo, & culpa lata, non levi, vel levissima*.
231 *II. Si autem factus sit in utilitatem utriusque, recipiens, seu debitor teneatur ex culpa lata, & levi, non tamen levissima*.
232 *III. Si vero factus sit in utilitatem solius recipientis, tenetur is ex omni culpa, lata, levi, & levissima*.
233 *Quæ leges juxta communiorem obligant in conscientia etiam ante Sententiam Judicis*.
234 *Probabilior tamen est sententia opposita, scilicet non obligare in foro conscientiæ ante sententiam Judicis*.
235 Usque ad n. 239. *Inferuntur, & resolvuntur varia*.
239 *Prædicta omnino intelligenda sunt tam in veris, quam in quasi contractibus*.
240 *Saltem post sententiam Judicis in nostra probabilissima sententia*.

216 EX contractibus justis, & legitimis duplex oritur obligatio restitutionis. Una *formalis*, & immediata. Altera *radicalis*, & mediata.

Formalis, & immediata est obligatio restituendi, reddendi, vel solvendi id, quod in contractu promissum, ac debitum est. V. g. solvere pretium pro re empta, reddere mutuum, commodatum, depositum, solvere pretium pro re, vel opera locata. Et hæc obligatio est omnino juris naturalis, eaque mortalis, vel venialis pro ratione debitæ materiæ majoris, vel minoris momenti, accedente etiam obligatione compensandi damna emergentia, vel lucra cessantia creditori, ex culpabiliter, & injuste negata, vel dilata solutione, juxta generatim dicta supra *de possessore malæ fidei*. Eo ipso enim, quo debitor est in culpabili mora solvendi debitum, incipit esse possessor iniquus, & malæ fidei, & quoad illud interesse, debitor ex delicto. Et de hac obligatione in particulari non est hic locus tractandi, sed pendet ex natura cujusque contractus in particulari in materia de contractibus specialiter tradenda, Deo volente, inferius suo loco *p. 6*.

217 *Radicalis, & mediata* obligatio restitutionis ex contractu, est obligatio compensandi damnum ipsius rei debitæ ex contractu: si nimirum res debita, vel obligata alteri per contractum, ante traditionem, vel restitutionem apud debitorem pereat. Circa quod maxime refert, an res pereat casu, an culpa tantum, an dolo debitoris. Casus in proposito dicitur *rei inopinatæ eventus, qui neque a diligentissimo caveri potuisset*: ut si res tibi vendita, vel commodata inopinato incendio, vel direptione hostium pereat. Culpa dicitur, *defectus ab eo, quod bonum, & debitum est, hominisque diligentia præstari potest*. Eaque alia Theologica, alia politica, lata, levis, levissima: jam supra *sect.* 1. explicata. Dolus malus dicitur *exercitium industriæ*, deliberate scilicet agendo, vel omittendo aliquid ad alterum decipiendum in damnum suum: adeoque fit cum formali proposito, & directa intentione nocendi alteri, & ideo semper est peccatum, & culpa Theologica. De hoc apud omnes in confesso est, quod si res pereat per dolum malum debitoris, seu quamcumque culpam ejus Theologicam gravem, ipsius solius damnum esse, cum obligatione integre compensandi. Ut ex dictis *sect.* 1. §. 4. satis superque constat. At res valde intricata est, si res debita pereat, vel casu, vel culpa civili tantum debitoris. Sit

ASSERTIO VII.

218 *OMnis res, quæ solo casu perit, suo Domino perit: ideoque si res determinata in individuo pereat, creditori perit, per se loquendo, exceptis certis casibus: si vero res indeterminata in certo genere pereat, debitori perit: quod si vero res pereat culpa debitoris politica, perit, aut debitori, aut creditori etiam, proportione culpæ, & contractus per leges statutas: attamen, secluso dolo, & culpa gravi Theologica, aut speciali assecurationis pacto, probabilius non obligantes in foro conscientiæ ante judicis sententiam. Idque tam in veris, quam quasi contractibus proportionaliter*. Est tota communis.

§. I. *Si res determinata in individuo pereat, creditori perit, &c.*

219 EXemp. Gr. hunc equum, hanc vestem, hunc librum, deposito, commodato, vel locato, aut in pignus accepisti a Petro, & absque omni tua culpa mero casu apud te perit, incendio, naufragio, furto improviso, &c. perit Petro creditori, & tu nihil compensare, vel restituere teneris. *Omnes*. Est enim regula juris: *Omnis res, quæ perit, suo domino perit*. Quod maxime verum est de domino proprie dicto, & actuali: atqui Petrus creditor est, & manet proprie dictus, & actualis dominus rei depositæ, commodatæ, locatæ, vel in pignus tibi datæ: ergo ipsi perit, si sine tua culpa pereat: ubi enim nulla adest culpa, neque debet esse pœna: nec consequenter restitutionis obligatio in toto, vel in parte: ergo omnino liber es.

Contra: Hunc equum, hunc librum, & generaliter hanc numero mercem, adeoque etiam hoc dolium vini, hunc acervum tritici, &c. *in caput*, (de quo mox infra) emisti a Petro, pretio convento, vel etiam soluto, & similiter, antequam tibi tradatur, perit apud venditorem, vel alium mero casu, citra omnem ejus culpam: tibi perit, non Petro venditori: isque nihil amplius compensare tenetur: quin tu eo casu pretium nondum solutum adhuc solvere cogeris. Sic enim expresse statuitur in Jure civili Institut. De emptione, & venditione, ibi: *Cum emptio, & venditio contracta est (quod efficaci diximus simul, ac de pretio conveniunt) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit*. Hæc ibi. Ratio autem est: Quia licet emptor ante traditionem nondum sit proprie, & actualis dominus rei, tamen leges ita voluerunt, tanquam naturali æquitati valde consonum, ut sicut totum commodum, ita etiam periculum rei venditæ pertineat ad emptorem. *Excipe*: Nisi aliter conventum sit, quod scilicet periculum rei venditæ ante traditionem ad venditorem spectet: aut nisi venditor fuerit in culpabili mora tradendi rem emptam: quæ, si periit interea, similiter non peritura apud emptorem, tunc ipse venditor damnum præstare cogitur. *L. Quod si neque ff. de periculo, & commodo rei venditæ*. Et Ratio est: Quia mora sua cuique nocet: & jam aliquatenus res perit culpa venditoris culpabiliter morosi. 220

Cæterum a Regula nostra supra dicta generatim excipiuntur tres casus, quibus res talis debitori perit, & compensari debet. *Primus*. Quando intercessit pactum assecurationis, seu præstandi damnum cujuscumque eventus, etiamsi res fortuito pereat. 221

Secundus. Si res aliena pereat, cum debitor ea utitur ad usus non concessos: ut si equum conductum, vel commodatum pro uno tantum itinere, v. g. Salisburgum, utaris etiam pro alio, v. g. Augustam, eoque itinere pereat: aut concessum ad equitandum tantum, tu utaris ad vecturam, sicque pereat, &c. damnum præstare teneberis. 222

Tertius. Quando debitor est in mora culpabili restituendi rem eo tempore, quando domino restituta non periisset: ad hoc enim obligaberis ex delicto injustæ detentionis. His nimirum in casibus debitor damnum rei alienæ debitæ, etsi omnino casu, & inconsulto factum, etiam in conscientia, etiam sub mortali compensare debebit: partim ex pacto prædicto, in primo casu, partim ex delicto, in secundo, & tertio casu. Quia eo usu inconcesso, vel culpabili mora ad detentionem, res injusta fuit damni illati domino rei: sic habet communissima DD. meique citati omnes. Notat tamen recte Tamb. *lib.* 8. *tr.* 3. §. 1. *nu.* 12. debere tam in usu inconcesso, quam in mora illa inculpabili adesse culpam gravem Theologicam, & fidem malam, juxta generaliter dicta *sect.* 1. *a n.* 44. si enim bona fide putet debitor, ea non displicere domino rei, non erit obligandus ad restitutionem rei perditæ, aut damnorum inde secutorum, in foro conscientiæ, & ante sententiam Judicis. 223

§. II. *Si res indeterminata in certo genere pereat, debitori perit.*

QUando nimirum res indeterminata in aliquo genere debetur, periculum est debitoris, antequam tradatur: ideoque si quovis casu pereat, ipsi perit, & adhuc compensanda erit. *Ratio est*: Quia ex una parte, genus perire non potest: ex altera autem parte, omnis res suo domino perit: at res sic indeterminata debita, antequam reddatur, semper manet in dominio debitoris, ut patebit in exemplis. 224

I. Ex empto, censu, mutuo, &c. debes Titio centum aureos, tot scaphas frumenti, tot urnas vini, &c. eaque jam destinata volebas tradere: sed interea casu, vel alterius malitia periit, tibi periit, & adhuc solvere teneris, ob rationem dictam. 225

II. Ex equili, ovili, armento tuo, vendis alicui tot equos, oves, boves, vel vaccas, v. g. centum, non determinando in individuo: Item ex cella vinaria vendis tot plaustra vini, ex horreo, vel acervo tot modios frumenti, nondum tamen determinatos, vel mensuratos; sed adhuc cum reliquo tuo vino, vel frumento commixtos: tametsi plura prædictorum tibi pereant, non tamen liberaris, quia potes, & debes dare de reliquo. Quod si tamen omnes tui equi, oves, & boves, totum tuum frumentum, totum vinum pereat in incursu hostili, incendio, naufragio, &c. obligatio quidem cessa-

cessabit utique; sed pretium acceptum etiam in parte reddere debes, ut ex communi notat Lugo *disp. 16. sect. ult.*

227 III. Idem dicendum, quando vendis totum tuum vinum, vel hoc totum vas: omne tuum frumentum, vel totum hunc acervum: totum gregem: sed ad mensuram indicto pretio in singulas urnas, modios, vel capita gregis: quia tunc res censetur vendita sub conditione, si mensuretur, vel numeretur: ideoque periculum, donec emptori mensuretur, vel numeretur, penes te venditorem manet juxta *L. Quod sæpe, ff. De contrahenda emptione*. Secus autem dicendum, quando venderes omne tuum vinum, vel frumentum, aut gregem tuum ad corpus, indicto scilicet pretio pro toto, & non referendo ad mensuram, vel numerum: Quia tunc tota res absolute venditur, tanquam quid determinatum *in specie* (ut loquuntur Juristæ, Philosophis potius dicendum in individuo) adeoque periculum spectabit ad emptorem, vel venditorem, juxta dicta §. *præced.* in medio.

228 IV. Eadem ratione dicendum in aliis contractibus, in quibus non eadem res numero redditur, ut in mutuo, censu, &c. ut habetur Instit. Quibus modis contrahitur obligatio, §. item is. *Qui mutuo accepit, si quolibet fortuito casu amiserit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum, hostiumve incursu, nihilominus obligatus manet*. Hæc ibi. Unde si mutuum, vel censum per nuntium, utputa, fidelem, & cautum, transmittas creditori, isque in via fugiat, vel despolietur, tuum erit damnum, & denuo solvere debes, *secundum omnes*, ob rationem initio dictam: quia res mansit sub tuo dominio, ideoque tibi periit. *Excipe*: Nisi ipse creditor nuncium miserit, non tantum ad petendam solutionem, sed etiam accipiendum debitum: tunc enim ipse periculum in se suscipere censetur, *juxta L. si mei causa, ff. depositi*. Vide late Molinam *tract. 2. disp. 296.* Et hactenus de debitis casu amissis.

§. III. *Quod si vero res pereat culpa debitoris &c.*

229 CErtum est, tunc debitorem jure naturali solum teneri *ex malo dolo*, ut vocant Juristæ, & ex culpa Theologica gravi (qualis ordinaria etiam est culpa lata civilis, ut jam supra notatum) ad compensandum damnum sub mortali, quippe cujus voluntaria, & injusta causa ipsi existit. Si vero culpa Theologica levis, vel venialis tantum intercessit, sive ex parvitate materiæ, sive ex imperfectione actus, eodem modo dicendum hic, quo supra dictum assertione 1. §. 4. *De restit.* ex delicto per culpam venialem tantum; quia hic etiam intervenit delictum. Quod si denique res debita pereat apud debitorem, Jure civili, & canonico per Leges ita statutum est.

230 I. Quando contractus factus est in utilitatem solius dantis, ut est depositum, debitor recipiens tenetur solum ex dolo, & culpa lata, non autem levi, vel levissima. Ita *L. Contractus, ff. de Regulis juris*. Ut si quis apud te suam pecuniam, librum, aliamve rem deponat, absque ullo commodo tuo, si ea pereat sine dolo, vel culpa lata tua, quamvis non desit culpa levis, vel levissima, ad nihil obligaris restituendum. *Ratio est*: Quia æquitas postulat, ut, cum accipienti nulla fit gratia, vel utilitas, non teneatur is ad majorem custodiam, quam illam, quam homines communiter adhibere solent: hæc autem solum excludit culpam latam, vel dolum: ergo &c. Unde si in domo tua deposita-ria, oriatur incendium, immineat incursio hostium: vel simile periculum, non teneris ex justitia custodire, vel conservare res depositas, neglectis tuis, etiam vilioribus. Quod si tamen, ita suadente æquitate naturali, & lege Charitatis, aliena pretiosiora præferendo, propriorum jacturam fecisti, compensationem proprii damni exigere poteris, & alter præstare tenebitur. Cum enim in pari causa quisque præferre possit propria alienis, utiliter domini negotium gessit depositarius, qui in ejus gratiam, posthabitis suis vilioribus, res ejus pretiosiores ab interitu vindicavit: nemini autem suum officium nocere debet. In quo consentiunt Juristæ, & Theologi pro utroque foro.

231 II. Quando contractus factus est in gratiam, & utilitatem utriusque contrahentis, scilicet tam dantis, quam recipientis, ut emptio, venditio, locatio, conductio &c. Ut si quis tibi locet equum, vel domum pro pretio: recipiens, seu debitor tenetur ex dolo, culpa lata, & levi non tamen levissima. *Citata L. Contractus ff. eod. tit.* & DD. communiter. Ratio est: Quia hoc ipso, quod contractus cedat etiam in utilitatem recipientis, non debet is obligari ex solo dolo, vel culpa lata, sicut si cederet in utilitatem solius dantis. E contra: Quia contractus etiam cedit in utilitatem dantis, non debet recipiens obligari etiam ex culpa levissima, nullo prorsus periculo ad dantem spectante, sicut si esset in gratiam solius recipientis; ergo medium tenendum; culpa lata, & levis ad recipientem, levissima vero ad dantem redundabit. Eo que ipso, quod dans accipit justum pretium pro re sua locata, non tenebitur eam recipiens præferre in periculo rebus suis ex justitia, nisi valde vilioribus, cum spe recipiendi compensationem juxta paulo ante dicta, & mox iterum dicenda §. *sequenti*.

III. Quando contractus factus est in gratiam, & utilitatem solius recipientis, uti est commodatum, vel precarium, ut si quis equum, vel librum suum tibi gratis accommodet, recipiens tenetur ex dolo, & omni culpa lata, levi, levissima, si res pereat: Excepto solo casu fortuito, *L. Si ut certi, ff. commodati*. Ratio est: Quia æquitas postulat, ut cum quis gratis utitur re aliena, adhibeat exactam rei accommodatæ custodiam, qualem quisque prudentissimus paterfamilias rebus suis adhiberet, adeoque omnem culpam etiam levissimam excludet: casum autem fortuitum nemo etiam prudentissimus excludere potest: ergo. Unde *L. argumentum, ff. commodati* dicitur: *Argentum accommodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum ut non debuerit quis æstimare futurum ut a quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum, detrimentum erit, si id mali homines intercepissent*. Hæc ibi. Et hinc secundum Juristas (immo & plures Theologos, *Sylvestrum*, *Molinam*, *Lessium*, alios fere communiter, etiam in foro conscientiæ) in periculo incendii, vel alio simili, tenetur commodatarius res commodatas præferre suis. Quia æquitas non patitur, ut commodans damnum sustineat occasione ejus contractus, qui in gratiam solius commodatarii institutus erat: ipse vero commodatarius a damno immunis maneat. Atque adeo commodatarius si res suas præferat rebus commodatis, æque, vel magis pretiosis, ad restitutionem obligatur: non item, si minus pretiosis, vel vilibus: quia illud diligentissimi cujusque officium, & consilium est, pretiosa præferre vilibus. Et in pari causa, (cum scilicet res tuæ, & alienæ, sunt æque pretiosæ) magis convenit commodatarium, in cujus gratiam, & utilitatem contractus factus est, ex fortuito casu damnum sustinere, cui aliquam tandem causam, qualicumque etiam levissima culpa sua, dederit. Ita isti. Sed de hoc mox iterum mitius. 232

IV. Has Legum constitutiones tanquam æquissimas etiam obligare, & servandas esse in foro conscientiæ, & ante sententiam Judicis, docet sane communior DD. cum S. Thom. 2. 2. *q. 62. art. 6.* Navar. *c. 17. nu. 181.* Molina, Vasquez, aliique cit. *Laym.* Ratio est: quia, licet in his nullum peccatum, seu culpa Theologica interveniat, tamen positis istis legibus, homines iis legibus subjecti, censentur, saltem virtualiter, celebrare suos contractus juxta illas leges, adeoque contrahens ex natura contractus initi, etiam ad talem culpam politicam evitandam, tantamque diligentiam adhibendam obligasse se censetur, & consequenter, si deficiat, etiam ad compensandum damnum. Etenim leges illæ non sunt pænales, aut fundatæ in præsumptione fraudis, sed fundatæ in summa æquitate naturali. Nam (ut optime explicat *D. Thom. loc. cit.*) ipsa æquitas naturalis postulat, ut cum quis per contractum rem alterius in suam solius utilitatem accepit, Dominus nullum ex suo beneficio damnum patiatur, si vel minima, aut levissima culpa ex parte utentis interveniente pereat: Si vero in gratiam solius dantis cedat contractus, ut in nudo deposito, æquum non est, ut accipiens majori onere gravetur, quam alius, qui extra contractum damnificavit, & solum obligatur ex culpa lata. Quando denique contractus in utriusque partis utilitatem cedit, ut in locato, æquum est, ut damnum, damnive periculum dividatur inter utramque partem, & dans saltem damnum ex levissima culpa ortum ferat, ut N. II. explicatum. Omnino probabilis, & sine dubio tutior sententia. Nihilominus sit 233

§. IV. *Attamen, secluso dolo, vel culpa gravi Theologica, aut speciali assecurationis pacto, probabilius non obligaris in foro conscientiæ ante Judicis sententiam.*

PRobabilissimum nimirum est, in foro conscientiæ, ante Judicis sententiam, neminem obligari sub mortali ad restitutionem, seu compensationem damni, si res ex contractu debita pereat ex sola ipsius culpa levissima, levi, immo lata politica tantum, immo etiamsi Theologica venialis negligentia, vel quandoque inadvertentia interveniat; sed solum, si ex culpa gravi Theologica, vel dolo res periit, aut si speciale assecurationis pactum, etiam casum, & omnem etiam levissimam culpam præstandi initum fuit, quod utique in conscientia servandum erit. Ita universim Sotus *l. 5. de instit. qu. 7. a. 4.* Tolet. *l. 5. c. 8.* Sa, *v. culpa, n. 2. & v. commodatum*, aliique congestis Lugo *tom. 1. de just. disp. 8. sect. 8.* Diana *p. 2. tr. de contract. resol. 29.* Tamb. *l. 8. tr. 3. c. 5. §. 1. a n. 1.* Et probabile censet ipse, alioquin contrarius, Lessius *l. 2. c. 7. dub. 8.* Ratio est: Quia sistendo in jure naturæ præcise, nemo censetur sese sub gravi culpa obligare velle ad tam exactam diligentiam, ut omnem, etiam politicam tantum culpam excludat, & citra suam gravem culpam, gravem, & mortalem restituendi obligationem contrahat. 234

trahat. Leges autem illæ positivæ, aut sunt pœnales ad acuendam diligentiam, & sinceritatem hominum, excludendamque omnem fraudem in servandis contractibus, & sic non obligant in conscientia ante Judicis condemnationem, aut dato, non esse pœnales, certe cum tanto rigore non sunt receptæ in foro conscientiæ, ante sententiam Judicis: ut probabile etiam putat *Lessius loc. cit.* Et gratis omnino asseritur contrahens intendere suos contractus facere secundum illas leges. Nemo enim est, qui res sibi commodatæ, vel locatæ, vel in pignus datæ, putet se majorem custodiam adhibere debere ex justitia, quam ipse Dominus suæ rei adhibere solet: solet autem adhibere custodiam cum ordinaria humana diligentia, non exquisitissima: ideoque homines in contrahendo obligant se solum ad diligentiam humanam, & moralem, qualem scilicet in rebus suis ponerent: hoc est, nolle advertenter committere dolum, aut culpam gravem. Ubi tamen diligenter advertendum est, ad vitandum peccatum mortale, seu culpam gravem Theologicam, & consequenter obligationem restitutionis sub mortali, utique majorem requiri diligentiam moralem in servandis rebus majoris momenti, quam in rebus minoribus: item in rebus gratis commodatis in sui solius utilitatem, quam in locatis pro pretio in commodum utriusque vel deposito, quod est in gratiam solius dantis, ita enim ipsa recta ratio dictat. Ex his, quoad conservationem rei alienæ ex contractu habitæ vel debitæ probabiliter resolves,

235 I. Rem alienam, non tantum tibi depositam in utilitatem solius deponentis, aut pro pretio locatam, in utriusque commodum; sed etiam gratis tibi commodatam in tui solius utilitatem, in periculo interitus, incendii, rapinæ &c. non teneris in conscientia præponere rebus tuis, eamque servare cum jactura rei tuæ, æque pretiosæ, multo minus pretiosioris, (saltem quando non certo speras, te pretium rei tuæ recuperaturum, quod certe valde rarum.) Ita contra plures supra Bonac. *disp. 3. de contract. qu. 1. propositione 6. n. 23.* Lugo *t. 1. de justit. disp. 8. sect. 10. nu. 139.* Tamb. *cit. c. 5. §. 3. nu. 2.* omnino pro certo habens: Ratio est: quia nemo tenetur, nisi expresse promiserit, res alienas quomodocumque habitas conservare faciendo extraordinarias expensas, sed tantum ordinarias, & communes, *secundum omnes*. Atqui in proposito, si deberes rem alienam conservare cum jactura rei tuæ, æque, vel magis pretiosæ, utique deberes conservare cum expensis maxime extraordinariis, quas certe vix unquam sperare potes, a domino rei compensandas: quando enim Dominus volet (certe non tenebitur unquam) eas tibi compensare? deberet enim pro conservatione rei suæ tantum tibi, vel plus reddere, quam sua res valeat, & sic tantumdem intererit domino, si res suas tuis prætulisses, quam si non prætulisses, negotio minime utiliter gesto: ergo &c. Quando tamen in raro, vel potius metaphysico casu sperares, certo te pretium rei tuæ recuperaturum, omnino fatendum erit, te obligari ad conservandam rem alienam præ tua æque, vel magis pretiosa, quia tunc tu nihil amitteres, quare non haberes caput, vel causam, unde excusareris a conservanda re proximi, ipsi tam chara, & tam care solvenda.

236 II. Quin probabile est, te non teneri conservare rem proximi pretiosiorem cum jactura rei tuæ vilioris, tamen tibi alicujus momenti, ita ut ejus jactura tibi notabile detrimentum pariat, nisi similiter moraliter certus esses, te posse tuum pretium recuperare. *Ita cum aliis Lugo*, & *Tamb. cit. n. 5.* Ratio est similis prædictæ: quia nemo intendit in iis contractibus se obligare ad expensas faciendas pro re aliena conservanda cum gravi suo detrimento, vel periculo. Neque verum est, quod *Molina*, *Bonacina*, & alii inculcant, negligentem tunc rem alienam pretiosiorem pro conservanda re sua minus pretiosa semper committere culpam, cum vir prudens id nunquam esset facturus. Nam omnes prudentes licite evitare possunt suum notabile detrimentum, neglecto alterius etiam gravi proportionaliter damno. Numquid enim prudenter faciet paterfamilias modicæ fortunæ, qui centum aureos suos, sine spe recuperandi, vellet amittere, ut conservaret gemmam pretiosam, vel clinodium mille ducatorum præ divitiis alicujus Principis? Apage cum ista prudentia.

237 III. Quod si tamen res tua vilior non sit tibi alicujus momenti, sic, ut ex ejus jactura non sis notabile detrimentum incursurus, debebis ei præferre, & conservare rem alienam pretiosiorem, juxta eosdem modo citatos, & alios communissime. Quia semper in illis contractibus modo humano, & urbano factis, aliqua tandem obligatio imbibitur, rem alienam custodiendi, quando rationabiliter potes: atqui in supposito rationabiliter potes; ergo debes, nec excluderis ab illa obligatione, quando tibi nullum notabile, sed exiguum detrimentum tantum ex jactura rei tuæ vilioris futurum est.

238 IV. Insuper, quando certo prævideres dominum rei pretiosæ tibi depositæ, non soluturum pretium rei tuæ vilioris: etsi tunc pecces contra Charitatem, si rem alienam pretiosam præ re tua vili non serves: (Charitas enim dictat, ut impediamus grave damnum proximi, quando commode, vel cum modico detrimento possumus) non tamen peccabis contra justitiam. Quia in contractu a te facto in utilitatem alterius tantum, ad patiendum detrimentum te non obligasti. *Excipe*: nisi adeo exiguum esset detrimentum tuum, ut obligatio illa custodiendi in contractu, humano modo facto imbibita, judicio prudentis merito censeatur ad illud damnum exiguum perferendum se extendere. Major sine dubio erit hæc obligatio in commodato in gratiam tui solius facto, ideoque etiam ad majusculum incommodum pro re aliena pretiosa commodata conservanda se extendet, ut merito observat Tamburinus *cit. n. 8. in fine*.

§. V. *Idque tam in veris, quam in quasi contractibus.*

Sermo hactenus potissimum fuit de contractibus veris, qui scilicet mutuo expresso paciscentium consensu perficiuntur: ut emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, commodatum &c. Eadem tamen pariformiter intelligenda sunt de *quasi contractibus*, qui ex una parte, vel communi Reipublicæ, vel implicito tantum consensu perficiuntur, cujusmodi sunt officia tutelæ, seu Tutoris, Procuratoris, Judicis, Advocati, Medici, Chirurgi, Professoris artium &c. nam eo ipso quod quis ejusmodi officio fungitur, censetur tacite saltem pactum initum cum altero de inculpata administratione officii, vel artis suæ, adeoque obligatione contracta ad præstandum damnum ex sua culpa illatum alteri, qui ejus opera utitur. Et quidem secundum Juristas, & communiorem Theologorum sententiam §. 3. proposita N. IV. si ejusmodi officia cedant in commodum utriusque partis, scilicet, & ipsius officialis inde stipendium, vel emolumentum capientis, & alterius, cui opera præstanda est: tunc ipse tenetur præstare culpam latam, & levem etiam politicam (tunc væ Medicis!). Si autem cedant in commodum solius alterius partis ut si Medicus ex Charitate gratis velit curare ægrotum inopem, tenebitur tantum præstare culpam latam; æquum enim est, ut gratis præstans obsequium, non obligetur ultra communem diligentiam, qua saltem culpam latam devitet. Quia vero ejusmodi officia semper cedunt in commodum alterius partis, ideo ex culpa levissima nunquam orietur obligatio compensandi damnum, nisi iis tantum, qui se tamquam peritos, & certos omni damno cavendo ultro obtrudunt, vel ut tales requisiti, se offerunt. Hi enim hoc ipso censentur recipere in se, quod alterum velint omnino indemnem servare, qui illis etiam hoc pacto tacito se committit, ut ex communi notant *Sylvest. Less. Laym. ll. cc.* Verum in nostra probabilissima sententia, §. *præcedenti* proposita. Esto 239

REGULA UNIVERSALIS.

In foro conscientiæ, ante sententiam Judicis, nemo etiam ex officio, vel quasi contractu tenetur sub mortali compensare damnum ex sola culpa politica quacumque secutum, nisi ex vera culpa Theologica mortaliter gravi, sive is deinde gratis officium præstet in gratiam solius alterius partis, sive pretio in commodum utriusque, sive a Superiore, vel Magistratu exponatur, sive sponte tale officium susceperit, vel forte emerit (exclusa nova promissione, & pacto, de quo infra.) Ita Vasquez *de restit. cap. 2. §. 2. dub. 5.* Less. *lib. 2. cap. 7. dub. 2. num. 27.* Lugo *tom. de justit. disp. 8. sect. 7. num. 93.* Tamb. *cit. cap. 5. §. 2. a num. 1.* Ratio semper similis est: Quia numquam homines (sive gratis, sive pro pretio serviant) in dictorum munerum susceptione, vel traditione (præscindendo a nova speciali promissione) intendunt se, vel alios obligare, nisi ad adhibendam in suo munere diligentiam moralem, & humanam, non vero omnem exquisitissimam, sed eam dumtaxat, quam moraliter quis adhiberet in proprio negotio, vel si solum bono ipsius tota administratio, vel officium cederet. Hanc autem moralem diligentiam, si advertenter quis non adhibeat, jam liquido peccabit mortaliter per culpam gravem Theologicam, adeoque ad restitutionem omnium damnorum inde secutorum obligabitur. Ubi tamen iterum adverte, majorem diligentiam requiri ad evitandam culpam mortalem, & restitutionem in gravioribus (v. g. difficillima lite, periculoso, & sontico morbo &c.) quam in rebus levioribus, ut ipsa ratio naturalis dictat: eam vero moralem diligentiam si quis adhibeat, quod advertenter nihil prætermittat, quæ ad effectum obtinendum necessaria videntur in foro conscientiæ, sicut ab omni culpa, ita & a pœna, & consequenter restitutionis onere, si præter ejus intentionem, & culpam damnum sequatur, merito absolvendus erit. 240

Dixi autem per parenthesim, *seclusa nova promissione, vel pacto*. Nam in duobus casibus obligabitur talis, etiam in con-

conſcientia, ad exquiſitiſſimam diligentiam, adeoque etiam culpam omnem, vel leviſſimam præſtandam. 1. Si accipiat tale officium Advocati, Medici, Chirurgi cum promiſſione expreſſa adhibendi prædictam exquiſitiſſimam diligentiam: tunc enim obligabitur ex pacto in conſcientia, maxime, ſi ei ob hoc auctum ſit ſtipendium. 2. Si ſaltem tacite id ipſum promiſit: utpote, ſi ultro pro tali exquiſitiſſime perito ſe obtruſit, ut paulo ante notatum: ſi jactavit ſe meliorem alio, unde alios avertit a meliori Medico, Advocato, Chirurgo &c. tunc enim tenebitur damnum quacumque culpa ſecutum compenſare ex duplici capite: quia imperitus eſt: tum quia per exquiſitam diligentiam, ſaltem tacite promiſſam, imperitiam ſuam compenſare noluit: prout obſervat *Tamb. cit. n. 3.*

§. VI.

APPENDIX.

De obligatione ex contractibus injuſtis. Remiſſive.

142 HActenus ſermo fuit de obligatione ex contractibus juſtis, & licitis, tanquam diſtincta radice. Nam ex contractibus injuſtis, invalidis, illicitis ex vario capite diverſæ oriuntur obligationes reſtitutionis, ſed eo ipſo ex ſecunda, vel tertia radice, ſcilicet injuſtæ acceptionis, vel damnificationis, quoad generalia ibidem requirenda: ſingula autem ſingulis contractibus propria, non poſſunt una Sectione ſummarie comprehendi, ſed pendent ex materia propria de Contractibus in genere, & ſpecie, Deo volente, tradenda Tractatu ſexto ad finem Decalogi.

CAPUT III.

De aliis reſtitutionis circumſtantiis, Quis, Cui, Quando, Ubi reſtituendum.

SECTIO I.

Quis, & Quinam reſtituere obligentur: Ubi de cauſis cooperantibus ad damnum injuſtum.

SUMMARIUM.

3 *Præter damni injuſti executorem, ad reſtitutionem etiam obligantur ejus concauſæ.*
4 *Omnes ſcilicet ſcienter, deliberate, & voluntarie*
5 *Cooperantes* efficaciter *ad injuſtum damnum proximi.*
6 *Reipſa ſecutum,*
7 *Etſi alias etiam illud ſine eorum cooperatione ſecutum fuiſſet,* & 8.
9 Mandans, *ſi Mandatum ſuum ante damni executionem revocet, & illa revocatio ad notitiam Mandatarii pervenerit, liber eſt ab onere reſtitutionis,* & 10.
11 *Secus ſi illa revocatio ante damni executionem ad notitiam Mandatarii non pervenerit,* & 12.
13 *Si vero Mandatarius excedat mandatum in damno inferendo, ii, non mandans, exceſſum illum compenſare tenetur,* & 14.
15 Uſque ad n. 19. *An mandans, ſicque obligatus cenſearis, ſi alium in tui gratiam tertio damnum inferre jam paratum non prohibeas, cum facile poſſes.*
19 Conſulens *ſæpe ſolus obligatur ad compenſandum totum damnum, uti ſæpe ſunt Conſiliarii Principum, Advocati, Juriſperiti, Confeſſarii &c.*
20 *Qualis culpa requiratur, ut quis ad reſtitutionem obligetur ex malo conſilio.*
21 *Licet* mandans, *revocato mandato, non tamen* conſulens *revocato conſilio liberatur a reſtitutione, damno ſecuto.*
22 *Oppoſitum tamen eſt etiam probabile.*
23 Uſque ad n. 28. *Ad quid obligeris, ſi alium jam reſolutum, determinatum, ſive ex ſe, ſive ex aliorum conſilio, tu etiam tuo conſilio, vel hortatu magis confirmes ad damnum alterius.*
28 Conſentiens *in damnum alteri inferendum quidem ſemper peccat, conſenſu etiam ineſſicaci,* & 29.
30 *Ut tamen ad reſtitutionem obligetur, debet eſſe conſentiens conſenſu efficaci dependentiæ, ita ut damnum inferendum, vel illud inferens ab eo dependeat.*
31 Uſque ad n. 36. *Ad quid, & qualiter obligentur, qui ſuo voto, vel ſuffragio fuerunt cauſa damni.*
36 Palpo *quis dicatur, & qualiter obligetur.*
37 Uſque ad n. 40. *Ad quid, & qualiter obligetur* Receptor *ſeu recipiens, cuſtodes, defendens &c. damnificantes, fures &c.*
40 *Qui dicatur cauſa* participans, & 41.
42 Uſque ad n. 46. *A peccato, & reſtitutione excuſatur, qui metu mortis v. g. furi præbet claves, inſtrumenta &c. milites, & prædones &c. juvat aſportandis prædis, abigendo vaccas &c.*
46 Uſque ad n. 50. Mutus, non obſtans, non manifeſtans, *tripliciter obligari poſſunt ad impediendum damnum alterius.*
50 *Soli ex juſtitia obligati impedire, & non impedientes damnum alterius, obligantur ad damni ſecuti compenſationem.*
51 *Non vero obligati impedire ex Charitate tantum.*
52 *Etiamſi ex vindicta, odio &c. erga alterum, damnum ei non impedias.*
53 *Vel etiam pecuniam accipias a fure, v. g. ne clamet, impedias, manifeſtes &c.*
54 *Secus, ſi accepto pretio, tua promiſſione tacendi furem animoſiorem reddas,* & 55.
56 *Qualis debeat eſſe culpa, gravis, an levis, ut obligatus ex juſtitia impedire, & non impediens, teneatur compenſare damnum a ſe non impeditum.*
57 Uſque ad n. 63. *Reſolvuntur varii caſus, de Principe, Magiſtratu &c. conſiliariis, famulis, ancillis, cuſtodibus, urbium, agrorum, pagorum &c. Judicibus, reis, teſtibus, & Confeſſariis &c. non impedientibus damna, ubi deberent.*
63 *Concauſæ ad damnum alterius ad reſtitutionem obligantur juxta proportionem influxus, & cauſalitatis in damnificando.*
64 *Ad quid, & qualiter teneatur* I. *cauſa totalis totalitate cauſæ,*
65 *II. Partialis partialitate effectus tantum,*
66 *III. Partialis partialitate cauſæ tantum,*
67 *IV. Partialis partialitate cauſæ quidem, totalis tamen totalitate effectus.*
68 *Reſolvitur caſus de militantibus in bello injuſto.*
69 Uſq; ad n. 73. *Quo ordine, qualiter, ſeu quis prior ex damnificantibus, vel cooperantibus reſtituere teneatur.*

PRofecto reſtituere tenentur omnes ii, quicumque aliquid proximo debent ex juſtitia commutativa, juxta quatuor radices reſtitutionis cap. præcedenti late explicatas: nimirum ex re accepta, ex injuſta acceptione, ex injuſta damnificatione, & ex contractu. Sed hic ſermo ſpecialiter eſt de reſtitutione ex delicto tantum formali injuſtæ acceptionis, vel damnificationis in quibuſcumque bonis proximi, vitæ, famæ, fortunæ: neque hic dubium eſſe poteſt, teneri reſtituere quemcumque, qui cauſa principalis, & immediate executiva damni injuſte illati fuit: neque de hoc aliquid ſpeciale dicendum ſupereſt: ſed multum per omnem modum de cauſis cooperantibus ad injuſtam damnificationem proximi, quænam, qualiter, quo ordine reſtituere teneantur. Ut res tota adæquate ſub aſpectum ponatur, ſit bene pinguis. 1

ASSERTIO I.

REſtituere obligantur omnes voluntate deliberata, & efficaciter cooperantes ad injuſtum damnum proximi reipſa inde ſecutum; etiamſi alias ſine eorum aliquorum cooperatione ſecuturum fuiſſet: Nec ſolum poſitive cooperantes (juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, participans) ſed etiam negative tantum, ſeu non impedientes (mutus, non obſtans, non manifeſtans) quando ex juſtitia tenebatur impedire. Idque ſecundum proportionem influxus, ſeu cauſalitatis totalis, vel particularis in damnificationem. Et ordine proportionato cauſalitati, vel cooperationi ſuæ: prius nimirum priores, & principaliores. Utpote, primo loco poſſidens aliquid ex injuſta damnificatione. Secundo loco mandans. Tertio loco exequens. Quarto loco aliæ cauſæ ſecundariæ, cooperantes proportione cooperationis, & cauſalitatis ſuæ.* Tota quidem communis, ſed late patens Aſſertio ampla indiget explicatione. 2

§. I. *Reſtituere tenentur omnes voluntate deliberata efficaci, efficaciter cooperantes &c.*

CErtum nimis apud omnes. Sumitur ex illo ad Rom. 1. v. 32. *Qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus.* Unde eſt illa veriſſima maxima *c. Votum q. 1. Facientem, & conſentientem par pœna conſtringit.* Atqui omnes poſitive, vel negative cooperantes, præcipiens, conſulens, adjuvans, non impediens cum teneretur ex juſtitia, conſentiunt cum eo, qui quomodolibet proximum damnificat, conſequenter eaſdem pœnas, & obligationes participat: ergo non ſolum cauſa principalis, ſive immediate executiva, ſed etiam omnes cauſæ cooperantes ad injuſtam damnificationem proximi, ſicuti participant in peccato contra juſtitiam, ita etiam participare debent in pœna, & obligatione reſtitutionis. *Ratio* autem manifeſta eſt: Quia quicumque eſt cauſa damni injuſte illati, tenetur ad reſtitutionem: nam, qui cauſam damni dat, dam- 3

nim

num dedisse censetur, ut dicitur *c. ult. de injuriis*; atqui omnis positive, vel negative cooperans ad actionem injustam, & damnificationem proximi, eo ipso est causa, saltem partialis, damni injuste illati: ergo tenetur ad restitutionem. Ut autem eam obligationem restituendi contrahant ejusmodi cooperantes, in terminis Assertionis requiritur, ut sint

4 I. Cooperantes *voluntate deliberata, & efficaci*. Nam in primis, si omnino involuntarie, ex ignorantia, inadvertentia, vehementissima passione auferente voluntarium, & generaliter præter omnem intentionem quis cooperetur ad damnum alterius, tunc sicut cessat delictum, sic cessabit obligatio restituendi ex re accepta, nisi quid adhuc existat, vel cooperans inde ditior factus esset. Deinde requiritur voluntas, seu consensus efficax expressus, vel interpretativus in damnum tertii. Non sufficit voluntas, vel consensus inefficax tantum, seu simplex complacentia in damnum alterius: talis enim non exit in opus externum; cooperatio autem ad damnificationem tertii debet exire in opus externum, & damnum inferre per actionem externam injustam; ut ex dictis *Assert.* 1. §. 4. constat. Et hinc consequenter

5 II. Cooperantes *efficaciter*: requiritur nimirum, ut ea cooperatio, jussio, consilium, consensus &c. sint veræ causæ influentes in injustum damnum tertii, ita ut ex tali jussione, consilio, consensu, alter vere moveatur ad inferendum damnum, & sine iis non fieret damnum tertii. Quando ergo ejusmodi actiones nullo modo influerent in damnum tertii, eo quod alterum ad nihil moveant, sed alter sine iis, & independenter ab iis jam erat determinatus, & resolutus inferre damnum alteri tertio, adeoque sine ulla cooperatione, jussione, consilio &c. adhuc æque fieret damnum tertio, tunc ex parte sic cooperantis nulla nascetur obligatio restituendi. *Ratio est:* Quia tota radix obligationis restituendi est causa damni injuste illati: atqui in proposito, illa cooperatio, jussio, consilium, consensus, si iis nihil motus est damnificans ad damnum inferendum, sed sine iis jam resolutus, & determinatus inferre æque damnum intulisset, non est causa damni injuste illati, sed habet se mere per accidens, ut quid tunc concomitans injusti proximi damnificationem: ergo licet talis cooperans, mandans, suadens &c. peccaverit contra justitiam quoad affectum internum, non tamen quoad effectum ipsum, & consequenter quoq; immunis erit quoad obligationem restituendi.

6 III. *Ad injustum damnum proximi re ipsa secutum*. Quantumvis enim voluntarie, & efficaciter damnum intentatum sit, si tamen re ipsa secutum non sit: ut si Dominus famulo præcipiat hominem occidere, spoliare domum vel segetem incendere, &c. ille autem mandatum, quacumque ex causa executus non sit, quamtumvis talis peccaverit contra justitiam in affectu, non tamen in effectu, ut patet, ideoque ad nullam restitutionem obligabitur. Jam autem satis probabilis videtur Sententia communis Antiquorum, D. Thomæ 2.2. q.26. art.7. Soti, Nav. Sylv. Alensis, Gabrielis, Angeli, aliorum cum Laym. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. *a nu.* 5. Cooperantes, ad hoc ut contrahant obligationem restituendi, debere ita concurrere, & influere ad damnificationem injustam, ut sine illis damnificatio injusta aliunde non fieret, v. g. jussione, vel consilio, ita movendo causam immediatam damnificantem, ut aliunde non moveretur ad damnificandum, eo quod tunc tantum proprie videatur esse causa damnificationis. Nihilominus dicimus nos,

7 IV. *Etsi alias sine eorum cooperatione damnum secuturum fuisset*. Verior est omnino hæc opposita sententia communior, maxime RR. *Cajetani, Scoti, Petr. Nav.* & aliorum, quorum aliqui Mol. *tr.* 2. *t.* 3. *de rest. disp.* 736. Less. *l.* 2. *c.* 53. *dub.* 2. *n.* 2. Vasq. *de rest. c.* 9. §. 1. *n.* 3. Lugo *disp.* 19. *sect.* 1. nimirum ad contrahendam obligationem restituendi sufficere volunt, quod causa cooperans sua jussione, consilio, auxilio &c. de facto revera concurrat, & influat ad injustam damnificationem, etsi etiam sine illa damnum fieret: utpote de facto revera movendo, vel adjuvando causam immediate damnificantem, etsi illa de facto etiam moveatur, vel adjuvetur sufficienter aliunde, ut sine illa altera cooperatione adhuc damnum inferretur, aut illatum fuisset. *Ratio est.* Quia ad contrahendam obligationem restituendi sufficit revera, & de facto esse causam voluntariam damni injuste illati: atqui in moralibus nihil vetat, plures esse causas adæquate moventes ad eundem effectum, ita ut sine qualibet earum adhuc effectus fieret: ut si plures baptizent eundem infantem: plures Sacerdotes consecrent eandem Hostiam, prout fieri potest in Ordinatione Sacerdotum: sic in proposito plures causæ cooperantes, jussione, consilio, vel auxilio adæquate poterunt concurrere, & movere damnificantem, ita ut sine qualibet earum adhuc moveretur ad damnificandum, & adhuc damnum sequeretur. Quo casu cooperantes omnes necessario contrahent obligationem restituendi; neque enim est major ratio, cur una potius, quam altera, nam quælibet se excusare posset: etsi ego non concurrissem, jussissem, suasissem &c. adhuc damnum fuisset secutum: ergo omnes incurrunt obligationem restituendi: ergo ut causa cooperans contrahat obligationem restituendi, sufficit, quod de facto concurrat efficaciter ad damnum, licet etiam alias ab aliis de facto concurrentibus damnum sequeretur. Id vero apud omnes in concesso esse debet, causas ad injustum damnum cooperantes ab obligatione restitutionis minime absolvi, ex eo quod ipsis non concurrentibus, alii tamen sine dubio concurrissent, & sic sine ipsorum cooperatione nihil omnino damnum illatum fuisset, ut in simili sæpius notum est. Ex eo enim, quod alii injuste fecissent aliquid agendo, non justificaris tu agendo idem: alioquin fur non peccaret, ex eo, quod certo sciret, se non auferente, alios tamen furaturos. Et Usurarius juste exigeret usuras, ex eo, quod sciat alios usuras exercere. Et hæreticus damnandus non esset, ex eo, quod Christus in Scriptura dixerit, oportet hæreses esse &c. Dictum denique: *Nec tantum cooperantes positive, sed etiam negative:* causæ cooperantes ad injustam damnificationem proximi communiter enumerantur novem. Sex priores sunt positive, tres reliquæ negative tantum cooperantes, his versibus comprehensæ, & mox ordine explicandæ.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

§. II. *Jussio, Mandatum, Jubens, Mandans.*

Prima persona, & causa cooperans ad injustam proximi damnificationem est sine dubio obligata ad restitutionem damni re ipsa secuti, v. g. jubens, vel mandans alium alterum occidere, spoliare, vel quomodolibet damnificare. Circa quam non leves difficultates expediendæ sunt. 8

I. Mandans, seu præcipiens, si mandatum suum ante executionem verbo, scripto, vel nuntio retractet, vel revocet, dummodo revocatio ad notitiam mandatarii pervenerit, liber est ab obligatione restituendi, sicut & ab aliis pœnis externis, esto mandatarius nihilominus damnum inferat. Communis DD. cum *Molina tr.* 2. *to.* 3. *par. poster. disp.* 731. Ratio patet: Quia revocato mandato, cessat tota causalitas, cooperatio, & influxus mandantis in damnum, ita ut causa exequens, cognita revocatione, non possit censeri amplius operari ex mandato, vel auctoritate præcipientis; & si damnum nihilominus sequatur, non sequitur amplius vi præcedentis mandati jam revocati, sed ex mera propria, libera malitia mandatarii: ergo mandans tunc non tenetur amplius ad restitutionem. Tenetur tamen tunc mandans ex charitate præmonere damnificandum, ut sibi caveat, si utiliter, & sine suo gravi incommodo facere possit: charitas enim obligat ad avertendum grave damnum proximi, idque maxime, si tu ipse aliquo modo occasio ejus damni fuisti: non tamen obligat cum gravi proprio incommodo. 9

Hinc resolves casum. Ego, promissis centum aureis, tibi præcepi, ut inimicum meum occideres: mox pœnitentia ductus mitto ad te litteras diserte significans, ut omnino ab homicidio abstineas: tu vero nequam, ut promissio præmio potiaris, fingis te non recepisse litteras, sicque adhuc inimicum meum occidis. Erone ego obnoxius restitutioni, & irregularitati? Resp. Nequaquam. Quia sic tu non potuisti occidere ex mandato meo, quod jam serio revocatum scivisti, sed occidisti ex mero tuo arbitrio: consequenter soli restitutioni, & irregularitati obnoxius eris. Et insuper non poteris juste exigere, vel acquirere mercedem illam, cum scias pactum a me esse rescissum; & adhuc insuper obligaberis ad resarciendum mihi, quidquid damni ex tali homicidio tuo, mihi forte imputato, obvenerit. Ita ex communi Lugo *tom.* 1. *de justit. disp.* 19. *sect.* 2. §. 1. *num.* 24. Tamb. *lib.* 8. *tr.* 4. *cap.* 2. §. 1. *num.* 5. 10

II. Quod si facta a mandante revocatio mandati ante executionem ad notitiam mandatarii non pervenerit, isque exequatur, & damnum inferat, jam mandans manebit obligatus ad restitutionem: quia, non obstante sua revocatione, adhuc vi sui iniqui mandati damnum efficaciter secutum est. Quod si vero revocatio mandati mandatario quidem insinuata fuit, is tamen, vel non credens seriam esse revocationem, aut inculpabiliter oblitus, postea nihilominus exequatur, in rigore loquendo, mandans adhuc manet obligatus ad restitutionem: revera enim adhuc mandatum est causa principalis illius damni: mandatarius enim revera adhuc movetur vi præcedentis mandati ad inferendum damnum: habet enim quasi duplex motivum, scilicet mandatum præcedens, quod verum est, & perseverantiam mandati, quæ falsa est: ad obligationem autem restituendi sufficit, quod mandatum sit causa saltem partialis damni inferendi, quod etiam in aliis patebit, ut bene probat *Lugo cit.* 11

At, quid si quidem vellem, sed non valeam amplius revocare mandatum meum tibi datum de damno inferendo alteri; possum tamen alterum admonere, ut sibi caveat, & spes adest evadendi damnum; teneorne illum admonere ex justitia? Resp. Te sine dubio obligari. *Ratio est*: Quia teneris facere, quantum potes, ne tua causa injuste damnum proximo inse- 12

inferatur. Quoad damnum vero, vel periculum proprium, ita distinguendum est: *Primo*. Si ex tua admonitione incursurus sis damnum æquale, vel quasi æquale (multo magis, si minus) quam sit damnum inferendum ex tuo mandato tertio innocenti; adhuc obligaris admonere. *Ratio*: Quia actio injusta mandati tui obligat te ad amovendum damnum ab innocente, cujus injusta causa esses, non obstante proprio æquali, vel quasi æquali periculo tuo, cum in pari causa melior debeat esse conditio innocentis, quam tua nocentis. Quare si vita Petri tunc periclitetur, tua vita: si fama, tua fama: si bona temporalia, tuis bonis temporalibus redimenda sunt. Est hæc communis, & certa doctrina de calumniatore, vel falso teste in judicio, qui tenetur retractare etiam cum suo æquali periculo, quando retractatio est profutura, ut videbimus in octavo Præcepto. Eadem autem prorsus est ratio in proposito de aliquo inique mandante. Quod si vero ex admonitione tua immineat damnum tibi longe majus, vel altioris ordinis, quam sit damnum proximo ex mandato tuo inferendum, tunc excusaberis a præmonendo; quia censeris moraliter non posse præmonere, quæ enim multum difficilia sunt, judicantur moraliter impossibilia. Unde si Petro ex mandato tuo inferendum sit solum damnum in bonis fortunæ, non teneberis tu eum admonere, si ex illa admonitione tua vita, vel fama certo periclitetur. Vide pluribus Lugo *cit.* §. 1. *n.* 31. & Dianam *par.* 4. *tr.* 2. *de irregularitate res.* 14.

13 III. Quod si mandatarius excedat mandatum in damno inferendo: ut si jussus est verberare, & occidat. Si jussus occidere, simul domum incendat, cum tamen sine incendio occidere potuisset: tunc excessum illum non mandans, sed mandatarius exequens compensare tenetur: quippe non ex mandantis mandato, sed exequentis malitia secutum. *Excipe*. Nisi excessus ille, aut ratione actionis periculosæ præceptæ quasi necessario, aut casu, & præter intentionem mandatarii sequatur; ut si jussus graviter sauciare, & occidat; aut jussus occidere Petrum, per errorem occidat Paulum: aut jussus incendere domum, casu simul occidat, vel comburatur homo &c. tunc enim mandans tenebitur ad compensandum totum damnum, quippe ratione imperii sui efficaciter secutum, juxta communem DD. Sententiam *apud cit.* Dianam *par.* 8. *tract.* 7. *res.* 33. Tambur. *cit. nu.* 3.

14 At, quid si mandatarius ipse propter executionem mandati mei damnum patiatur v. g. jussu meo occisurus, occidatur ipse; aut ob homicidium, vel furtum ex meo jussu patratum, ad rotam, furcam, vel triremes condemnetur, teneorne ego ei resarcire damna? Respondeo cum distinctione. Vel enim alter se sponte mihi obtulit, aut sponte, aut libere acceptavit mandatum meum, & maxime si pretium accepit: & tunc ego mandans ad nihil tenebor: tunc enim ille ultro periculo se objecit, ideoque nullam a me injuriam passus, in nullo erit resarciendus. (Idemque per occasionem dic de consulente, si enim alteri consului malum facere, unde is consilium secutus, damnum passus est, ad nihilum obligabor: quia liberum fuit consulto tale consilium acceptare, scienti autem, & volenti non fit injuria, & Juristarum scitum est: *consilii non dolosi nulla obligatio*:) Vel alter fuit a me deceptus, vel coactus suscipere mandatum illud damnosum sibi: & tunc utique obligabor ei, quia tunc damnum illius sequitur ex ipsa injuria mea per meam deceptionem, vel coactionem ipsi illatum. Limita tamen: *Dummodo damnum illud tale sit, quod communiter contingere soleat ex actione præcepta*: tunc enim indirecte saltem censebitur voluntarium mandanti. Secus, si damnum sequeretur prorsus extraordinarie: ut si jussu meo occisurus alium, in itinere casu pereat, v. g. equo lapsus, a latrone invasus, naufragio &c. tale enim damnum utique minime prævisum, non erit neque indirecte voluntarium mandanti, nec propterea illi sub pœna restitutionis imputandum. Sic cum aliis Tamb. *cit. n.* 3.

15 IV. Si quis certo sciat alterum paratum, ac resolutum esse, seu jam omnino decrevisse in gratiam sui tertio damnum inferre: v. g. inimicum occidere, neque prohibeat, cum facile possit, tunc ipsum censeri mandantem, & ad restitutionem obligari in foro conscientiæ, absolute affirmat Molina *cit. t.* 3. *disp.* 729. *n.* 6. Sed rectius distinguit cum Rebello, & aliis Lay. *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 2. Vel enim etiam alter in tui gratiam occisurus v. g. scit te malignum suum propositum cognitum habere, & non contradicere, nec impedire velle, cum facile possis, & tunc censeris moraliter cooperari, ut consentiens, & consequenter obnoxius fies restitutioni. Vel alter nescit, te suum intentum scire &c. & tunc secuto damno, non teneberis ut mandans, cum nullo modo a te motus alter damnum inferat. Sed bene aliquando obligaberis, ut non obstans: si nimirum ex officio, vel justitia obligatus sis damna proximi impedire: ut si damnificaturus sit tuus subditus, filius, servus, &c. Denique, si vero solum ratum habeas damnum in sui gratiam ab alio illatum tertio: ut si in mei omnino ignorantis gratiam, meoque nomine, putans scilicet mihi rem gratam facere, alius amicus, filius, famulus, damnum inferat tertio, nomine meo occidat, vulneret, spoliet: &c. egoque factum postea cognitum ratum habeam, & approbem, in foro conscientiæ ad nullam obligor restitutionem: nisi quatenus inde ditior fierem furto, rapina &c. Ita contra *Paludanum*, *Angelum*, *Sylv. Navar. c.* 17. *nu.* 133. recte docet communis DD. Molina proxime *citatus nu.* 3. Lessius *l.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *nu.* 13. Vasquez *de rest. c.* 9. §. 1. *n.* 19. Laym. *cit. n.* 3. Lugo §. 1. Ratio est, quia in nullum cadit obligatio restitutionis ex delicto, nisi is sit causa aliquo modo influens in damnum injuste illatum: sed ratum habens, & approbans tantum damnum ab altero in sui gratiam jam factum, nullo modo est causa influens in damnum, quippe jam præteritum: ad præteritum enim non est potentia, nec actio: quamvis ergo peccet in affectu maligno, non tamen tenetur restituere.

Nec obstat: quod talis ita habitualiter fuerit dispositus, ut ipse quoque mandasset, vel consuluisset, aut consensisset, si interrogatus fuisset: quia dispositio habitualis, sicut nihil ponit in effectu, ita nihil facit ad obligationem restituendi: ad quam requiritur, quod quis aliquo modo de facto concurrerit efficaciter ad damnum inferendum, & non sufficit, quod, si scivisset, concurrisset: ut per se patet. 16

Regula autem illa Juris 10. *in* 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium æquiparari*, locum habet solum in negotiis gestis, ac contractibus plerisque, qui alterius nescientis nomine celebrati subsequenti ratihabitione velut retrotracta confirmantur; perinde ac si mandatum ejus præcessisset, minime autem habet locum in delictis quoad obligationes naturales maxime, qualis est obligatio restituendi; licet possit etiam habere locum quoad pœnas a Jure, vel Judice secundum præsumptionem fori externi juste infligendas in ratum habentes commissum crimen in gratiam sui. Sic enim speciali Jure Canonico pœna excommunicationis lata in percussores Clericorum extenditur etiam ad ratum habentes percussionem, vel occasionem Clerici in sui gratiam factam ab altero, de quo latius in *quinto Præcepto*. 17

§. III. *Consilium, Suasio, Consulens, Suadens.*

SEcunda persona, & causa cooperans ad injustam damnificationem tertii post mandantem merito est consulens vel suadens: omnis nimirum, qui aut intellectum alterius rationibus, aut motivis imbuit, dirigit, instigat, urget: aut solum voluntatem movet, & impellit, hortando, rogando, terrendo &c. ad damnum aliquod inferendum tertio, talem contrahere obligationem restitutionis pro damno ex ejusmodi consilio, vel suasione re ipsa secuto, nimis certum est ex ratione universali §. 1. data: consulens enim damnum, est vere causa illius, ut merito *Aristoteles* 2. *Physicorum textu* 27. consulentem, vel consultorem reducat ad causam efficientem: At specialia rursus notanda sunt. 18

I. Consulens ad damnum inferendum alteri ex suo consilio efficaciter secutum, ut nimirum alius ex illius consilio permotus re ipsa damnum tertio intulerit, adeo obligatur ad damni illati compensationem, ut sæpe contingat ipsum solum consulentem teneri ad compensationem totius damni secuti; ipse vero exequens omnino liber, & excusatus sit, utpote Consiliarii Principum, Advocati, Jurisperiti, Confessarii &c. quos Princeps, Cliens, confitens, rudes homines, bona fide secuti damnum inferentes, ad nullam restitutionem obligantur, nisi quatenus inde ditiores facti essent, post veritatem cognitam, sed soli consulentes. Ut si quis Jurisperitum præseferens suadet alicui damnum inferre, contractum inire, dicens esse justum, executor autem juris imperitus, invincibiliter ignoret esse injustum, is, secuto damno, ob bonam fidem, & a peccato, & a restitutione immunis erit, solo consulente obligato: ut ex communi omnium consensu notant Molina *t.* 3. *post.* 730. Laym. *cit. n.* 3. Secus autem est, quando exequens ipse intelligit consilium esse injustum, sicque mala fide damnum inferat: tunc enim is primo loco obligatus manebit & in ejus defectu primo consultor, vel suasor, juxta dicenda inferius. 19

II. Quoad culpam requisitam ad contrahendam obligationem restituendi damnum ex malo consilio secutum, ita distinguendum est. Si consulens talis persona sit, quæ ex officio consulere teneatur, aut ratione status, ac muneris sui eam peritiam profiteatur in ea re, quam suadet, ut Doctor, Consiliarius, Advocatus, Confessarius, Medicus, Chirurgus &c. tunc non tenebitur tantum de dolo, & culpa Theologica gravi, sed etiam in Sententia communi ex culpa politica lata, immo & levi, si consilium etiam cedit in ipsius commodum, utpote, quia salarium, vel beneficium inde habet, ut patet ex dictis *cap. præced. de restit. ex contractu, vel quasi contractu*: addita sententia mitiori quoad culpam politicam tantum pro foro conscientiæ. Peccant ergo contra Justitiam, & ad damnorum secutorum restitutionem 20

tionem obligantur Theologi, Juristæ, Consiliarii, Confessarii, si per culpam, negligentiam, ac ignorantiam crassam male consulendo causam prebeant damni spiritualis, vel corporalis, tam personæ consultantis, quam alterius tertiæ: ut si obligatum restituere, aut volentem injustum contractum inire male informent. Væ hic negligentiæ supinæ multorum! At vero si consulens talis persona non sit, quæ ratione status, vel muneris sui peritiam rei consulendæ profiteatur, non obligatur ex malo consilio, nisi doloso, hoc est, nisi scienter, & fraudulenter alterum ignorantem circumveniat, juxta regulam juris 62. in 6. *Nullus ex consilio, nisi fraudulentum sit, obligatur:* & regul. 37. *ff. Consilii non fraudulenti nulla est obligatio.* Quod omnes intelligunt de consilio libere dato ab amico v. g. non ex officio debito. Ratio discriminis est: Quia personæ, quæ peritiam præseferunt ex officio, vel munere suo, qua tamen carent, hoc ipso decipiunt alios, suum consilium secutos per simplicitatem: qui autem talem peritiam non præseferunt, horum consilium nemo sequitur, nisi prius explorarit, num expediat, nec ne: ut dicitur in Jure civili *L. 2. in fine ff. mandati.*

21 III. Quamvis mandans, revocato mandato iniquo, salvetur, ut dictum est: consulens tamen alicui damnum inferre tertio, quamvis ante executionem revocare conatus sit iniquum consilium, damno tamen secuto, non liberatur ab obligatione restituendi, secundum communiorem, ac tutiorem Sententiam DD. *Navarr. Tolet. Azorii, Gomez, Lessii* Molinæ *cit. disp.* 731. aliisque cit. Laym. *to. 1. lib. 1. de excommunicatione, tr. 5. p. 2. c. 5. n. 7.* Lugonis, & aliorum, ita recte distinguentium. Quando consilium solum datum est ad sciendam *veritatem*. Ut si Doctor consulatur, an aliquis contractus sit illicitus, an talis medicina sit salubris, &c. tunc si datum consilium malum ante executionem revocetur, etsi damno adhuc secuto, liberabitur consulens ab obligatione restituendi: tunc enim operans non potest operari ex consilio, vel auctoritate consulentis; quippe, quo revocato, ipsemet fatetur se esse deceptum. Quando vero consilium datum est ad sciendam *utilitatem*, eoque movetur quispiam ad damnum injustum inferendum, proposita rei utilitate, commoditate, vel voluptate, ipsi inferenti damnum proventura ex damno alterius &c. & tunc in rigore vera est sententia, etiam revocato consilio ante executionem, damno tamen secuto, non liberari consulentem ab obligatione restituendi. *Ratio*, & manifesta disparitas est inter dare mandatum, & dare consilium: quia mandatum præcise influit propter voluntatem perseverantem mandantis, qua proinde voluntate revocata omnino cessat influere mandatum: ut supra ostensum. At vero consilium non influit ullo modo propter voluntatem perseverantem consulentis, sed propter motivum utilitatis, commoditatis, vel voluptatis a consulente in opere injusto patrando propositum, ut si consulas homicidium ob decoram tibi vindictam, vel abortum ad evadendum infamiam, occultum, & tutum modum furandi, &c. Atqui etiamsi consulens tunc revocet suum consilium, & ab opere patrando rursus dehortetur, nihilominus tamen manet, vel potest manere adhuc a te propositum motivum alterius menti impressum, illumque, non obstante tua revocatione, adhuc re ipsa movere ad opus injustum patrandum, & damnum tertio inferendum: quo casu consilium tuum, non obstante tua revocatione, objective tamen adhuc movet revera, neque enim in tua potestate est motivum illud, & quasi motum malignum alterius menti impressum pro tuo arbitrio removere, nisi alter sponte consentire velit. Et sunt motiva illa velut arma, quibus armasti homicidam vel furem ad inferendum damnum, licet postea petas, & consulas, ne iis male utatur, si tamen nihilominus utatur, semper tu denominaberis causa damni secuti, quod prius volebas, & prævidebas in causa data: certe prævidere tenebaris fieri posse, ut malignum motivum alteri impressum amplius extorquere non possis, quin eo adhuc motus damnum inferat: ergo, damno secuto, non obstante tua revocatione, manebis etiam obligatus ad compensandum damnum secutum.

22 Dixi tamen: & fateor *in rigore* verissimam esse hanc sententiam speculative. Quia ad praxim tamen, & maxime de post facto, non possum negare probabilem esse oppositam sententiam gravium *DD. S. Antonini, Sylvest. Nav. Filliuc.* & aliorum, quos sequitur Diana *p. 2. tract. 16. resol. 15.* & probabilem censet Layman *loc. cit. nu. 7. in fine*. Nimirum ejusmodi consulentem, postquam consilium suum serio revocavit, & consutavit, nihilque omisit ad dissuadendum, & avertendum hominem ab opere maligno consulto, si is nihilominus in maligno proposito perseveret, liberari ab onere restitutionis, & damnum postea secutum, malitiæ executoris potius, quam consilio suo dato, tribuendum esse: nam talis fecit, quantum potuit ad impediendum damnum. Tenebitur tamen prius, si absque æquali, vel majori damno possit, damnificandum monere de damno imminente: idque ex Charitate secundum omnes, & omnino etiam ex justitia: cum enim damnum reipsa sequatur ex suo dato consilio, quamvis revocato, utique ex justitia tenebitur illud, quibuscumque potest modis amovere, vel impedire, ut cum *aliis cit.* docet Lugo eadem *disp. 9. sect. 2. §. 1.* De hoc nos iterum specialius *in quinto Præcepto, de consulente homicidium, & maxime abortum.*

IV. Quod si aliquem jam resolutum, & determinatum, 23
vel ex se, vel ex consilio, vel instinctu aliorum, alteri injustum damnum inferre, tu, consilio, & hortatu tuo accedente, magis etiam confirmasti: te non obligari ad restitutionem, docet probabilis, & communis Antiquorum Sententia *supra* §. I. N. III. allata. Contra: te etiam num obligari docet communior Sententia RR. ibidem N. IV. allata. Ego, quoad consulendum, utramque Sententiam veram credo sub distinctione, & ratione diversa. Si enim tu consilio, & hortatu tuo vero efficaciter movisti, ita ut etiamsi alter ex se, vel aliunde resolutus, vel determinatus fuisset, tamen, solo tuo consilio, & suasu motus damnum intulisset: & tunc omnino verum est, te obligari ad restitutionem damni secuti: quia de facto revera efficaciter causasti: esto etiam sine tuo concursu, & consilio damnum adhuc inferendum fuisset. Ratio data est *ibid.* §. 1. *n. 4.* Quod si vero de facto non ita efficaciter movisti, quia nimirum solo tuo suasu non permovisses alterum, nisi jam aliunde satis motus, & determinatus fuisset: etsi in proposito maligno confirmaveris, aut etiam impuleris, ut citius, animosius, aut etiam crudelius damnum inferret: & tunc probabilissimum est, te non obligari ad compensationem, nisi forte de excessu. Sic *D. Thomas, Nav. alii supra allati.* Ratio est: Quia quando alter aliunde adeo jam resolutus, & determinatus erat ad damnum inferendum, ut non solum absque tuo consilio intulisset, sed etiam solum tuo suasu motus non fuisset, tunc revera non fuisti causa efficax, ut damnum absolute, & quoad substantiam inferretur, sed ad summum quoad modum, & qualitatem. Neque referre videtur, quod hortatu tuo causa fuisti, ut citius, expeditius, alacrius damnum inferretur: quia moraliter loquendo, parum, vel nihil interest ad damnificationem, quod citius, vel tardius damnum inferatur, si absque dubio inferendum sit: quemadmodum, si domus, vel seges inimici mei conflagraret sine ulla spe, auxilii, & ego ex odio flammis adderem, ut citius absumatur, licet peccem, quia tamen novum damnum nullum facio quoad substantiam, non obligor ad restitutionem. Ita cum *Less. & aliis Laym. cit.*

Dixi tamen: *Nisi forte de excessu:* Nam si consilio, vel 24
hortatu tuo, aut etiam jussu causa fuisti, ut majus damnum inferretur, quam alioquin illatum fuisset, utique teneberis ad restitutionem, sed *de excessu* tantum, v. gr. Si furi per se parato furari centum, persuasisti furari mille, secuto effectu, contrahes obligationem restituendi nongenta tantum: ut (contra *Adrianum, & Molinam, cit. disp. 736. num. 2.* volentes obligare ad restituendum totum) rectius resolvunt *Navar. Medina, Rebellus*, aliisque cit. *Lessius*, Layman *lib. 3. de just. tr. 2. c. 5. nu. 5.* & Diana *p. 3. art. 5. resol. 47.* Ratio patet: quia ad excessum tantum efficaciter movisti, non ad reliquum, quod alioquin secluso tuo suasu factum fuisset.

Contra vero: Quid si quis resolutus sit majus damnum 25
inferre, vel plus furari, licebitne suadere furari minus aut minus damnum infere, posito quod totum damnum, vel malum impedire non possis? Certum in primis est apud omnes, id licere respectu ejusdem certæ Personæ damnificandæ: ut si fur determinatus sit furari Petro centum, aut occidere ipsum, si a proposito amoveri omnino non possit, licite suadebis, rogabis, immo etiam juvabis furari quinquaginta tantum, aut solum bene verberare, absque omni onere restituendi: quia directe non concurris ad damnum inferendum, sed potius præcise ad gravius damnum impediendum, adeoque utiliter rem alterius gessisti etiam laude, & præmio dignus.

At vero respectu diversarum personarum certarum ita 26
distinguendum est. Quod si fur v. g. jam paratus furari cogitavit de utraque persona, Petro v. g. & Paulo, & utrique volebat furari, vel ambigebat, cuinam potius furetur: licite rursus poteris consulere, ut potius furetur Petro ditiori, quam Paulo egentiori, saltem ut illi potius furetur minus, quam huic plus. *Ratio est:* quia directe non cooperaris ad damnum inferendum Petro, sed solum furi explicas veritatem aliquam certam, & utilem, nimirum minus peccatum esse furari a ditiore, præsertim minus, quam ab egentiore plus: Petrus autem ditior, licet habeat jus retinendi rem suam, non tamen habet jus cogendi te, ut non explices proximo veritatem utilem: ideoque jure, & rationabiliter non potest esse invitus contra te ita consulentem nec consequenter incurres obligationem restituendi.

At vero, si fur jam resolutus sit furari plus ab aliquo, 27
nihil cogitans de aliis, illicitum erit, & restitutioni obnoxium suadere ei, ut furetur minus ab alio, de quo ipse

nihil cogitabat, aut si cogitabat, tamen furari nolebat. *Ratio iterum est*: Quia licet ille alius Paulus v. g. non habeat jus, ne tu furi explices veritatem illam utilem, & honestum (scilicet minus esse peccatum furari minus a divite, quam plus ab egentiore) habet tamen jus, ut tu positive, & directe non adjuves ad damnum inferendum ei, v. g. furi scalas præbendo, januam aperiendo &c. atqui in proposito, si furi volenti plus furari a Petro persuadeas furari minus a Paulo ditiore, de quo tamen ille nihil cogitabat, vel furari ipsi nolebat, positive, & directe cooperaris ad furtum illi inferendum, ac morali æstimatione tantundem, immo plus facis, ac si furi januam Petri ad furandum aperires, dum ad furtum designas illum, de quo fur ille nihil cogitabat; ergo veram injuriam inferens restitutioni obnoxius fies. Ita (contra aliorum varios loquendi modos satis obscuros) ex communiori docent Vasquez *Opusculo de rest. cap. 9.* §. 1. Lugo *disp. 19. sect. 2.* §. 2. *num. 47.* Generaliter autem, quomodo volenti committere peccatum majus, liceat suadere, vel inducere ad peccatum minus, videbimus in materia *de scandalo*.

§. IV. *Consensus, & consentiens.*

28 TErtia persona, & causa cooperans ad injustam damnificationem alterius consulenti valde affinis, est *consentiens* in damnum alteri inferendum utique semper peccans saltem contra Charitatem; cum omnis deliberatus consensus in malum malus sit. At vero, ut peccet etiam contra justitiam, & onus restitutionis contrahat, debet esse consentiens consensu efficaci dependentiæ. *Explico*:

29 I. *Consentiens enim consensu inefficaci*, & simplicis complacentiæ tantum: ut si videns alios furantes, a te minime dependentes, complaceas, arrideas, annuas, v. g. dicendo: facite, quod placet, per me non scietur; talis namque licet peccet contra justitiam in affectu (quod ipsum solum est contra Charitatem) non tamen in effectu: quia non influit in damnum, quippe a suo consensu omnino independens; consequenter non tenebitur ad aliquam restitutionem secuti damni, ut consentiens, nisi aliquando ut non obstans, quando scilicet ex justitia teneretur impedire damnum alterius. Excipe tamen per omnem modum, nisi ita consentias in damnum alteri inferendum v. g. homicidium, ut tuo nomine, & in tui gratiam patrandum ab altero alias minime patraturo: tunc enim æquiparaberis mandanti, & ut vera causa moralis damni secuti ad restitutionem obligaberis; juxta omnia dicta §. 2. *De mandante*. Universaliter ergo debet esse

30 II. *Consentiens consensu efficacis dependentiæ*: utpote suffragio decisivo, aut tali consensu a quo damnum inferendum, ipseque inferens omnino dependet, ita ut is vel non posset, vel non vellet damnum inferre alteri, nisi ille consentiret, vel suffragaretur. Talis consentiens in injustam damnificationem alterius, & cum cæteris cooperantibus ad restitutionem obligabitur. Et potest esse vel consentiens totalis, ut Superior, Dominus, Pater consentiens in damnum inferendum a subdito, servo, filio: & tunc liquido tenebitur ad restitutionem totius damni in solidum. Vel consentiens partialis, ut Consiliarius, Consultor, Senator, Vocalis in Consilio, Senatu, Capitulo, Electionibus, consentiens suo voto, vel suffragio in damnum inferendum, injustas exactiones, indignas electiones &c. & tunc ita distinguendum est.

31 III. Quando ad aliquam causam decidendam requiruntur vota, seu suffragia omnium, tunc omnes tenebuntur ad compensationem damni ex suo consensu, & voto suo iniquo secuti; quia nimirum omnes dederunt causam damni secuti. Quando vero non requiruntur suffragia omnium, sed sufficiunt majora, seu suffragia majoris partis: postquam jam completus est sufficiens numerus suffragiorum a cæteris superioribus ad damnum inferendum, ut licet tu suffragium tuum neges, vel oppositum censeas, nihil tamen effecturus sis, neque damnum impediturus, peccabis quidem contra justitiam simile suffragium ferendo, & tuum votum addendo; attamen ad compensationem damni secuti non teneberis, juxta communem *DD. Nav. Mol. Vasq.* Laym. *cit. num. 6.* ac aliorum *supra relat.* Ratio est; Quia tunc tu non fuisti causa damni, cum ante tuam suffragationem, vocationem, sufficiens, & efficax causa damni jam posita fuerit. Secus dicendum, quando tu, aut prior, aut inter priores suffragium iniquum dedisses: tunc enim una cum aliis causa efficiens damni secuti fuisses, & consequenter restitutioni obnoxius, nihil obstante, quod tametsi tu non suffragatus fuisses, nihilominus per reliquos eadem sententia lata, & damnum secutum fuisset, ut merito notat Molina *cit. disp. 732. n. 3.* Aut, si speres te, etsi posteriorem, contradicendo auctoritate, vel gratia aliis persuadere posse, ut iniquam sententiam mutent: tunc enim ex officio ad id obligaberis: alioquin si dissimules, teneberis de damno secuto, si non *ut consentiens*, certe ut *mutus*, seu *non obstans* damno inferendo, cum tamen efficaciter obstare posses, ut supponimus, & ex utroque *Navar.* recte notat *Laym.* cit.

IV. At, quid dicendum in dubio de prioritate suffragiorum. E. g. In Concilio viginti suffragatorum secretis suffragiis decretum fuit, injustum tributum populo imponendum, injusta mulcta, vel simile quid: sufficissent tota suffragia majora, nimirum undecim, at fuerunt quindecim. Jam omnes hi dubitant, (& tu etiam unus ex illis dubitas) an suffragium suum fuerit ex primis undecim adeoque an ad restitutionem teneantur? Nam omnes contra justitiam peccasse rei injustæ consentiendo, palam est, ut notat *Lessius lib. 2. c. 13. dub. 3. nu. 22. & 23.* 32

Prima sententia affirmat, omnes ad restitutionem in solidum teneri: quia omnes conflant unam causam adæquatam totius damni injusti: sicuti si decem trahunt navim, etsi novem, vel octo etiam traherent, tamen omnes trahunt: Ita in proposito. Sic *Merolla* apud Tamb. *lib. 1. Decal. cap. 3. de Conscientia* §. *7. v. suffragium*. 33

Secunda Sententia absolute negat, ullum teneri. Quia singuli sunt in possessione certa suæ pecuniæ, vel facultatum, quibus non possunt spoliari per solum dubium, nisi obligatio sit luce meridiana clarior. Ita *Rebellus*, *Sayrus*, *Henr. Granado*, *Diana*, *alii apud Lugo mox citandi*: Utraque sententia non improbabilis. 34

Tertia, Sententia probabilior, & melior obligat quidem omnes; at non ad damnum totum in solidum, sed solum ad partem pro rata dubii. Sic cum aliis congestis Molina *disp. 736. num. 6.* Lugo *disp. 19. sect. 1. nu. 22.* Ratio est: quia cum damnum illatum certum sit, & omnes dubitent, an ipsi sint causa efficax illius damni, certe omnibus collective sumptis incumbit certa obligatio restitutionis: non quidem singulis in solidum, cum nullus de se certus sit, se damnum efficaciter causasse; ergo singulis pro rata parte. Alias rationes, aliaque pulchra videre potes apud eosdem *Mol. & Lugo loc. cit.* & rursus ibidem *sect. 2.* §. *3. & 5.* 35

§. V. *Palpo.*

QUarta Persona, & causa cooperans ad injustam damnificationem proximi dicitur *Palpo*, palpans, vel palpator: & est is, qui adulando, & laudando, vel commemorando hominis nobilitatem, excellentiam, vires &c. vel exaggerando acceptam contumeliam, dedecus, contemptum minime inferendum &c. aut contra irridendo, vituperando, exprobrando alterius ignaviam, vecordiam, pusillanimitatem &c. atque ita alterum efficaciter incitat, & permovet ad actionem injustam, vindictam, vel quodvis damnum inferendum tertio: ita ut alter sine tali palpatione damnum non intulisset: Talis tanquam vera causa actionis injustæ sine dubio peccat contra justitiam, & contrahit obligationem restituendi pro damno secuto, sicut quælibet alia causa positive, & efficaciter cooperans ad damnum alterius. At vix apparet quomodo taliter palpans in modo cooperandi differat a consulente, vel suadente, eadem enim est ratio utriusque, ideoque dicta §. *præced.* per omnia etiam sunt applicanda palpanti, nec specialiter aliud addendum superest. 36

§. VI. *Recursus.*

QUinta Persona, & causa cooperans ad injustam damnificationem proximi est *Recipiens*, seu recursum præbens, custodiens, defendens damnificantes, in ordine ad damnum injustum inferendum, aut illatum non compensandum; si ratione illius recursus, vel receptionis revera damnum sequatur alias non secuturum: talis omnium consensu ad restitutionem obligatur, tamquam positive cooperans ad damnum illatum, & non compensatum. Uti sunt: 1. Advocatus, & quivis alius causæ manifeste injustæ patrocinium aperte, vel occulte suscipiens. 2. Caupones, vel alii, qui filiosfamilias contra parentum voluntatem domo excipientes ad prodigendas pecunias a parente profectitias compotationibus, lusibus, &c. ut bene probat Molina, *disp. 733.* Receptor furis quatenus formaliter fur est, vel detentor rei alienæ, videlicet ex expressa, vel tacita intentione, ac in ordine ad commodius, vel securius furandum, vel res furtivas deponendas, vel detinendas. 4. Item ipsam rem furtivam recipiens celandi causa, hi enim furti crimen committere censentur, & etiam in foro externo eadem pœna digni judicantur, juxta Regulam Juris *lib. 3.* §. *Non tantum ff. de incendio.* Ubi dicitur: *Receptatores non minus delinquunt, quam aggressores.* Quod notent, qui scienter rem furtivam a fure emunt, & servant, vere enim receptatores furis sunt: idque maxime, si exinde fures ad deinceps furandum magis animentur. 37

Dixi autem notanter: *Quatenus formaliter fur est*: Nam adver- 38

adverte bene. 1. Non semper, si latro, vel fur ad te divertat, statim eris recuperator, & restitutioni obnoxius, sed si ita divertat, ut tu expresse, vel tacite promittas ei recursum præbere, unde ipse securus de receptione, furatur, damna infert, vel injuste ablata reponit. Similiter, si post furtum commissum, furem domo recipias, & occultes, dum eum lictores persequuntur ad judicium, si ea ratione fiat, ut furi spes præbeatur imposterum similis recursus, quo confisus, tunc evadens rursus damna inferat, eris receptator, & ad damna illata compensanda obligatus. Non item, si seclusa ejusmodi spe imposterum, solum pro tunc recipias ex commiseratione ut hominem, vel forte amicum, aut consanguineum tuum &c. ne capiatur, infametur, & pœnam præsertim capitalem luat: tunc enim (nisi obstet justum mandatum Magistratus) nullum crimen committis, nec ulli injuriam inferes sic recipiens. 2. Idemque universaliter dicendum de recipiente furem, vel damnificantem materialiter tantum, v. gr. quatenus homo miser, vel amicus, vel consanguineus est, aut quia domus est communis, qua omnes adventantes sine discrimine recipi solent, aut quia recipiens ignorat esse talem &c. tunc enim recipiens non formaliter per se, sed materialiter tantum, & mere per accidens concurret ad damna, si quæ postea sequantur. 3. Propter eandem rationem Molin. *cit. disp.* 732. Lugo, aliique apud Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 2. §. 4. *num.* 1. recte excusant a culpa, & restitutione Advocatos, & Procuratores, qui defendunt fures in judicio in iis, in quibus ipsimet fures se defendere jure possunt (utpote quando crimen omnino est occultum, vel nondum semiprobatum, aut quando injuste vexantur non servato juris ordine) eos enim defendunt non ut fures formaliter, sed ut homines jus habentes defensionis in prædictis. Quod si inde damna aliis illata non compensentur, non justæ defensioni, sed furis, ad eam compensationem semper obligari, malitiæ imputandum erit.

39 *Neque obstat denique*, quod ejusmodi fures sic benigne recepti, & defensi, postea probabiliter redituri sint ad nova latrocinia, nec ablata reddituri: hoc enim, ut modo dictum, ipsis imputabitur, non sic misericorditer receptantibus, vel juste defendentibus mere materialiter. Tandem cum ejusmodi receptatio sit actio mere indifferens de se, omnino poterit admittere causam excusantem a culpa, & a restitutionis debito, utpote metum mortis, vel alterius mali proportionaliter, ut iterum in simili dicam §. *seq.* Qua ratione ipse excusare coactus sum caupones in hospitiis solitariis, ita recipientes latrones ob metum incendii domus sibi incussum, & alicubi etiam factum.

§. VII. *Participans.*

40 Sexta Persona, & causa positive cooperans ad injustam damnificationem proximi est *participans*, non tantum in ipsa re injuste ablata, vel detenta, ut qui cum alio fure immediate furatur, prædamque partitur, talis enim ut causa principalis, vel saltem partialis damni ratione injustæ acceptionis tenetur ad restitutionem pro rata sua, & non ut cooperans, vel ratione cooperationis, nisi ita cooperetur alteri, ut sine ipso alter damnum inferre non potuisset, vel ausus non fuisset, tunc enim tenebitur etiam ut cooperans in solidum, in defectum alterius: sed intelligitur *Participans* in actione injusta damnificante alterum, hoc est omnis, qui quocumque auxilio, vel consilio præstito alteri ad damnum inferendum formaliter cooperatur: talis utique ad restitutionem damni secuti obligatus sit, quia talis solus ex causis cooperantibus directe, & physice cooperatur ad damnum injuste inferendum. Ut qui furem juvat fores effringere, scalam applicat, & tenet: vigilem, vel exploratorem agit, aut solum comitatur animi agendi causa. Item faber ferrarius subministrans clavem, præsertim universalem ad furandum, qui etiam proinde pœnis furti plectuntur, ut patet variis legibus *ff. de furtis*: quo spectant fautores usurariorum, tabelliones, conficientes instrumenta usurarum in gratiam usurarii. Ut ex communi notat Molina *disp.* 734.

41 Verumtamen aliqua distinctio hic adhibenda est. Qui enim participat cum injuste damnificante in actione intrinsece mala, contra justitiam inexcusabiliter peccat, & semper tenebitur ad restitutionem: Ut qui juvat ad ipsam occisionem, vulnerationem, effractionem, ablationem, vel asportationem rei alienæ. At vere qui participat in actione secundum naturam suam indifferente, & non ex natura sua intrinseca, sed solum ex iniqua intentione, & applicatione alterius mala, ut furi asportare, tenere scalas, is ex gravi metu mortis, mutilationis, atrocis verberationis, aut similis mali, aut ob aliam gravem, justamque causam excusari potest, & a peccato, & ab onere restitutionis, juxta communem DD. apud cit. Ratio hujus est, quia actionem de se

indifferentem ad bonum finem exercere per se licitum est: atqui talis exercet actionem de se indifferentem ad bonum finem, scilicet vitam propriam, vel incolumitatem conservandam: aut aliud grave damnum evadendum: ergo &c. Quod autem eadem actio, vel cooperatio ex iniqua intentione, & usu furis v. gr. tendat ad damnum tertii, cooperans habet se mere permissive, neque enim tenetur cum tam gravi suo incommodo impedire, aut peccatum furis, aut damnum tertii: neque tertius potest esse rationabiliter invitus ob talem cooperationem: sicut enim deberet esse contentus, si ipse damnificans ob tam gravem metum sibi damnum illatum non restitueret, ita sane multo magis rationabiliter debet esse contentus, quod talis innocens ob tam gravem metum sibi incussum ad damnum suum invitus cooperetur; ergo ex ejusmodi gravi metu, actione de se indifferente cooperans ad damnificationem tertii nec peccat, nec ad compensationem damni illati obligabitur. Et hinc

I. Excusabitur & a peccato, & a restitutionis debito, 42
qui metu mortis, aut alterius gravis mali coactus, præbet furi claves, vel instrumenta ad effringendas fores, vel arcas: qui domum inscendenti scalas tenet, prædam jam ablatam portare juvat &c. quia hæ sunt actiones indifferentes ex sola furis malitia damnificantes tertium. Non item excusaretur, qui simili metu adactus ipse fores effringeret, vel incenderet domum, & januas aperiret, vel res repertas foras ejiceret &c. tales enim actiones sunt intrinsece malæ contra justitiam, adeoque iis cooperans teneretur ad restitutionem.

II. Excusantur rustici v. g. qui milites, prædones, alios- 43
ve iniquos possessores ex simili metu juvant in asportandis prædis iniquis, abigendo vaccas, vel pecora aliena &c. gravi enim metu excusati non inferunt domino injuriam, formaliter loquendo. Similiter excusantur Christiani captivi apud Turcas v. gr. contra Christianos remigantes, arma, & sarcinas asportantes, fossas agentes, propugnacula extruentes &c. ob similem metum coacti; ejusmodi enim actiones de se indifferentes sunt, & ex sola malitia Turcarum ad Christianorum damna destinantur. Non autem excusarentur etiam metu mortis ab ipsis Turcis inferendæ, contra Christianos pugnantes, tormenta bellica explodentes, occidentes &c. istæ enim actiones intrinsece malæ sunt, nullo fine excusabiles.

III. Universaliter & a peccato, & a restitutione excu- 44
santur, qui ex quacumque rationabili causa solum materialiter cooperantur alteri ad actiones injustas, & damnum tertio inferendum, quod, iis etiam non cooperantibus, adhuc tamen inferretur; v. gr. famulus usurarii jussu domini pecuniam numeras: non enim cooperatur formaliter ad usuram, vel pactum usurarium, sed solum materialiter ad mutuum usurarium, & etiam secluso auxilio famuli adhuc facile a domino numeraretur, ut observat *Paludanus* apud *Laym.* citatus. Item ancilla dominæ suæ vocanti auxilium ferens in asportanda cista furtiva, quam etiam sine ejus ope auferret, & furaretur. Item si furi ascendenti scalas teneas, quas etiam nemine tenente ascenderet, & his similia. Ex communi DD. *Nav. Mol. Less.* alii cum Laym. *lib.* 3. *tract.* 2. *c.* 5. *n.* 5. & 6.

IV. Secus dicendum, quando tale damnum absque tuo 45
auxilio a fure v. gr. inferri non posset: tunc enim tu adjuvans restituendi obligationem non effugies, esto etiam, quod si tu non juvares, alius non deesset, a quo juvaretur, ut cum aliis recte notat *Laym. cit.* & in simili jam sæpius notavimus. Sed de his universalius in materia de scandalo, ubi de cooperatione ad peccatum alterius.

§. VIII. *Mutus, non obstans, non manifestans.*

Sunt tres reliquæ personæ, & causæ negative tantum 46
cooperantes ad damnificationem alterius, aliquali, etsi modico discrimine inter se differentes. Nam *Mutus* dicitur, qui cum posset, & deberet, verbo, vel signo non impedit, scilicet non loquitur, non prohibet, non clamat, non scribit, vel monet ante damnum factum ad illud impediendum: idque sive respectu illius damnificantis, sive respectu tertii damnificandi.

Non obstans dicitur, qui cum possit, & debeat ipso fa- 47
cto, non impedit, scilicet non defendit, non repellit, non custodit, aut alia actione non avertit damnum, cum de facto infertur.

Non manifestans dicitur, qui post damnum jam illatum 48
non revelat damnificantem, vel non admonet damnificatum in ordine ad damni illati compensationem, vel rei ablatæ recuperationem, aut etiam post judicis edictum ad criminis vindictam; omnes ergo hæ tres causæ comprehendi possunt uno nomine *non impediens* damnum injustum proximi.

Dupliciter autem potest quis obligari ad impediendum 49
dam-

damnum alterius. 1. Generaliter ex Charitate tantum. 2. Specialiter, & ex justitia. Generaliter, & ex Charitate omnis Christianus tenetur impedire damnum proximi, quando commode potest; nimirum sine graviori, æquali, vel quovis notabili proprio suo periculo, damno, vel incommodo, juxta communem doctrinam *in materia de Charitate*. Nam proprius actus, & obligatio Charitatis est proximo bene velle interius, &, cum necessitas postulat, etiam benefacere exterius, & consequenter etiam quodvis ejus malum, vel damnum avertere, & impedire quoad commode fieri potest. Specialiter, & ex justitia obligantur impedire proximi damnum ii tantum, qui, vel ex officio, vel contractu antecedente aliorum saluti, & indemnitati studere debent, ut sunt omnes Magistratus, Senatores, Consiliarii, Advocati, Medici, Custodes, Administratores, Curatores, Famuli, &c. omnesque mercede conducti ad res alterius custodiendas, vel procurandam alterius indemnitatem. Jam quæritur, quandonam ejusmodi non impedientes damnum proximi, obligentur ad restitutionem. Contra *Cajetanum*, *Richardum*, *Majorem*, & alios quosdam universaliter omnes culpabiliter non impedientes damnum proximi ad restitutionem obligantes diximus in Assertione. *Quando ex Justitia tenebantur impedire*. Esto ergo

REGULA GENERALIS.

50 *ILli omnes, & soli non impedientes damnum alterius, qui ex justitia, scilicet ex officio, vel contractu obligati erant impedire, obligantur ad damni secuti compensationem; non autem illi, qui solum ex Charitate tenebantur*. Ita communis DD. cum S. Thoma 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. Navar. Molina *disp.* 735. *num.* 4. Less. Laym. *cit. cap.* 5. *num.* 7. Lugo *disp.* 19. *nu.* 9. Ratio jam supra data est: Quia obligatio restituendi oritur solum ex violatione justitiæ commutativæ, quando nimirum alteri aliquid ablatum, vel negatum est, quod jam fuit ipsius, seu ad quod actuale aliquod jus habebat: atqui quando aliquis obligatus ex Charitate tantum, omittit impedire damnum alterius, non omittit aliquid ipsius, seu ad quod alter jus habebat: nullum enim in me jus habet, ut tenear res ejus custodire, licet ego debitum morale, & strictum Charitatis habeam, ut patet: ille autem omnis, & solus, qui ex justitia, scilicet officio, vel contractu obligatus, omittit impedire damnum alterius, vere omittit aliquid, quod fuit alterius, seu ad quod alter jus habet: nam vi officii, vel contractus initi, alter verum jus habet, sicut & ego debitum non morale tantum, sed legale habeo, ut tenear impedire damnum illius: ergo ille tantum contrahit obligationem restituendi, seu compensandi damnum a se non impeditum, qui ex justitia tenebatur impedire, non autem ille, qui ex Charitate solum obligatus erat, v. gr. Si sis custos vineæ a Magistratu constitutus, vel pacto pretio conductus, contrahis obligationem compensandi damnum, si verbo, vel facto non impedias fures: at vero si non sis custos, sed vicinus tantum v. gr. peccas quidem non impediendo damna, cum facile posses; quia solum tamen peccas contra Charitatem, onus restitutionis minime contrahes. Sed explico utrumque obligatum seorsim quoad specialia.

Obligati impedire ex Charitate tantum.

51 NOn obligantur ad damni non impediti compensationem, etsi facile, immo facillime, absque gravi, immo sine ullo suo incommodo impedire possent, ideoque non impediendo mortaliter contra Charitatem peccarint. Nam si sine gravi suo damno, vel periculo impedire nequeant, etiam a peccato contra Charitatem excusari communis est doctrina in materia de Charitate. Itaque maxima illa (omnem teneri ad restitutionem, qui est vera causa moralis alicujus damni proximo illati:) vera est universaliter, si sit causa positiva per commissionem damni alterius: at non est verum universaliter, si sit tantum causa negativa, & per omissionem impediendi damnum alterius: tunc enim obligatio restituendi sequetur obligationem præhabitam impediendi: obligatio autem restituendi sequitur tantum obligationem justitiæ, & non solius Charitatis, ut dictum est: ergo causa moralis negative tantum concurrens ad damnum proximi, tunc tantum contrahit obligationem restituendi, quando habuit obligationem justitiæ ad impediendum: non item, quando habet obligationem, & debitum Charitatis tantum. Loca diversa Juris Canonici significantia, æque reum eum, qui damnum non impedivit, ac qui intulit: ut *cap.* non inferenda 23. *qu.* 3. *Qui potest prohibere injuriam a socio, & non facit, tam est in vitio, quam qui facit injuriam*. Et *cap. sicut dignum*, *de homicidio* ait Alexand. III. *Qui hominem potuit liberare a morte, & non liberavit, occidit*. Et *cap. Pasce*, *dist.* 87. refertur dignum D. Ambr. *Pasce pane morientem, si non pavisti, occidisti*. Hæc, & alia loca intelligenda sunt quantum ad æqualitatem culpæ, non item quoad obligationem restituendi, nisi respectu personarum, qui ex justitia tenebantur ejusmodi mala impedire. Aliquot nunc dubia supersunt.

I. Quid si talis ex Charitate tantum est obligatus impedire, studiose se negative habeat, non impediat, sed permittat inferri damnum proximo ex mera malitia, odio, vindicta erga ipsum? Resp. Hunc adhuc non obligari ad compensationem damni illati. Quia odium non est causa restitutionis, sed injustitia commissa: hic autem nulla est injustitia commissa, quia nulla fuit obligatio impediendi ex justitia: ergo &c. Deinde obligatio restitutionis sequitur causam externam damni: hic autem nulla est causa damni; nam solus malignus affectus internus causa damni externi esse nequit: silentium autem, seu omissio auxilii, cum sit quid mere negativum, causa damni positive esse non potest. At quid si tu alterum sic ex Charitate obligatum, aut sponte sua volentem impedire damnum proximi, v. g. furem, latronem, sicarium, rapturum, vel occisurum repellere, incendium extinguere, &c. tu, inquam, impedias, ne impediat: peccabisne contra justitiam cum onere restitutionis? Resp. (conformiter ad dicta *sect.* 5. *de impediente alterum a consecutione alicujus boni non debiti ex justitia*) cum distinctione: Si per vim, metum, fraudem, dolo, vel mendaciis, ita impedias volentem impedire, omnino teneberis ad compensationem damni non impediti; secus, si sine vi, vel fraude, solo simplici consilio, suasu, vel hortatu impedias. Sic Molina *disp.* 735. *num.* 4. Less. *lib.* 2. *cap.* 13. Lugo *disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 101. Ratio est: quia vi, vel fraude impediens peccas contra justitiam, cum proximus habeat jus, ne vi, vel fraude impediatur a consecutione, vel conservatione sui boni. At, si sine vi, vel fraude impedias, non peccas contra justitiam, quia nullum ejus jus violas, cum nec tu, vel alter volens impedire, nihil ei debeatis ex justitia. 52

II. Quid si tu volens impedire v. gr. furem, ne furetur a Petro, ab ipso fure pecuniam accipias, ne impedias, clames, manifestes, &c. fiesne obnoxius restitutioni damni illati? Resp. Te ad nullam restitutionem obligari in proposito, (nimirum nisi ex justitia, officio, vel pacto obligatus esses impedire, aut si pretium acceptum sit pars furti) communis *DD. Sot. Navar.* aliique cum Laym. *cit. numer.* 9. Tamb. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 6. *numer.* 5. Ratio patet ex dictis: Quia acceptio pretii tibi dati a fure, non te magis obligat ad impediendum damnum proximi, quam antea obligabaris: ergo si antea non obligabaris, nec ex justitia obligaberis postea: & consequenter, quia non peccas contra justitiam, etiam sumpto pretio non impediens, sed contra Charitatem tantum, nullam contrahes obligationem restitutionis. 53

III. At, quid si tu accipiens pretium, tua promissione tacendi furem animosiorem reddas, qui alias ex timore tui impedimenti absterritus fuisset a furando? Resp. Tunc te obligari ad restitutionem damni tamquam veram causam participantem, seu adjuvantem ad furtum, affirmant communius DD. Petrus Navarr. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 132. Less. *cit. dub.* 10. *num.* 68. Laym. & *alii cit.* ac omnino probabilius. Negat tamen *Tamburinus* modo *cit. num.* 6. hac ratione: Quia quod tunc fur reddatur animosior, non ex tua aliqua positiva actione oritur, sed solum ex omissione negativa, quæ omissio non reddit ex se animosiorem furem, sed ipse utitur hac omissione tua ad majorem suam securitatem in furando: ideoque tu non poteris censeri causa positiva cooperans, vel participans ad damnum, quamvis accepto pretio promittas non impedire. Non audeo hanc opinionem, vel sententiam damnare, sed consideranti relinquo. 54

IV. Denique: Quid eo casu obligeris furi pretium danti, colliges ex dicendis *in septimo Præcepto*, *ubi de acceptis ob turpem causam* fusius. Hic breviter habe: Si pecunia hæc data fuit non liberali animo donandi, sed cum pacto obligandi te, ne impedias, clames, manifestes &c. (sive ex Charitate, sive ex justitia obligeris impedire) equidem ante impletum opus, quando res adhuc est integra, id est, si adhuc potes impedire damnum, vel facere, ut damnum illatum resarciatur, v. gr. res ablata recuperetur, teneberis omnino rescindere pactum illud improbum, pretioque furi restituto, damnum impedire. Post impletum autem opus, & damnum jam illatum, quod amplius impedire nequis, jam acceptæ pecuniæ dominium acquiris, adeoque furi restituere non teneberis: vendidisti enim illi operam tuam ipsi utilem, ac pretio æstimabilem, scilicet omissionem impediendi, quam omissionem poteras ponere, vel non ponere, & forte non sine periculo tuo posuisti, juxta latius dicenda ibidem. 55

Obli-

Obligati ex justitia impedire.

56 Tenetur compensare damnum a se non impeditum: idque non tantum ex dolo, vel malitia si quis scilicet sciens, & volens ex industria, ac animo nocendi non impediat, sed etiam ex culpa lata, & gravi Theologica, *secundum omnes*, & secundum communem sententiam etiam ex culpa levi, quando officium, vel contractus obligans ad impediendum, cedit etiam in commodum ipsius impedire obligati, quippe inde salarium, vel proventus habentis: quamvis hic suo sensu etiam recte dicatur teneri ex culpa lata tantum, scilicet respective, non absolute: hoc est, ex tali culpa, quæ licet absolute in se, & respectu aliorum levis sit, respectu tamen eorum, qui ex officio, vel contractu, maxime lucrativo, obligantur impedire damna aliorum, revera culpa gravis, & lata censeri debeat: ut optime explicat Lugo *disp.* 8. *sect.* 9. Interim maneat probabilis Sententia allata supra *sect.* 6. §. 4. & 5. Nimirum non incurri obligationem sub mortali, nisi adsit culpa Theologica gravis, & mortalis. Cæterum etiam tales ex justitia, officio, vel pacto obligatos impedire damna aliorum, & a culpa gravi, & ab onere restitutionis excusari, si non impediant propter periculum gravis damni proprii majoris, vel æqualis (uti certe est jactura gravis rei familiaris, famæ, vel honoris, & maxime vitæ) recte monent post alios Molina *disp.* 735. *nu.* 1. Tamb. *cit.* Ratio est: quia ordinarie cum tanto onere hæc officia non assumuntur, nec pacta ineuntur; nisi quid amplius speciale pactum exposcat, ut in milite tempore belli, & Parocho tempore pestis, vel subversionis ovium: item pactum assecurationis. Jam pro praxi frequentissima percurramus breviter casus particulares.

57 I. Principes, Magistratus, Gubernatores &c. quibus ex officio incumbit procurare tranquillitatem, & indemnitatem civium, tenentur ad restitutionem omnium damnorum sua culpa, & negligentia secutorum: ut si non impediant damna a feris, latronibus, aliisque perniciosis, illata subditis. Item Assessores, Canonici, Consiliarii, vel tacendo, vel se absentando, cum possent, non impedientes iniquam constitutionem, electionem &c. Item Tutores, Curatores, Administratores bonorum, non impedientes damna pupillis, minorennibus, Ecclesiis, &c. provenientia; omnia juxta communem DD. cum S. Th. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. Item famuli domestici, quibus cura specialis domus, aut rei familiaris commissa, vel demandata est; eo ipso ex officio, adeoque ex justitia, & sub onere restitutionis tenentur impedire damna, furta &c. sive ab extraneis, sive a conservis, vel condomesticis inferenda: juxta communissimam apud *mox citandos*. Cujusmodi sunt domus Præfecti, Oeconomi, Coqui, Cellarii, Granarii, & quivis, cui committitur cura loci, horrei &c. is, qui Dominum comitatur quoad res, quas secum fert: is, cui datur clavis loci servanda, ubi res servantur. Et bene observat *Lugo* mox citandus, eo ipso, quo famulo, vel ancillæ Dominus, vel Domina tradit clavem ad asportandum aliquid ex loco clauso, cubiculo, cista, armario, cellaria, simul iis tacite committi custodiam loci, & rerum ibi servandarum, sic, ut ex justitia, & cum onere restitutionis teneantur impedire furta, vel damna inferenda, etiam a domesticis. Quod tamen quoad quantitatem intelligendum, juxta alibi dicenda de furtis domesticorum. Alii autem famuli, vel ancillæ, quibus ejusmodi cura demandata non est, adhuc videntur obligati impedire damna dominorum a furibus, vel personis extraneis inferenda, cum iis hoc ipso, quo in familiam suscipiuntur, custodia domus aliquo modo incumbat, ut ab extraneorum injuriis defendatur: adeoque obligabuntur ad restitutionem damnorum sub gravi culpa, vel dolo non impeditorum: ut contra *Molinam*, *Azor. Bonac.* & alios rectius docent *Petr. Navar.* Less. aliisque *cit.* Lugo *disp.* 19. *sect.* 3. consentiente Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 7. Obligabuntur ergo solum ad restitutionem, si non impediant fures extraneos, seu damna ab extraneis inferenda: non item, si non impediant furta domesticorum, vel conservorum; hos enim, si facile possint, & non impediant, peccabunt solum contra Charitatem. Quod si tamen servus videat conservum convasare res Domini, ut noctu cum illis aufugiat, tunc obligari quemlibet ex justitia impedire, eo quod tunc ille, qui fugam parat, censeatur ut extraneus, docet Lugo *hic cit. n.* 106. *in fine*.

58 II. Custodes urbium, pagorum, agrorum, vinearum, sylvarum, fluminum, piscinarum, gabellarum, &c. per negligentiam gravem damnum inferri permittentes, aut fures, vel defraudatores, aut damna inferentes, non manifestantes obligantur ad compensationem damnorum inde directe secutorum parti læsæ, juxta communissimam Molin. *disp.* 739. *n.* 5. Lugo *tom.* 2. *de justit. disp.* 37. *sect.* 9. alii apud ipsos. At quid de pœna, vel de mulcta, quam reus solveret, si revelatus judici fuisset? Probabilissimum est, illos solos custodes, qui non sunt etiam judices, seu potestatem habentes exigendi ejusmodi pœnas, si transgressores, vel solum non impediant, vel inquirere, ac deprehendere negligant, aut deprehensos non manifestent ad pœnam debitam, illos non teneri ad restitutionem ejusmodi pœnarum, seu mulctarum. Ita Sylvest. *verb. restitutio.* 3. *q.* 5. *dub.* 7. Nav. aliisque citatis Diana *part.* 3. *tr.* 5. *resol.* 64. & Tamb. *lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 2. §. 6. *nu.* 12. Ratio est: Quia ejusmodi pœnæ, seu mulctæ non debentur nisi post judicis sententiam, ante quam nullum jus acquisitum est Domino, vel Fisco: ergo quomodocumque sententia impedita sit, nihil debebunt illi custodes non manifestantes: nam ipsorum officium directe non est Dominum, vel Fiscum mulctis augere, sed solum damna avertere, ad quorum proinde tantum compensationem, si sua incuria acciderunt, obligabuntur.

At quid de ipso Judice, vel exactore ejusmodi pœnarum, seu mulctarum pecuniariarum, si illas exigere, sed ad eas condemnare negligant reos, jam deprehensos, manifestatos, vel convictos? Eos obligari ad restitutionem illarum mulctarum Domino, vel Fisco, docet communior, & utique verior Sententia *DD. Salonius*, *Mol. Joan. Med. P. Nav.* alii cum Laym. *cit. c.* 5. *nu.* 7. Ratio urgens est: Quia tunc Domino, vel Fisco jam jus propinquum ad illam mulctam acquisitum est; idque Judex, vel Officialis Exactor ex officio exequi tenetur: ergo si negligat, contra justitiam delinquit, & onus restitutionis loco reorum subibit. Contra tamen, nec illos obligari ad illas compensandas mulctas, docent *Less. Sanch. Vasq. Tanner.* aliique citat. Diana *par.* 3. *tr.* 6. *resol.* 35. & Lugo *disp.* 37. *sect.* 8. *n.* 97. nec improbabiliter. Nam ratio ante paulo data de custodibus adhuc videtur urgere: quia revera ante sententiam nullum jus ad illas mulctas Domino, vel Fisco acquisitum fuit; quam proinde sententiam saltem post factum tuto in Confessionali sequitur Confessarius. 59

III. Insuper ipsemet reus de damno illato accusatus, & juridice interrogatus, si crimen neget, & non fateatur veritatem, manet quidem obligatus ad resarcienda damna antea illata parti læsæ, & quæ ex negata veritate de facto ei eveniunt: at vero non contrahit obligationem solvendi mulctas Judici, vel Fisco, aut ipsi parti læsæ applicandas per sententiam Judicis, quas per negationem veritatis effugit: ut contra *Molinam* docent *Nav. Azor. Vasq.* aliisque cit. Tannerus *hic qu.* 6. *dub.* 2. *nu.* 76. Ratio est; quia reus per Judicem interrogatus tenetur fateri veritatem solum ex obedientia, & ex justitia legali, seu ratione juris, quod Communitas, & ejus nomine Judex habet ad publicam correctionem criminum boni communis causa, ut ipsi crimina manifestentur secundum ordinem juris: ex justitiæ autem legalis violatione non oritur obligatio restitutionis, ut suo loco vidimus. Non autem tenetur fateri reus veritatem ex justitia commutativa, seu ratione juris alicujus, quod haberet ille, cui mulcta pecuniaria applicanda erat: reus enim ex justitia commutativa solum tenetur compensare damna a se illata; non autem procurare commodum Fisci, vel alterius partis: ergo negando veritatem mulctam subterfugiens, nulli infert injuriam, vel damnum, consequenter ad nullam restitutionem obligatus erit in conscientia ante aliam Judicis sententiam. 60

Quoad testem autem a Judice vocatum, & interrogatum de damno ab altero illato, ita pro nunc breviter distinguendum. Siquidem falsum testimonium dicat cum damno innocentis, liquidum est, eum ad compensationem damni obligari. Si vero solum fuga, silentio, vel tergiversatione declinet, dissimulet, veritatem celet, non obligabitur ad compensationem damni ex intermissione sui testimonii parti innocenti, vel læsæ, vel nocenti consecuti. Ex communi *Molina*, *Less.* aliisque cit. Laym. *eodem c.* 5. *n.* 7. *in fine*. Ratio est: quia talis falsum dicendo cum damno tertii liquido peccat contra justitiam commutativam, ideoque onus restitutionis incurrit: at vero veritatem solum dissimulando, vel tacendo non peccat contra justitiam commutativam, cum pars læsa, vel innocens nullum habeat jus cogendi ipsum ad exprimendam veritatem: sed solum peccat contra Charitatem erga innocentem, contra obedientiam erga Superiorem, vel Judicem interrogantem, & ad summum contra justitiam legalem, contra Communitatem, quorum nullam inducit obligationem restituendi: ergo &c. Tutior quidem, non tamen æque probabilis est opposita Sententia, Nav. *c.* 25. *n.* 41. Tolet. *lib.* 5. *c.* 31. *Soti*, *Rebelli*, *Reginaldi*, & aliorum satis communiter talem adhuc obligantium ad restitutionem. 61

IV. De Confessario, sive curato, sive non curato, non impediente in pœnitentibus damna alicujus tertii, v. g. per injustum contractum, vel omissionem restitutionis, ita distinguendum est. Si quidam positive consulat, suadeat, vel doceat, sive ex malitia, vel ignorantia crassa, restitutionem non esse faciendam, cum tamen facienda sit; vel contractum 62

tractum aliquem justum esse, cum tamen revera injustus, vel usurarius sit &c. omnino tenebitur ad compensationem damni secuti tertio, quippe ad quod positive cooperatus est: sed hoc in defectum ipsius pœnitentis, quem prius de errore monere debet, & si ipse possit, & velit restituere, liberabitur Confessarius, *secundum omnes*. Quod si vero solum negative se habeat, dissimulans, vel non injungens pœnitenti restitutionem faciendam ex quacunque causa, negligentia, oblivione, ignorantia, verecundia, metu, vel etiam malitia, probabilius, & verius est, ipsum ad nullam teneri restitutionem. Ita contra *Nav. Angelum*, *Rosellam*, *& alios* docent *Valentia*, *Less. Sa*, *Faber*, aliisque cit. Tannerus *cit. q.6. dub.2. n.65.* Laym. Ratio est: Quia administratio Sacramenti pœnitentiæ directe solum obligat Confessarium ad procurandum bonum spirituale pœnitentis, idque ex justitia vi officii, & muneris sui; non autem ad procurandum bonum temporale tertii: neque etiam illi cum aliis tertiis personis in ordine ad sua debita temporalia consequenda, vel damna impedienda expressa, vel tacita conventio, vel pactum intercedit; ergo respectu illorum aliorum non obligatur ex justitia, sed solum ex Charitate, consequenter non incurret obligationem compensandi damna in confessione pœnitentis non impedita. Nota tamen, si pœnitens Confessarium interroget, an in tali casu v. gr. sit restitutio facienda, ejusque silentium, vel dissimulationem pro responso negativo habeat, sicque restitutionem debitam omittat, omnino censebitur Confessarius tacite consulere, adeoque cooperans positive ad damnum tertii, ideoque juxta prædicta restitutioni obnoxius.

§. IX. *Idque secundum proportionem influxus, seu causalitatis in damnificando.*

63 Ita nimirum tenentur restituere causæ cooperantes ad injustam damnificationem alterius secundum proportionem influxus, seu causalitatis in damnificando, ut quæ totum damnum sua causalitate, vel influxu attigerunt, teneantur restituere in solidum, hoc est, totum damnum illatum compensare; singulæ tamen in defectu aliorum, si nimirum alii non solvant suas partes: quæ vero non totius damni causa fuerunt, sed partis tantum, teneantur compensare pro rata sua, seu pro parte damni a se dati tantum. Hæc est regula generalis, & mensura restitutionis a causis cooperantibus faciendæ apud DD. *Ratio* autem patet: Quia tota radix restitutionis ex delicto est causalitas, seu cooperatio ad damnum injustum alterius: tanta ergo erit obligatio restituendi, quanta fuit causalitas, vel influxus in damnum, scilicet respective totalis, vel partialis. Et hinc pono claras regulas speciales.

64 *Prima regula*. Causa cooperans totalitate causæ, quæ scilicet causat totum damnum, tenetur quoque compensare totum damnum in solidum: nimis certum, & notum ex terminis. Potest autem quis dupliciter esse causa totius damni. 1. Sic, uti ipse solus per se, & sine alterius auxilio, vel concursu totum damnum inferat, & sic eo ipso non erit causa cooperans, sed simpliciter totalis, ac principalis, atque ad restitutionem totius damni obligari, & pueris, & rusticis notum est. 2. Sic, ut de facto quidem cum alterius auxilio damnum inferat, ita tamen, ut etiam sine alterius adminiculo, totum damnum ab ipso solo fieret: ut si duo hominem occidentes singuli lethale vulnus infligant: si duo consulant furtum, ita ut uniuscujusque consilium solum sufficeret, & sufficienter moveret: si duo onus furtivum asportent commoditatis gratia, quilibet tamen solus etiam asportaret, &c. Et sic rursus certum est, singulos teneri ad compensandum totum damnum in solidum, posito, quod alter suam partem nequeat, vel non velit restituere, quia quilibet est vera causa totius damni. Nec de hoc ulla est controversia.

65 *Secunda Regula*. Causa cooperans partialitate effectus tantum, quæ scilicet solum per se partem damni causat, absque ullo influxu, vel dependentia ad alias causas forte etiam concurrentes ad damnum, tenetur solum restituere pro rata parte sua, non autem pro eo, quod alii, quamvis eodem tempore, loco, vel occasione, intulerunt, v.g. Ingrederis vineam uvas rapturus, vel carpturus: eodem tempore alii, absque tamen omni tuo consensu, vel concursu, eandem ingrediuntur, & auferunt; es causa damni partialitate effectus tantum, ideoque pro tua tantum parte restituere obligaris. Item pluribus ex domini dolio exhaurientibus, vel de pecunia furantibus, si tu superveniens etiam parum, vel multum fureris; peccabis pro ratione materiæ mortaliter, vel venialiter, neque plus restituere teneberis, quam accepisti: quia nullo modo fuisti causa influens in totum damnum ab aliis aggregatum, sed solum quoad partem tuam. Communis DD. cum Molin. *disp.* 734. Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. §. 2. Sylvest. *verb. restit. qu.* 6. Laym. *cit. cap.* 6. *num.* 1. alii apud ipsos, & specialius probabitur *in septimo Præcepto*.

Regula tertia. Causa cooperans partialitate causæ tantum, quæ scilicet de facto quidem influit cum aliis in totum damnum consilio, vel auxilio, ita tamen, ut sine ejus cooperatione, vel concursu, a reliquis de facto cooperantibus absque alia nova causa superaddita, adhuc poneretur totus effectus, seu totum damnum inferretur: tunc illa, & quælibet rursus solum obligatur ad restitutionem pro parte rata, seu tantum, quantum ipsa suo concursu, judicio prudentis æstimando, damnum intulit. Ita expresse pluribus citatis Lugo *tom.* 1. *de justit. disp.* 19. *sect.* 2. *a num.* 80. Dicast. *lib.* 2. *de restit. tract.* 2. *disp.* 4. *dub.* 2. Tamb. *cit. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 2. §. 8. *num.* 5. Atque hoc sensu vera est sententia *Navarri*, *Angeli*, *Sylv.* & aliorum cum Lessio *cit. lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 4. *nu.* 37. qui absolute docent, quando plures causæ non principales concurrunt ad idem damnum injustum, v.g. in bello injusto gregarii milites, singulos teneri ad partem pro rata sua. *Ratio est*: Quia cum tota radix obligationis restituendi ex delicto sit causalitas, seu influxus in damnum illatum, non debet esse major obligatio, quam sit ipse influxus in damnum: ergo qui solum partialiter, & diminute concurrit, & influit ad damnum, etiam sine suo concursu secuturum, etiam partialiter, & diminute solum restituere obligabitur: neque est rationabile, ut ex partiali, & diminuta cooperatione tenearis ad restituendum totum. Sicut enim, qui partialiter concurrit partialitate effectus, v. g. auferens decem, aliis auferentibus nonaginta, licet concurrat ad totum damnum, quia tamen partem solum damni causat, partem solum restituere tenetur, etsi sine suo concursu totum damnum, v.g. centum, non esset illatum a cæteris, sed nonaginta tantum: ita sane a fortiori, qui partialiter concurrit partialitate causalitatis ad totum damnum, quod tamen totum damnum sine ejus concursu adhuc illatum fuisset a reliquis causis, non ad totum, sed ad partem tantum damni suæ causalitati proportionatam compensandam tenebitur. Unde quando plures consulunt, vel hortantur ad damnum injustum, ita tamen, ut quamvis alter de facto omnium consilio, vel hortatu motus fuerit, tamen etiam, hoc vel illo, vel quocumque in particulari non consulente, adhuc damnum fuisset illaturus, singuli solum debebunt pro parte rata, quantum scilicet damnum prudenter judicabitur commensurari ad hujusmodi consilium, vel adhortationem. Et idem in similibus. Vides jam, hanc regulam reipsa coincidere cum prima. Intellige autem semper (uti notanter dixi) si totum damnum sine unius concursu adhuc illatum fuisset a reliquis de facto cooperantibus sine aliqua causa superaddita; quando enim unus ita concurrit ad damnum inferendum, ut a reliquis causis de facto cooperantibus illatum non fuisset, tenebitur ad restitutionem in solidum, nihilobstante, quod si ipse non concurrisset, alius non defuisset, qui loco ejus concurreret: quia illa de facto jam vera fuit causa totius damni illati, *juxta dicta superius*. Unde jam supra notatum est, eum, qui in consilio damnoso alteri suffragium suum dat cum prioribus intra numerum requisitum ad decisionem, teneri ad totum damnum inde secutum: quia una cum suo suffragio impleto numero, jam efficaciter damnum illatum fuit, quod ab illo numero de facto suffragante, sine suo suffragio inferri non potuisset: nihilo obstante, quod si ipse suffragatus non esset, alio ex sequentibus id ipsum suffragante, adhuc eadem sententia lata, & damnum illatum fuisset. Quod etiam resolvit *Lugo cit.* 66

Quarta regula. Causa cooperans partialitate causæ quidem, eo quod sola sine concursu aliorum, damnum non causaret, at simul totalitate effectus, ita scilicet, ut sine illius concursu, vel influxu totum damnum non fieret a reliquis, omnino obligatur ad restitutionem totius damni in solidum, posito nimirum, quod alii cooperantes suas partes restitutionis contribuere non possent, vel non vellent. Sic expresse Auctores supra citati. Atque hoc sensu vera est Sententia DD. *Cajet. Medin. Soti*, *Laym.* aliorum, qui absolute, & indistincte asserunt, quoties causa cooperans influit in totum effectum, seu damnum, teneri ad restitutionem in solidum. Et colligitur ex L. 21. §. 9. *ff. de furtis*. Ubi dicitur: Quando plures portant pondus aliquod, quod nullus per se portare sufficeret, tunc omnes teneri in solidum ad restitutionem ex actione furti. *Ratio est*: Quia obligatio restitutionis sequitur causalitatem damni: atqui in proposito, singulæ causæ partiales, moraliter loquendo, æquivalent totalibus, licet enim singulæ seorsim non ponant, nec possint ponere totum effectum physice, moraliter tamen singulæ eo ipso censentur ponere totum effectum, quia singulæ possent, & deberent impedire totum effectum subtrahendo suum concursum, vel auxilium, sine quo damnum non fieret, nec fieri posset, ut supponitur, si ergo se non subtrahat, vel non impediat totum, quod certe posset, & deberet, ipsi imputabitur etiam totum damnum: prout etiam optime respondet Vasq. Opusc. moral. *cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 35. 67

his

his verbis. *Dices: quomodo, si istæ sunt partiales causæ, tenentur ad totum? Resp. Quod partiales causæ sunt: sed unusquisque est in causa, quare totum fiat; in sua enim voluntate fuit, ut nihil fieret, si ipse desisteret, cum alius non posset: & ideo in solidum tenetur quæcumque partialis causa.* Hæc ille sapienter. E. g. Duo pondus grave surripiunt, quod unus solus, nec ferre, nec consequenter surripere posset: singuli sunt causa partialis, & tamquam causa adæquata damni illati, ideoque singuli obligantur in solidum ad totum damnum compensandum, altero nimirum non valente, vel nolente, contribuere: quia quilibet, si se subtraxisset, pro ut debuit, totum damnum impediisset. Item si requiruntur decem suffragia ad decernendum injustum damnum, & novem non sufficiant, omnes decem suffragantes tenebuntur in solidum ad compensationem, ob eandem rationem: non autem ulterius obligabitur undecimus, & cæteri: quia hic damnum impedire amplius non potuisset, ut alibi, & supra jam notatum est. Item si duo ingrediuntur ad furandum, ita ut unus sine altero non ingrederetur; si duo ad invicem se animent ad inferendum damnum, neuter solus ausurus, &c. uterque in solidum obligabitur, altero non potente, vel nolente compensare suam partem, & ita in similibus innumeris. Immo etiam in causis negativis, seu non impedientibus damna, cum ex justitia impedire tenerentur, ut si sint multi famuli, quibus incumbat cura domus, & nemo impediat furem, v. g. cum tamen impedire possent resistendo, clamando, &c. omnes obligabuntur in solidum. Sic Less. Vasq. *cit. cap. 9. §. 3. dub. ult.* Tamb. *hic cap. 2. §. 6. nu. 9.* Ratio est: Quia vel singuli seorsim poterant impedire totum damnum, & tunc palam singuli obligabuntur directe: vel singuli non poterant quidem seorsim, poterant tamen simul adjuti a conservis, & tunc pariter rursus obligabuntur: quia quilibet ex justitia tenebatur advocare, adjuvare, vel animare cæteros ad resistendum, vel repellendum furem: quod si nullus fecit, omnes de damno rei sunt. Sed quid si singuli prævideant, vel etiam credant conservos, etsi vocatos, non tamen accursuros ad impediendum? Respondet *Tambur.* ibidem, adhuc singulos obligari in solidum: quia cum singuli non clamaverint, singuli fuerunt causa injusta, unde conservi putarint se non posse solos impedire damnum, & alios conservos non accessuros, & sic de facto damnum non fuit impeditum ex culpa singulorum. Sic ille recte.

68 Ex dictis patet, quid dicendum de militantibus in bello injusto. Certum est ante omnes ad totum damnum illatum compensandum teneri ipsum Principem, vel belli ducem tamquam causam principalem totius damni secuti. At vero in defectum Ducis, alii milites subditi non tenentur ad restitutionem totius in solidum, sed solum pro parte rata, quantum scilicet quisque sua cooperatione comparatione cæterorum, damnum ipse intulisse, prudenti judicio censeri potest: maxime autem id, quod ex tali bello injusto ad ipsum pervenit: aut si ipse proprii commodi causa, particulare damnum aliquod intulit. Ita communissima DD. Nav. *c. 17. n. 20.* Ubi se ita respondisse profitetur militi secuto Ducem Borbonium in direptione Urbis: Vasq. *de rest. c. 9. §. 1. dub. 4. n. 36.* Less. *dub. 4. nu. 37.* Dian. Lug. Tamb. *cit. §. 8. n. 8.* Ratio supra dicta est: quia singuli milites etsi cooperentur partialiter ad totum damnum, v. g. cladem, expugnationem, &c. revera tamen singuli non sunt causa totius damni: quia de unoquoque seorsim verum est dicere, quod sine ejus concursu adhuc a reliquo exercitu totum damnum illatum fuisset: ergo non tenetur ad compensandum totum damnum, sed partem ratam suæ cooperationi correspondentem tantum. Neque hic sequitur damnum mansurum incompensatum: si enim omnes pro parte rata restituunt, utique totum damnum compensabitur. Neque his adversatur, quod secundum sacros Canones, & communem sententiam DD. singuli etiam gregarii milites bellantes in bello injusto, factis homicidiis, etiam unico, incurrant irregularitatem. Dispar enim est ratio restitutionis, & irregularitatis: quia onus restitutionis nascitur ex ipsa natura damnificationis, & ideo juxta modum damnificationis debet onus illud mensurari: atqui non æquum est, ut quando ego sum causa debilissima alicujus damni (qualis revera est miles quilibet respectu damni a toto exercitu illati) totum damnum restituere teneri. Irregularitas autem est pœna ab Ecclesia illata, ideoque juxta Ecclesiæ regulam mensurari debet: Lex autem Canonica imponit eam pœnam cuicumque, qui quomodocumque sive totalis, sive partialis causa est homicidii injusti: semper enim indecens est, talem in Sacris ministrare: homicidia autem fiunt ab exercitu toto, cujus quilibet miles pars est, etsi debilissime in illa homicidia influens, vide Lugo *cit. n. 94.*

§. X. *Et ordine proportionato causalitati, & cooperationi suæ, &c.* Nimirum.

I. Ante omnes primo loco restituere tenetur quomodocumque cooperans principaliter, vel secundario is, qui ex injusta damnificatione lucrosa aliquid possidet, quia illud ipsum, vel si mala fide absumpsit, ejus valorem una cum augmento, fructibus, & interesse, (juxta dicta de possessore malæ fidei) restituere debebit. Communis DD. apud cit. Molin. *disp. 718.* Vasq. *cit. dub. 3. n. 53.* Laym. *cit. 6. n. 1.* Ratio patet: Quia possidens quomodocumque rem alienam scienter, tenetur restituere ratione ipsius rei acceptæ, quæ est omnium prima, & potissima causa restitutionis. Quod si ergo res ablata divisa erat inter partes damnificantes, singuli suas partes habitas contribuere tenebuntur, aut ipsi domino, aut alteri forte totum restituenti, in foro conscientiæ, etsi in foro externo ei actio non concedatur juxta L. 2. & 3. *ff. de conditionib. ob turpem causam.* Excipe: Nisi de mandato alterius damnum aliquis intulerit, & in pretium, vel mercedem rem alienam, ejusve partem acceperit: nam tunc mandans etiam ante hunc tenetur restituere: quia tunc ipse est causa principalis damni, quæ semper prior est obligata, ut mox videbitur: neque illi tunc exequens aliquid contribuere tenebitur, sed tantum in ejus defectum ipsi Domino. Similiter etiam quando principalis, vel ejus cooperans totam rem alienam aliorum cooperatione ablatam sibi acceptam restituit, nullus sociorum tenebitur ei aliquid restituere; quia tunc nullus ab eo aliquid accepit, neque aliquid lucri ex ablatione illa percipit, ut supponitur. 69

II. Inter causas cooperantes principalis damnificans censetur mandans, isque ante omnes alios cooperantes in solidum restituere tenetur, & in defectum hujus primo executor. Communis *D. Thom. Less. Laym. Lugo*, locis citatis. Ratio est: quia actio magis tribuitur agenti principali, quam exhibenti ministerium, vel secundario tantum cooperanti; mandans autem semper est agens principale, alii omnes secundario tantum cooperantes; ergo mandans ante omnes, etiam executorem, restituere tenetur. Intellige autem semper de mandante cum auctoritate, cui nimirum exequens aliquo modo subjiciatur, qualis est Dominus, Pater, Superior, respectu servi, filii, subditi, &c. nam si alius jubeat nulla jubendi auctoritate præditus, non erit proprie præceptum, sed magis consilium: executor autem præcedit consulentem in debito restitutionis, ut mox patebit. Sic expresse L. 37. *ff. ad Legem Aquiliam. Liber homo si jussu alterius injuriam dederit, actio erit cum eo; qui jussit, si jus habuit imperandi; quia si non habuit, cum eo erit agendum, qui facit.* Excipe tamen. Nisi talis absque auctoritate præcipiens metu, vel fraude alterum ad damnum inferendum inducat, aut exigat, ut in sui gratiam damnum inferat, quod alioquin non inferret: tunc enim ille censebitur auctor principalis damni illati; ideoque etiam ante executorem restitutioni obligatus. *Denique* si damnificantes omnes fuerunt causæ principales, ut si plures communi consensu condixerunt ad furtum, latrocinandum, injuste bellandum, &c. tunc singuli ad compensationem totius damni per se primo obligabuntur, *juxta L. Si plures, ff. de dolo.* Quia singuli sunt causa totius damni. Quod si tamen unus totam restitutionem fecit, rursus a reliquis pro rata in foro conscientiæ repetere poterit, ut *n. præc. dictum.* Eodemque modo dicendum, si executor in damno inferendo non solo mandato jubentis, sed etiam ex se motus fuit, suum etiam negotium agens, ut ideo merito concausa principalis in damno inferendo, & ideo æque primo restitutioni obnoxius censeri debeat, ut post alios bene observat Tambur. *cit. §. 7. n. 4.* 70

III. Si inter causas cooperantes ad damnum, aut nulla adfuit causa principalis mandans, vel cogens, aut si adfuit in ejus defectum restituere non valentis, vel non volentis, tenetur primo loco restituere executor ante omnes alias causas secundarias cooperantes, utpote consulentem, consentientem, participantem, adjuvantem, non impedientem, &c. Communissima apud citatos Mol. *disp. 737. nu. 4.* Ratio patet: quia executor est causa immediata, & physica damni illati, ad quod non movetur principaliter, & coactive, sicut a mandante, sed mere voluntarie inducitur, & adjuvatur ab aliis causis secundario cooperantibus, scilicet consentiente, consulente &c. *Tandem* in defectum & mandantis, & exequentis, ultimo loco tenentur restituere reliquæ causæ cooperantes supra enumeratæ; nimirum consulens, &c. Et quidem omnes æque primo, si comparentur ad se invicem, quia una non influit in aliam, aut agit ex motione alterius, si vero comparentur ad ipsum effectum, seu damnum causatum, servabunt ordinem restituendo secundum proportionem causalitatis, vel influxus majoris, vel minoris in effectum, seu damnum, ita ut illa plus, vel prius restituat, quæ prius, vel magis influxit in damnum secutum, v. g. magis, vel prius movens operan- 71

rantem ad damnum inferendum; idque vel in solidum, vel pro rata, juxta dicta §. *præc.* Generaliter autem inter causas secundarias cooperantes priori, & potiori obligatione tenentur positive cooperantes ad damnum illatum, scilicet illæ quinque, *consulens*, *consentiens*, *palpans*, *recipiens*, *participans*. Et tandem in defectum horum causæ negative tantum cooperantes, seu non impedientes, scilicet *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*, ut ex communi notant *Vasq. Less. Laym. ll. cc.* Ratio clara est, quia sine dubio plus influit in damnum positive cooperans, quam non impediens tantum.

72 IV. Quando causa principalis damni, scilicet mandans, vel in ejus defectum, executor totum damnum illatum compensavit, & restituit, tunc executor, ac reliquæ causæ secundario cooperantes, liberantur omnino a restituendo, non tantum ipsi damnificato, omnium consensu, cum totum ejus damnum supponatur jam compensatum: sed etiam ipsi principali, qui totum restituit, ita ut is ab executore, vel reliquis causis secundariis nihil exigere possit, nisi aliquid ex damnificatione possiderent, juxta dicta N. I. *Ita communis DD.* Ratio est: Quia executor, aliæq; causæ secundariæ solum tenentur restituere in defectum causæ principalis, si nimirum is putetur non restituturus, sive quod non possit, sive quod nolit: ergo, ipso restituente, alii ad nihil tenentur etiam ipsi, quia volenti immo jubenti, cooperantes in damnum, nullam fecerunt injuriam. E contra vero, si una ex secundariis causis totam damni compensationem fecit, non liberatur causa principalis, in cujus defectum compensatio facta est; sed causa secundaria jus, & actionem acquirit repetendi a principali totum, quod expendit; atque ille expendere debuerat tanquam per se primo obligatus; ac in defectum illius, si restituere non possit, vel nolit, a reliquis concausis repetat pro rata singulorum, juxta communem doctrinam S. Thom. *a. 6. ad 3. & a. 7. ad 2.* Scoti 4. *dist.* 15. *q.* 2. *ar.* 4. meique citati omnes, quos numerose citant, & sequuntur Molin. *disp.* 737. Less. Lugo, Laym. *cit. c. 6. n. 3.* Ratio patet ab opposito rationi priori. Eadem ratione, si causæ principali damnificanti debitum restitutionis remittatur, vel condonetur, liberantur simul omnes causæ secundariæ cooperantes; non autem vice versa: juxta communem, Less. *l. 2. c. 13. dub. 5.* Laym. *cit.* Lug. *disp. 19. Sect. 5.* Ratio est: quia ruente principali, ruit accessorium; non e contra ruente accessorio, etiam principale tollitur: ergo debitum remissum principali censetur simul remissum causis secundariis, & accessoriis: non autem e contra, debitum remissum causæ secundariæ censetur etiam remissum causæ principali: quippe quæ per se primo obligatur ad restitutionem independenter a causis secundariis, & accessoriis; adeoque tunc adhuc obligabitur principalis ad restituendum totum, scilicet majorem partem ipsi læso, vel damnificato, & suam partem ipsi, cui debitum remissum est: quia remissio a domino facta, est in favorem remissi: reliquæ autem causæ secundariæ, quibus nihil remissum est, casu quo in defectum principalis restituere tenentur, non obligabuntur ad totum, quia debet tolli illa pars, cujus remissionem una cum causa obtinuit, uti ex *Dicast.* recte observat *Tamb. l. c.* Eodemque modo dicendum, si plures æque primo, & principaliter damnificent, & ad restitutionem obligentur: tunc enim uni condonato debito, non ideo simul condonatur aliis; adeoque reliqui manent obligati, sed similiter non ad totum, sed detracta illa parte, cujus remissio facta est.

SECTIO II.

Cui restituendum.

SUMMARIUM.

73 & 74. *Debita certa, & incerta.*
75 *Certa debita ordinarie restituenda sunt Domino, nisi rationabilis causa excuset (Quales*
76 Usque ad n. 80. *Enumerantur quatuor)*
80 *Aut justo possessori, cui res debita, vel ablata est: nisi rursus rationabilis causa excuset, uti a n.*
81 Usque ad n. 85. *In quatuor casibus videbis,*
85 Usq; ad n. 89. *Immo si res restituenda nocitura sit Domino, eam ei non restituere obligatur, saltem ex* Charitate.
89 *Ac etiam ex* justitia, *si ea mox certo abusurus sit Dominus contra* justitiam *in damnum alterius.*
90 Usque ad n. 93. *Solvuntur tres objectiones.*
93 Usque ad n. 96. *Si vero re restituenda Dominus abusurus sit contra alias tantum virtutes, tenetur eam debitor non reddere ex Charitate solum.*
96 *Nisi rursus rationabilis causa excuset (ubique, & quanta esse debeat.)*
97 *Defuncto Domino, res restituenda est hæredibus.*
98 Usque ad n. 101. *Quid, si nulli adsint hæredes?*
101 & 102. *Debita incerta ex delicto formali contracta, v. g. per simoniam, & usuras, injustos contractus, defraudationes, furta, rapinas, &c. si dominus ignoretur, vel ita absens sit, ut ei restitui non possit, restitui debent pauperibus vel applicari ad pias causas.*
103 *Prius autem facienda est sufficiens inquisitio veri domini.*
104 *Qua præmissa, & re jam sic erogata, etsi postea Dominus compareat, ad nihil amplius tenetur restituens.*
105 & 106. *Quinam intelligantur nomine pauperum.*
107 *Possessor bonæ fidei, ubi agnoscit rem esse alienam, sed domino ignoto, vel ita se habente, ut ei restitui non possit, probabiliter etiam restituere debet pauperibus, vel applicare ad pios usus.*
108 *Tamen æque probabiliter eam sibi retinere potest.*
109 *Et domino comparente, solum restituere tenetur, quantum factus est ditior.*
110 Usque ad n. 113. *Idem omnino dicendum est de rebus inventis, domino non comparente post factam diligentem inquisitionem.*
113 *Quæ eo major, & diuturnior esse debet, quo majoris momenti est res perdita.*
114 *Quousque quis talis rei inventæ dominum incertum expectare debeat.*
116 *Quando damnum illatum est, immediate ipsi Communitati, restitutio facienda est ipsi communitati immediate, non particularibus civibus, vel personis.*
117 *Secus, si illatum civi, vel personæ particulari.*

Restitutionem deinceps late accipimus pro redditione cujuscumque debiti, *sive ex contractu*, ut emptione, mutuo, commodato, deposito, &c. *sive ex delicto*: aut formali ratione injustæ damnificationis, aut materiali tantum, seu ratione rei acceptæ facienda a possessore bonæ fidei postquam cognovit, rem esse alienam, qui tunc incipit esse malæ fidei. Debita porro tam ex contractu, quam ex delicto, alia sunt certa, quorum scilicet dominus scitur, ut ei restitui possint, alia sunt incerta simpliciter, quorum nimirum dominus omnino ignoratur, vel etsi forte sciatur, illi tamen restitui nunquam posse putantur: Alia sunt incerta secundum quid, quorum dominus in confuso cognoscitur, ut si sciatur esse unius e duobus, vel aliquorum ex communitate aliqua: nesciatur autem cujus, aut quorum determinate sit. Priori modo dicitur dominus ignotus, secundo modo dicitur dominus incertus. His notatis sit 73

ASSERTIO II.

Debita certa ex quocumque delicto, vel contractu ordinarie restituenda sunt immediate Domino, vel justo possessori, cui res ablata, vel debita est; (nisi rationabilis causa aliud postulet, vel permittat) quin etiam debent non restitui Domino, vel possessori, si res restituenda nocitura sit; & quidem ex justitia cum onere restitutionis, si re illa Dominus abusurus sit in damnum injustum aliorum, vel Communitatis: ex Charitate autem solum si contra alias virtutes abusurus sit, nisi rursus rationabilis causa excuset. Defuncto Domino restituendum hæredibus; quibus deficientibus debita illa tamquam bona vacantia, & vere derelicta jure naturæ primo occupanti, adeoque ipsi debitori cedunt (nisi jus positivum, vel legitima consuetudo aliud decernat.) Debita autem simpliciter incerta ex delicto formali in pauperes, vel pios usus eroganda sunt. Idemque valde probabile, & tutissimum de incertis debitis ex contractu, vel re accepta tantum; non minus tamen probabile, ea posse retineri a debitore, ac possessore bonæ fidei; quemadmodum, & inventa post sufficientem inquisitionem, Domino non comparente. Secus dicendum de debitis incertis secundum quid: hæc enim inter Dominos incertos dividenda erunt. Auctores dabimus, explicando singula. 74

§. I. *Debita certa ordinarie restituenda sunt immediate Domino.*

Omnes. Ratio patet ex natura restitutionis. Restitutio enim est actus justitiæ commutativæ, per quam constituitur æqualitas inter personas habentes inæqualitatem: atqui ipse dominus, cui res ablata, vel debita est, habet inæqualitatem, quia minus habet, quam ei debeatur: ergo ei immediate restitutio facienda est. Sed dixi, *Ordinarie*: Nimirum: *nisi rationabilis causa excuset*: Quatruplex enim assignatur potissimum causa excusans debitorem ex contractu, vel delicto, quominus Domino, vel possessori immediate restituere teneatur. 75

Prima, & potissima causa est; Si aut ipse dominus, vel creditor nolit sibi restitui, utpote quia debitum expresse, vel tacite remisit, vel ad alium remisit, aut si impossibile sit debitum reddi ipsi domino, vel creditori utpote, quia vel de- 76

fun-

functus est, vel ita absens, ut ei non possit reddi sine majori sumptu, vel incommodo, quam ipsa res valeat. Quoad defunctum mox infra §. 4. Quoad reliqua dicemus generaliter suo loco de causis excusantibus a restitutione.

77 *Secunda causa:* Si restitutio cessura sit in illius, vel alterius personæ, vel Communitatis detrimentum, tunc enim eo usque potest, & debet differri restitutio, aut res restituenda tuto loco reponi. Communissima cum *D. Thom. Scoto cit.* Ratio est: quia restitutio ordinatur per se ad bonum proximi, & Communitatis, ergo si ex restitutione secuturum esset damnum vel ipsius creditoris, vel alterius, aut Communitatis, cessat pro tunc obligare præceptum restitutionis, cessante scilicet fine, (quin potius incipit obligatio pro tunc non restituendi, de qua mox §. 3.) Deinde non agitur de omnino omittenda restitutione, sed tantum de differenda: at quæ major ratio differendi esse potest, quam velle expectare bonum, & utilitatem ipsius domini tum corporalem, tum spiritualem, ne scilicet res sibi restituta, in corpore, vel etiam anima noceat? ergo &c.

78 *Tertia causa ipso Jure liberandi se a restitutione*, est compensatio debiti alia ratione difficulter recuperandi. Quia ut dicitur L. 3. ff. de compens. *Interest nostra potius non solvere, quam solutum repetere.* Immo compensatio solutionis instar esse censetur in Jure L. si debitor ff. Qui potiores in pignore. *Nihil interest, solveritne aliquis, an compensaverit.* Huc referri debet, quod in probabili Sententia diximus supra *sect. 6.* §. 8. posse nimirum aliquem, rem furtivam emptam non domino, sed furi restituere, ad recuperandum suum pretium, seque indemnem servandum.

79 *Quarta causa est.* Si quis solvat creditori sui creditoris ex rationabili causa, tunc enim in foro conscientiæ saltem liberatur ab obligatione restitutionis ipsi domino facienda. Communis DD. Molin. *disp.* 741. Laym. *cit. cap.* 9. Ratio est, quia tali modo adhuc servatur æqualitas, ut nimirum quilibet habeat, quantum debet habere. Nec meus creditor debet, vel potest esse rationabiliter invitus, quod ex rationabili causa ipsum præveniendo, solvam ejus creditori, nimirum ad ejus damnum avertendum, quippe alias suum debitum difficulter recuperaturo: quia ipsemet in simili casu ejusmodi solutionem a sui creditoris creditore jure exigere posset. Deinde si creditor mei creditoris debitum suum liquidum, neque via judicii, neque alia ratione a debitore consequi possit, potest uti occulta compensatione tantundem de ejus bonis accipiendo, quantum ejus debitum valet: ergo etiam ego ei ad id consequendum cooperari possum, eique solvere id, quod ego ejus debitori debeo, modo interim caveatur, ne idem debitor, ejusve hæredes, hujus solutionis ignari, postea iterum solvant. Aut e contra alia ratione: Si ego Titio debeo centum ex mutuo: Titius similiter debeat centum Cajo, possum ego Cajo numerare centum, ut cedat, vel vendat mihi jus crediti adversus Titium debitorem suum, & creditorem meum, & sic uti compensatione debiti alias difficulter recuperandi, uti cum aliis notat Less. *c.* 16. *dub.* 5. Intellige autem semper, *in foro conscientiæ, & subsistente justa causa.* Nam in foro externo hoc tantum locum habet, quando debitum ex eadem causa procedit, seu quando debita sunt ejusdem rationis. Ut si conducam domum a Titio, quam is ipse conduxerat a Cajo; tunc pensio mihi constituta in defectum Titii est obligata Cajo primo locatori: quare si solvam Cajo, sum liberatus a Titio, juxta *leg. utrum præsente, ff. de constituta pecunia.* Denique si nulla rationabilis causa subesset, neque in foro conscientiæ locum haberet, quia tunc meus creditor esset rationabiliter invitus, quod sine causa lædatur jus suum per se ipsum solvendi, & modo sibi placito, suo creditori.

§. II. *Aut justo possessori, cui res debita, vel ablata est.*

80 Non enim soli ipsi domino proprietario, & directo rei ablatæ, res restituenda est, sed etiam ipsi justo possessori, ut sunt usurarius, commodatarius, conductor, Emphyteuta &c. Item administrator, Procurator, Dispensator, Tutor, Curator, Depositarius, pignus habens, Custos rei sibi creditæ, v. g. sartores, Aurifices &c. respectu materiæ laborandæ; lotores, & lotrices respectu pannorum, vel vestimentorum lavandorum: qui ergo ab hujusmodi possessoribus aufert rem, iisdem immediate, & non domino proprietario restituere debet, quia licet rei dominium non habeant, tamen ex pacto, & justo titulo habent jus illam rem usurpandi, servandi, detinendi, custodiendi: ergo sicut iis auferens injuriam infert injuste privando eos justa possessione rei plerumque non sine periculo, damno, vel lucro cessante, ita iis immediate restituere debet, & non ipsi domino. Sed intellige hic rursus, quod dixeram *ordinarie, & nisi rationabilis causa excuset.* Ut in sequentibus casibus.

81 I. Si nihil intersit eorum, a quibus res ablata est, quod non sibi, sed statim rei domino restituatur, si nullum scilicet inde damnum incurrat. Aut e contra, si domino intersit, ut res ablata sibi immediate, & non priori possessori restituatur, ut si is valde suspectus esset, aut probabiliter existimetur rem domini male absumpturus, aut non redditurus, nisi cum domini injuria, tunc enim si fine illius majori damno, vel infamia fieri posit, major ratio habenda erit domini, eique, quod suum est, restituendum. Ita *Sotus, Navar.* uterque, aliisque cit. Sanch. *lib.* 7. *moralium c.* 19. *nu.* 110. Laym. *c.* 9. *num.* 3. qui recte inferunt quod bona Ecclesiæ non Prælato dissipatori, sed Ecclesiæ, vel Capitulo restituenda sint, eo quod jus administratoris se non extendat ad dissipandum.

II. Quando ii, a quibus res ablata est, non sunt capaces dominii, & administrationis, v. g. accepta ab uxore, filiofamilias, pupillo, Religioso, furioso &c. non ipsis sed marito, patri, Tutori, Prælato, Curatori &c. restituenda erunt. Nam alioquin in foro externo, qui solvit filiofamilias, pupillo, Religioso &c. sine consensu patris, Tutoris, Prælati, probare debet, rem solutam conversam esse in utilitatem patris, pupilli, Ecclesiæ, vel Monasterii, alioquin iterato solvere cogitur, *juxta leg. pupillus, ff. de actionibus.* In foro tamen conscientiæ sufficeret bona fide iis restituere credendo, eos suo officio satisfacturos, ut cum aliis notat Laym *cit. num.* 4. 82

III. Ablata, vel quomodolibet accepta ab injusto possessore, fure v. gr. non furi, sed domino immediate restituenda erunt; sicut & ipse fur immediate tenetur restituere domino: Excepto rursus probabilissime casu, quo res accepta est bona fide pro pretio, alias non recuperando, tunc enim possessor bonæ fidei ad servandum se indemnem, pretiumque recuperandum, posse furi restituere, jam alibi diximus. Illud autem, quod dicitur cap. in litteris, de restitut. spoliatorum, *Etiam prædo secundum rigorem juris restituendus est*, non in foro conscientiæ locum habet, sed solum in foro externo judiciali, cum quis ab alio vi dejectus est a possessione rei immobilis, vel beneficii, prætextu justi tituli, nunc enim is ante omnia restituendus in possessionem, & postea de jure tituli agendum. 83

IV. Qui rem alienam acceptat a bonæ fidei possessore putante rem esse suam, & postea deprehendit ad alterum pertinere: siquidem accepit, interveniente pacto depositi, commodati, locati, pignoris &c. tunc ipsi possessori bonæ fidei restituenda erit, monito tamen ex Charitate etiam domino de re sua. Si vero, secluso ejusmodi pacto, alia ratione gratuita accepit, tunc ipsi domino tanquam verum & potius jus habenti restituenda erit, quatenus absque scandalo, aliove incommodo fieri poterit, ut directe resolvunt *P. Navarr. Rebell.* aliisque citatis Molin. *disp.* 741. *num.* 4. & Laym. *cit. num.* 5. 84

§. III. *Quin etiam debet non restitui domino, vel possessori, si res restituenda nocitura sit &c.*

I. Consentiunt omnes, debitorem, saltem ex Charitate regulariter obligari non reddere debitum domino, quando is re restituta certo abusurus est ad peccatum, *v. gr.* reddito gladio, se ipsum, vel alium occisurus, reddita pecunia mox se inebriaturus, scortaturus &c. Certe eo casu, si potes, deberes auferre gladium ab eo, qui vult se ipsum, vel alium innocentem occidere, quanto magis debes gladium denegare, vel etiam non reddere quo modo cumque debitum? Ratio postea amplior patebit infra. 85

Sed dixi 1. *Si certo abusurus sit.* Non enim sufficit dubium vel suspicio, cum nemo in dubio præsumendus sit acturus male. Immo neque sufficit probabilitas moralem certitudinem non pariens: nam si sit probabile, dominum hac re, v. gr. gladio, vel pecunia reddita peccaturum; certe etiam erit probabile oppositum: at in pari probabilitate melior debet esse conditio domini rem suam apud se possidentis; nisi tamen esset furiosus, huic enim etiam cum sola suspicione mali proximo inferendi gladium non redderem; sic enim ex una parte faveo forte innocenti, & ex altera parte furioso, dum talis est, nullam injuriam facere censeor, ait prudenter Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *num.* 2. 86

Dixi 2. *Regulariter teneri:* Aliquando denegare, vel reddere non obligatur, quando scilicet adest justa causa excusans: utpote si non possim denegare sine magno meo incommodo, vel periculo, aut si ex mea denegatione secutura sint æque gravia, vel majora mala: cum enim tunc spes non sit evitandi mala, cessabit obligatio non reddendi rem nocituram. 87

Dixi 3. *Teneri saltem ex Charitate:* In quo omnes consentiunt. Sed quæstio est, an aliquando etiam quis teneatur ex justitia, quando nimirum dominus re restituta abusurus est contra justitiam. Negat universim, & solam obligationem ex Charitate agnoscit Molina *tom.* 3. *disp.* 755. Sed contradicimus. 88

II. Debitor tenetur ex justitia, & cum onere restitutionis 89

nis non reddere suo domino rem suam, si ea mox certo abusurus sit contra justitiam, injustum damnum alteri inferendo, v.g. gladio reddito occisurus innocentem, pecunia mutua reddita injuste bellaturus, &c. *Ita communior DD.* & late probat Lessius *lib. 2. cap. 16. disp. 4. & Salon.* apud Tambur. *cit. n. 5. & 6.* Ratio patet ex dictis *sect. præcedenti*. Quia omnis cooperans proxime ad injustum damnum alterius, peccat contra justitiam, & obligationem restitutionis contrahit, omnium consensu, sed in casu nostro valde proxime cooperaris ad injustum damnum proximi, reddendo, v.g. gladium injuste occisuro, &c. quem tamen negare posses citra tuum grave incommodum, ut supponimus, sicque damnum impedire: ergo ex justitia obligaris non reddere, & si reddas, peccas contra justitiam, & per consequens in defectum damnificantis ad restitutionem obligaberis.

90 *Dices*: nemo (nisi id ei ex officio incumbat) tenetur ex justitia defendere innocentem, sed solum ex Charitate, si fine suo notabili incommodo possit; ergo neque ego ex justitia, sed similiter ex Charitate tantum teneor denegare gladium volenti occidere eundem innocentem. Resp. *nego consequentiam*: aliud enim est defendere innocentem, ad quod non teneor, nisi ex Charitate: aliud est positive cooperari ad occisionem innocentis, ad quod impediendum utique teneor ex justitia: at in casu nostro reddendo gladium mox occisuro vere positive cooperaris ad occisionem innocentis; alioquin fatendum est, si dominus per se sumeret gladium suum ex domo tua, & tu non impedires, cum posses, peccares solum contra Charitatem: quia solum negative te haberes, & non impedires occisionem, & non positive cooperareris.

91 *Dices iterum*. Nec contra Charitatem, nec contra justitiam pecco, si reddam pecuniam debitam ei, qui illa domum, vel navim empturus est, in quibus scio, ipsum usuras, fraudes, illicita mercimonia facturum; ergo neque in casu nostro pecco saltem contra justitiam. Resp. *Iterum neg. conseq. & paritatem*: Quia redditio pecuniæ valde remote se habet ad illa delicta, ut patet: & illa tam remota cooperatio ad peccatum alterius satis excusatur a meo debito reddendi domino pecuniam suam: At in nostro casu redditio gladii, & similium, proxima est ipsi actioni injuste faciendæ, adeoque cooperatio tam propinqua ad actionem injustam me etiam injustum constituit, quasi participantem, socium, & complicem ejusdem delicti contra justitiam, neque a peccato cooperationis excusabor a meo delicto, nisi adsit alia major, & urgentior causa, v. g. metus mortis propriæ, vel similis gravis mali, &c. ut jam dictum est.

92 *Dices rursus*: Ergo saltem ego peccarem contra justitiam, si redderem pecuniam debitam usurario, quam scio certe immediate applicaturum ad usuras injustas: jam enim dando ei materiam proximam usuræ, cooperarer illi velut socius ad injustum lucrum, & damnum proximi. Resp. Omnino ita esse ex se, & per se loquendo: & nisi aliqua accederet causa excusans, qualis tamen plerumque accedit. 1. Ne rixæ fint cum usurario. 2. Ne ego habear infidelis. 3. Ne, quando iterum indiguero mutuo, idem usurarius, vel alius mutuum mihi deneget. Maxime vero 4. Excusor ex eo capite, quod usurarius semper sit paratus ad injustum lucrum extorquendum, quod ego impedire non possum, multo minus teneor.

93 III. Debitor adhuc tenetur ex charitate non reddere debitum domino, quo certo scit ipsum abusurum contra alias virtutes, v. gr. temperantiam, castitatem, nisi rursus accedat causa excusans. *Omnes*. Ratio communis est: Quia ex Charitate omnes obligantur impedire malum proximi, maxime spirituale, nimirum peccatum, quando id sine magno incommodo proprio possumus, prout hic nos posse supponitur.

94 *Dices*: Non possumus ex Charitate violare jus domini ad repetendam rem suam. *Nego assumpt.* Quamvis enim dominus ex justitia habeat jus petendi suum debitum absolute, non tamen habet hic, & nunc, quando ejus peccatum per negationem illam debiti facile impediri potest: Justitia enim non est contraria Charitati, quin potius illi subordinatur.

95 *Dices iterum*: Si dominus vellet uti sua pecunia ad peccandum, tu non posses, minus deberes, illi auferre pecuniam, ut peccatum impedires: ergo ob id neque poteris eidem domino pecuniam sibi debitam denegare. Resp. *nego conseq.* quia non tenemur peccatum proximi impedire, res ejus auferendo, vel vi detinendo, quod sane esset magnum onus ex se valde incommodum fidelibus: at vero tenemur impedire non concurrendo, non præbendo positive materiam, & instrumentum ad peccandum, quod ex se non ita est onerosum, vel incommodum. Dico autem: *ex se &c.* Et supra dixi, *Nisi accedat causa excusans*: sæpissime enim hic excusantur fideles reddentes rem debitam domino abusuro. Certe majori negare non possum sine periculo notabilis mali: neque æquali sine periculo rixæ, inimicitiæ, & graviorum malorum. Unde fatendum est, dominum serio repetentem rem suam valde raro posse repelli, quantumvis ejus malus finis cognoscatur: quia valde raro ex denegatione debiti incommodum notabile non incumbit debitori. De quo rursus, & mitius dicemus in materia de scandalo, & hinc, ut notanter insinuatum in Assertione.

IV. Major causa excusans requiritur in priori casu, 96
quando scilicet dominus re restituta abusurus est ad peccatum contra justitiam, quam in posteriori, contra alias virtutes tantum. Ita observant omnes. *Et ratio clara est*: quia obligatio virtutis justitiæ natura sua gravior est, quam aliarum virtutum moralium: consequenter etiam strictior est obligatio impediendi, seu non cooperandi ad peccata contra justitiam, quam peccata contra alias virtutes. *Deinde* quia peccato injustitiæ infertur damnum alteri innocenti, & invito. Unde nunquam licebit reddere debitum petenti ad abusum contra justitiam, præterquam si periculum majoris, vel æqualis, vel certe gravis mali ex negata restitutione timeatur: nam alioquin sine justa causa reddens verissime cooperatur ad damnificationem tertii, & in defectum ipsius damnificantis ad restitutionem obligabitur. Peccato autem contra temperantiam, vel alias virtutes morales, solus ipse peccans, & quidem sciens, & volens damnum accipit; ideoque sine omni causa reddens debitum ad ejusmodi abusum, peccat quidem contra charitatem, excusatur tamen quacumque rationabili causa, & cujusvis mali metu: quin etiam, si alter constanter redditionem exigat, videtur debitor ex justitia manere obligatus ad reddendum, sicut uxor ad reddendum conjugale debitum viro habenti votum castitatis, si eum a proposito suaviter avertere nequeat, uti notat Sanch. *lib. 9. de Matrim. disp. 6. nu. 6.* & ex ipso Laym. *cit. nu. 6.* Tandem universaliter facilius, seu minori culpa rem ex justitia debitam restitues domino, quomodocumque abusuro, quam si alicui commodato, vel mutuo des, vel dones, cum scias, illum ad malum finem abusurum esse, ut notant DD. *cit.* Ratio est: quia debitor ad solvendum, vel reddendum adigitur obligationis necessitate, quæ vim aliquam excusandi habet, saltem a tanto: mutuantis autem, vel donantis officium gratuitum est, & mere voluntarium atque adeo si mutues, vel dones abusuro contra justitiam, v. g. ad injustum bellum, usuras, fraudes, &c. a fortiori teneberis ad compensationem damni secuti in defectum principalis, uti contra alios probant *Valentia*, *Sotus*, *P. Navarrus*, meique *Less. &* Laym. *cit. nu. 7.* Ratio est, quia qui sine justa causa materiam proximam male operaturo subministrat, indirecte saltem cooperari censetur, ut participans, etsi neque jubeat, neque suadeat operationem damnosam: nam ut dicitur L. si pignore, ff. de furtis: *Qui ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium, vel armarium, vel scalam sciens commodaverit ad ascendendum, licet nullum ejus consilium principaliter intervenerit ad furtum faciendum, furti tamen actione tenetur.* Hæc ibi. Sed de hoc ex professo in materia de scandalo, ubi de materia ad peccatum proximi.

§. IV. *Defuncto domino, restituendum hæredibus &c.*

I. HÆredibus quibusvis, sive ex testamento, sive ab 97
intestato, scilicet proxime conjunctis defuncto, sive per legem, vel consuetudinem, sive per Judicis sententiam declaratis. *Ratio est*: quia hæres legitimus universalis relictus, velut repræsentans personam defuncti, succedit in omnia jura realia defuncti, adeoque etiam in jura debitorum realium quorumvis, sive ex contractu, sive ex delicto aliorum eidem defuncto restantium. Uti quoad debita ex delicto sæpe graviter hallucinari multos, experiuntur Confessarii.

II. Quod si defunctus nullum habeat hæredem, nec de 98
rebus suis disposuit, bona ejus, & consequenter etiam ab aliis debita vacant: & in jure bona vacantia dicuntur, & vere pro derelictis habentur; siquidem defunctus ipse morte sua amittit omnia bona sua temporalia, neque eorum amplius in vita altera dominus est: cum ergo ante mortem nihil de eisdem disposuerit, nunc vero post mortem disponere non possit, remanebunt ea bona, & debita sub nullius dominio, adeoque vere derelicta.

III. Et consequenter ejusmodi bona defuncti ex se, & jure naturæ erunt primo occupantis, ideoque etiam debita realia debitori remanebunt, *ex communi doctrina in materia de dominio*.

Dices: Talis defunctus disposuit saltem tacite, vel in- 99
terpretative, ut sua bona, vel debita distribuantur inter pauperes, vel loca pia pro ipsius anima. Resp. Quid, si erat gentilis, Judæus, hæreticus, v.g. Quid si esset in inferno? Quid, si aliis voluisset relinquere, & loquela destitu-

stitutus disponere non potuit? Valde ergo incerta est hæc tacita voluntas defuncti, ideoque viventes nunc obligare non poterit.

IV. Addidi notanter in Assertione: *Nisi jus positivum, vel legitima consuetudo aliud decernat:* Nam *Authent. omnes peregr. C. communia, de successionibus*, decernitur: ut mobilia peregrinorum, si intestati decedant, & sine hæredibus distribuantur in pias causas per manus Episcopi illius loci. Et alias, sive per legem, sive consuetudinem piorum introductam ejusmodi bona distribui solent pauperibus. Et hactenus de debitis certis. Jam quoad incerta.

§. V. *Debita autem incerta simpliciter ex delicto formali in pauperes, vel pios usus eroganda.*

101 QUando nimirum aliquid debetur ex delicto formali a possessore malæ fidei, uti accepta per simoniam, usuras, injustos contractus, defraudationes, furta, rapinas &c. & dominus omnino ignoratur, vel ita absens est ut ei restitui non possit, omnes consentiunt, debere restitui pauperibus, vel Ecclesiis, aut piis locis: in hac enim materia nomine pauperum semper intelliguntur etiam loca pia. Est expresse de jure positivo ex definitione Alexandri III. *c. cum tu de usuris*, ubi usuras jubet tradi pauperibus: quod Doctores extendunt, ad alia ex quocunque delicto. Et *c. Nemo* 24. *q.* 5. ait D. Hieron. *Nemo, qui rapit, moriens, si habet, unde reddat, salvatur. Si eos, quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ, vel pauperibus tribuat.* Atque idipsum esse de jure naturali docet communior DD. *S. Th. Cajet. Sylv. Covar. Vasq.* aliisque cit. Molina *disp.* 746. Lugo *disp.* 6. *sect.* 12. Alexander enim Papa definiens usurarium debere restituere pauperibus, rationem dat: quia alioquin non potest dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum. Ergo illa lex non est mere positiva pœnalis statuens restitutionem illam tamquam pœnam delicti, sed declaratoria legis naturalis de necessitate restitutionis. Et *D. Hieronym.* ibi utique non condit novum jus (certe non potuit) sed declarat, quid debeat raptor facere ex ipsa obligatione naturali: *Ratio* autem est; Quia res illa incerta, cujus dominus ignoratur, vel ita absens est, ut ei reddi nequeat, adhuc manet sub dominio prioris domini, vel ejus hæredis; si enim excidisset omne dominium, non esset res incerta, sed derelicta, & jure naturæ fieret primo occupantis, atqui ratio naturalis postulat, ut res aliena, si domino reddi nequeat, disponatur secundum expressam, vel præsumptam voluntatem domini meliori modo, quo fieri potest: nimirum in pauperes, vel alios pios usus, unde aliqua utilitas ad ipsum redundet, seu, ut ait Scotus: *Cui non potest reddi temporaliter, reddatur spiritualiter*: ergo jure naturæ sic fieri debet.

102 *Nec obstat*: Quod rei Dominus, Judæus, hæreticus, aut alius in statu peccati mortalis mortuus, ut ei etiam damnato opus bonum ex re sua amplius prodesse non possit. Hoc enim per accidens est, & opus bonum cedet in thesaurum Ecclesiæ, aut aliis animabus applicabitur juxta dispositionem divinam. Adde etiam, posse prodesse hæredibus, quibus, si noscerentur, restitutio facienda esset. Verum aliqua hic graviter observanda sunt.

103 I. Antequam restitutio rei incertæ fiat pauperibus, præmittenda est diligens, & judicio prudentis consideratis circumstantiis sufficiens inquisitio veri domini, vel justi possessoris illius rei, vel debiti: quod si enim, prætermissa ea debita, & sufficienti inquisitione, res distribuas inter pauperes, injuriam facis vero domino, injuste privando eum spe recuperandi rem suam; quippe a pauperibus brevi consumendam; & si postea successu temporis dominus compareat, teneberis ei de novo restituere, tibique imputare debebis, quod rem alienam ita imprudenter alienaveris: nisi tamen rem adhuc extantem ipsi pauperes restituant, prout debent: nam hi, si eam in bona fide consumpserunt ad nihil tenentur, *secundum omnes*.

104 II. Facta autem debita, & sufficienti inquisitione, & domino non comperto, re distributa inter pauperes, vel ad alios usus erogata, etsi postea compareat dominus, ad nihil amplius tenebitur restituens. *Non enim ratione rei acceptæ*: cum nihil amplius apud ipsum existat. *Neque ratione injustæ acceptionis*: quia culpam illam jam purgavit, facta diligenti inquisitione veri domini, restituendo rem meliori modo quo potuit, juxta rationabiliter præsumptam ipsius domini voluntatem. Sed neque pauperes ipsi, postea comparente domino, tenentur aliquid restituere, si rem sibi erogatam bona fide consumpserunt, *secundum omnes*. Immo neque etiam, si res adhuc in specie extaret: quia res eis secundum rationabiliter præsumptam domini voluntatem in eleemosynam erogata est, adeoque illius dominium acquisiverunt, uti docent *P. Nav. Cajet. Henriq. Bonac. aliis, quæ ditatis*. Lugo *disp.* 21. *sect.* 7. *n.* 102. Oppositum tamen sentiunt cum aliis Molina, *disp.* 745. & Less. *l.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. ea ratione, quod distributio in pauperes hac conditione facta videatur, si non compareat, & repetat dominus rem, antequam consumatur. Quod quidem in praxi communiter verum est, quando ex adventu domini arguitur, non fuisse adhibitam sufficientem diligentiam in inquirendo vero domino: tunc enim ei res adhuc existens, præsertim natura permanens, & pretiosa, v. gr. scyphus argenteus, vel torques aureus Ecclesiæ applicatus, &c. vel in aliam formam, v.g. calicem transmutatio, vel conversio facta sit, ejus valor ei restituendus erit.

III. Nomine pauperum in proposito intelliguntur non tantum mendici communes publice stipem mendicantes, sed etiam pauperes domestici, vel privati egentes necessariis ad statum suum. Item Ecclesiæ egentes luminaribus, ornamentis, ædificiis: Item omnia loca pia, Monasteria, Hospitalia, Xenodochia &c. Item animæ defunctorum Missis, aliisve suffragiis juvandæ ex ejusmodi bonis, aut debitis incertis. Neque porro opus est ex iis inquirere meliores, vel egentiores; dummodo in vero paupere erogentur. Neque opus est restituere pauperibus ejus loci: in quo res injuste accepta est, nisi etiam pauperes illius loci defraudati essent, & verosimiliter credatur rem etiam perventuram ad ipsos damnificatos, ut si usurarius, mercator, caupo, pistor &c. in aliquo loco etiam pauperes defraudavit in mensura, pondere, merce, tenetur ibidem restituere saltem tacite augendo mensuram, vel pondus, vel alio modo: quia fieri potest, ut sic ipsis, etiam damnificatis, satisfiat. Denique nulla etiam lex præcipit ejusmodi restitutiones debitorum incertorum ex delicto necessario debere fieri per Confessarium, vel Episcopum, aut eorum auctoritate, sed quilibet per se ipsum restituere potest, & debet, quamvis in re dubia consultum sit petere consilium Confessarii, Parochi, vel etiam Episcopi in re gravi: uti observant Doctores communiter. 105

IV. Habens bona incerta, sive inventa, sive acquisita ex contractu, vel delicto quomodocumque, si ipse æque pauper sit, & egens, ac alii, quibus restituere deberet, aut similiter pauperes consanguineos habeat, licite sibi ipsi applicare, aut consanguineis conferre potest, etiam propria auctoritate sine præscripto Episcopi, vel Parochi, dummodo necessitas, vel inopia evidens, & certa sit: quia talis, vel tales non sunt pejoris conditionis, quam alii pauperes, ut ex communi docent Molina *disp.* 747. & Less. *c. d.* 6. Recte tamen monentes, ut tales caveant, ne in propria causa cæco judicio decipiantur, & fraus absit: præsertim quando res aliena acquisita est ex delicto, furto, usura &c. vix enim sibi retinere poterit: nisi evidens adeo sit necessitas, ac inopia, quæ etiam eum alias a restitutione excusaret, juxta dicenda. *Cap. seq.* Alioquin enim aperiretur via ad furanda aliena sub spe, quod domino, vel damnificato postea non comparente a restitutione immunes erunt. Tandem facta semel ejusmodi justa applicatione bonorum incertorum sibi ipsi, si talis postea ad pinguiorem fortunam pervenerit, nihil tenetur amplius restituere aliis pauperibus, quemadmodum nec ipsi domino postea comparenti: quia eo casu rei dominium sibi acquisivit, juxta rationabiliter præsumptam domini voluntatem, ut de aliis pauperibus dictum est. 106

§. VI. *Idemque valde probabile, ac tutissimum de incertis debitis ex contractu, &c.*

DEbita etiam incerta absque delicto, vel ex contractu, ut emptione, mutuo, commodato, locato, deposito &c. vel ex re accepta tantum bona fide, postquam possessor agnoscit rem esse alienam, sed domino ignoto, vel ita se habente, ut ei restitui non possit, debere restitui pauperibus, vel ad pios usus expendi, probabilissima plane, tutissima, & communis est Sententia DD. D. Thomæ 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 2. Scoti 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *art.* 4. & innumeris congestis Less. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 38. Molin. *disp.* 746. Vasq. *Opusc. de restit. c.* 5. §. 4. *dub.* 1. Ratio est: quia licet jura positiva supra allegata solum comprehendant debita ex delicto, usura, rapina, furto &c. quod jus naturale tamen eadem omnino videtur urgere ratio; de debitis incertis ex contractu, vel re accepta tantum: hæc enim debita incerta restitui debent juxta rationabiliter præsumptam domini voluntatem, modo meliori, quo possibile est: voluntas autem rationabiliter præsumpta domini semper videtur omnino esse, ut res sua, si sibi corporaliter reddi nequeat, pro se expendatur in ejus commodum saltem spirituale, dando nimirum pauperibus, vel ad pias causas, sive deinde aliquis habeat, vel debeat ex delicto, sive ex contractu vel re accepta tantum, ex quocumque enim horum capite oriatur debitum, res semper manet debita domino, & sub ejus dominio, adeoque secundum ejus voluntatem expendenda: ergo &c. Verumtamen etiam in his debitis a fortiori observanda erunt omnia observata. §. *preced.* de debitis 107

tis incertis ex delicto, prout notat Lugo *disp. 6. sect. 12.* Ejusmodi debita incerta, quando non quidem ignotus, tamen absens est dominus, ut ei reddi non possint, si possit, debere dari ejus hæredibus, scilicet consanguineis proximis: maxime descendentibus, vel ascendentibus, filiis, parentibus, præsertim, si illi egentes sint: nam ita prudenter judicatur velle dominum.

§. VII. *Non minus tamen probabile, ea posse retineri a debitore, ac possessore bonæ fidei.*

108 Ejusmodi debita incerta absque delicto, ex contractu, vel re accepta tantum, non debere reddi pauperibus sed facta debita inquisitione, domino non comparente, vel ita se habente, ut ei restitui non possint, posse licite retineri, & absumi a debitore, vel possessore bonæ fidei, sane æque probabilis est Sententia gravium Doctorum, & vere communis RR. quos mox citabo §. *seq.* Ratio est: quia ejusmodi bona incerta. 1. Non sunt restituenda pauperibus jure positivo humano; hoc enim solum præcipit, ut injuste acquisita per usuras, rapinas, &c. in pauperes erogentur, vel alios pios usus, reddendo injustum possessorem in pœnam criminis incapacem dominii ejusmodi bonorum incertorum: de bonis autem incertis a bonæ fidei possessore in pauperes erogandis nulla mentio habetur: ad quæ odiosa non sunt extendenda. 2. Neque ex jure aliquo positivo divino, quia nullum tale extat. 3. Neque ex ipso jure naturali, quia restitutionem bonorum incertorum etiam ex delicto nedum ex contractu, vel re accepta tantum, non esse de jure naturali, contra communiorem quidem, probabilissime docent *Sotus*, *Covar. P. Navar.* alii cum *Less. Laym. cit.* Et ratio satis firma est: Quia falsum, vel incertum est, eam semper esse rationabiliter præsumptam domini voluntatem, ut res ei debita, si sibi reddi nequeat, in pauperes erogetur, quippe brevi consumpturos, præcisa omni spe imposterum recuperandi; sed potius ut, quamdiu potest, conservetur, & sibi data forte occasione, restituatur, ut mox iterum dicetur. Deinde dato etiam, restitutionem bonorum incertorum ex delicto debitorum pauperibus faciendam esse de jure naturæ, non tamen eadem, sed longe diversa est ratio de aliis debitis sine delicto; quia negari non potest, dominum semper magis esse invitum, quod res sua, vel sibi debita detineatur a fure, quam ab alio innocente. Nam si furi eo casu liceret sibi rem alienam detinere, daretur maxima occasio furandi, ea nimirum spe, quod postea propter incertitudinem domini eam retinere possit, & sic ex alieno cum iniquitate ditescere, maximo boni communis detrimento, quod periculum inconveniens ut omnino evitetur, omnes merito præsumuntur inviti, rem suam detineri a fure, vel injusto possessore: sed potius malle, si sibi omnino reddi nequeat, ut deveniat ad pauperes, vel pios usus pro salute sua corporali, vel spirituali: atqui hæc ratio nullo modo procedit de debitis incertis sine delicto, ex contractu, vel re accepta tantum; cum enim talis rem sine culpa, & bona fide possideat, & æque innocens sit, ac ullus alius, cui ista res distribuenda esset, non potest ita rationabiliter præsumi dominum esse invitum, ut is retineat, vel velle, ut pauperibus erogetur, si sibi restitui non possit, sed potius velle, ipsi hanc fortunam favere. Declarabitur magis hæc Sententia *duobus §§. sequentibus.*

109 Cæterum in utroque casu: quod si tandem dominus ejusmodi debitorum incertorum, vel bonorum inventorum compareat, non debere ei restitui, nisi quantum adhuc extat, vel quantum inde ditior quis factus est: adeoque si res tota bona fide absumpta sit, non debere ei restitui æquivalens, pariter docent Auctores prædictæ probabilissimæ Sententiæ. Utrique Sententiæ aliquid concedemus §. 9. Prius tamen sit

§. VIII. *Quemadmodum & inventa post sufficientem inquisitionem domino non comparente.*

110 I. Etiam res incertas inventas, si post diligentem inquisitionem earum dominus non compareat, pauperibus esse erogandas, vel ad alium pium usum applicandas (nisi ipse inventor pauper sit, tunc posse sibi reservare in toto, vel in parte, considerata re inventa, & inopia sua) docet sane communis, & sine dubio probabilior tutior Sententia DD. D. Th. 2. 2. *qu. 66. art.* 5. Scotus *supra*, *Paludan. Sylv. Medina*, *Navar.* aliisque congestis Molina *to. 3. tract. 2. disp. 746. Less. Laym. Lugo*, infra citandi. Ratio est: 1. Quia bona inventa sciuntur esse alicujus, neque enim eorum dominium amisit, qui ea perdidit: ergo si ipsimet domino restitui non possint, restitui debent juxta ejus voluntatem probabiliter præsumptam, atqui eo casu probabiliter præsumendum est, dominum velle, ut in pauperes, vel alium pium usum erogentur in satisfactionem pro peccatis suis, ergo &c. 2. Accedit auctoritas D. Augustini homil. 9. ex 50. relatus, *c. si quid causa* 14. qu. 5. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* Et ibidem c. 8. dicitur. *Multi sine peccato putant se esse, si quod inveniunt, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit cui habeo reddere? Et dicam peccatum hoc simile esse rapinæ, si quis inventum non reddat.* Et 3. *c. cum tu de usuris:* expresse statuitur, ut usurarius pecuniam usurariam non retineat, sed reddat, vel illi, a quo accepit, ejusve hæredibus, vel his non comparentibus, pauperibus. Eadem est ratio de rebus inventis: ergo &c.

II. Sed rursus probabilis omnino, & in praxi tuta est oppo- 111
sita Sententia, ejusmodi res inventas, domino non comparente, titulo inventionis posse retineri ab inventore. Hanc primus defendit *Sotus l. 5. de just. qu. 3. art. 3. ad 2. quem* secuti sunt *Medina*, *Arrag. P. Navar. Sa*, *aliique RR. permulti*, ac probabile censent ipsi mei citati omnes unanimiter, Laym. *lib. 3. de just. tr. 1. c. 5. n. 24.* Lugo *cit. sect. 12. nu.* 141. Diana *p. 2. tr. 17. resol.* 5. Ratio est: quia in jure perinde censetur dominum rei non comparere, ac rem nullius esse, vel pro derelicta haberi: unde & ipsa Respublica ejusmodi bona inventa applicat quandoque Religiosis, quandoque pauperibus, quandoque suis necessitatibus: quod fieri non posset, nisi censeret, ea bona jam nullius esse, & pro derelictis haberi: atqui bona quæ nullius sunt, seu pro derelictis habentur, jure naturæ communia sunt, & jure gentium fiunt primo occupantis: ergo justo ab inventore titulo inventionis occupari, vel retineri possunt. Deinde nulla lex naturalis positiva, divina, vel humana præcipit ejusmodi inventa bona pauperibus eroganda, vel ad pios usus applicanda esse. *Non lex naturalis, vel gentium:* quia hæc apud omnes gentes est eadem, & obligat uniformiter. *Non omnibus gentibus*, immo nec omnibus fidelibus hæc persuasio inest, minus observatur, ut re aliqua inventa, statim voluntatem concipiant in pauperes erogandi, quin potius asservandi, & custodiendi, dominoque restituendi, si forte comparens repetat: quod si vero longo tempore non compareat, perinde esse, ac si res dominio careat, vel pro derelicta sit: ergo &c. Neque lex ulla positiva divina, vel humana, civilis, vel Ecclesiastica adferri potest, ut patebit mox; ergo &c.

III. Neque rationes oppositæ convincunt, sed facile res- 112
ponderi potest. Ad 1. *Negatur consequentia*, & *subsumptum*. Cum enim eo casu res inventa pro derelicta habeatur, inventor non tenetur se conformare voluntati domini, sed juri, vel consuetudini de tali re disponenti. Neque verum est, domini voluntatem semper esse, ut res a se perdita, & ab alio inventa erogetur pauperibus, quippe statim consumpturis ablata spe omni recuperandi, quin potius, ut inventor retineat, forte quandoque recuperandam. Ad 2. Resp. S. PP. Canones aperte loqui de iis, qui res inventas suis Dominis etiam cognitis, vel repetentibus reddere nolunt, aut certe debitam non adhibent diligentiam, ut res inventa rursus perveniat ad manus domini: sicque iterum nihil erit contra nos. Ad 3. *Patens est disparitas*. Jus enim solum statuit, ut res injuste sine legitimo titulo acquisitæ, utpote per usuram, rapinam, si proprio domino vel hæredibus restitui non possint, non possint retineri a possessore iniquo, sed pauperibus restituendæ sint: in proposito autem inventor habet aliquem titulum acquirendi, & retinendi sibi rem inventam, & pro derelicta habitam, nimirum inventionis.

IV. Quod supra generatim de debitis incertis notatum, & 113
hic vel maxime observandum est in rebus inventis. Inventor enim, ut retinere, absumere, alienare possit rem inventam, debet moralem, & exactam diligentiam adhibere in inquirendo domino, eoque majorem, & diuturniorem, quo majoris momenti est res perdita, quod commodissime fit per promulgationem in Ecclesiis, vel etiam, ubi moris est, in foro. Quanto autem tempore expectare debeat, prudentis viri arbitrio æstimandum relinquitur. Unde si quis centum aureos invenisset (inquit Sayrus *lib. 10. tr. 5. c. 2.*) non sufficeret semel, & iterum promulgari in loco inventionis, sed etiam in aliis locis inquiri deberet, in quibus prudenter putare potest, pecuniæ dominum, vel hæredem posse reperiri, debereque expectare per annum, vel diutius judicio prudentis, ad hoc ut dominus dicatur non comparere, & res pro derelicta haberi possit, sicque inventor eam sibi acquirere, absumere, vel alienare possit: minus longe requiritur, si res levis momenti sit, v. g. pallium, vestis, vel marsupium aliquot aureorum. Tandem quocunque tempore nondum præscripto dominus rei compareat, vel repetat, si adhuc existat, ei restituenda erunt: quia est adhuc legitimus dominus rei perditæ, nec lex ulla eum spoliat eo dominio, & inventor solum tamdiu poterit rem detinere propter bonam fidem ex ignorantia domini, vere putans rem pro derelicta haberi: quare comparente domino, cessat habere bonam fidem, ideoque ei res sua restitui debet. Quod si vero inter illud tempus etiam non-

nondum præscriptum rem bona fide absumpsit, non tenebitur comparenti domino aliquid restituere inventor, nisi quatenus inde ditior factus esset. Quod si vero etiam tempus ad præscribendum, vel usucapiendum præscriptum elapsum sit, nihil tenebitur amplius restituere inventor domino comparenti: etiamsi res adhuc existeret: quia titulus præscriptionis est irrevocabilis, non item titulus inventionis. Probabilem ergo hanc Sententiam Confessarius tuto sequi potest in praxi, tutiorem autem viam incedendo (prout monent DD. communiter) semper suadere debet inventori, si dives sit, juxta communem Sententiam in pauperes, vel pios usus eroget, quos alias adhibere soleret ex proprio; si autem pauper, & proprietatis capax est, ei sine scrupulo relinquere poterit: excepto tamen, si res sit sacra, vel Ecclesiastica, ut calix, paramenta &c. tunc enim Superior Ecclesiasticus consuli debet.

§. IX. *Sententia media, omnium tutissima.*

114 PLacet resolutio in ejusmodi practicis dubiis dijudicandis vere Eminentissimi Cardinalis de Lugo *cit. sect.* 12. *nu.* 141. communiter ita distinguentis: Quando res aliena incerti domini, seu debita sine delicto, seu inventa, in iis circumstantiis posita est, ut spes aliqua supersit, posse aliquando ad dominum compariturum pervenire, omnino rationabiliter præsumi potest, voluntatem domini esse, rem suam non erogari in pauperes, sed potius semper asservari a possessore, si in specie conservari potest, aut si usu absumptibilis, bona fide absumatur, vel vendatur: ut sic sibi aliquando forte comparituro res sua, seu pretium restitui possit; si secus contingat, cedat fortunæ, vel pretium operæ, vel custodiæ suæ, hoc enim est de re ipsius. Et certum est, neminem posse rem scienter alienam sibi retinere, nisi cum hac intentione restituendi rem, vel pretium, si dominus comparuerit: nisi jam bona fide tempore legitimo possessionis præscripsisset. Quod si vero res illa incerta in talibus circumstantiis posita sit, ut nulla plane supersit spes denuo preveniendi ad dominum: ut si viator nunquam in has partes rediturus, sciens, vel ignorans a te falsam pecuniam acceperit, vel is aliquid apud te oblitus reliquerit &c. tunc rationabiliter præsumi potest, eum velle, ut res sua debita, vel inventa expendatur modo aliquo sibi utili: ex qua præsumpta dominorum voluntate introducta videtur communis illa, & pia consuetudo ejusmodi res incertas expendendi in pauperes, vel pios usus. Cæterum quænam sit præsumenda voluntas dominorum, non potest melius probari, quam si quilibet bonæ conscientiæ consulat se ipsum, & cogitet, quid eo casu vellet fieri, quando sciret aliqua sua bona, vel debita de facto esse apud homines bonæ fidei, & conscientiæ, & quod tunc sibi vellet fieri de bonis suis ab altero, an expediat in pauperes erogare, an retineri a bono homine: & hoc ipse tuto faciet alteri de ejusmodi bonis incertis. Denique hactenus sermo tantum fuit de debitis, & bonis incertis simpliciter, quorum scilicet dominus omnino ignoratur, vel ita se habet, ut conveniri non possit. Nam

§. X. *Secus dicendum de bonis incertis secundum quid.*

115 IN debitis quibuscumque sive ex delicto, sive ex contractu, ex re accepta, vel inventa, quando scitur aliquid deberi uni ex duobus, vel pluribus, sed nescio, cujus in particulari determinate sit, & facta inquisitione sufficienti, dubium perseveret, non utique erit res retinenda, vel danda pauperibus, sed iis æqualiter reddenda in communi, ut vel dividant in re, vel in pretio, vel sortiantur, vel alia inter se transactione conveniant: iis autem non consentientibus res Judicis arbitrio, & auctoritati committenda erit, ut notant Doctores passim, *Molina*, *Lessius*, *Laym. Lugo ll. cc.*

116 II. Quando damnum illatum est immediate ipsi Communitati, Civitati, Collegio, loco &c. quæ faciunt unum corpus ex multis, ut Seminaria, Monasteria, Hospitalia &c. restitutio facienda erit ipsi Communitati immediate, non autem particularibus civibus, vel personis: quia Communitas ipsa læsa fuit immediate, & non particulares personæ, Alumni, Conventuales, infirmi: fiet ergo restitutio Communitati, ad cujus proinde Superiores pertinebit ea bona restituta simul cum cæteris administrare, & particularibus personis providere. *Communis DD. apud citatos.* Quare perperam quidam Senator prædivitis civitatis, dum eam gubernaret, mille aureos ex communibus redditibus seductos volebat restituere pauperibus istius civitatis, & sic ab onere istius restitutionis liberari, perperam, quia in illam summam non magis jus habent inopes, quam divites, sed tota Communitas: ipsi ergo ærario publico restituenda erit.

117 III. Quando vero damnum illatum est non Communitati ipsi, sed civibus, vel personis particularibus immediate, ut in bello injusto, deprædatione, vel vastatione oppidorum, vel agrorum: aut si mercatores, caupones, pistores, & similes alii indifferenter defraudarunt mercibus, mensura, ponderibus injustis in tali Communitate, vel vicinia, nesciatur autem, quibus in particulari damnum illatum sit, restitutio iterum facienda erit non pauperibus, sed quoad fieri potest, personis læsis. Fiat ergo restitutio, aut Magistratui, præsertim Episcopo, aut Confessario, vel viro probo, qui dividant in singulos cives notorie læsos, aut si ignoti sint, huic toti Communitati, vel viciniæ læsæ, aliquod bonum commune faciat, v.g. merces meliores, aut vilius vendendo, aut meliori pondere, vel mensura &c. ut sic, quantum fieri potest, damnum compensetur. Ut ex communi docet Lugo *tom.* 1. *de justit. disp.* 6. *sect.* 12. *num.* 148. in simili *vers. Hinc infertur primo.* Tambur. *lib.* 8. *tr.* 4. *cap.* 1. §. 3. *n.* 19.

SECTIO III.

Quando restituendum.

SUMMARIUM.

119 *Restitutio interna quoad propositum internum facienda est statim* mathematice, *seu in puncto, quo quis cognoscit se esse debitorem.*

120 *Unde non tantum positive nolens, sed & negative se habens, seu omittens velle restituere, invito domino, continuo peccat toto tempore.*

121 *Talis tamen prolongata rei alienæ detentio semper manet idem numero peccatum, quamdiu voluntas non restituendi formaliter, vel virtualiter non interrumpitur.* Usque ad num. 124.

124 Restitutio externa, *quoad executionem facienda est statim* moraliter *tantum, quamprimum commode fieri potest.*

125 *Secus faciendo debitor peccat, & insuper obligatur etiam ad compensandum damnum emergens, & lucrum cessans, seu* interesse, *ordinarium, & extraordinarium*, & 126.

127 *Etiam nulla præmissa admonitione.*

128 *Nisi in raro casu, quo facile, & utiliter moneri potuisset, & monitus non fuit, tunc enim creditor præsumitur lucrum, vel damnum illud extraordinarium remisisse*, & 129.

130 *Etsi debitor ex delicto quandoque ob paupertatem, vel impotentiam excusetur a restitutione ipsius rei, non tamen excusatur ab interesse ordinario, & extraordinario.*

131 Usque ad n. 136. *Quando, & quid restituere teneatur possessor bonæ fidei, ubi cognovit rem esse alienam.*

136 *Debitor ex contractu obligatur statim* moraliter *impleto termino in contractu præfixo.*

137 *Gravitas dilationis sumi non debet ex mora temporis, sed damno creditoris.*

138 *Quo cessante, differre solutionem etiam juratam, veniale tantum erit.*

139 *An, & quando liceat terminum solutionis prævenire.*

140 *Debitor ex contractu solutionem culpabiliter differens, obligatur creditori sub mortali ad omne interesse.*

141 *Si culpa sit theologica, & gravis.*

142 *Secus, si culpa non sit gravis, aut creditor putetur non esse graviter invitus.*

143 *Si vero creditor sit omnino invitus ad dilationem solutionis ultra terminum, ad hoc ut ei tenear ad interesse, probabilius debeo prius fuisse ab eo admonitus.*

144 & 145. *Qui commode posset restituere simul totum, non satisfacit restituendo successive per partes, nec cum tali proposito absolvi potest a Confessario.*

146 *Nisi in raro casu, quo scilicet Confessarius videt eum alio modo omnino non restituturum, nec creditorem notabile damnum pati, & debitorem bona fide ita procedere: alias non*, & 147.

148 *Sicut nec in articulo mortis quidem absolvi potest debitor non habens propositum restituendi, quamprimum commode poterit.*

149 *Ad absolutionem tamen conferendam sufficit restitutio mentalis, seu propositum in proximum.*

150 *Qui tamen bis, ter, vel sæpius in aliis confessionibus jussus restituere, non restituit, cum facile potuisset, regulariter absolvendus non est, nisi prius restituat.*

151 *Sicut etiam, non tantum sanus, volens restitutionem differre usque ad mortem, sed nec moribundus absolvi potest, qui cum facile possit, non vult ipse restituere, sed onus restituendi relinquere hæredibus.*

ASSERTIO III.

118 R*Estitutio ordinarie statim facienda est : Interna quidem, quoad propositum internum statim mathematice, vel physice. Externa vero quoad realem executionem statim moraliter tantum, post delictum, notitiam rei alienæ, aut terminum præfixum in contractu impletum : alioquin obligabitur insuper de interesse lucri cessantis, vel damni emergentis ex mora culpabili : nec satisfacit restituens successive per partes, cum quis possit simul restituere totum. In his secus volens, debitor a Confessario ne moribundus quidem absolvi poterit*. Est tota Communis. Ratio generaliter est, quia præceptum restituendi ex natura sua simul (& quidem in Sententia *Scoti*, ac *aliorum* communiori) principaliter est negativum, scilicet non detinere rem alienam: sed natura præcepti negativi est, quod obliget semper, & pro semper : adeo ut in proposito nullo unquam tempore liceat detinere rem alienam, invito domino, semper enim peccat contra Justitiam, & eo magis, quo diutius detinet privando dominum, vel possessorem legitimum usu, & dispositione rei suæ, vel sibi debitæ: ergo restitutio statim facienda est post delictum, vel contractum terminatum. Dixi autem *ordinarie*; seclusa scilicet legitima causa excusante a restitutione statim facienda : de quibus universim *cap. seq.* Jam explico terminos, & probo per partes.

§. I. *Restitutio interna quoad propositum est facienda statim mathematice.*

119 HOc est, in puncto, quo quis recordatur, & practice cognoscit, se esse rei alienæ debitorem, vel detentorem, concipiendum est propositum restituendi debitum. *Omnes*. Ratio jam dicta est: quia præceptum restitutionis essentialiter negativum, ita obligat pro semper, ut omni momento velle oppositum, peccatum sit: ergo omni momento, adeoque statim mathematice tenetur quis nolle detinere alienum, seu quod idem est, velle restituere. Deinde omni momento tenetur quis cessare a peccato, sed voluntarie detinens alienum, invito domino, est in statu peccati mortalis ex genere suo, ergo omni momento, & consequenter statim mathematice tenetur quis nolle detinere alienum, concipiendo propositum internum restituendi. Jam ad discernendum hoc peccatum, maxime in ordine ad confessionem: ita breviter, & distincte resolvendum.

120 I. Voluntarie detinens rem alienam invito domino continuo toto tempore peccat, non solum quando habet actuale propositum positivum, & voluntatem non restituendi, verum etiam quando advertens se debere, & posse restituere, negative se habens, omittit velle restituere: censetur enim ea omissio voluntaria interpretative, estque contra præceptum restituendi, quod pro semper obligat, & consequenter, quo diutius quis, seu positive, seu negative non vult restituere, nec restituit, eo magis aggravatur peccatum extensive per se, ac etiam intensive per accidens si ratione illius moræ, & dilationis domino damnum emergat, vel lucrum cesset; quod ipsum ad materiam restitutionis faciendæ accrescit: ideoque est circumstantia in confessione sacramentali necessario explicanda, in communi, & mihi vera Sententia.

121 II. Voluntaria detentio rei alienæ, etiam longissimi temporis semper manet idem numero peccatum, quamdiu manet idem habitualiter propositum non restituendi, seu quamdiu voluntas non restituendi moraliter continuatur, & non interrumpitur: ita ut quamvis aliquis per annum millies repetat propositum non restituendi physice valde interruptum, quamdiu tamen quis mente, & habitualiter ita dispositus manet, ut quoties de restitutione facienda cogitat, semper, vel positive consentiat non restituere, vel negative se habens omittat velle restituere, tamdiu censetur idem habitualiter propositum moraliter continuatum, seu non interruptum, atque ideo idem numero peccatum: in distinctione enim peccatorum non entitas physica actus, sed dispositio voluntatis, ac principalis intentio attendenda est, ut diximus *in materia de peccatis p.* 1. *c.* 4. *sect.* 3.

122 III. In voluntaria detentione rei alienæ longi temporis tot committuntur peccata numero distincta, quoties voluntas, seu propositum non restituendi formaliter, vel virtualiter interrumpitur. *Formaliter* quidem interrumpitur per pœnitentiam, & formale propositum restituendi: *Virtualiter* autem interrumpitur, quando quis cogitans de non restituendo, vel ulterius detinendo alienum, non vult assentiri, sed alio mentem studio divertit; ut virtualiter idem agat, ac si retractet malignum non restituendi propositum. Ratio dicti est: quia postquam malignum non restituendi propositum semel interruptum est, & postea rursus reassumitur, & voluntarie omittitur restitutio, jam sequentes actus detentionis non amplius continuantur moraliter cum priori proposito, neque vi prioris propositi amplius fiunt, cum illud jam revocatum sit, adeoque manent per se distincta peccata, ac si prius propositum nunquam fuisset: ergo tot sunt distincta numero peccata in injusta detentione rei alienæ, quoties propositum non restituendi formaliter, vel virtualiter interrumpitur, vel renovatur. Monent tamen DD. merito Confessarium, nominatim Molina *disp.* 753. non debere esse nimis scrupulosum, & molestum pœnitentibus, inquirendo numerum hunc peccatorum moraliter tantum interruptorum in detinenda re aliena (sicut & in aliis peccatis continuatis, ut odio, inimicitia, luxuria, concubinatu &c.) sufficit enim inquirere, quanto tempore res aliena voluntarie, & culpabiliter, scilicet cum facultate restituendi, detenta sit, tunc enim facile ex ejus dictis, & circumstantiis, præsertim confessionum præcedentium numero, colliget sæpius, vel rarius propositum non restituendi interruptum esse. Certum autem hic numerum assignare moraliter plerumque impossibile est.

IV. In diuturna detentione rei alienæ, præter interrupta proposita non restituendi, multi Doctores etiam alios 123
casus assignant, quibus committuntur nova distincta numero peccata: utpote, quoties injuste detinens videt dominum esse in necessitate rei sibi debitæ, & indigere illa, tamen non restituit. Item quoties domino, vel creditori repetenti non reddit, cum tamen reddere possit. Item quoties magna, & commoda occasio restituendi se offert, & tamen negligit. Item quoties utitur re alterius, vel aliena cum nova domini injuria, vel damno, ut si res utendo deterioretur, velut instrumenta, vestes, &c. vel usus ipse rei pretio æstimabilis sit, ut equitando equo alieno, &c. Verum P. *Navar.* aliique cum Tannero *disp.* 4. *de justit. q.* 6. *dub.* 14. *num.* 425. rectius negant, seclusa interruptione propositi, in iis casibus multiplicari numero peccata, sed esse solum ejusdem numero peccati moraliter continuati circumstantias aggravantes; immo pleræque non necessario in confessione explicandæ, exceptis illis, quibus domino rei novum damnum infertur, vel augetur.

§. II. *Restitutio externa, quoad executionem, facienda statim moraliter tantum.*

HOc est, quamprimum moraliter, & commode fieri 124
potest absque aliquo notabili æquali, vel graviori incommodo proprio restituentis, quam sit creditori proveniens ex dilata restitutione sui debiti. *Omnes*. Ratio est, quia præceptum restitutionis, licet quatenus negativum est, obliget pro semper rem non detinere, adeoque ad propositum, seu voluntatem internam restituendi, quæ in instanti fieri potest, obligat statim mathematice: attamen ut simul affirmativum, præcipit actum externum restituendi, qui actus necessario requirit moram temporis ad sui executionem, quique variis obstaculis, vel incommodis impediri potest, adeo ut etiam dominus rei non debeat, vel possit rationabiliter esse invitus, eousque rem suam detineri, quousque moraliter commode restitutio fieri possit, sine alio graviori, vel incommodo æquali: ideo restitutio realis non possit obligari pro semper, seu statim mathematice pro tempore indivisibili, sed pro tempore divisibili, quo moraliter commode fieri potest. Non ergo obligat præceptum restitutionis, quando non adest opportunitas loci, vel temporis; quis enim dicat, aliquem recordatum suæ obligationis debere ex lecto suo surgere media nocte, discedere a prandio, a cœna, exire e Missa &c. ad restituendum? quin etiam, seclusa fraude, vel dolo, cessante omni impedimento, habitaque omnimoda opportunitate, restitutionem modico tempore differre una, vel altera hora, ait noster Faber 4. *disp.* 15. *qu.* 2. *c.* 5. nimis religiose: aut uno, vel altero die, ait Sotus *lib.* 4. *qu.* 7. *art.* 4. aut unum, vel alterum, aut tertium diem, ait *Dicastillus* apud Tambur. *lib.* · *Decalogi tr.* 4. *cap.* 1. §. 6. *nu.* 1. aut aliquanto non adeo longo tempore, ajunt Molina *disp.* 735. & Laym. *lib.* 3. *de restit. tr.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. non esse damnandum peccati mortalis, aut tali absolutionem negandam ita volenti differre, dummodo habeat verum propositum restituendi, & nullum ex dilatione domino grave damnum emergat, licet enim talis dilatio, & detentio injusta sit, injuria tamen hæc plerumque gravis non censetur, si nullum inde notabile damnum proveniat: idque maxime, quando obligatio restituendi ex contractu, vel re accepta descendit, ut mox amplius dicam §. 1. Cæterum causas excusantes a restitutione differenda seu visdebiti simul adferemus *c. seq. Sect.* 3. Jam explicemus seorsim, qualiter restitutio facienda sit *statim* moraliter pro diversa ratione debitorum, ex delicto formali, ex re accepta, & ex contractu.

§. III.

§. III. *Statim moraliter post delictum commissum.*

125 RESTITUTIO debitorum ex delicto formali quocumque, scilicet injustæ acceptionis, vel damnificationis cujuscumque facienda est statim moraliter post ipsum delictum commissum, quamprimum scilicet absque notabili incommodo fieri potest. *Omnes*. Ratio ex dictis manifesta est: Quod si ergo talis, obligatus ex delicto, habita opportunitate restituendi, seclusa omni legitima excusatione, non restituat, non solum peccat mortaliter, quia est in continua moraliter ablatione, sed etiam tenetur in conscientia domino, vel creditori solvere omne interesse lucri cessantis, vel damni emergentis ipsi ex illa mora (quæ in debitore ex delicto semper culpabilis) Ratio generaliter jam dicta est *supra c.* 2. *sect.* 4. §. 6. Quia nimirum cum dominus ex tua culpa non solum privatus sit ipsa re sua principali, sed etiam passus illud interesse, seu damnum, nisi ei utrumque restituas, non fiet æqualitas justitiæ cum proximo. Pro pleniori intellectu aliqua addenda sunt.

126 I. Hujusmodi damnum emergens, & lucrum cessans communi nomine vocatur *interesse*: quia nimirum domino, vel creditori, ultra carentiam rei suæ, vel debiti, eatenus interest rem, vel pecuniam suam non detineri ab alio, præsertim injuste, quatenus ex absentia pecuniæ, vel rei suæ ei damnum aliquod emergit, vel lucrum cessat: ut si habita pecunia potuisset lucrari tantum, vel non habita debuit mutuare cum damno &c. Aliud porro dicitur *ordinarium*, aliud *extraordinarium*. *Interesse ordinarium* dicitur, quando res ipsa pluris valet uno, vel alio tempore, sive quia res intrinsece crescit, sic pluris valet equus, vel bos adultus, quam pullus, vel vitulus: sive quia ab extrinseco crescit ejus pretium, vel valor. Si ergo priveris hoc lucro rei tuæ, diceris pati interesse, seu damnum ordinarium. *Interesse extraordinarium* dicitur, quando provenit lucrum ex extraordinaria domini, vel creditoris opera, industria, negotiatione; ut si ex centum aureis negotiationi expositis lucraretur alios quinquaginta: si ergo hoc lucro priveris ab iniquo detentore, diceris pati interesse extraordinarium.

127 II. Utrumque hoc interesse ordinarium, & extraordinarium tenetur in conscientia compensare possessor iniquus, etiamsi nulla præcesserit admonitio, qua creditor dicat debitori se ipsius causa ejusmodi damnum pati, juxta communem DD. apud Dianam *p.* 1. *tract. de contractibus resol.* 87. Ratio est: quia, quamvis non admoneatur debitor, tamen totum illud interesse creditor, vel dominus rei subit ex culpa ipsius debitoris, vel possessoris iniqui, quia injuste accepit, & detinet, aut aliter damnificavit. *Adde*, ordinarie illam admonitionem fieri non posse: vel enim ignoratur iniquus possessor, vel si scitur, non datur facile locus admonitioni; vel si detur, prudenter existimatur admonitio nihil profutura.

128 III. Quod si tamen in raro casu supponatur domino, vel creditori cognitum esse furem, & posse illum facile, & utiliter cum spe aliqua ductum admoneri, is tamen non admoneat de suo interesse extraordinario, tunc furem, seu possessorem iniquum solum obligari ad restituendam ipsam rem ablatam, & interesse ordinarium; non item extraordinarium lucri cessantis, vel damni emergentis, omnino probabiliter docent *Azor.* aliique cit. Lugo *disp.* 18. *sect.* 2. *n.* 32. Ratio est: quia, si potest creditor monere utiliter, & non monet, jam ipse est causa sui interesse, seu damni extraordinarii: nam debitor etiam iniquus non tenetur ad omne damnum undecumque proveniens, sed ad damnum, quod necessario causatur ab ipso, nec facile potest impediri; at in proposito facile potuisset impedire creditor, si debitorem ita admonuisset. *Adde*: si potuit creditor admonere utiliter, & non admonuit, præsumitur remisisse hoc lucrum, vel damnum extraordinarium.

129 Dico autem semper *utiliter*: nam si debitor ita sit dispositus, ut etiamsi præmonitus fuisset, tamen non solvisset, ideoque utiliter admoneri non potuit, jam certo obligabitur ad totum interesse: quia tunc non creditor non admonendo, sed ipse debitor, sic male dispositus re ipsa, causa esset totius interesse, seu damni. Quod si dubius sit, an monitus solvisset, solvat partem interesse pro rata dubii, ait Lugo *cit. num.* 33.

130 IV. Iniquus possessor, seu omnis debitor ex delicto, etsi quandoque excusetur ob paupertatem, vel impotentiam a restitutione rei alienæ ad aliquod tempus, non excusatur a restituendo, quando poterit, dictum interesse ordinarium, & extraordinarium, quod interim ex ista mora, etsi tunc inculpabili, patitur creditor, vel dominus rei, v. g. Titius furatus est centum a te, postea incidit in gravem inopiam multis annis: hic certe durante inopia excusatur a restituendo illa centum: At redeunte meliori fortuna, non solum debebit tibi restituere illa centum, sed omne etiam totius illius temporis interesse, quod tu forte passus es eo toto tempore ex carentia tuorum centum. Ratio est: quia totum illud damnum tibi oritur ex delicto, & injuria Titii præterita: quare licet ipsa mora culpabilis tunc tempore inopiæ non fuerit in se, fuit tamen culpabilis in radice, scilicet injuria præcedenti: Quare omnia damna, quæ immediate, vel mediate ex delicto, vel injuria præterita procedunt, obnoxia sunt restitutioni ob injustitiam primo factam: uti cum aliis docte observat Tambur. *lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 21. §. 5. *num.* 5. Merito tamen excipiens casum, quo fur rem alienam absumpsisset tempore extremæ necessitatis: tunc enim sine dubio ad nullum illius temporis interesse, immo in probabili sententia, neque ad ipsam rem absumptam restituendam obligabitur.

§. IV. *Statim moraliter post notitiam rei alienæ.*

RESTITUTIO debitorum ex re accepta tantum a possessore bonæ fidei facienda est statim moraliter præfato modo, postquam possessor cognovit rem esse alienam, sine mora culpabilis tradendo vero domino rem ipsam adhuc extantem, vel id, quo ex illa re aliena ditior factus est. *Omnes*. Ratio clara jam alibi insinuata est: nam ulterius voluntarie detinens, ex tunc fit possessor malæ fidei, & tanquam talis deinceps ratione injustæ detentionis, & moræ culpabilis, tenebitur ad restitutionem, & ipsius rei, qualis tunc erat, vel postea absumptæ valorem, & insuper omne interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, *secundum omnes*. Quare hic videndum, an mora illa restituendi sit culpabilis graviter, vel leviter, an dilatio magna, vel modica, an domino, vel creditori multum, parum, vel nihil nociva, & ideo is possit censeri rationabiliter invitus, vel non: & his prudenter perpensis, decernenda erit obligatio restituendi gravis, vel levis, illius interesse, lucri cessantis, vel damni emergentis. Et insuper diligenter advertendum. 131

I. Mora illa restituendi, non est hic mensuranda, vel computanda a tempore, quo res accepta est: supponitur enim bona fide, & sine peccato accepta; sed a tempore, quo quis primo advertit, & pro certo credit rem vere non esse suam, sed alienam: vel etiam quando incipit notabiliter de hoc dubitare, nec adhibet diligentiam inquirendi veritatem (juxta dicta *c. præced. sect.* 3.) ab eo enim tantum tempore incipit obligatio restituendi, & non antea. 132

II. Similiter non est in restitutione attendendum interesse lucri cessantis, vel damni emergentis domino, vel creditori ex re accepta absolute, & pro illo toto tempore, quo res aliena bona fide possessa, vel detenta est: pro eo enim tempore ad nihil obligari potest possessor bonæ fidei, ut ex se patet: sed ex re accepta, & detenta ab illo tantum tempore, quo advertitur esse aliena, si tunc adhuc extet in se, vel in suo emolumento, quo quis scilicet ditior factus sit: si enim eo tempore nihil amplius existat, nihil omnino debere possessorem bonæ fidei, ex dictis liquet. 133

III. Si possessor bonæ fidei etiam a tempore, quo advertit rem esse alienam, aliquanto tempore fuit in nulla culpa restituendi ob inopiam, vel impotentiam v. gr. alio vero tempore fuit in culpa, & culpabili more restituendi, similiter tantum obligabitur ad restituendum interesse pro illo tempore, quo fuit in culpa, non autem pro interesse respondente tempori inculpato, ut omnes advertunt. Secus esse de possessore malæ fidei, seu debitore ex delicto, dictum est §. *præced. num.* 130. 134

IV. Debitor ex re accepta, ab illo tempore, quo advertit rem esse alienam, tenetur ad compensandum interesse non tantum ordinarium, sed etiam extraordinarium, regulariter loquendo; ab illo enim tempore sua culpabili mora est causa illius damni emergentis, vel lucri cessantis domino. Quod si tamen casus contingat, quod dominus jam sciret rem suam, vel id, quo ex re sua ditior factus es, apud te esse, & posset te utiliter de suo interesse, seu damno admonere, & negligeret, probabilissimum est, te non obligari ad interesse extraordinarium restituendum, eadem ratione a fortiori, qua supra de possessore malæ fidei, seu debitore ex delicto admissum est. 135

§. V. *Statim moraliter post terminum præfixum in contractu impletum.*

I. RESTITUTIO debitorum ex contractu, ut mutuo, locato, censu, empto &c. facienda est statim moraliter (cessante nimirum legitima causa excusante) postquam impletus est terminus in contractu præfixus, seu tempus illud, de quo inter partes contrahentes expresse, vel tacite conventum est, idque etiamsi debitor non admoneatur, vel debitum exigatur a debitore: quia *dies interpellat pro homine*. *L. Magna*, *ff. de contrahenda stipulatione*. Hoc est, ipse dies, vel tempus statutum, quo, vel intra quod solutio facienda est, interpellat, debitumque postulat pro creditore. Ratio patet ex natu- 136

natura contractus justi, qui obligat in conscientia ad implendum promissum, termino explicite, vel implicite præfixo. Quod si nullus terminus in contractu sit præfixus solutioni, solutio primum facienda erit, postquam creditor congruo tempore juxta suam necessitatem, vel utilitatem, aut communem consuetudinem debitum suum exegerit: nisi forte impeditus exigere non possit, vel a potentiore non audeat, tunc enim terminus solutionis erit, qui prudenter judicabitur esse de rationabili intentione creditoris: ut ex communi notant *Laym. cit.* Molina *disp.* 753. Tamb. *cit. cap.* 2. §. 6. *a num.* 3.

137 II. Terminus præfixus solutioni in ejusmodi contractibus non debet sumi metaphysice, vel mathematice, sed more communi moraliter, ut supra generaliter dictum: Unde ad inducendam obligationem gravem, & culpam mortalem, non præcise attendenda est quantitas moræ culpabilis secundum se in differendo solutionem, sed etiam maxime an talis mora, vel dilatio creditori sit damnosa notabiliter, isque ideo rationabiliter invitus sit, nec ne: alioquin a mortali excusabitur debitor etiam longiori tempore, v. g. aliquot septimanis, immo mensibus, differens solutionem. Unde recte monet *Molin. l. c.* quod si debitor habeat certum propositum solvendi, nec ex dilatione creditori damnum emergat, vel lucrum cesset, nec sit periculum incurrendi impotentiam solvendi, Confessarius, etsi debeat urgere solutionem, non tamen facile debet damnare peccati mortalis, aut absolutionem negare ob solam dilatam, etiam multo tempore, solutionem debiti: quæ licet injusta sit, si tamen certo futura sit solutio, secluso damno interea emergente, vel lucro cessante, non potest censeri injuria gravis, & sufficiens ad culpam mortalem. In opposito autem jam vides, dilationem culpabilem etiam aliquot dierum, vel unius septimanæ posse attingere culpam mortalem.

138 III. Quod si tamen dies solutionis præcise definitus sit, maxime cum juramento, quamvis multi censeant peccare mortaliter eum, qui secluso justo impedimento non solvit definito die; adhuc tamen *Molina l. c.* aliique post ipsum merito censent, non semper esse mortale; quia etiam juramentum intelligitur morali modo, & sortitur naturam actus, cui adjungitur. Unde quando dilatio nullum detrimentum adfert creditori, dilatio etiam ultra terminum juratum, non erit censenda mortalis. Similiter notant alii apud Tamb. *cit.* §. 6. *num.* 4. non esse reum culpæ mortalis, qui cum debeat stato die, v. g. singulis Calendis Decembris, vel Angariis solvere centum aureos, eos non solvit, nisi a domino requiratur: is enim est modus ordinarius ejusmodi census solvendi. Sed hoc intelligendum est cum limitatione: nisi dominus, vel creditor sit rationabiliter invitus ad talem dilationem: ut si propter potentiam, vel dignitatem debitoris non audeat creditor inops exigere: tunc enim certe non poterit excusari debitor, qui est solvendo, a gravi culpa.

139 IV. At quid de præventione termini restituendo debito ex contractu? Distinguendum est: si terminus solvendi condictus fuit in favorem debitoris, ut in mutuo, & commodato, debitor poterit terminum prævenire, & citius solvere, creditore utique non recusaturo. Quod si creditor acceptare tunc nolit, & res individua postea forte pereat sine culpa debitoris, interitus non huic, sed creditori imputabitur. Vide Dianam *cit. p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 17. Quando autem terminus præfixus fuit in favorem creditoris, ut in locato pro pretio ad certum tempus; in censu, seu mutuo pro annua pensione &c. tunc debitor prævenire terminum non valet regulariter; esset enim in damnum creditoris, scilicet diminutionem pretii, seu pensionis. Cæterum creditori nunquam conceditur petere rem sibi debitam ante terminum impletum, & conventum, nisi in tribus casibus. 1. Si debitor vergat ad inopiam, seu sit in periculo, ut vocant, *falloris*. 2. Si fugam parat. 3. Si incipit esse suspectus de non solvendo: nam tunc cogetur vel reddere, vel cautionem præstare. Hæc ex communi apud cit. breviter annotare libuit.

§. VI. *Alioquin obligabitur insuper de interesse lucri cessantis vel damni emergentis ex mora culpabili.*

140 I. Debitor ex contractu etiam legitimo, si termino transacto in mora moraliter culpabili restituendi, seu solvendi existat, obligabitur in conscientia sub mortali ad compensandum omne interesse, seu lucrum cessans, vel damnum emergens domino, vel creditori ex illa culpabili solvendi mora. *Omnes.* Ratio clara est: quia tunc illa culpabili mora injustum damnum infert creditori, qui ex illius culpa lucrum cessans, vel damnum emergens patitur. Idque verum est in omnibus contractibus: nam exceptio illa quoad venditionem, vel emptionem per leges civiles facta, solum in foro externo locum habet, ut bene ostendit Lugo *disp.* 18. *sect.* 2. contra *Molin.* Ideoque de illa hic non est laborandum. Quare in foro conscientiæ non possunt excusari a peccato, & a restituendo illo interesse Nobiles, ac domini, qui cum facile possent, culpabiliter non solvunt mercatoribus v. gr. merces emptas; opificibus operas factas, quibus propterea lucrum cessat, & damnum emergit. Si enim vere sunt in culpa non solvendo, necessario sequitur, ut ad omne interesse obligentur. Quamvis tales subinde excusari possint ex eo, quod mercatores, aliive creditores tale interesse non exigant, nec de eo solvendo ipsos admoneant, juxta dicenda.

II. Ad inducendam obligationem restituendi ejusmodi interesse sub mortali, requiritur, ut mora debitoris in solvendo sit culpabilis culpa Theologica gravi, seu mortali: cum nimirum quis, seclusa omni causa excusante, solutionem notabili tempore differens, advertit dilationem creditori esse damnosam, eumque merito, & rationabiliter esse invitum. Quare si nulla adsit culpa Theologica, vel solum adsit culpa venialis, non erit debitor obligandus sub mortali ad compensandum interesse quodcumque, sive ordinarium, sive extraordinarium, v. g. Emisti centum modios frumenti Mense Januario, brevi tempore solvendos, & sine culpa mortali distulisti solutionem pretii usque ad mensem Majum, quando frumentum jam multo majori pretio venditur, non obligaris, nisi ad valorem conventum Mensis Januarii; non autem ad illum excessum pretii Mensis Maii, quod est interesse ordinarium. Idemque est, si pecunia debita, & tempestive a te reddita, mense Majo creditor quodcumque lucrum acquisivisset, quod est interesse extraordinarium. *Ratio* superius generaliter data est: quia nulla culpa vel levis, & venialis tantum culpa, in differendo, non potest parere obligationem gravem, & sub mortali ad compensandum interesse. *Excipe*: nisi in contractu, debitore vere, & libere consentiente, appositum fuerit pactum solvendi interesse ex quacumque mora, etiam inculpabili proveniens: tunc enim debitor obligabitur ex pacto, non autem ex delicto moræ culpabilis. Vide de hoc Lugonem *disp.* 21. *sect.* 1. *num.* 23. 141

III. Quia ergo (ut §. *præced.* dictum) terminus præfixus solutioni debet accipi non mathematice, sed more communi humano moraliter, hinc plerumque excusatur debitor a restituendo interesse non solum per hoc, quod dilatio solutionis non fuerit culpabilis mortaliter, sive propter impotentiam, vel difficultatem solvendi, sive propter ignorantiam, oblivionem, vel similem causam, sed etiam ex hoc, quod debitor bona fide putaverit creditorem non esse graviter invitum ad modicam talem dilationem, cum in praxi non soleant ita urgere debitores, ut ipso die, vel tempore præfixo solvant, sed cum aliqua benignitate extensio fiat. Item credere plerumque poterit debitor, tunc creditores, qui scientes, & potentes exigere debitum, tamen non exigunt, non esse ita graviter invitos ad prædictam dilationem: sic se, & a peccato gravi dilationis, & ab onere restituendi interesse liberari. Vide Lugonem *disp.* 18. *sect.* 2. *num.* 38. 142

IV. At supponamus, creditores esse omnino invitos ad dilationem solutionis ultra terminum: quæstio jam est, an ad hoc, ut debitor in conscientia obligetur ad solvendum interesse extraordinarium (nam de ordinario non est dubium deberi ante admonitionem) ex mora culpabili, debeat prius fuisse admonitus a creditore dicente, v. g. solve mihi meos centum modo debitos: alias negotiationes meas exercere non potero, ideoque lucrum mihi cessans compensare debebis. Negant ejusmodi præmonitiones requiri *P. Navar.* & alii cum Diana *p.* 1. *tr.* 8. *resol.* 87. Quia juxta jus supra allegatum. *Dies interpellat pro homine.* Affirmant autem, talem præmonitionem requiri *Azorius*, aliisque cit. Lugo *disp.* 18. *sect.* 2. Tamb. *cit. tr.* 3. *c.* 8. *de mutuo* §. 3. *n.* 8. Ratio est: quia debitor fortasse, si de novo hoc onere admoneatur, omnibus viribus illud cavere, & debitum solvere sataget. Et quia si non admoneatur, merito præsumet, & credet, debitorem velle condonare illud subsequens interesse: nam generalis illa præsumptio, quod quilibet velit lucrari suis rebus, si possit, non videtur sufficere ad ponendam obligationem tam certam in debitore. Nec obstat illud jus allegatum: hoc enim solum intelligitur de debito principali, seu sorte, vel lucro convento in negotiatione, non vero de quocumque interesse possibili, vel consequente. Excipitur tamen hic consuetudo Mercatorum præsertim in mutuis, de quo alibi. 143

§. VII. *Nec satisfacit successive restituendo per partes, cum quis potest simul restituere totum.*

I. Debitum nimirum sive ex contractu, sive ex delicto magnæ alicujus summæ, etsi subsistente rationabili causa satisfaciat restituendo successive per partes: ut si simul non suppetat tanta summa, sed successive comparanda sit: 144

da sit: aut restitutio ob periculum infamiæ, vel damni debeat fieri occulte, & successive, ne advertatur.

145 II. Quando tamen commode potest simul solvere totum, non satisfacit restituendo successive per partes, nisi in casu raro rationabiliter præsumere possit de consensu domini in talem modum restituendi. *Communis DD. apud citt. omnes:* Ratio est: quia eo casu debitor detinet alienum, rationabiliter invito domino, cum tamen jure naturæ teneatur restituere statim moraliter, quando commode potest: ergo nolens, cum commode possit, restituere totum debitum, sed solum successive per partes absque ullo præsumpto rationabiliter consensu domini, peccat contra justitiam pro ratione materiæ, & more solvendi, ex genere suo mortaliter: & consequenter cum tali proposito non potest absolvi a Confessario, juxta communem Doctorum apud *Molinam*, *Laym. citt.* Ratio clara est; quia talis pœnitens non vult cessare a toto peccato injustæ detentionis rei alienæ simul, & simpliciter, sed solum secundum quid, successive per partes: ideoque non est perfecte pœnitens, nec dispositus, nec capax absolutionis.

146 III. Attamen *Navarr. Hostiensis*, *Gabriel. apud Dicast.* mox citandum, docent, posse talem absolvi, quando Confessarius duo videt ex dispositione pœnitentis. 1. Quod, concesso ei hoc modo restituendi, restituet; alias non. 2. Si creditor ex hac dilatione successiva restituendi non incurrat aliquod notabile damnum, tunc enim, ajunt, cum Confessarius utiliter gerat negotium creditoris, videtur creditor consentire in eam dilationem, & successivam solutionem. Sed certe videtur consentire plerumque coactus, & admodum involuntarius propter obstinationem, vel avaritiam debitoris, sicut mutuatarius consentit in usuras solvendas usurario; ergo sicut usurarius, ita talis debitor propter illum consensum, a peccato, & vera injuria excusari, & consequenter a Confessario absolvi non poterit.

147 IV. Probabilis tamen, & tuta erit hæc sententia, si ultra ista duo addatur etiam tertium, scilicet ut Confessarius advertat pœnitentem debitorem propter ignorantiam probabilem, bona fide putare, quod eo modo per partes solvendo satisfaciat suæ obligationi: tunc enim, si idem Confessarius advertat se nihil profuturum admonendo eum de majori obligatione totum simul solvendi, prudenter dissimulando poterit eum absolvere, ne alioquin abeat desperatus, vel loco peccati materialis, jam etiam formaliter peccaturus: sic enim non solum creditoris, sed etiam pœnitentis negotium utiliter geret Confessarius. Ita *Sylvest. Armilla Navarr.* aliis cit. Dicastill. *lib.* 2. *de restitut. tr.* 2. *disp.* 20. *dub.* 1. *a num.* 6. Tambur. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 4. Quod si tamen eo casu debitor pœnitens dubitet, & doceri petat de obligatione sua, jam veritas ei sincere aperienda erit, cum jam dubitet, & conscientia læsa sit, juxta communem doctrinam in materia de Conscientia, & Pœnitentia.

§. VIII. *In istis secus volens debitor a Confessario, ne moribundus quidem absolvi poterit.*

148 I. CErtum est apud omnes, Confessarium non posse absolvere pœnitentem, qui non habet propositum restituendi quamprimum commode poterit, seclusa justa causa excusante. *Omnes*. Hoc enim propositum essentialiter includitur in ipsa contritione, seu dolore efficaci de peccatis cum proposito vitandi omnia peccata imposterum, quale est etiam injusta detentio rei alienæ. Ubi tamen iterum Confessarius advertat debitorem propter ignorantiam invincibilem bona fide non advertere suam obligationem restituendi in toto, vel in parte, & se admonendo, vel instruendo nihil profuturum, potest, & debet prudenter dissimulando eum absolvere, (& non insulse statim ad alium remittere, &c.) & sic potius illum relinquere in bona fide simpliciter peccati materialis, quam facere, ut deinceps (etsi ex mera propria malitia) etiam formaliter peccet, vel omnino desperatus abeat. At vero si similiter doceri petat ipsemet, omnino veritas aperienda erit, ut etiam modo dictum.

149 II. Ab absolutionem conferendam non prærequiritur restitutio realis, sed sufficit mentalis, seu firmum propositum restituendi in proximum, ut contra *Mercatum*, & quosdam nimium criticos, docent omnes Theologi. Immo quamvis aliquis semel in confessione promisisset, & post culpabiliter neglexisset restituere, postea tamen serio dolenti, & asserenti suum firmum propositum restituendi, credere, & absolutionem non negare debet Confessarius: ex eo enim, quod quis semel, & iterum propositum non impleverit, non sequitur etiam postea non serio promittere, vel restituturum non esse. Et sicuti in omnibus aliis Confessarius credere potest, & debet pœnitenti, qui in hoc judicio est testis tam pro se, quam contra se, ita etiam in hoc. Unde a fortiori, quoties pœnitens accedit cum impotentia restituendi, est absolvendus, si dicat, se habere firmum propositum restituendi, quamprimum poterit; esto sæpius antea restituere culpabiliter neglexerit: idque etiamsi restitutio facienda sit pro decimis Ecclesiæ, ut *ex Molina* docet Dicast. *cit. num.* 12. Ratio est, quia *Concil. Trid.* dum præcipit Confessariis, ne absolvant debitores decimarum, quousque eas solverint, eosque excommunicari jubet, intelligendum est, loqui de debitoribus potentibus solvere, quique non solvendo peccant, qui soli excommunicari possunt; unde impotentes tunc bene possunt absolvi, etiamsi in foro externo habeantur excommunicati, modo in foro conscientiæ excommunicationem de facto non incurrerint: quia scilicet jam vere erant impotentes, quando excommunicatio lata fuit, quod si vero erant potentes solvere, quando lata fuit excommunicatio, eamque revera incurrerunt, jam non poterunt absolvi a peccatis nisi prius absolvantur ab excommunicatione ab eo, qui potest, & præstita cautione de solvendo quamprimum poterunt, juxta communem doctrinam *in materia de censuris*.

III. Qui bis, ter, aut sæpius in aliis confessionibus jussus, & pollicitus restituere, & tamen, cum facile potuerit, non restituit, regulariter non est absolvendus, nisi 150
prius re ipsa restitutionem fecerit, ideoque remittendus, ut prius restituat, *juxta communissima DD.* Ratio est: quia talis homo est in periculo proximo, ipsa experientia comperta, etiam imposterum omittendi restitutionem. Sicut enim concubinarius sæpius jussus, non ejiciens concubinam; ita sane etiam debitor, qui sæpius, ter, quater, sexies v. g. proposuit, & promisit restituere, & non restituit, manifeste arguitur inefficacis propositi, ideoque ordinarie non est absolvendus, sed remittendus, ut prius restituat, si commode possit: si commode non possit remitti, iterum serio proponenti ea vice prudenter credendum erit: nam talis posset esse pœnitens, & tales circumstantiæ possent concurrere, ut Confessarius possit, & debeat esse contentus solo proposito restituendi, etiamsi ante sæpius jussus restitutionem omiserit. Ut cum *Navar. Valent. & alus* notat Molina *disp.* 756. *n.* 3. Sic declarans exemplo; ut si Confessarius non leviter credat, pœnitentem re ipsa statim restituturum, ex eo, quod non ea acrimonia ei fuerit injuncta restitutio in præcedentibus confessionibus: vel si aliæ adsint circumstantiæ ad id credendum: & maxime si injungat illi, ut non prius accedat ad Eucharistiam, donec restituat, &c. *Sic ille*. Dixi ergo notanter *regulariter* tales non esse absolvendos.

IV. Confessarius non tantum sanum absolvere non potest volentem restitutionem differre usque ad mortem, & 151
dispositionem ultimæ voluntatis suæ: quia nimirum talis non videtur habere firmum, & absolutum propositum restituendi statim moraliter, sicuti obligatur: sed solum conditionatum, & suspensum; volo restituere, non sicut, & quando debeo, sed quando moriar, vel si moriar: adeoque eo ipso consentit in injustam detentionem rei alienæ interea, dum vivit. Sed neque absolvere potest moribundum, seu in articulo mortis constitutum, qui cum commode possit, non vult ipse restituere, seu per se, sed onus restituendi relinquere hæredibus. *Ratio* manifesta est eadem: quia non vult restituere absolute, sed conditionate, si moriatur: interim consentiens in injustam detentionem rei alienæ, & damnum proximi, ideoque ad absolutionem est indispositus. Deinde per se culpa gravis est, obligationem propriam velle transferre in alios, qui ordinarie erunt ipso testatore negligentiores, ut cætera taceam. Denique talis dispositio restitutionis nimis periculosa, & multis modis injuriosa, ac damnosa est creditoribus, ut experientia nimis notum. Sic DD. passim *Navar. uterque, Sylv. Azor. aliisque cit.* valde rigide *Molina disp.* 753. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 3. *num.* 11.

SECTIO IV.

Ubi, seu quo loco restituendum.

SUMMARIUM.

152 *Restitutio ex delicto facienda est in loco Domini, seu creditoris, ubi scilicet is rem suam haberet, si ablata, vel detenta non fuisset,* & 153.

154 *Idque semper expensis ipsius debitoris.*

155 *Non solum quando ipse rem alio transtulit,*

156 *Sed etiam quando ipse dominus, seu damnificatus alio migravit, & rem, seu pretium ejus secum asportasset.*

157 *Quod etiam verum est, si restitutio fiat ex sola injusta detentione.*

158 Usque ad n. 161. *Quantas expensas facere debeat debitor ex delicto ad restituendam rem alienam, variæ sunt sententiæ.*

161 *In nostra Sententia; Si debitor in expensis faciendis pro restitutione rei alienæ patiatur damnum solum æquale, vel paulo majus, quam patiatur dominus ex carentia rei suæ, adhuc obligatur restituere.*

162 *Si vero deberet pati damnum longe majus, restitutionem differre potest.*

163 *Ideoque restitutio facienda est per expensas debitoris proportionatas debito, ut si aliter restitutio fieri non possit, nisi tantæ faciendæ sint expensæ, quantum est debitum, v.g. mille, ut restituas mille debita.*
164 *Si nulla sit vel spes rem cum talibus proportionatis expensis restituendi ipsi domino, restituenda est ejus proxime consanguineis, vel in horum defectu pauperibus.*
165 *Restitutio* ex re accepta *in loco debitoris, si alio transferenda sit, fieri debet expensis creditoris, vel domini;*
166 *Qui proinde a debitore litteris v.g. monendus est, quid de re sua fieri velit*, & 67.
168 *Quid faciendum debitori, si dominus ignoretur, aut conveniri, vel res transferri non possit sine æquali, vel majori sumptu, quam ipsa valeat*, & 169.
170 Usquo ad n. 174. *Restitutio* ex contractu justo *facienda est in loco conventionis expresso, vel tacito:*
174 Usque ad n. 177. *Si vero sit alio transferenda, id fieri debet expensis illius, in cujus gratiam, vel utilitatem potissimum contractus initus est.*

ASSERTIO IV.

152 *Restitutio debitorum ex delicto formali, seu ratione injustæ acceptionis, detentionis, vel damnificationis facienda est in loco domini, vel creditoris, idque semper expensis ipsius debitoris, proportionatis tamen, & ipsum debitum non nimium excedentibus. Restitutio ex re accepta in loco debitoris, si alio res transferenda, fiat expensis domini, vel creditoris. Restitutio ex contractu justo in loco conventionis, vel expresse vel tacite, vel implicite desumendo ex contractus natura, circumstantiis, aut consuetudine communi, & expensis illius, in cujus gratiam, vel utilitatem potissimum contractus initus est, aut in ipso contractu expresse, vel implicite dispositum.* Et tota communis, uno tantum, & altero controverso, ut patebit.

§. I. *Restitutio ex delicto &c. facienda est in loco domini, vel creditoris.*

153 Cui nimirum res injuste ablata, detenta, vel damnificata est: non tamen in quocumque loco dominus, vel creditor fuerit, vel voluerit, restitutio facienda erit, sed in illo tantum loco, ubi is rem suam habiturus fuisset, si ei injuste ablata, detenta, vel destructa non fuisset. *Ita omnes*. Ratio patet: quia per restitutionem creditor debet ad æqualitatem reduci, ita ut nullum ex injusta tua acceptione, vel detentione patiatur damnum, vel gravamen, sicque non possit manere rationabiliter invitus: atqui non reducetur ad æqualitatem, sed ex injusta tua acceptione, vel detentione damnum, vel gravamen patietur; ideoque rationabiliter invitus erit, nisi res sua restituatur in loco, in quo eam haberet, si ei ablata non fuisset: alioquin enim is, absque sua culpa, propter tuam culpam deberet adhibere novum laborem, vel expensas, ad rem suam in locum convenientem trasferendam, ut patet: ergo, &c. Quare si mihi hic Passavii surripuisti equum, v.g. & illum transtulisti Viennam, hic Passavii debes mihi restituere, non Viennæ. Similiter, si mihi hic Passavii furatus es pecuniam, quam ego Romam proficiscens mecum tulissem, Romæ debes mihi restituere. Similiter, si furatus es pecuniam, quam dominus in quemcumque etiam remotissimum locum mittebat, in eodem loco reddenda erit: ita enim semper rationabiliter vult dominus. Contra autem non potest rationabiliter velle, pro arbitrio suo in quocumque loco sibi fieri restitutionem, sed solum in illo, quo culpa furis se extendit, nimirum ubi rem suam haberet, nisi a fure ablata, vel detenta fuisset. Unde si mihi Passavii surripuisti pecuniam, vel rem quamlibet, quam ego ob negotia profectus Romam, mecum non tulissem, sed hic reliquissem, satisfacis restituendo Passavii, & non cogeris reddere Romæ, etiamsi ego maxime sic vellem: quia furto tuo non es causa, cur ego rem meam Romæ non habeam, sed tantum Passavii. Et ita in similibus.

§. II. *Idque semper expensis debitoris.*

154 Communissima *Sylv. Medin. Navar.* aliisque congestis Molina *disp.* 752. Less. *l.* 2. *c.* 15. *dub.* 8. Laym. *l.* 3. *de just. tr.* 2. *c.* 10. *de rest. n.* 3. Lugo *disp.* 20. *sect.* 8. *nu.* 183. Ratio clara est: quia qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad medium per se necessarium ad illum finem; sed debitor ex delicto tenetur ad restitutionem in integrum cum toto interesse, ita ut dominus omnino servetur indemnis, ac si delictum nunquam fuisset factum: ergo si restitutio non possit fieri sine expensis debitoris, erit expensas facere tamquam medium ad illum finem per se necessarium: & secus creditor pateretur damnum ex alterius injuria. Unde ulterius observa.

155 I. Hoc maxime quidem verum est, quando iniquus possessor ex loco injustæ ablationis, vel damnificationis alio migrat, & rem ablatam secum asportat, v.g. pecuniam, vinum, triticum ex Austria in Sueviam: tunc enim sine dubio rem ablatam, vel damni compensationem ad damnificatum suis expensis in Austriam remittere cogitur: quia ipse solus causa fuit & damni, & expensarum.

II. Etiam verum est, quando ipse dominus, vel damnificatus ex loco damnificationis alio migrat: & rem ablatam, aut ejus divenditæ pretium secum asportaturus erat: 156
adhuc enim tenetur fur, vel damnificans rem, vel ejus compensationem domino transmittere propriis suis sumptibus, detractis tamen, saltem in foro conscientiæ, iis sumptibus, quos ipse dominus in re alio transferenda necessario fecisset: Uti contra *S. Antoninum, Paludanum, Abbatem, & alios Summistas* docet *communior DD. apud citt.* Ratio est: quia damnificans sua culpa injustæ ablationis, vel damnificationis, adhuc vera causa expensarum illarum fuit, in quibus proinde dominum debes servare indemnem: nam propter ejus injustitiam dominus rei non debet privari libertate mutandi domicilium suum, aut migrandi alio, quocumque libuerit: ergo debitor sibi ipsi, & culpæ suæ imputet, quod postea, domino alio migrante, in restituendo illos sumptus facere cogatur, quos tamen, ut dixi, ipse dominus non fecisset. Quod si enim etiam ipse dominus, vel creditor similes sumptus in transferenda re ipsa, si ablata, vel damnificatus non fuisset, facere debuisset; tunc debitor in foro conscientiæ potest illos sumptus detrahere, v.g. tantum retinendo de bonis domini, quantum ad ea transferenda necesse fuisset. *Ratio est*: quia debitor iniquus solummodo tenetur servare dominum indemnem; adhuc autem servat indemnem, etsi in restituendo detrahat illos sumptus, quos dominus ipse alio migrans in conferenda re sua facere debuisset, adhuc enim tantum recipit, quantum haberet, si injuriam passus non fuisset, ut intuenti patet: ergo &c.

III. Etiam verum est, si restitutio fiat ex sola injusta detentione: quia etiam tunc jam est ex delicto: v.g. commodavit tibi equum ad unum mensem, tu ultra terminum fuisti in mora culpabili detinendo per alterum mensem, quando ego cum rebus meis omnibus profectus sum Viennam; debes eo tuis expensis mittere mihi equum, detractis tamen rursus expensis, quas ego quoque in deducendo equo fecissem: nullis autem detractis, si fecissem nullas, ut modo dictum. Sic enim ad æqualitatem reducet injustitiæ damnum, cujus mihi injusta mora tua causa fuisti. 157

IV. Sed quæstio hic valde intricata est, quantas expensas debeat facere debitor ex delicto ad restituendam rem alienam. Tres sunt hujus Sententiæ. *Prima* rigidissima est *Cajetani, Armillæ*, & aliorum apud Vasq. *Opusculo de restit. cap.* 10. *dub.* 1. in restitutione rei injustæ ablatæ non esse attendendum ad sumptus, vel expensas quascumque semper a debitore præstandas, si aliter restitutio fieri non possit: quia ex suo delicto ad id totum obligatus mansit, & dominus, vel creditor in rigore justitiæ juste potest velle, ut res suas sibi restituat, quibuscumque expensis, quas debitor sibi ipsi, & culpæ suæ imputare debeat. Sententia nimis rigida, & in praxi intolerabilis, ut mox videbitur. 158

Altera Sententia est communis D. Thomæ 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Soti *dist.* 15. *art.* 4. aliorum, quos congerunt, & sequuntur Molina *disp.* 752. Lessius *lib.* 2. *dub.* 8. Bonacina *disp.* 2. *de restit. quæst.* 5. *Layman loc. cit.* Nimirum debitorem non obligari, ad restituendum immediate domino, si majores expensæ, quam res debita valeat, faciendæ necessario essent: sed si res alicujus momenti sit, expectare posse, quousque spes superest commodioris occasionis ad restituendum; ablata autem omni spe commodæ occasionis, ex rationabiliter præsumpta voluntate domini, rem restituendam esse ejus proximis consanguineis, vel hæredibus, & in defectu horum, pauperibus, juxta dicta superius: Si vero res parvi momenti sit, & sine majori expensa domino reddi nequeat, posse pro ejus salute statim erogari in pauperes, ut notat *Lessius loc. cit.* Hæc sententia maxime ex parte probabitur mox §. *seq.* 159

Tertia Sententia media est: Etiamsi damnum debitoris in expensis faciendis superet in duplo damnum creditoris rei, vel debiti sui, ita ut si is ad restituendum æque diviti tria, expendenda essent alia sex, non excusari debitorem a restitutione domino immediate facienda. Si vero etiam hanc proportionem excedat damnum debitoris, tunc demum sufficere ad hoc, ut non domino immediate, sed ejus nomine consanguineis, vel in horum defectu, pauperibus restituatur. Ita mediando inter duas priores sententias resolvit Lugo *supra cap. n.* 190. Et ratio est: quia supposita innocentia creditoris, & culpa debitoris injusti, duplo major est ratio, ut debitor injustus patiatur, quam ut patiatur innocens creditor: ergo si aut creditor innocens debeat amittere suum debitum, aut debitor nocens suas expensas, non sufficit ut hic solum patiatur æquale damnum in expensis necessariis, sed etiam majus pati debebit 160

bebit potius, quam creditor damnum patiatur sui debiti. Sententia speculative omnino probabilis. Nostra autem Assertio caute ita dicit.

§. III. *Expensis debitoris proportionatis, scilicet ipsum debitum non nimium excedentibus.*

161 I. CErtum apud omnes est, quod si debitor iniquus in expensis faciendis pro restitutione rei alienæ patiatur damnum solum æquale, vel quasi æquale, aut aliquanto majus, quam patiatur dominus ex carentia rei suæ, sine dubio adhuc obligari debitorem ad restituendum. *Ratio*: quia in damno æquali, vel non multum excedente, merito debet esse melior conditio, & potior ratio haberi innocentis domini, seu creditoris. Tu intristi, tu comedo; hoc est: tu in causa fuisti, cur tantæ expensæ sint faciendæ, tu ergo expende: neque enim ex tua injustitia debet dominus damnum rei suæ pati.

162 II. Probabilissimum est, si debitor in expensis faciendis patiatur damnum longe majus, quam dominus patiatur ex carentia rei suæ, tunc posse differri restitutionem, & fieri juxta communem Sententiam secundam supra allatam, ita plurimis *citt.* Vasq. *cit. c.* 10. *dub.* 1. *n.* 27. Tamb. *cit. tr.* 4. *c.* 1. §. 8. *n.* 4. Ratio urgens est: quia justitia non adversatur Charitati, quæ est finis omnium virtutum, nec rectæ rationi, quæ omnem virtutem dirigit: atqui Charitas, & recta ratio dictat, dominum, vel creditorem non debere, nec posse rationabiliter velle restitutionem sibi fieri cum tanto rigore, per medium adeo improportionatum, cum tam intolerabili damno debitoris, scilicet per expensas in duplo, triplo, decuplo, &c. immo amplius excedentes ipsum debitum, ut qui centum florenos debet, restituere teneatur, etiamsi alii ducenti, mille, vel decem millia expensarum ad transferendum debitum necessaria essent: ergo, &c. Deinde præceptum restitutionis non obligat cum periculo amissionis vitæ, vel famæ, secundum omnes: ergo neque obligat cum tam notabili, & excessivo damno temporali debitoris. Obligatur sane injustus debitor simpliciter ad restitutionem, ut ad finem, & consequenter etiam ad expensas necessarias tamquam ad medium; certe tamen ad expensas proportionatas debito, & secluso longe graviori proprio damno: nemo enim ex obligatione finis tenetur ad medium adeo improportionatum; sed censetur obligatio finis pro hic, & nunc suspendi, donec medium proportionatum, & commodum magis suppetat; ergo debitor quemadmodum si debitum non posset aliter restituere creditori absenti, nisi ipsemet deferret in remotissimam regionem, secundum omnes non teneretur, sed aliam commodiorem occasionem, vel viam expectare posset; ita etiam, si non possit restituere debitum, nisi per multo majores expensas, & valde graviori damno suo, non tenebitur pro tunc, sed aliam commodiorem occasionem expectare licebit.

163 III. Restitutio ergo facienda est per expensas debitoris proportionatas debito, non absolute, & arithmetice computando cum ipso debito, ut si aliter restitutio fieri non possit, tantum debitor teneatur expendere, quantum est debitum verbi gratia mille, ad hoc ut restituat mille debita; sed respective attendendo ad damnum utrivis secuturum, si restitutio fiat, vel non fiat, ex circumstantiis personarum ditiorum, vel egenorum. Unde fieri potest, ut jacturam mille aureorum respectu pauperioris tantum valeat, ac jactura duorum millium, respectu ditioris. Quod si ergo creditor dives, debitor autem pauper sit, excusabitur hic a restitutione domino immediate facienda, etiamsi multo minores expensæ faciendæ essent, quam debitum valeat: quia debitori egeno jactura quingentorum, verbi gratia, majus damnum est, quam diviti creditori jactura totius debiti mille aureorum. E contra si creditor pauper, debitor autem dives sit, is non excusabitur a restitutione facienda, etiamsi multo, v. g. duplo, vel triplo majores expensæ faciendæ essent, quam debitum valeat ob rationem oppositam: quia diviti jactura duorum, vel trium millium, minus damnum est, quam egeno jactura sui debiti, mille aureorum tantum.

164 IV. Quod si denique nulla sit spes futuræ opportunitatis, qua res cum talibus proportionatis, & moderatis expensis restituit, aut saltem per litteras domini voluntas explorari possit; non ideo debitor iniquus poterit sibi rem retinere, quippe debitum ex delicto; sed juxta rationabiliter præsumptam domini voluntatem debet restituere, vel ejus proxime consanguineis, aut in defectum horum, immediate pauperibus juxta dicta *sect.* 2. §. 5. *de restit. debitorum incertorum ex delicto*. Quia hoc casu moraliter judicatur dominus, ac si esset incertus, vel ignotus. Eodemque modo dicendum in casu, quo debitor ob inopiam nullo modo potest expensas facere ad transferendam rem, nec dominum admonere, tunc enim pari modo det rem pauperibus, vel si ipse æque pauper sit, sibi applicare poterit in probabili sententia, ibidem relata.

§. IV. *Restitutio ex re accepta in loco debitoris, si alio transferenda, fiat expensis creditoris, vel domini.*

VG. Habuisti bona fide alienum equum, vestem, vel quamlibet rem: bos alienus ad tuum præsepium confugit; hospes marsupium, vel sarcinam in tuo diversorio reliquit, &c. postquam cognoscis rem esse alienam, satisfacis restituendo in eodem loco, ubi tu es debitor. Quod si ad dominum rei absentem res transferenda sit, id suis expensis is curare debet. Communissima cum Molinâ sæpe *cit. disp.* 752. *Less.* Laym. *cit. n.* 4. Lugo *disp.* 20. *sect.* 8. §. 2. Ratio ex superioribus liquet: quia possessor bonæ fidei solum tantum debet restituere, quantum ex re aliena possidet: nec inde, nulla sua culpa interveniente, tenetur pati aliquod damnum: atqui cogeretur plus restituere, quam possidet, & pateretur damnum sine sua culpa, si rem hactenus bona fide possessam suis sumptibus ad dominum destinare deberet: ergo sufficit ei restituere in loco possessionis, sumptibus ad transferendum necessariis domino relictis, qui jus habet in rem suam, nullum vero jus habet in debitorem bonæ fidei. Ubi iterum breviter observandum. 165

I. Postquam possessor bonæ fidei intellexit rem esse alienam, v. g. equum bona fide emptum, debet domino per epistolam insinuare, & explorare, quid de re sua fieri velit: si transmitti postulat, & ille expensas facere cogatur, tenetur dominus solvere, aut ille tantumdem de re domini, si divisibilis sit, detrahere, & reservare potest. Quod si autem superfluas expensas sine rationabili domini voluntate feceris, v. g. si equum illi transmitteres cum majoribus expensis, quam ipse equus valeat, illas utique in quantum superfluas amittes, nec dominus solvere cogetur. 166

II. Similiter si possessor bonæ fidei pro re aliena jam cognita conservanda vel custodienda aliquas expensas faciat, v. g. ad equum sustentandum, aut si alio migrans, rem in priori loco non satis tutam, secum non sine expensis, vel labore transferat, tenebitur dominus compensare, aut ille detrahere poterit, vel actione negotiorum gestorum repetere, idque ex tacito contractu, qui dicitur ex negotiis utiliter gestis. *L.* 2. *ff. de negotiis bene gestis*. 167

III. Quod si dominus ignoretur, vel ita absens sit, ut conveniri non possit, aut res transferri non possit sine æquali, vel majori sumptu, quam ipsa valeat: siquidem supersit spes aliquando dominum conveniendi, & res est alicujus momenti, ut merito censeatur dominus non fore contentus, ut alteri detur: eo usque servanda erit: aut si servari nequeat, absumenda, vel alienanda, pretium postea domino restituendum. Cessante autem omni spe dominum conveniendi, aut alias, si res parvi momenti sit, reddenda erit ejus consanguineis, aut in horum defectum pauperibus juxta communiorem, & tutiorem Sententiam supra *Section.* 2. §. 5. & 7. explicatam. Etsi quoque probabile sit, possessorem bonæ fidei posse sibi retinere: quia tunc res comparatur debito incerto, seu rei ignoti domini. 168

IV. Quod si tamen debitor ex re accepta, postquam intellexit rem esse alienam, inquirere negligat dominum, aut eo cognito, incipiat in mora esse culpabili restituendi, tunc eo ipso incipit esse debitor ex delicto, & malæ fidei possessor, adeoque deinceps tamquam talis domino restituere debet suis expensis, ut notat *Lugo cit. nu.* 194. Et ex alibi dictis colligitur. 169

§. V. *Restitutio ex contractu justo fiat in loco conventionis expresso, vel tacito.*

I. CLarum est, restitutionem ex contractu debere fieri in loco, de quo expresse, vel tacite inter partes conventum est: & si translatione opus sit, expensis debitoris. Communissima cum Navar. *num.* 42. meique citati omnes: Idque sive restituenda sit eadem res numero, seu, ut loquuntur Juristæ, eadem res specie: verbi gratia hic equus locatus, commodatus, depositus, impignoratus; sive restituendum sit aliud æquivalens, verbi gratia pretium pro equo empto, alia pecunia pro pecunia mutuata, &c. Si ergo emisti, & conduxisti equum pro pretio solvendum hic Passavii verbi gratia hic debes solvere, si alibi, alibi. 170

II. Quod si de loco restitutionis nihil sit expressum in contractu, tunc tacita conventio colligenda erit inspiciendo naturam contractus, consuetudinem loci, vel alias circumstantias. Et regulariter restitutio, seu solutio fieri debet in loco, ubi res tradita fuit: ita enim postulat æquitas, & æqualitas inducenda intra contrahentes servanda: & regulariter, si translatione rei restituendæ opus sit, expensis debitoris. Et hinc 171

III. Debita ex contractu gratuito v. g. donationis, legati, testamenti, &c. restituenda sunt in loco, ubi erant, quando donatio, legatum, vel testamentum factum est: atque sumptibus donatarii, vel legatarii inde transferenda. Communis apud *Lessium*, *Vasq. Lug.* Ratio est: quia qui alicui 172

cui rem gratis dat, donat, vel legat, non intendit ad aliquid amplius se obligare, quam rem alteri relinquere pro libito, &, si opus fuerit, labore, vel industria sua auferendam.

173 IV. Debita ex contractu oneroso transferente dominium rei, quo scilicet non eadem res, sed pro una re accepta altera reddi debet, ut emptione, mutuo, censu, &c. restituenda sunt in loco, ubi res, pro qua solutio fit, accepta erat. *Ratio est:* quia in iis reciprocis contractibus res una in alterius locum quasi substituitur, quod tunc perfecte fit, si etiam idem locus acceptionis, & restitutionis, servetur, ut notant *Vasq. Laym. ll. cc.* Quin etiam eadem ratione debita ex contractu non transferente dominium, ut in deposito, commodato, locato, restituenda sunt in loco, ubi res tradita fuit, omnium consensu. Sed, cujus sumptibus, si res deposita, commodata, locata, restituenda, alio transferenda sit? Respondet Assertio in fine.

§. VI. *Expensis illius, in cujus gratiam, vel utilitatem potissimum contractus initus est. Et hinc*

174 I. SI contractus initus est in solam utilitatem alterius contrahentis, seu dantis aliquid, ut in deposito v. g. si quis apud te Passavii torquem deposuit, & velit sibi reddi Augustæ; fiat id ipsius sumptibus, & periculo; quia contractus totus est in gratiam ipsius, & alias tu patereris damnum in illis expensis faciendis ex tuo beneficio, & sine ullo jure domini contra te.

175 II. Si contractus initus sit in tuam solius utilitatem, ut in commodato, precario, vel mutuo gratuito: debes eam tuis expensis restituere in loco, in quo eam dominus haberet, nisi illam tibi commodato, vel mutuo dedisset, modo per te steterit, quod dominus eam rem secum alio non transtulisset: deductis tamen expensis, quas fecisset dominus in ea re transferenda, v. g. Titius tibi Passavii gratis commodavit libros, vel mutuo dedit pecunias, alioquin secum laturus proficiscens Viennam; tuis sumptibus eo transmittere debes: quia contractus est in gratiam, & utilitatem tui tantum, & dominus non debet damnum pati ex suo beneficio, scilicet gratuito commodato, vel mutuo.

176 III. Si contractus initus est in utilitatem utriusque, ut in locatione equi verbi gratia in quo & tu conductor equi usum habes, & dominus locans pretium accipit & res alio transferenda, nihilque de expensis conventum sit, quamvis primo intuitu tu videaris teneri transferre tuis sumptibus, ne dominus sine sua culpa damnum patiatur, probabilissimum tamen est, debere fieri expensis utriusque. *Ratio* sumitur argumento retorto: quia si solus tuis sumptibus rem transferas, tunc damnum patieris sine tua culpa. Dividantur ergo expensæ æqualiter, sicut æquale est commodum. *Ita Tambur. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 8. num.* 12. addens, non raro debere fieri solis expensis domini: ut si conductor non fuit admonitus de loco, ubi restitutio facienda erit ex negligentia domini alio forte migrantis, tunc enim ille communiter usurpato jure utens restituat in loco, ubi rem locatam accepit, & satisfaciet.

177 IV. Dicta hactenus potissimum intelligenda sunt de restitutione ex contractu, quo res eadem numero debita restituenda est: nam quando res alia pro alia restituenda est, ut in emptione, & venditione pretium pro merce recepta, aut merx pro pretio jam accepta, in praxi semper solent convenire expresse de solo loco, & expensis restitutionis seu solutionis faciendæ, quod si tamen per incuriam interdum rudes contrahentes nihil de hoc constituant: ad tacitas, & consuetas in ea regione conventiones recurrendum est, & ut §. *præced.* dictum, regulariter restitutio facienda in loco, ubi res accepta fuit, & expensis debitoris. Vide, si vacat, late *Molinam, Lessium, Lugo citt.*

CAPUT IV.

De Modo, & ordine restitutionis, causisque excusantibus.

SECTIO I.

Quomodo restituendum.

SUMMARIUM.

2 *Restitutio facienda est eo modo, quo res sufficienter veniat ad manus domini.*

3 *Debita ex delicto occulto, occulte; ex publico autem quandoque etiam publice restituenda sunt.*

4 *Quando restitutio, occulte facienda, commode fieri non potest ab ipsomet debitore, adhibenda est persona tertia, qualis plerumque est Confessarius.*

5 & 6 *Ex rationabili causa sufficit restituere recte fingendo, se quasi quid donare, cum tamen animus sit sic restituere.*

7 *Si debitum transmissum per personam a creditore delegatam pereat quomodocumque, ipsi creditori perit.*

8 *Unde si famulus a creditore ad petendum debitum missus cum eo aufugiat, debitor liber manet.*

9 *Pariter si nuntius a debitore, cum præscitu, & voluntate creditoris electus, rem ex quacumque causa non reddat domino, debitor liberatur.*

10 *Idem est, si debitor, & creditor statuerunt signum, quo a quacumque persona exhibito, res mittatur; si perit, domino perit.*

11 *Item etiam debitum* ex contractu, *vel* re accepta *transmissum per personam fidelem habitam, deputatam ab ipso debitore, non huic, sed creditori perit, si debitum sit* reale ac determinatum in individuo.

12 *Secus si debitum sit personale, & indeterminatum in aliquo genere, verbi gratia centum floreni, tot modii frumenti &c.*

13 *Si rem voto, vel juramento promissam Ecclesiæ v. g. mittas per virum, fidelem tibi putatum, si is eam sibi retinuit, tu deobligaris, non ipse.*

14 *Nisi rem illam sine sua culpa v. g. furto, latrocinio &c. amisisset.*

15 *Debitum vero* ex delicto, *sive reale determinatum, sive personale & indeterminatum in specie, & individuo transmissum per internuntium quemcumque, Confessarium, si pereat, vel non reddatur quocumque casu, debitori perit.*

16 Usque ad n. 20. *solvuntur objectiones.*

20 *Qui rem furtivam Petro V. g. debitam, bona fide, suo, vel alterius V. g. Confessarii consilio, jam erogavit pauperibus, de errore edoctus secundum communem sententiam adhuc tenetur eam restituere domino: secundum alios tamen probabiliter liberatur.*

21 *Resolvitur casus de famulo, qui vas argenteum nomine Titii dono dandum Cajo, id retinuit usque post mortem Titii, ad quid, vel quibus teneatur.*

ASSERTIO I.

REstitutio debiti cujuscumque facienda est eo modo, qui consideratis circumstantiis personarum, & rei debitæ, sufficiat ad hoc, ut res recte perveniat in potestatem domini, vel creditoris. Debitum transmissum per personam delegatam ab ipso domino vel creditore, si pereat, domino perit: Debitum autem ex contractu, vel re accepta transmissum per personam fidelem habitam, vel deputatam ab ipso debitore, reale quidem, & determinatum, ac individuum, adhuc domino perit: personale vero, & indeterminatum in aliquo genere perit debitori, sicut & quodcumque debitum ex delicto. Est tota communis.

§. I. *Restitutio facienda est eo modo, qui sufficiat ad hoc, ut res recte perveniat in manus domini, vel creditoris.*

I. IN hoc consentiunt omnes: quocumque enim modo 2
res in potestatem domini perveniat, jam attingitur finis præcepti restitutionis, & justitiæ commutativæ, scilicet æqualitas, ut nimirum dominus habeat tantum, quantum habere debet. Unde in debitis ex contractu, vel re accepta, parum refert, num debitor palam, vel clam per se, vel alium restituat, dummodo restituat; nam juxta regulam Juris *in* 6. *Quod quis per alium facit, per se facere censetur.*

II. In debitis ex delicto aliunde refert, ut debita ex de- 3
licto occulto occulte etiam restituenda sint ad evitandam infamiam, vel aliud incommodum debitori. Debita vero ex delicto publico interdum etiam publice restituenda sunt ad emendandum scandalum, & offensam aliorum, ut contingit in publicis, & notoriis usurariis, qui ex Charitate tenentur, & a Confessario urgendi sunt, etiam restitutionem publice facere ad scandalum vel jam datum tollendum, vel imposterum cavendum. Quod si tamen talis jam occulte restituisset, non teneretur iterum publice restituere, sed sufficeret alia ratione occurrere scandalo v. g. ostendendo se jam restituisse: nam quod publice debeat restitui, non oritur ex obligatione justitiæ, cum etiam occulta restitutione jam sublata sit inæqualitas, sed oritur solum ex obligatione Charitatis tollendi scandala, & offensas proximorum, quæ sola numquam inducunt obligationem restitutionis.

III. Etiam consultum est, ut, quando restitutio debita 4
ex delicto occulto, etiam occulte non potest fieri a debitore, nisi cum periculo infamiæ, vel alterius incommodi, is inquirat occasionem restituendi per tertiam personam, hominem nimirum fidelem, & probum, ac secretum, qui loco debitoris, persona innominata, domino, vel damnificato restituat: qualis persona idonea plerumque censetur

Paro-

Parochus, vel Confessarius sub sigillo saltem naturali ad id obligatus, uti monent DD. S. Th. & Scotus 4. *d.* 15. *q.* 2. *n.* 34. ubi ait: *Quando ablatio fuit occulta, tunc non tenetur ablator per se prodere, nec per consequens per se ipsum restituere, sed per aliam personam secretam, & fidelem, & expedit, quod per Confessarium: Quia sibi est crimen detectum in Confessione, & de ejus fidelitate, quod restituat, fidei suae commissum satis debet credi.* Haec Scotus.

5 IV. At, quid si debitum ex delicto tibi ipsi restituam tecte, ut ne tu ipse laesus quidem advertas, v. g. ex occulto furto, vel fraude debeo tibi centum aureos, sed quia sum tuus bonus amicus, timeo, ne alio quocumque modo restituens veniam tibi in suspicionem furti, immo fur deprehensus & famam, & amicitiam apud te perdam: ideo tempore nuptiarum tuarum v. g. dono tibi vas argenteum, aut gemmam pretiosam auro inclusam ejusdem cum furto valoris, revera tamen animo, ut tibi tuum debitum restituam erone sic liber ab onere restitutionis? Ratio dubitandi est quia certum moraliter scio te utpote gravissimum virum mihi in aliqua simili occasione aliud tantundem redonaturum, quod donaturus non esses, nisi ego antea donassem. Resp. Te nihilominus liberari. Ratio est: quia, cum haec redonatio fiat ex mera liberalitate, ad quam tu amicum nec induxisti, nec obligasti, non ex directa, & absoluta illius causa, sed tantum occasione: quare, cum periculum tuae famae sit causa proportionata te excusans a cooperatione ad hoc amici damnum, quod occasione tui ficti muneris infertur, non peccas, nec consequenter ad restitutionem ulteriorem obligaris. *Confirmatur*: Ad evitandam infamiam licet differre restitutionem, immo quandoque omnino omittere, ut patebit *Sect.* 3. & 4. cum fama sit altioris ordinis: cur ergo ob eandem causam non liceat in nostro casu ita occulte restituere, cum id magis faveat creditori? Sed jam vides minime licere sic facere, si nulla justa, & proportionata causa subesset, ob rationem dubitandi, antea propositam: sic enim restituens, certoque praevidens dominum tantundem redonaturum, ipsi potius illuderes, quam satisfaceres.

6 Caeterum principalis hic est controversia ex *n.* 4. Quod si debitor debitum suum mittat creditori per personam tertiam, famulum, nuntium, Confessarium, & res sua, sive malitia talis personae tertiae, sive casu fortuito (v.g. furto, latrocinio, naufragio &c.) ad dominum non perveniat: liberaturne tunc debitor, an vero denuo tenebitur restituere? Et habet quaestio locum tam in debitis ex delicto, quam ex contractu, vel re accepta. Et nota, posse personam illam intermediam restitutionis delegari aliquando ab ipso creditore, vel domino rei, & tunc perinde est. Aliquando ab ipso creditore, & tunc necesse est, ut persona delegata a debitore ad restituendum, sit, vel communiter habeatur fidelis, & ab ipso debitore talis esse bona fide credatur: alioquin enim debitor tradens rem restituendam personae suspectae, vel sibi incompertae fidei, eo ipso censebitur egisse dolose, & saltem culpabiliter, & re pereunte, & non reddita domino, non liberabitur ab obligatione denuo restituendi, secundum omnes. Itaque dicimus porro in assertione:

§. II. *Debitum transmissum per personam delegatam a domino, vel creditore.*

7 I. Quocumque casu, aut culpa personae intermediae pereat, vel ad ipsum non perveniat, ipsi domino, vel creditori perit, & debitor ab onere restitutionis liber manet. Communissima, meique citati *Molina, Less. Laym.* Ratio patet: quia hoc ipso, quo personae a creditore delegatae debitum traditur, totum dominium rei traditae, ac plenum jus in re transit ad creditorem: ergo creditori, & non debitori periit; consequenter cessat obligatio denuo restituendi. Hinc ulterius.

8 II. Si famulus missus a domino ad petendum, & auferendum debitum, postmodum una cum debito aufugiat, debitor liber manet, nec tenetur quidquam amplius restituere: quia famulus ita destinatus a domino, facit quasi unam personam cum domino: ideoque tradere rem tali famulo, idem est, ac tradere ipsi domino, pleno dominio in ipsum translato, ut modo dixi: consequenter ei tradita res perit. Secus esset, si dominus misisset famulum solum ad monendum debitorem, ut debitum solvat, non autem, ut debitum auferat, seu non designando ipsum, ut personam, qua mediante debitum transmittat, tunc enim si debitor ei rem tradat, isque cum re sibi tradita aufugiat, debitum cogetur denuo restituere; nam hoc casu famulus ad transferendum debitum non a domino, sed a debitore destinatus est, juxta mox dicenda §. *seq.*

9 III. Eadem ratione: quando debitor pecuniam debitam tradit nuntio, a se quidem delecto, tamen etiam de voluntate, & commissione ipsius domini, ut, quem vellet, deligeret, modo fidelis communiter habeatur; isque rem traditam ex quacunque causa non reddat domino, liberatur debitor ab obligatione denuo restituendi. Ratio eadem est, quae supra. Secus esset, si debitor, omisso nuntio de consensu domini semel delecto, mittat debitum per alium, sibi forte magis fidelem visum, & is tamen debitum non restituat, tunc enim debitor non liberabitur ab obligatione denuo restituendi, quia vere ipsius tantum delegatus fuit.

10 IV. Similiter si debitor, & creditor communi consensu statuissent aliquod signum ex pacto, quod per omnem personam exhibentem illud signum, res sit mittenda: & aliqua persona alio tali signo falso exhibito, rem sibi traditam non reddat domino, domino perit, & debitor liberatus manet: quia vi pacti, persona tale signum exhibens censetur unam personam cum domino facere: ideoque debitor illi personae debitum tradens, ipsi domino tradidisse censetur. Secus rursus esset; si debitor ipse alicui alteri manifestasset tale signum: tunc enim persona illa rem sibi traditam non reddente, ipse non liberabitur, sed denuo restituere cogetur: quia revelatio secreti signi (quae instar doli habetur) in causa fuit, quod creditor debitum suum non recipiat, ut notat etiam *Molina*.

§. III. *Debitum ex contractu, vel re accepta transmissum per personam fidelem habitam deputatam ab ipso debitore.*

11 I. Si quidem debitum reale sit, ac determinatum in individuo, v.g. haec vestis, hic scyphus, hic equus locatus, vel commodatus, haec numero pecunia deposita &c. si vel malitia illius personae, vel quocumque casu domino non reddatur, aut pereat, etiam domino perit, & debitor liberatus manet. *Communis DD. apud cit.* Et quoad commodatum habetur expresse in jure, L. argentum ff. commodati. *Argentum commodatum si tam idoneo servo meo tradidissem, ut non debuerit quis existimare futurum, ut a quibusdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meum, detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.* Haec ibi. Idem autem est, si res debita sit ex quocumque contractu, aut ratione rei acceptae tantum a possessore bonae fidei. Ratio est: quia talis res ita in specie, & in individuo determinata debita spectat ad actuale dominium domini, ut in deposito, commodato, locato, aut si talis res inventa, vel alias possessa sit bona fide; at omnis res, quae perit, domino perit: ergo si debitor bona fide transmittit per bajulum fidelem habitum, & non reddita est, ipse liberatus a restitutione manet. Intellige autem semper: dummodo ex parte debitoris in designatione talis personae intermediae omnis dolus, & culpa absit juxta dicta *cap.* 2. *de restitut. ex contractu.*

12 II. Quod si vero debitum ex contractu, vel re accepta personale, & indeterminatum sit in aliquo genere v. gr. centum floreni, tot modii frumenti ex mutuo, vel empto, transmissum per personam intermediam quantumvis fidelem habitam, etiam forte ex causa per Confessarium designatum a debitore, si ejus malitia, vel quocumque casu ad creditorem non perveniat, debitori perit, isque denuo restituere tenetur, & omni jure, & foro obligatus manet. *Omnes*. Ratio est, quia res personaliter tantum, & indeterminate debita alteri, ut centum floreni ex mutuo, vel empto, non est sub dominio creditoris, sed manet sub dominio debitoris tamdiu, quousque creditori reddatur, vel ad ejus manus perveniat immediate, vel mediate per bajulum ab ipsomet destinatum: atqui omnis res, quae perit, suo domino perit: ergo si debitor tale debitum misit per alterum a se delegatum, & qualicumque causa redditum non est, ipsi debitori perit, isque denuo alios centum florenos v. gr. solvere cogetur.

13 III. At, quid si debitum sit ex voto, vel juramento Deo factum, v. gr. vovisti, vel jurasti Deo calicem, vel pecuniam tantam dari Domini Lauretanae; misisti per virum, fidelem tibi putatum, sed ipse sibi retinuit: tu jam id resciens obligarisne mittere, & solvere votum tuum, vel juramentum? Resp. Minime. Ita (contra satis multos) cum aliis Diana *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 97. Tamb. *cit. c.* 1. §. 5. *n.* 9. Ratio est: quia satis in re morali ex Dei benignitate a te votum, vel juramentum adimpletum censendum est, mittendo per illam mediatam traditionem bona fide factam. Disparitas inter Deum, & hominem in simili saepe inculcata est. Interim mediator ille nequam semper obligabitur muneri suo satisfacere ex Justitia: si non faciet, peccabit is, non quidem contra votum, vel juramentum, quia ipse nihil vovit vel juravit, sed contra justitiam, ut patet. An etiam sacrilegio? Ita affirmant *Bonacin. Fagund.* apud Tamb. *cit. n.* 9. *in fine*. Eo quod res sit Deo destinata. Negant aeque facile alii, eo quod res nondum sit Deo sacra ex sola privata hominis voluntate Deo deputata.

14 IV. At, quid si mediator ille illam rem sine sua culpa amittat furto, latrocinio, vel alio casu improviso, obligaturne ad aliquid? Resp. Ad nihil obligari, si amittat rem determinatam in individuo acceptam, v. g. hunc calicem,

hunc aureum annulum, hanc numero pecuniam; aut si amittat totum cumulum pecuniæ, in quo pecunia a vovente data, una cum sua permixta erat. Ratio est, quia ipse non obligatur ex voto, vel juramento, quod solum parit personalem obligationem in ipso vovente, vel jurante. Non ex re accepta, quia jam rem amisit. Non ratione amissionis, quia hæc inculpabilis supponitur. Nec denique ex contractu speciali assecurationis, quia nullus intervenisse etiam supponitur: ergo ex nullo capite. Secus dicendum esset, si occasione illius pecuniæ alienæ, & votivæ, amisisset aliam pecuniam propriam: tunc enim quia suam pecuniam amisit, tenetur alienam votivam adhuc ad Domum Lauretanam deferre; quia illius amissionis infortunium nullo modo debet cedere in damnum Ecclesiæ, uti resolvit Tamb. *cit. n.* 10. *in fine*.

§. IV. *Sicut, & quodcumque debitum ex delicto, sic perditum, debitori perit.*

15 I. DEbitum ex delicto quocumque sive reale determinatum, sive personale, & indeterminatum in specie, & in individuo, transmissum per internuntium quamvis fidelem habitum, etiam Parochum, vel Confessarium, sive ejus malitia, sive quocumque casu domino non reddatur, vel pereat, debitori perit, isque denuo restituere tenetur. Ita contra paucos infra citandos, communis DD. Navar. uterque, *Tolet. Rebellus, Faber, Sylv.* aliisque citatis Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 6. *n.* 65. Mol. *tom.* 3. *disp.* 754. *n.* 2. *§. Quando per Confessarium*. Laym. Lugo *tom.* 1. *de Justit. disp.* 21. *sect.* 5. *à num.* 59. Ratio est: quia debitor ex delicto, hoc ipso, quia injuste accepit, & detinuit rem alterius, est vera, & voluntaria causa damni alterius, sive deinde res sua, sive alterius culpa, sive quocumque casu pereat, (simili tamen casu non certo peritura apud dominum, juxta alibi dicta) seu ad dominum non perveniat: semper enim verum est dicere, nisi delictum tuum præcessisset, & tu rem alterius injuste non detinuisses, res domino non periisset: ergo quocumque modo pereat, debitori ex delicto perit, consequenter is nunquam liberatur a restitutione. Et sane secundum omnes debitor iniquus non liberatur a restitutione, si res aliena apud ipsum omnino invitum, furto, rapina, incendio periisset, (saltem nisi similiter certo peritura fuisset apud dominum) ergo eadem, immo majori ratione non liberatur a restitutione, si res aliena ab ipso voluntarie tradita nuntio, vel etiam Confessario, ejusque malitia, vel quocumque casu pereat, vel domino non reddatur. Nec obstant, quæ videntur opponi posse.

16 Nam I. Verum est, rem debitam determinatam in individuo, v. gr. hic torques aureus &c. si pereat, suo domino perire. Sed adde: si sine culpa debitoris pereat, atqui hic præcessit culpa debitoris iniqui; & debitor ex delicto, seu possessor injustus primo instanti acceptionis, vel detentionis injustæ, semper est in mora culpabili solvendi: ergo res simpliciter ejus culpa perit. Neque enim censeri potest solo casu perire, quando interitus causa, & occasio fuit culpa, seu injusta ablatio, etsi postea absque ejus alia nova culpa, sola culpa alterius, vel casu pereat, & domino non reddatur. Secus esset, si res aliena absque omni culpa habita a debitore, postea casu pereat: tunc enim domino peribit, & debitor liberatus manebit, juxta dicta §. *præc. n.* 11.

17 II. Verum etiam est, debitorem in hoc casu, quando debitum ex delicto occulto per se ipsum sine periculo infamiæ, vel alterius incommodi restituere non potuit transmittendo per internuntium, vel Confessarium maxime fidelem habitum, fecisse quantum in se fuit, seu quantum potuit, & debuit. Sed intellige in ordine ad evitandum novum peccatum in illa restitutione sic bona fide facta: non item in ordine ad extinguendum debitum, & evadendam obligationem ex primo delicto ortam restituendi denuo, si ea ratione restitutio efficaciter non fiat, quia ex delicto præterito semper obligatur ad servandum dominum indemnem cum effectu.

18 III. Verum quoque est, eo casu cum debitor ex delicto occulto, ob periculum infamiæ, restituere non potest per se, dominum præsumi contentum, ut restitutio sibi fiat per Confessarium, vel aliam personam, maxime fidelem habitam. Sed utique semper intelligendo: *salvo jure suo:* ut quomodocumque res ad ipsum non perveniat, absque suo detrimento id fiat. Verum autem non est, dominum tunc perinde se habere, ac si personam intermediam ipse delegasset, cui res tradatur: tunc enim vi mandati haberet pro accepto debitum datum illi personæ intermediæ, adeoque remisisset jus ad damna secuta, si sibi res non redderetur. In proposito autem dominus non designavit personam, nec renuntiavit juri suo præhabito ex delicto alterius; sed solum tacite intelligitur consentire, ut debitor iniquus, eo modo restituere tentet, retenta tamen obligatione, & jure suo, ut, non suo, sed debitoris periculo fiat, si restitutio non succederet. Sententia re ipsa mihi verissima.

IV. Quia tamen fortassis quandoque præsumi posset creditorem, seu dominum rei velle remittere jus suum, si eo casu res tradita Confessario minime suspecto sibi non reddatur: ideo cum Tamb. *cit. lib.* 8. *tr.* 4. *§.* 5. *n.* 7. *in fine*, non audeo damnare oppositam sententiam, debitorem hoc casu liberari a restitutione denuo facienda. Ita absolute docent *P. Navarr.* (mutata priori sententia) *Rodriq. Reginaldus Filliuc. alii*, quos affert. Diana *p.* 2. *tr. sect.* 17. *Miscell. res.* 2. censens hanc sententiam esse tutam in praxi. Et non improbabilem censet etiam Lessius *lib.* 2. *cap.* 16. *dub.* 6. *n.* 67. Ratio modo indicata est, quia & tu fecisti, quantum potuisti: & creditor censetur tunc consentire huic transmissioni per hominem adeo fidelem putatum, perinde, ac si ipse designasset; & ideo velle cedere juri suo, si præter omnem opinionem res ei non tradatur, siquidem tu prudenter te gessisti. Sed tu bene pondera dicta superiora, & cogita: & ex dictis judica de uno, & altero casu hic incidente. 19

Casus incidens.

COnfessarius bona fide, & errore inculpabili ductus, tibi indicit pœnitenti, ut pecuniam, aliamve rem, quam Petro surripuisti, des pauperibus: tu prompte exequeris, eam mox integre pauperibus distribuens: postea sive idem Confessarius, re melius perpensa, sive alius doctior, tibi insinuat, incautum fuisse consilium: cum enim sciretur dominus, ipsimet res sua restituenda erat, & non pauperibus. Teneberisne iterum rem domino restituere, vel compensare? Respond. Omnino, quod sic, secundum Sententiam communem modo probatam: eadem enim omnino est ratio, quæ in casu fuit posita. Quod si tamen velis sequi sententiam modo propositam, certe cum Tamburino *ibid. n.* 8. non audeo, te iterum obligare. Ratio videtur esse, quod dominus non debeat esse invitus in tanta pietate tua, quin consentiat in illam eleemosynam, in ejus spirituale commodum erogatam: Et confirmatur: Nam alioquin si denuo restituas, plus restitues, quam debes, (ad quod justitia te nunquam obligat) quia dares nunc pecuniam illam ablatam; & insuper jam ante dedisti bonum illud spirituale eleemosynæ, quod jam cessit pro lucro spirituali domini. Supponitur autem semper hic bona fides, & Confessarii, & pœnitentis, alioquin certum est, obligationem non extingui, quin in defectum pœnitentis ipsi incumbere Confessario, juxta dicta *c. præced. Sect.* 1. *§.* 3. *de consulente ad damnum proximi.* 20

Casus incidens alius.

TItius æger famulo suo dat vas argenteum, ut suo nomine dono tradat Cajo. At famulus non tradidit, sed detinuit dolose usque ad mortem Titii domini sui. Quæritur hic, ad quidnam famulus obligetur? Molina *tr.* 2. *disp.* 263. *n.* 7. cum aliis multis docet a famulo duplicatam deberi restitutionem: Cajo enim donatario debet vasis æstimationem propter damnum, quod illi intulit, dum ei donum non tradidit, vel saltem ei non significavit, ut potuisset illud Cajus acceptare, vivente Titio, & sic jus in donum acquirere. Hæredibus autem Titii debet restituere ipsum vas argenteum, quia cum omne mandatum expiret morte mandantis, illud autem mandatum Titii ante illius mortem non habuerit effectum, jam nunc vas illud non pertinet ad Cajum donatarium, sed ad hæredes defuncti Titii: nisi forte donatio facta fuerit ad piam causam: tunc enim in favorem animæ præsumitur mandatum subsistere. Sic *Molina* & in rigore quidem verissime. Verum duplicata hæc restitutio dura nimis erit famulo. Ideo probabilis videtur Sententia Sà *v. Donatio num.* 25. & aliorum, cum Tamb. *cit. nu.* 12. Nimirum sufficere, si famulus reddat ipsum vas Cajo donatario, nihil hæredibus. Ratio est, quia satis probabile est, mandatum illud, cum sit favorabile, & gratia facta, non expirare morte mandantis, sicuti nec morte concedentis expirant cæteræ gratiæ factæ, ut sunt concessiones privilegiorum, dispensationum, Indulgentiarum &c. ut latissime docet Sanch. *l.* 8. *de Matrim. disp.* 28. præsertim *num.* 64. 21

SECTIO II.

Quo ordine restituendum.

SUMMARIUM.

22 Ordine restitutionis debita certa præferenda sunt incertis, ita ut habens plura debita prius restituere debeat certa debitoribus notis, postea de reliquo incerta, quousque se extendunt facultates, usque ad *n.* 26.

26 Pa-

26 *Pariter debita realia præferenda sunt personalibus*. Usque ad n. 29.
29 *Inter debita autem personalia, hypothecata præferenda sunt nudis, non hypothecatis*, usque ad n. 34.
34 *Similiter debita privilegiata præferenda sunt nudis*.
35 *Docetur sumarie, quæ, & quo ordine, ex bonis defuncti solvenda sint*. usque ad n. 40.
40 *Inter debita nuda, onerosa præferenda sunt gratuitis, ita ut quis prius solvere debeat debita contracta ex donatione, legato &c.* usque ad n. 43.
43 *Reliqua debita personalia nuda ejusdem rationis, scilicet nec hypothecata, nec privilegiata indifferenter solvenda sunt pro rata parte facultatis, & debitorum proportione geometrica.*
44 *Solvitur fundamentum oppositæ sententiæ.*
45 *Enumerantur quatuor casus, quibus debitor non potens solvere omnibus licite, solvit uni, vel pluribus integrum debitum ante alios, etiam priores creditores*. Usque ad n. 49.

22 Restitutionis ordo duplex statui potest. Unus ordo restituendi consideratur inter ipsos debitores, seu personas damnificantes, quæ scilicet cooperando damnum aliquod intulerunt: quonam ordine in solidum, vel pro rata restituere teneantur, hoc explicatum habes *c. præced. Sect.* 1. Alter ordo restituendi consideratur inter ipsa debita diversa, vel personas plures, quibus aliquid debetur, & unicuique restituendum est; quisnam modus servandus, seu quænam debita restitui, aliis præferri, & prius restitui debeant. Et quidem, si debitor habeat sufficientia bona, quibus omnibus creditoribus solvendo sit, nulla habenda est ratio ordinis, cuinam prius, vel posterius solvatur, dummodo enim solvatur cuivis, seu prima, seu ultima vice, justitiæ satisfit, & nulli fit injuria. Quando vero debitor non habet sufficientia bona, nec est solvendo omnibus, ut necessario aliqui debito suo in toto, vel in parte carere debeant, tunc certum est, justitiam, & æquitatem postulare, ut inter debita, & creditores aliquis ordo servetur, alioquin enim necessario aliis fiet injuria. Res maxime est juridica, & intricatissima: at sistendo intra terminos Theologiæ Moralis sit brevis, & clara

ASSERTIO II.

23 *Ordine restitutionis, cum debitor non est solvendo omnibus, præferenda sunt debita certa incertis; realia personalibus; inter personalia hypothecata, vel privilegiata nudis; inter nuda, onerosa gratuitis, maturata nondum maturatis in totum. Reliqua indifferenter pro rata parte debiti proportione geometrica*. Hæc assertio latissime patens labyrinthum continet difficultatum: sed conabor in communiori semper D. Sententia clare, & breviter procedere.

§. I. *Debita certa præferenda incertis in totum.*

24 Hoc est: Quando debitor habet multa debita, quorum aliqua sunt certa, quæ scilicet propriis creditoribus, vel dominis cognitis restitui possunt temporaliter, alia vero incerta, quæ scilicet propriis dominis, eorumve hæredibus, aut ignotis, aut alia de causa restitui non possunt temporaliter, sed eorum loco pauperibus, vel piis, usibus, is prius restituere debet debita certa creditoribus notis in totum, & postea de reliquo residuo debita incerta, quousque se extendunt facultates, totum, partem, vel omnino nihil. *Communis DD. S. Anton. Navar. utriusque*, aliisque plurimis congestis, Vasq. *opusc. de restit. c.* 11. *n.* 9. Less. *lib.* 2. *c.* 15. *dub.* 1. Laym. *cit. c.* 11. *n.* 1. Lugo *disp.* 20. *sect.* 1. *nu.* 2. Ratio est: quia domini, & creditores certi ex justitia commutativa proprie dictum jus habent ad debita sua exigenda, domini autem, & creditores incerti, ut tales, non possunt habere jus ad debita sua exigenda, ut sibi solvantur, ut nimirum eo statu est impossibile. Et licet eis competat jus exigendi, ut suo loco sibi debita restituantur pauperibus vel piis usibus pro salute sua, non possunt tamen præsumi, ordinarie saltem, id velle in præjudicium creditorum certorum, nisi in casu ex circumstantiis colligi possit, eos omnino velle potius debita sua incerta in pauperes, consanguineos, vel pios usus erogari, quam aliis creditoribus solvi: qua ratione contrarium docuit Molina *disp.* 760. Et notat Lugo *cit. n.* 5. Ipsi denique pauperes, Ecclesiæ, vel pia loca nullum ex se habent jus exigendi illa debita, nisi remotum, & valde imperfectum, quatenus scilicet debito rei incertæ, vel ex præsumpta domini voluntate, vel ex jure Ecclesiastico tenetur eis elargiri sua debita incerta: ergo debita certa præferenda sunt incertis.

25 *Excipe per omnem modum*: nisi res aliena in specie extet apud iniquum possessorem: hæc enim si vero domino restitui non possit, potius pauperibus vel Ecclesiæ tribuenda erit, quam ut ex tali re aliis certis creditoribus satisfiat. Ratio est, quia creditoribus certis debitor obligatus est tantum ex propriis bonis solvere, non ex alienis: res autem certa in specie apud iniquum possessorem detenta, vere est aliena, non enim facta est ipsius, sed mansit sui veri domini, quamvis ignoretur; ergo &c.

§. II. *Debita realia præferenda sunt personalibus in totum.*

Similiter quando debitor habet multa debita, aliqua realia determinata in specie, & individuo, cum scilicet ipsa res aliena in individuo apud debitorem existit, cujus proinde dominium apud creditorem, seu dominum remansit, ut est res habita ex contractu non conferente dominium ut pignore, deposito, commodato, locato &c. Item res inventa, bona fide accepta, acquisita per furtum, vel ex alio delicto formali, vel materiali: ea certis, ac propriis dominis integra restituenda est, priusquam reliquis debitis personalibus satisfiat, esto omnino nihil superesset, quo aliis creditoribus satisfiat. Communis apud *Molinam, aliique cit. omnes*. Ratio clara est: cum enim dominium illarum rerum manserit apud creditorem, seu dominum, illi soli restituenda erit, nec absque ejus injuria aliis creditoribus dari, vel inde satisfieri potest: nam alii creditores nullum omnino habent jus, ut eis ex rebus alienis, sed solum ex rebus illius debitoris satisfiat. 26

Hinc specialiter, si res empta, v. g. equus, domus, ager &c. adhuc apud emptorem existat, nondum persoluto pretio creditori, seu venditori ante omnes alios restituenda sunt: idque secundum omnes, quando venditio facta est simpliciter per traditionem equi, & nudam, seu non assecuratam promissionem pretii, quia tunc dominium rei venditæ non transivit in emptorem, sed apud venditorem remansit, quousque pretium solvatur. Secus est, quando venditio facta est per traditionem rei, & pretii promissi assecurationem, per pignus, vel hypothecam, vel fidejussionem alterius: tunc enim dominium rei venditæ plene transivit in emptorem, & debitum pretii fit mere personale aliunde sufficienter assecuratum. 27

At: quid si venditio facta fuit per traditionem rei, & pretii, non quidem assecurationem, per pignus, & fidejussionem, sed per fidei habitionem creditoris ipsius, utpote qui pretium pro soluto habuit, vel emptoris fidem secutus est, ubi etiam dominium rei venditæ ad emptorem transit? Etiam tunc nondum persoluto pretio, adhuc debitum præferendum esse aliis debitis personalibus, docet communior DD. *Cajetan. Sylvest. Navarr. Rebell. Bonacina*, alii cum Lessio, *lib.* 2. *c.* 15. *dub.* 2. Eo quod creditor fidem habens pretio promisso, videatur habere tacitam hypothecam in re vendita, quousque pretium solvatur: ideoque in re ipsa restituenda, vel ejus pretio solvendo, aliis creditoribus præferri debet. Verum, quia illa tacita hypotheca nullo jure ostendi potest, ideo æque probabilis est opposita Sententia, negans tale debitum præferendum esse aliis personalibus debitis. Ita cum aliis Molina *disp.* 536. Vasq. *c.* 1. *de rest. dub.* 1. *n.* 19. Laym. *cit. c.* 11. *n.* 2. Lugo *disp.* 20. *Sect.* 2. 28

§. III. *Inter personalia, debita hypothecata præferenda nudis in totum.*

Inter debita personalia, & indeterminata in aliquo genere, ut maxime pecunia, vinum &c. ex mutuo, vel vendito, aliqua sunt hypothecata, aut hypotheca expressa quando debitor in fidem solutionis expresse obligat rem, vel res suas, aut pignus dat, aut hypotheca tacita, quando absque expressione debitoris, tamen ex dispositione juris, res debitoris intelligitur obligata creditori in securitatem solutionis: sic uxor habet tacitam hypothecam in bonis mariti in securitatem dotis: pupillus habet tacitam hypothecam in bonis Tutoris: Ecclesia, Hospitale &c. similem tacitam hypothecam habent in Bonis Curatoris &c. Et utraque hypotheca aut est generalis, qua omnia bona debitoris præsentia, & futura obligantur; aut est specialis, qua solum res aliqua debitoris determinata, hæc domus, hic fundus &c. obligatur. In his, quantum est ex natura rei talis est ordo. 29

I. Inter debitores hypothecarios, habentes hypothecam expressam, præferuntur habentibus tacitam tantum; similiter habentes generalem habentibus specialem tantum. Item plures aut similem habentes hypothecam, aut expressam, aut tacitam, aut generalem, aut specialem: ille præferendus est, qui antiquius habet debitum: hic enim maxime valet *regula juris* 54. *in* 6. *Qui prior tempore, prior jure*. Et ratio posterior non potest tollere jus alteri jam prius acquisitum. Excipiuntur tamen varii casus in Jure: qui quia sunt meri juris positivi, ac juris externi, & pro diversitate locorum variantur, partim videri possunt apud *Author.* 30

thor. cit. passim; partim potius interrogandi sunt in casu forte occurrente ex Jurisconsultis, & Officialibus locorum.

31 II. Omnia debita hypothecata ipso jure naturæ præferuntur omnibus aliis debitis nudis, vel chirographis tantum, non hypothecatis. Ratio evidens est: quia creditores hypothecarii non solum debitorem, seu personam ipsam, sed etiam rem ipsius obligatam habent: alii autem creditores non hypothecarii, sed chirographarii solum ipsam personam debitoris obligatam habent, quamvis talis obligatio chyrographo proprio, instrumento publico, testimonio, vel debitoris confessione probetur. *L. Eos, C. qui potiores in pignore*.

32 III. Post debita hypothecata in foro externo etiam præferuntur aliis debita solemnizata, seu publico instrumento coram judice, notario, & testibus facta: sed hæc nihil ad nos.

33 IV. Tandem debita alia privilegiata, quæ omnibus aliis debitis personalibus etiam hypothecatis præferuntur.

§. IV. *Item debita privilegiata præferenda nudis sunt in totum.*

34 Rursus inter debita personalia sunt aliqua privilegiata, seu speciali juris privilegio omnibus aliis personalibus debitis præferenda. Utpote

35 I. Ex bonis defuncti ante omnia alia debita quomodolibet hypothecata solvendæ sunt expensæ funeris. *L. penultima, ff. de religiosis, & sumptibus funerum*.

36 II. Expensæ necessariæ ad confectionem inventarii, & ad apertionem testamenti: item Medicorum salaria, vel honoraria, & pharmacorum pretia. Communis DD. ex *L. ultima §. in computatione. C. de jure deliberandi*. Rationem mox dabo.

37 III. Plerisque locis, maxime in nostris partibus, servitiorum, & operariorum ad necessarium usum conductorum mercedes, reliquis omnibus debitis secundum æquitatis rationem præferuntur. Vide Vasquez *de restit. cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 8.

38 IV. Tandem sequuntur, & aliis in totum præferuntur, debita legitima Superiorum. Ratio omnium horum est: quia ejusmodi debita adeo necessaria non censentur contracta in fraudem antecedentium creditorum. Et alioquin nemo reperietur, qui indigentibus tali obsequio ministrare, vel id præstare vellet, si de solutione jure prælationis certus non esset.

39 Cæterum alii creditores a jure privilegiati sunt, ut totum debitum suum postulare possint; antequam alii creditores chirographarii tantum, non hypothecati, vel similiter privilegiati admittantur: ut est ipsa Respublica creditrix: qui illam pecuniam deposuit ad depositarios apud respublicas constitutos: qui ad navem instruendam, vel emendam, pecuniam credidit, aut ædificia publica &c. privilegium prælationis habet, quæ ex juribus allegatis videri possunt apud Laym. *cit. num.* 6. stricte. Multis locis privilegium prælationis habent etiam Hospitalia, Ecclesiæ, & similia loca pia in suis debitis, prout etiam hic Passavii statutum est.

§. V. *Inter nuda debita, præferenda onerosa gratuitis in totum.*

40 Nimirum inter debita personalia indeterminata nuda, & simplicia, scilicet nec hypothecata, nec privilegiata, ea, quæ sunt ex contractu oneroso, ut emptione, mutuo, locato, censu, &c. item ex delicto, ut furto, usura &c. præferuntur in totum iis, quæ sunt ex contractu gratuito tantum, ut donatione, legato &c. *Communis DD. apud citt.* Ratio est: quia omnis contractus gratuitus, promissio, donatio, legatum, &c. alicui factus, habet annexam tacitam conditionem: *Nisi aliquid obstet, quo minus res promitti, vel tradi, vel solvi possit*: atqui, quando supervenit inopia debitoris gratuiti, ita ut non sit omnibus solvendo, jam aliquid obstat, quo minus donatario, vel legatario res gratuito promissa solvi, vel tradi possit, nimirum obstant alia debita ex contractu oneroso, vel delicto, quorum omnino strictior est obligatio: creditores enim ex contractu oneroso, vel delicto habent jus ad rem sibi debitam, tanquam aliunde suam, utpote quæ vel ante erat sua, & ablata est, pretio non soluto; vel pro qua jam pretium solverunt: ideoque suo debito privari non possunt absque positivo suo damno: creditores vero, vel promissarii gratuiti non habent jus ad rem contractu gratuito promissam tanquam aliunde suam, vel sibi debitam, sed ex mera gratuita, & libera voluntate promittentis, donantis, vel legantis, ideoque tali debito absque omni suo positivo damno privari possunt: ergo debita ex contractu oneroso, vel delicto, naturali jure, & æquitate in totum præferenda sunt debitis ex contractu gratuito tantum.

Sed numquid etiam inter debita ex contractu oneroso, 41
& ex delicto, ordo servandus erit? D. Thomas *opusc.* 37. *c.* 18. vult prius solvenda esse debita ex delicto. Nav. autem *c.* 17. *num.* 53. contendit prius debita ex contractu esse solvenda. Communis jam Sententia negat, ordinem servandum esse inter ea debita, sed indiscriminatim solvendum esse pro rata ratione facultatis. Ita *Sylv. Angel. Petr. Navar. Laym. Lugo ll. sæpe citt.* Et ratio est: quia neque jura exprimunt, neque ratio aliqua convincit inter creditores ex contractu, & delicto ordinem aliquem prærogativæ, vel prælationis locum esse: cum utriusque generis debita æqualiter sint ex justitia. Quod autem creditor ex delicto censeatur magis esse invitus sibi debitum suum, seu rem injuste ablatam non reddi, quam debitor ex contractu, qui voluntarie rem suam alienavit, potest quidem augere obligationem restituendi intensive, ita ut magis peccet non restituens debitum ex delicto, quam non restituens debitum ex contractu: non tamen potest augere obligationem restituendi extensive, ita ut plus, vel potius, ante alium, & in præjudicium alterius creditoris ex contractu debeat restituere debita ex delicto; justitia enim in quantitate restituendi non respicit alterius, scilicet creditoris animum, magisne, an minus invitus sit, sed solum respicit alterius jus, & quantum ipsi debeatur: utrivis autem creditori debetur res sua simpliciter, sive ex contractu, sive ex delicto debeatur.

¶. Tandem inter debita nuda ex contractu nimis clarum est, maturata, quorum scilicet solvendi terminus 42
jam elapsus est, in totum præferenda, & prius solvenda esse, quam debita maturanda, quorum terminus nondum impletus est.

§. VI. *Reliqua indifferenter pro rata parte facultatis, & debitorum, proportione geometrica.*

Debita personalia ejusdem rationis nuda, scilicet nec 43
hypothecata, nec privilegiata, nec ratione contractus onerosi, vel gratuiti diversa, solvenda sunt pro parte rata secundum proportionem debitorum, & facultatum debitoris, quousque nimirum se facultates extendunt, dividendo in partes majores, & minores proportionaliter respondentes debitis ipsis majoribus, & minoribus, idque indifferenter, nulla habita ratione, utrum tempora priora, vel posteriora sint, prius vel posterius petantur: adeo ut si debitor, qui omnibus se solvendo imparem novit, uni creditori præ aliis in totum solvat, nulla suadente necessitate, in fraudem aliorum agere, & injuriam iis inferre censeatur. Ita communis DD. *S. Antonin. Sylv. Angel. Reginald. Nav.* uterque, aliis citatis Molina *tom.* 2. *disp.* 536. §. *quando creditores*. Less. *cit. cap.* 15. *dub.* 6. *nu.* 44. Laym. *cit. cap.* 11. *num.* 6. Etsi contra sentiant, & debita prius contracta, & petita præferenda censeant graves DD. *S. Thom. Medina, Gabr. Tolet. Sa, Valentia, Suarez*, aliisque citt. Lugo *citt. disp.* 20. *sect.* 7. §. 2. Ratio nostræ communis sententiæ est: quia creditores debitorum mere personalium habent æquale jus in personam debitoris immediate, & in ejus bona mediate, & indeterminate tantum: neque enim ex eo, quod unus creditor alio prior, vel posterior sit, habet majus, vel minus jus in debitoris bona, vel certam partem bonorum ipsi propriorum, & nulla hypotheca obligatorum: ergo creditoribus personalibus æqualiter satisfaciendum est pro rata parte, proportione debitorum, & facultatum.

Neque fundamentum urget oppositæ Sententiæ: nam 44
Regula illa allegata juris: *Qui prior tempore, prior jure*, solum locum habet inter illos, qui habent jus ad eandem rem determinatam sibi ex pacto obligatam: ut in sponsalibus repetitis, prior sponsus præfertur posteriori: & in venditione ejusdem rei absque traditione pluribus facta, prior emptor præfertur posteriori: In locatione domus v. g. primus conductor posterioribus; unde est illud vulgare. *Qui prior venit ad molendinum, prius molit*. Et magis ad propositum in debitis hypothecatis prior creditor præfertur posteriori similem hypothecam habenti, quia singuli habent jus ad eandem rem determinatam sibi in specie obligatam; unde merito jus prioris præferri debet juri posterioris; imo posterior in æquali causa non potuit præjudicare juri prioris jam antea acquisito. At vero in debitis mere personalibus, quæ solum personam debitoris immediate obligatam habent, & mediate, & indeterminate tantum in ejus bona, creditores nullum acquisiverunt jus in ejus bona, vel partem bonorum determinate, sed solum quilibet indifferenter jus habet ad petendum suum debitum, ideo omnibus satisfaciendum erit æqualiter, vel in totum, si facultates debitoris sufficiant, vel pro rata parte secundum portionem debitorum: neque enim jus prioris creditoris præjudicare potuit

juri posterioris ad exigendum suum debitum. Accedit jam communis praxis, saltem in Germania nostra, in solutione ejusmodi debitorum personalium, & indeterminatorum. Interim tamen, non tantum creditor quivis semper jure accipere potest, quod ipsi a tali creditore ultro offertur quacumque de causa, nec tenebitur postea aliis creditoribus debito suo in toto, vel in parte defraudatis aliquid restituere, nisi ipsemet debitorem prævisa impotentia omnibus satisfaciendi, ad solvendum sibi totum præ aliis vi, vel fraude induxisset, uti cum aliis optime notat Laym. *cap.... num. 6.* Verum etiam plures casus sunt, quibus debitor non potens solvere omnibus, licite poterit solvere uni, vel pluribus integrum debitum ante alios, etiam priores creditores absque eo, quod censeatur solvere in fraudem creditorum aliorum. Enarro breviter.

45 *Primus est*: Si unus creditorum debitum suum exigat, aliis (etiam magis privilegiatis) tacentibus: quia creditor vigilando, & exigendo, meliorem suam conditionem fecit. Jus enim civile vigilantibus scriptum est, ideoque non revocatur ab eo, quod ante alios creditores accepit. *L. Pupillus, ff. Quæ in fraudem creditorum.* Excipitur: Dummodo alii creditores hypothecam meliorem non habeant. Vide *citatos*.

46 *Secundus*: Si unus creditorum personalium longe aliis pauperior, & in gravi necessitate constitutus sit, poterit lege Charitatis permittente in foro conscientiæ, huic totum debitum solvi præ aliis, seclusa alia ordinatione Judicis, uti probabilissime docent D. Thomas *opusc. 73. cap. 8. Sylv. Sa* aliisque citt. Laym. *cit. num. 7.* contra Lessium *dub. 7. num. 46.* & alios oppositum docentes: & vere quidem, quando pauperior creditor esset non in gravi, sed communi tantum necessitate: talis enim pauper neque jure naturali Charitatis, neque ullo jure positivo habet jus prælationis, ideoque alii creditores essent rationabiliter inviti, ipsi in eorum damnum, & præjudicium ante se totum solvi.

47 *Tertius*: Si debitis gravatus ante alios creditores solvat aliquid, unde ejus facultates diminutæ non sunt, ut si pro ædibus emptis justum pretium solvat. Si famulis, vel operariis mercedem pactam solvat, qui tantumdem commodi in bonis debitoris adferunt; inde enim aliis creditoribus nullum damnum infertur, ut ex Navar. *cap. 17. num. 270.* & aliis notat bene Laym. *cit. cap. 11. num. 8.* Quia etiam famuli, vel operarii, qui bona fide operas suas conduxerunt, etsi advertant, dominos ex eo famulatu impotentes reddi ad restitutionem aliorum debitorum, debitam sibi mercedem petere licite possunt, *secundum omnes*. Neque tenentur ob id a famulatu discedere, ut contra aliquos docet Molina *tom. 2. disp. 30. §. juxta hæc*, & alii. Neque enim tales famuli contra justitiam peccant, si a dominis rogati in servitio perseverantes justam mercedem accipiant; sed neque contra Charitatem, si res ita comparata sit, ut licet ipsi famulatum non præstent, alii tamen non defuturi sint, qui operam suam conduci patiantur.

48 *Quartus*: Si debitis gravatus aliquid expendat ad ea, quæ necessaria sunt ad vitam, famam, statum, juste acquisitum conservandum, nullam injuriam creditoribus infert. Sic enim ex suis bonis comparare non prohibetur vestes, pharmaca, cibos, aliave ad sui, uxoris, liberorum, & necessariæ familiæ sustentationem, equos, item & famulos ad status conservationem necessarios: *juxta Communem DD.* Cæterum, qui debitis gravatus, & solvere impotens, uxori ac liberis contulit ad necessariam sustentationem, studia litterarum &c. siquidem liberi, vel uxores propria bona non habeant, nihil postea tenebuntur restituere creditoribus debito suo fraudatis, uti ex communi notat Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 4. num. 29.* nam paterfamilias ex justitia obligatus est liberos, & uxorem alere, necessaria impendere: ergo liberi, & uxor hoc suum debitum accipere possunt ex ejus bonis, nullo reali vinculo obstrictis, absque præjudicio aliorum creditorum, etsi postea non integre solvendorum. Quod si vero uxor, & liberi gratuitas donationes, aliosve sic superfluos, aut non debitos sumptus acceperunt, omnino restituere debebunt creditoribus, alioquin debito suo fraudandis, si intra legitimum tempus exigant, de quo forte alibi plura. A fortiori, & strictius longe restituenda erunt, quæ uxores, & liberi seu vivente, seu defuncto marito, de bonis ejus in fraudem, & damnum creditoris surripiunt, & ut, ajunt, ad carceres ponunt, communi quidem, sed iniquissima praxi: nisi quandoque eos vere gravis necessitas excuset.

SECTIO III.

Causæ excusantes a restitutione, ut vel differri, vel omnino omitti possit.

SUMMARIUM.

50 Usque ad n. 53. *Assignantur tres regulæ universales pro differenda, vel omnino omittenda restitutione.*
53 *Causæ excusantes a restitutione, ut, quamdiu durant, licite differri possit, generaliter sunt quatuor: nimirum*
54 I. Ignorantia *inculpabilis.*
55 II. Impotentia.
56 III. Necessitas propria, &
57 IV. Damnum *ipsi creditori, vel tertio, aut Communitati ex restitutione secuturum.*
58 Necessitas propria *excusat. I. quoties restitutio fieri non potest absque damno, vel periculo salutis.*
59 *Unde non est obligatio* statim *restituendi cum damno spirituali animæ*, & 60.
61 *Nec cum damno vitæ, vel incolumitatis corporalis.*
62 *Nec cum jactura famæ, vel libertatis.*
63 *Quando vero quis sine periculo infamiæ restituere potest saltem per Confessarium, vel aliam personam tertiam, tenetur.*
64 *Item* II. necessitas propria *excusat etiam ad differendam restitutionem, quando ea fieri non potest absque mutatione status honesti juste acquisiti.*
65 *Quando enim quis deberet totaliter mutare statum suum,*
66 *Juste, & honeste acquisitum: secus, si quis statum suum injuste v. gr. fraude, dolo, usuris, furtis, rapinis, bello injusto, &c. comparasset.*
67 *Talis enim tenetur restituere totum, quantum citra extremam necessitatem carere potest; nisi periculum infamiæ excuset.*
68 *Quæ omnia extendenda sunt etiam ad hæredem malæ fidei.*
69 *Denique* III. necessitas propria *etiam excusat ad differendam restitutionem, quando ea fieri non potest absque damno gravi in bonis temporalibus.*
70 *Quoties, & quamdiu scilicet debitor* in bonis propriis *deberet pati.*
71 *Damnum inde* majus, *quam creditor &c.* Usque ad 74.
74 *Idque verum est in quocumque debito, sive ex contractu, sive ex delicto*, & 75.
76 *At quid, si uterque simul in extrema necessitate versentur, & debitor, si restituat, & creditor, si ei non restituatur?* & 77.
78 *Probabilius eo casu adhuc debitor non obligatur restituere.*

Causæ excusantes, vel non excusantes a restitutione facienda, hactenus sparsim toto tractatu præsertim *cap. præced. de circumstantiis*, plurimæ in particulari indicatæ sunt, si meminisse potes. Ut autem hic in loco proprio ex professo omnes causæ excusantes, ut restitutio, vel differri, vel omnino omitti possit, ad certa capita revocari possint, regula aliqua generalis omnium directiva assignanda est: & variæ assignantur a Doctoribus. 49

Regula prima communis est: Bona inferioris ordinis non sunt restituenda cum notabili damno bonorum altioris ordinis. Regula verissima est, sed non omnino universalis, ut patebit, & adhuc indiget probatione. 50

Alia Regula est: Nemo tenetur restituere cum suo notabili, & majori detrimento, quam sit creditoris commodum ex restitutione facta. Alii sic universalius extendunt: quando debitor vel omnino non habet, unde solvat, vel restituat, vel restituere non potest nisi cum notabiliter graviori damno sibi, vel suis, vel Reipublicæ inferendo, restitutio differri, vel nisi potentia cesset, omnino omitti potest. Neque hæc regula, licet verissima, omnino universalis est, ut patebit: & adhuc sua probatione indiget. 51

Regula ergo universalissima per se nota, seu nulla probatione indigens, sed ipsas priores regulas probans, assignatur a *Scoto* mox citando communissime recepta. Quotiescumque dominus, seu creditor rationabiliter contentus esse debet, quod restitutio differatur, vel omittatur; poterit etiam differri, vel omitti, licet ille reipsa invitus sit, Scotus 4. *disp. 15. quæst. 2. art. 4. §. de quinto num. 33.* sic habet: *Illi casus* (scilicet excusantes a restitutione statim facienda) *continentur sub hac maxima: Licet detinere rem alienam, quando ille, cujus est, debet rationabiliter velle eam detineri. Sed in quibusdam casibus hoc debet velle aliquis, etiam rationabiliter, scilicet rem suam detineri ab alio de facto posita jam restituendi voluntate, cum circumstantiis opportunis: ergo &c. Debet enim velle quilibet sibi restitutionem non fieri tunc, quando est in præjudicium communitatis, vel ipsius recipientis restitutionem, quia de-* 52

bet

bet velle bonum suum, bonum commune, & ita dilationem aliqualem illius restitutionis boni utilis, ut servetur majus bonum. Debet etiam velle non fieri restitutionem tunc, quando esset in diffamationem restituentis, quia debet magis velle famam proximi, quam illud modicum commodum suum statim &c. Hæc Scotus. Quam regulam *Scoti* (ait Petr. Navar. apud Laym. cit. cap. 12.) ut clavem, vel maximam in hac materia sibi statuunt *Sylv. Gabr. Medina, & cæteri DD.* Et nos igitur super eam statuamus duas Assertiones hac, & sequenti Sectione, universas causas a restitutione excusantes, 1. ut differri, 2. ut omitti possit, complectentes.

ASSERTIO III.

53 Causæ excusantes a restitutione, ut quamdiu durant, licite differri possit, generaliter sunt hæ quatuor. *Ignorantia, impotentia, necessitas propria, damnum creditori ipsi, vel tertio, aut Reipublicæ secuturum ex restitutione.* Excusat autem necessitas propria ad differendam restitutionem, quoties restitutio nunc fieri non potest. 1. Absque damno, vel periculo salutis animæ, vitæ, vel sanitatis corporalis, famæ, vel libertatis. 2. Absque mutatione status honesti, & juste acquisiti. 3. Absque damno in bonis temporalibus propriis gravi, & majori, quam sit damnum domini, vel creditoris ex dilata restitutione: idque in quocumque debito sive ex contractu, sive ex delicto materiali, vel formali: quamvis debitor ex delicto adhuc ad interesse obligetur, non item debitor ex re accepta, vel ex contractu tantum. *Est tota in re communi*, ut patebit explicando, & probando singula.

§. I. *Causæ excusantes ad restitutionem differendam generaliter sunt hæ quatuor.*

54 I. Ignorantia: Nimirum probabilis, & inculpabilis, cum bona fide conjuncta, eaque aut facti, ut si ignores, quod res sit aliena, quod hanc rem sibi donans, vel vendens eam furatus sit; aut *juris*, ut si ignores, quod creditore defuncto debitum adhuc restituendum sit hæredibus, aut res inventa sit restituenda suo domino cognito &c. de hac causa satis late actum est *cap. 2. sect. 3. de restit. ex delicto materiali, ex re accepta a possessore bonæ fidei facienda*; ubi etiam de incipiente dubitare: quæ recole.

55 II. *Impotentia:* Quando scilicet aliquis omnino pro tunc non habet, unde solvat, vel restituat quodcumque debitum sive ex delicto, sive ex contractu: nam impossibilium nulla est obligatio. Et, ad impossibile nemo tenetur: dummodo semper adsit, & maneat voluntas restituendi imposterum, cum facultas, seu melior fortuna supervenerit. Hæc causa nullam habet difficultatem.

56 III. *Necessitas propria:* cum quis scilicet, etsi habeat unde restituat, restituere tamen non potest, nisi cum animæ, corporis, famæ, vel libertatis, status juste acquisiti, aut bonorum temporalium jactura, vel damno graviori, quam sit commodum ex restitutione proventurum domino, vel creditori. Hæc causa latissime patens mox distinctis §§. prosequenda est.

57 *Quarta:* Damnum ex restitutione proventurum aut ipsi creditori, aut alicui tertio, aut toti Communitati. Hæc causa satis explicata est *cap. præced. sect. 2. §. 1. & 3. cui restituendum*. Vides jam omnium harum causarum unam causam esse generalem illam regulam *Scoti*, quia scilicet ejusmodi causis subsistentibus, creditor non potest, vel non debet esse invitus rationabiliter rem suam ab alio detineri, vel sibi non restitui, quamdiu nimirum illæ causæ subsistunt. Excusant ergo hæ causæ ad differendam restitutionem, quamdiu durant, & subsistunt, interim quasi sopita, vel dormiente obligatione restituendi. At vero postquam cessant istæ causæ, denuo evigilat, & reviviscit obligatio, præceptumque restitutionis. Si in aliquo casu non cessarent, excusabunt omnino, & restitutio etiam omittenda foret. Cæteris ergo jam aliunde patentibus, tertia causa necessitatis propriæ modo prosequenda est.

§. II. *Excusat necessitas propria, quoties restitutio fieri non potest.*

58 Absque damno, vel periculo salutis &c. Certum apud omnes: Ratio jam indicata est. Quia nullus sanæ mentis potest rationabiliter velle sibi bona sua inferioris ordinis statim restitui cum notabili detrimento bonorum superioris ordinis debitoris; hoc enim directe repugnat ordini Charitatis: quin potius rationabilissime velle debet, eo usque ab altero detineri rem suam, undecumque debitam, donec sibi absque detrimento bonorum altioris ordinis restitui possit: atqui bona animæ, corporis, famæ, vel libertatis, omnia sunt altioris ordinis, quam bona fortunæ temporalis, vel externa proximo ex contractu, vel delicto restituenda: ergo sicut ex ordine, & lege naturali Charitatis nemo tenetur cum proprio damno bonorum animæ curare proximi bona corporis, aut cum damno proprio bonorum corporis procurare proximi bona famæ, vel fortunæ: ita etiam ex ordine & lege naturali Charitatis nemo tenetur restituere proximo bona fortunæ debita cum proprio damno bonorum animæ, famæ, vel libertatis, sed quousque periculum ejusmodi gravioris damni perseverat, juste, & rationabiliter restitutio differri potest, vel etiam debebit. Itaque in particulari.

I. Non est obligatio statim restituendi cum damno spirituali, vel periculo salutis animæ; ut si debitor, ablatis omnibus per restitutionem esset lapsurus in desperationem, aut sustentationem mediis illicitis quæsiturus; uxor, & filiæ præ inopia se sint prostituturæ, filii latrones futuri &c. Quia longe major est obligatio consulendi saluti animæ suæ & suorum, quippe sine altioris boni comparatione, quam servandi propriam, vel alterius vitam corporalem, quam statim restituendi sua bona, vel debita temporalia &c. 59

At, quid si ejusmodi damnum, vel periculum spirituale semper perseveraret? Resp. Casum fore rarissimum: quo tamen posito, omnino posse omitti restitutionem, probabiliter docet cum *Rebello Tambur. lib. 8. tr. 4. c. 1. §. 9. nu. 3.* Dummodo diligenter adhibeantur remedia, ne illa mala perseverent, & restituatur saltem pars, quæ sine magno incommodo ejusmodi restitui potest, & creditori inde grave damnum non emergat: his enim positis curret omnino, & urgebit regula nostra generalis. 60

II. Neque est obligatio statim restituendi cum damno vitæ, vel incolumitatis corporalis, idque non tantum in necessitate extrema, ut si debitor facta restitutione fame periturus sit, aut defectu medicinæ comparandæ morbo absumendus &c. sed etiam in necessitate gravi, utpote si vitam misere toleraturus, statu suo juste acquisito excisurus, de quo mox iterum. Omnes cum *D. Thom. Scoto, aliisque cit.* Ratio est: quia etiam hic maxime habet locum regula nostra generalis: cum enim creditor ipsi debitori in extrema necessitate constituto ex lege Charitatis sub mortali subvenire teneatur, multo magis rationabiliter contentus esse debet, & invitus esse non potest, si debitor ad extremam, vel gravem suam necessitatem sublevandam restitutionem differat, servata semper voluntate restituendi deinceps, cum necessitas cessaverit. 61

III. Neque facienda est statim restitutio cum jactura famæ, vel libertatis, ut si debitor restituere nequeat, nisi seipsum vendendo pretium comparet, si restituendo veniat in suspicionem occulti criminis, indeque diffamandus, aut forte etiam capiendus, Judici tradendus, plectendus esset. Ratio clara ex dictis: quia etiam fama, & libertas sunt bona altioris ordinis, quam bonum fortunæ alteri debitum, consequenter alter non potest rationabiliter velle, ut cum periculo, & jactura famæ, & libertatis restitutio sibi fiat, & non differatur, quousque tale periculum cesset. Quod si tale periculum numquam possit cessare (ut fere fit, quando adultera spurium genuit in damnum mariti, & legitimorum liberorum, de quo alibi) cessare etiam debebit obligatio. Hic tamen advertendum. 62

IV. Quando aliquis quidem per se ipsum non potest restituere sine certo periculo infamiæ, potest tamen reddere per Confessarium, vel aliam personam tertiam idoneam juxta supra dicta: aut licet sine periculo infamiæ non possit reddere ipsam rem sine infamia ablatam, potest tamen reddere ejus valorem, vel pretium, omnino tenetur facere, quod potest, & quomodo potest, tunc enim cessat ratio diutius differendi restitutionem. *Deinde* damnum infamiæ debet esse notabile ad hoc, ut a restitutione facienda excusare possit: est autem vere notabile, quando debitor vere est in possessione bonæ famæ suæ; quod si enim quis jam antea non fuit integræ famæ, sed jam infamis de furtis, v. g. rem alienam occultam non potest restituere sine manifestatione novi sui furti, tenebitur restituere, non obstante illo aliquali augmento infamiæ suæ, id enim censetur non esse damnum notabile homini jam antea infami. Addunt non improbabiliter *Sotus, Adrianus, Valentia*, eosque secutus Tanner. *disp. 4. de justit. q. 6. dub. 15. n. 434.* & alii, famam etiam integram alicujus vilis hominis adeo posse esse parvi momenti, ut non obstante jactura ejus, adhuc restituenda sit ingens aliqua summa ablata: quamvis enim fama sit altioris ordinis, quam bonum temporale ex genere suo, in particularibus tamen circumstantiis plus potest valere ingens bonum temporale, sicut aurum ex genere suo plus valet, quam argentum; ingens tamen summa argenti plus valet, quam parva quantitas auri. Verum id probabilius negant alii, universaliter docentes, numquam esse obligationem restituendi bonum temporale cum læsione famæ integræ. 63

§. III. *Abs-*

§. III. *Absque mutatione status honesti, & juste acquisiti.*

64 NEcessitas, nimirum propria, etiam excusat ad differendam restitutionem, quoties, & quamdiu aliquis ad hoc, ut possit restituere, deberet totaliter mutare statum suum justum, & honestum. *Communis DD. apud citt.* Ratio patet ex dictis: is enim, qui deberet statum suum mutare, vere est in gravi necessitate, qua proinde durante, creditor non potest rationabiliter velle sibi debitum solvi, cum tanta proximi jactura. Deinde, talis mutatio status vix unquam potest fieri sine infamia, vel dedecore gravi debitoris, filiorum, ac familiæ: sed infamiæ periculum excusat ad differendam saltem restitutionem; ergo &c. Sed notanter per omnem modum dictum est.

65 I. *Si deberet totaliter mutare statum suum:* Ut si homo nobilis, dimisso omni famulitio, divendita omni supellectili, domo, equis &c. deberet aliis servire, artem mechanicam, aliudve officium statui suo indecorum exercere, si artifex, vendita supellectili, vel instrumentis mechanicis, deberet servire, aut mendicare &c. Si enim ad restitutionem statim faciendam nemo tenetur mutare statum suum, neque ad id a Confessario obligari potest. Secus est: si solum deberet diminuere statum suum, v. g. remittere de splendore apparatus, conviviorum, famulorum, equorum, ludorum &c. quæ non ad statum simpliciter, sed solum splendorem, & pompam status necessaria sunt. Sic enim debitor omnium consensu tenetur diminuere statum ad restitutionem faciendam, quia ab illa solum excusat vera necessitas: at solum diminuere statum, quoad pompam, & splendorem non est necessitas, sed molestia potius. Unde sane in pessimo statu versantur, & a Confessario graviter reprehendendi sunt, qui debitis obstricti, nihil tamen de status splendore, & luxu remittunt, &, ut ajunt, alios, quomodo solvantur, curare sinunt; &, quod pejus est, vix aliquando de hoc in confessione se accusant; revera enim in tali statu perseverare volentes, absolvi non possunt, cum hoc ipso alienum injuste detineant, quod restituere adeo non curant; & insuper obligationem contrahant de interesse, juxta dicta superius.

66 II. Dictum est: Si debeat mutare statum suum *juste, & honeste acquisitum:* utpote hæreditate, industria, labore, officio, ut si Dux belli iniquas rapinas possideat, si propriis dominis restituat, officio, vel militia cedere cogetur, non sine Reipublicæ detrimento, aut non sine jactura sui status, & dignitatis, quam militari sua industria comparavit; & denique non sine gravi sui dedecore, uxoris, liberorumque querelis, aliorum scandalo &c. Hac enim ratione utcumque excusari possunt milites nostri temporis. Secus dicendum, quando quis statum suum ipsum injuste comparasset: ut si mercator, vel alius statum nobilem, vel splendidum sibi acquisivit ex bonis injuste acquisitis, fraude, dolo, usuris, furtis, rapinis, bello injusto: talis utique tenetur restituere etiam cum jactura talis status injuste de alieno acquisiti; cùm hoc non sit cadere a statu suo, sed potius ad priorem sibi debitum statum redire.

67 III. Unde si quis nihil haberet, nisi aliunde injuste acquisitum, adeo ut sine injustitia nullum honestum statum habuerit, tenebitur restituere totum, quantum citra extremam necessitatem carere potest, etiam usque ad mendicitatem, nisi periculum infamiæ excuset juxta communem DD. cum Nav. *c.* 17. *n.* 158. Laym. *cit. cap.* 12. *num.* 2. Colligitur *ex c. cum tu, de usuris.* Ubi Alexander III. præcipit usurarios etiam sub pœna excommunicationis compellendos esse ad restitutionem, eorumque domos; & possessiones ex usuris acquisitas debere vendi &c. Addens tamen: *dummodo in facultatibus habeant, unde vivere possint;* significans per restitutionem injustorum non esse ad extremam necessitatem redigendos. Unde recte notant *Pet. Nav. cum Laym. cit.* artificem etiam non esse redigendum ad mendicitatem per restitutionem, sed artis suæ instrumenta relinquenda esse, sic enim lucrando plus poterit restituere, quam artis suæ instrumenta valeant.

68 IV. Dicta extendenda sunt etiam ad hæredem malæ fidei: v. gr. filius usurarii, vel mercatoris iniqui mala fide cœpit possidere bona injuste acquisita a Patre, omnino tenebitur etiam, cum mutatione status relicti, & inique acquisiti a patre, ad restituendum: quia possessio malæ fidei nihil ipsi suffragatur. Quod si vero bona fide possidere cœpit, non tenebitur postea a statu suo bona fide accepto decidere propter restitutionem faciendam, postquam cognovit eum statum ex bonis injustis esse acquisitum a patre; quia quilibet habet jus ad conservandum statum bona fide acquisitum: expectare ergo poterit commodiorem occasionem, qua sine jactura sui status restituere possit, ut cum aliis notat Tamb. *cit.* §. 9. *n.* 5.

§. IV. *Absque damno in bonis temporalibus gravi.*

DEnique necessitas propria etiam excusat ad differendam restitutionem; quoties, & quamdiu debitor in propriis bonis temporalibus deberet pati grave aliquod damnum, & majus, quam sit damnum creditoris, vel domini ex dilata restitutione: ut si debitor solvere, vel restituere non possit magnum debitum, v. gr. mille aureos, nisi domum, vel prædium vendat multo minoris, quam valeat, v. gr. dimidium infra justum pretium, aut si creditor nimium distet, & magnæ expensæ faciendæ sint in debito transmittendo; imposterum autem commodior occasio speretur, juxta dicta superius. *Ratio semper est eadem:* quia creditor vetante lege, & ordine Charitatis non potest rationabiliter velle debitum suum statim sibi restitui, cum gravi debitoris damno, & majori, quam suo ex restitutione dilata, sed omnino in dilationem talem consentire tenetur, etsi non ex justitia, tamen ex Charitate, & æquitate naturali. Nec obstat praxis Tribunalium, qua debitor, maxime ex delicto, vel mora culpabili, cogitur restituere, non obstante quocumque ejus damno. Nam Magistratus principaliter debet semper spectare bonum commune, & obligationem justitiæ: privatus autem homo non obligabitur principaliter spectare bonum commune, vel jus alterius, sed ordine charitatis principaliter potest spectare bonum suum privatum, intra terminos tamen æquitatis naturalis. Ubi iterum aliqua advertenda sunt. 69

I. Dictum est: *Si debitor in propriis bonis debeat pati damnum:* sine dubio enim non excusatur debitor a restitutione statim facienda ob damnum, vel jacturam bonorum alienorum restituendorum: ut quia magnam summam debet restituere, aut quia ex re aliena restituta magnum sibi lucrum cessat: alioquin sequeretur, quod quo majus esset debitum, eo minor esset obligatio restituendi. Optima conditio pro furibus. 70

II. Dictum est: *Si debeat pati damnum inde majus, quam creditor &c.* Si enim æquale sit damnum futurum creditoris ex dilatione restitutionis, ac tuum ex restitutione facta, sine dubio melior debet esse conditio creditoris, ut in simili mox iterum notabitur. 71

III. Quia in hoc casu probabilissime Molina *disp.* 754. *n.* 3. & ex eo Laym. *cit. c.* 12. *n.* 2. *in fin.* notant: quando creditor ex dilata restitutione, seu solutione, quamvis justa, patitur damnum emergens, vel lucrum cessans, ipsi omni jure compensandum fore postea a debitore. Quia iniqua esset conditio, si debitor solutionem debiti in suum commodum differre vellet; non suscipiendo in se onus resarciendi damnum ex dilatione creditori eventurum: neque creditor aliter in dilationem solvendi consentire tenetur, vel rationabiliter præsumi potest. Vide tamen dicta *cap. præc. sect.* 3. *in circumstantia Quando.* 72

IV. Denique, sermo hactenus semper fuit de restitutione debitorum certorum tantum sive ex contractu, sive ex delicto: quoad debita incerta enim loco domini, vel creditoris, pauperibus, vel Ecclesiis restituenda, sine dubio multo minor necessitas, vel damnum debitoris excusat: immo quæcumque rationabilis causa excusat a differenda restitutione. Quinimo si debitor in actuali gravi necessitate existens vere pauper esset, & magis futurus facta restitutione, omnino probabile est, eam restituendi obligationem omnino consopiri: cum vere pauper ejusmodi debita incerta pauperibus eroganda etiam sibi applicare possit, ut cum gravissimis Doctoribus dictum est *in circumstantia, Cui.* 73

§. V. *Idque in quocumque debito, sive ex contractu, sive ex delicto &c.* Remissive.

NEcessitas propria omnibus prædictis modis excusat ad differendam restitutionem quorumcumque debitorum, sive sint ex contractu, ut empto, mutuo &c. modo vera sit necessitas præsens, & damnum ex restitutione statim facienda emergens majus, quam debitoris ex dilata restitutione. Grandis tamen differentia est inter dictos debitores quoad solvendum interesse lucri cessantis, vel emergentis damni: nam debitor ex delicto formali, etsi ob prædictas causas, quamdiu durat, excusetur a restitutione debiti capitalis: at non excusatur a compensando interesse illius temporis, cum delicto suo originaria causa sit totius damni creditoris. Secus est de debitis ex re accepta, vel ex contractu: ut etiam supra in circumstantia, *Quando,* indicatum est, & late videre potes apud Lug. *disp.* 18. *sect.* 2. & *disp.* 21. 74

§. VI. *Summarium dictorum.*

NEcessitas propria excusat a restitutione, quando debitor. 1. vel vere non habet, unde solvat, vel 2. etsi 75

etsi habeat, tamen solvendo incidet in necessitatem extremam: vel 3. si solvat, incidet in necessitatem vere gravem: dummodo creditor ipse non sit in necessitate æquali gravi. Quando enim etiam creditor esset in æquali gravi necessitate, aut ei ex dilata restitutione æquale damnum emergeret, tunc utique melior erit conditio creditoris innocentis, & habentis strictum jus ad debitum, vel rem suam exigendam quam debitoris maxime nocentis, & non habentis strictum jus, sed solum licentiam charitatis ad debiti solutionem differendam, supposita semper conditione: *Nisi creditor æqualiter, æque, vel magis indigeat*. Ita ex Nav. utroque, & communi Laym. *citat. c.* 12. *n.* 2.

76 Sed controversia gravis est: simul in extrema necessitate versentur, & debitor si restituat, & creditor, si ei non restituatur debitum suum, adeoque uterque necessario periturus sit, v. g. fame, morbo, homicidio; an eo casu adhuc teneatur restituere? Consentiunt omnes, quod si debitor prius incidat in extremam necessitatem, non teneri rem eam necessariam restituere creditori, postea similem necessitatem incurrenti: quia debitor in puncto extremæ necessitatis prius acquisivit dominium rei necessariæ jure poli. Econtra, si creditor prius incidat in extremam necessitatem, debet ei res sua statim restitui duplici jure, scilicet & jure dominii ad illam rem, & jure poli ob extremam necessitatem. Quod si vero debitor, & creditor simul incidant, vel incisuri sint in extremam necessitatem, nisi debitum restituatur, adhuc debitorem debere restituere, affirmant sane gravissimi DD. præsertim antiqui cum Scoto *cit.* Ratio Scoti est: quia eo casu dominus rei numquam decidet a dominio illius rei: ante necessitatem enim habuit rei dominium, & in puncto necessitatis acquirit novum jus poli ad illam rem: ergo debitor semper injuste detinet; & restituere tenetur.

77 Sed verior est opposita Sententia communior, maxime Recentiorum (a nobis in septimo Præcepto latius asserenda) negans eo casu esse obligationem restituendi. Ratio solida est: quia ipso facto, quo debitor simul, & creditor incidunt in extremam necessitatem, creditor amittit jus suum privatum dominii ad illam rem, quæ tunc omnino communis evadit, sicut fuisset ante rerum divisionem: & uterque tam debitor, quam creditor acquirunt sibi omnino æquale jus poli ad eamdem rem sibi extreme necessariam: atqui in pari causa juris semper melior est conditio possidentis, seu manutenentis rem: ergo debitor possidens rem alienam sibi extreme necessariam, licite retinet, nec tenetur restituere. Alia autem est ratio, quando debitor, & creditor sunt in æquali necessitate gravi tantum: quia ob solam necessitatem gravem, alterius res non fiunt communes, nec creditor amittit jus suum privatum, & dominium in rem sibi debitam, sicut in necessitate extrema.

78 *Sed excipe per omnem modum*: Nisi debitor ipse proximum in eam extremam necessitatem per suam malitiam conjecisset, ut si calumnia, vel falso testimonio alterum conjecisti in periculum mortis, infamiæ, amissionis omnium bonorum, omnino teneberis restituere, retractando calumniam cum periculo similis pœnæ, aut aliter satisfaciendo, non obstante tua æquali etiam extrema necessitate; cum in æquali damno potior debeat esse ratio innocentis, ut ex communissima DD. videbimus in octavo Præcepto.

SECTIO IV.

Causæ excusantes a restitutione, ut omitti possit.

SUMMARIUM.

79 *Causæ omnino excusantes a restitutione, ut etiam omitti possit, generatim sunt quatuor nimirum.*
80 I. *Rei in specie debitæ, sine omni culpa debitoris bonæ fidei*, interitus.
81 II. Remissio *creditoris expressa, vel tacita*.
82 Usque ad n. 85. *Legitimæ remissionis tres conditiones*.
85 III. Compensatio *facta, quæ tripliciter fieri potest*.
86 Usque ad n. 89. *Duæ conditiones ad compensationem requisitæ*.
89 IV. Auctoritas superior, *utpote*
90 *Per legem præscriptionis, usucapionis &c.*
91 Usque ad n. 94. *Vel justam sententiam Judicis &c.*
94 *Et aliquatenus per cessionem omnium bonorum, quatenus solvere impotens ex dispositione legis, creditoribus suis cedit omnia sua bona.*
95 *Quæ tamen cessio solum excusat in foro externo, non interno, nisi sis vere impotens sit.*
96 *Nec excusat ea cessio simpliciter a restituendo reliquo, sed secundum quid tantum, quatenus se impotentia extendit, seu quandiu durat.*
97 *Sortitur tamen sic bonis cedens duo privilegia*: 1. *ut non possit incarcerari*. 2. *ut, si post quid acquirat, plus non peccatur, quam facere possit, servatis alimentis necessariis.*
98 *Sicut etiam ante, vel in ipsa cessione in foro conscientiæ ea sibi reservare, vel detrahere potest, & eo defuncto, uxor, ac filii.*
99 *An, & qualiter ingressus, ac Professio religiosa liberet debitorem ab obligatione restituendi, vel solvendi debita, tres sunt Sententiæ.*
100 *Prima communior absolute docet, talem ingredi licite non posse, esto etiam diu expectans, ut debita solvat ineptus fieret ad ingrediendum postea:*
101 *Altera absolute affirmat, talem facta cessione bonorum, quæ habet, statim intrare posse: sed*
102 *Hujus sententiæ fundamenta facile solvuntur.*
103 *Tertia Sententia sic mediat: ut si debitor speret, se manendo in sæculo brevi tempore in toto, vel in parte satisfacturum, ingressum differre debeat: secus, si deberet ad longum tempus expectare: tunc enim facta cessione statim potest intrare.*
104 *Si tamen talis ingressus, & professus aliqua bona ad Religionem contulisset. Religio solvere tenetur ejus debita juxta vires bonorum allatorum.*
105 *Si autem tali professo afferatur hæreditas, legatum, donatio &c. probabiliter non tenetur Religio ex illis satisfacere pro debitis ejus prius contractis.*
106 *Nec talis Religiosus in ordine, aliquo artificio, vel labore manuum laborare tenetur ad solvenda illa sua debita.*
107 *Nec egredi ad Beneficium, vel Parochiam, esto sit spes probabilis sic satisfaciendi.*

ASSERTIO IV.

Causæ omnino excusantes a restitutione, ut etiam omitti licite possit, commode revocantur ad hæc quatuor capita. 1. *Rei in specie debitæ sine omni culpa debitoris, interitus*. 2. *Remissio creditoris*. 3. *Compensatio facta, eaque triplex, vel ipsi debitori, vel creditoris creditori, vel creditori ipsi*. 4. *Auctoritas superior, aut per legem præscriptionis, per Justam Sententiam Judicis, per compositionem Pontificis*: Item *aliquatenus per cessionem bonorum*. Et *non improbabiliter in certis circumstantiis per ingressum Religionis*. Sumpsi totum ex communi DD. ut patebit. Ratio omnium continetur in generali nostra regula: quia ejusmodi causis subsistentibus creditor aut sponte vult, aut rationabiliter non debet nolle, vel invitus esse sibi restitutionem non fieri. 79

§. I. *Rei in specie debitæ sine omni culpa debitoris, interitus*. Remissive.

Prima causa excusans a restitutione est, si res in specie, vel potius phylosophice loquendo, in individuo, sine omni culpa debitoris pereat, tam in accipiendo, quam detinendo & pereundo, ideoque locum habet, vel ex contractu, universaliter in debitore bonæ fidei, vel ex re accepta tantum. Secus est de debitore malæ fidei, seu ex delicto formali, excepto solo casu, quo res casu apud ipsum perit, similiter certo peritura apud dominum. Hæc late explicata habes *cap.* 2. *de possessore bonæ, & malæ fidei*. Et rursus specialiter *de debitis transmissis, & perditis cap.* 3. *sect.* 4. quæ recole. 80

§. II. *Remissio creditoris*.

Secunda causa omnino excusans a restitutione est, si creditor ipsum debitum expresse, vel tacite remisit. Tacite autem remittere censetur in jure, si instrumentum debiti laceravit, aut ante solutionem ultro reddidit debitori, censetur id fecisse animo condonandi, nisi ex indiciis constet, id per errorem, vel aliam causam factum esse: textus vide apud *Laym.* Ad legitimam autem remissionem ejusmodi, tres requiruntur conditiones. 81

Prima: Ut remissio, seu condonatio fiat a potente condonare, qui scilicet habeat rerum suarum actuale dominium, & liberam administrationem. Nulla ergo esset condonatio debiti facta a filiofamilias, pupillo, Religioso, procuratore rerum alienarum, exactore vectigalium, vel mulctarum, & similium. 82

Secunda conditio: Ut lex non obstet. Sunt enim aliqui casus jure expressi, in quibus condonatio ejus, a quo res injuste accepta est, nihil prodest, sed adhuc restituere tenetur accipiens: ut judex delegatus aliquid accipiens a partibus contra præscriptum *cap. Statuimus, de rescriptis in* 6. Item si Episcopus, vel Archiepiscopus visitans Ecclesias præter necessarium victum aliquid acceperit *cap.* 5. *de censibus, & actionibus in* 6. 83

Ter-

84 *Tertia conditio :* Ut remissio debiti fiat libere , & sine vi vel fraude. Est enim species donationis , quæ essentialiter debet esse liberalis, & liberæ voluntatis . Nulla ergo est remissio debiti quocumque metu extorta : Ut si debitor centum aureorum dicat creditori : non tibi solvam , nisi remittas dimidium, qua ratione potentes sæpe mercatoribus , mechanicis , officialibus inferioribus debitorum , vel partiales solutionum remissiones injustissime extorquent, quippe cum miseri desperent obtinere totum debitum , consentiunt quidem accipere partem mediam, tertiam, remisso aliquo, sed non sine tristi involuntario mixto, adeoque gravi injuria, & damno suo, ad quod compensandum debitores omnino obligati manent in conscientia: res certissimæ veritatis , sed iniquissimæ praxis . Nulla quoque est remissio debiti per fraudem obtenta , ut si quis simulet se impotentem restituere , aut pauperiorem, quam sit. Unde in conscientia non sunt securi Mercatores valentes , qui prætextu indigentiæ concordias exigunt a creditoribus , qui metu amittendi totum debitum, singuli partem remittunt , cum revera debitor plura possit solvere , & id totum , quod superest , sibi retinet ex alieno : consequenter in conscientia semper ad restitutionem obligatus manet , cum remissio illa fraude extorta nulla sit , ut Lugo ait *disp.* 21. *sect.* 4.

§. III. *Compensatio facta .*

85 Tertia causa omnino excusans a restitutione est compensatio facta, eaque triplex . *Prima* est compensatio facta ipsi debitori, cui creditor vicissim aliquid debet ; justissime enim debitum alteri negas, qui vicissim tibi debens non solvit : immo dicitur *L.* 3. *ff.* de compensationibus: *Interest nostra potius non solvere , quam solutum repetere* . Et : *compensatio solutionis instar censetur* . L. si debitor , ff. Qui potiores in pignore . *Nihil interest , solveritne aliquis , vel compensaverit* . De hoc jam dictum *c.*3. *sect.* 2. §. 1. *Secunda* est compensatio ex rationabili causa facta creditoris creditori : Sic enim in foro conscientiæ primus debitor liberatur a restitutione , ut ibidem explicatum habes . *Tertia* est compensatio facta ob rationabilem causam a debitore ipsi creditori per æquivalens aliunde collatum , utpote vel tantumdem donando , legando , officium aliquod tanti valoris procurando , aliudve beneficium exhibendo . Ad ejusmodi compensationem duæ requiruntur conditiones .

86 *Una est :* Ut creditor consentiat saltem tacite , aut saltem rationabiliter consentire debeat, vel præsumi possit : idque maxime in debitis ex delicto , quæ debitor sine periculo infamiæ aperte solvere non potest. Casum huc maxime facientem posui eodem *cap.* 3. *sect.* 2. §. 1.

87 *Altera conditio est :* Ut debitor habeat intentionem ita compensandi , seu satisfaciendi debito suo : quod si enim debitor , maxime ex contractu , immo etiam ex delicto , omnino immemor sui debiti , & obligationis , creditori , vel domino tantumdem vel etiam plus donet , leget , benefaciat (nisi postea probabiliter præsumere possit alterum, si rem cognitam haberet, omnino contentum fore , & debitum libenter remissurum) non liberatur ab obligatione restituendi prius suum debitum , uti contra aliquos docent Sanch. *lib.* 1. *Moral. cap.* 13. *num.* 11. Less. *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 11. Laym. *cit. cap.* 12. *num.* 9. Ratio est : quia debitum ex justitia, & donum gratuitum omnino inter se pugnant : & recipiens donum gratuitum , nisi ipsi constet de intentione donantis, non ideo censetur remittere prius suum debitum ex justitia : ergo nisi debitor talem remissionem aliunde præsumere possit , ratione doni mere gratuiti non liberatur, ab obligatione solvendi prius debitum ex justitia.

88 Excipit tamen probabiliter *Laym. loc. cit.* Nisi restitutio sit facienda ad pias causas , puta pauperibus , vel Ecclesiis , ut fit in restitutione bonorum incertorum : item ob omissas Horas Canonicas , &c. ut si Mercator confiteatur se per annum defraudasse quoslibet indifferenter in pondere, vel mensura, aut usuras exegisse : si Canonicus fateatur se per totum annum Officium omisisse, &c. iique , significata sibi obligatione restituendi pauperibus, vel Ecclesiæ v. g. centum aureos , respondeant se nuper Ecclesiæ obtulisse calicem , aliudve ornamentum , valore centum aureorum : etsi tunc hujus obligationis omnino immemores , vel ignari fuerint , poterit tamen Confessarius contentus esse . *Ratio est :* quia omnium dantium eleemosynas , vel offerentium aliquid Ecclesiæ , videtur esse generalis, vel saltem virtualis intentio satisfaciendi omnibus suis obligationibus , quas suis peccatis , aut negligentiis contraxerunt. *Sic Layman*. Etsi oppositum sine dubio tutius, ut alibi vidimus.

§. IV. *Auctoritas superior .*

Quarta causa omnino excusans a restitutione generaliter, est auctoritas superior , seu dispositio superio- 89
ris potestatis, qua debitor ab obligatione restituendi, seu a solvendo debito omnino liberatur. Utpote

I. Per legem præscriptionis, seu usucapionis, qua publi- 90
ca auctoritate dominium rei alienæ ab antiquo domino , ad possessorem bonæ fidei , & legitimi temporis plene transfertur, ut deinceps etiam cognito domino, a restitutione liber sit . De hoc aliquid insinuatum §. 4. Sed ex professo alibi suo loco, *tr.*6. *cap.* 1. *sect.* 5.

II. Per justam sententiam Judicis , qua alicui res ali- 91
qua , vel debitum adjudicatum in foro externo , ver. gr. mulcta pecuniaria in compensationem injuriæ , aut compensationem damni ex sola culpa civili , maxime levi , vel levissima illati : talis enim accipiens , etsi res alioquin sua non esset , in foro conscientiæ nihil tenetur restituere , quia per justam sententiam Judicis res sua facta est . Vide optime Less. *lib.* 2. *dub.* 7. Lugo *disp.* 17. *sect. ult.*

III. Huc antiqui alii referunt casum, quo creditor esset 92
excommunicatus , ita ut vitari debeat . Sed communior jam , & verior est sententia, excommunicationem creditoris, licet eum impediat a petendo in judicio suum debitum , juxta *cap. Quia de exceptionibus in* 6. minime tamen obstare , quominus privatim , & extra judicium debitum suum petere possit, & debitor reddere debeat. *Sic Molina , Bonacina plurimis citat. & Lug. loc. cit.* Ratio est: quia excommunicatio non prohibet communicationem cum excommunicato in re necessaria , vel utili spiritualiter , vel corporaliter, qualis est etiam solutio debitorum. Nec id ulla lege expressum est.

IV. Huc spectat compositio summi Pontificis, quia is, 93
injuncta certa parte statim ad pias causas restituenda , verb. grat. in sumptus belli contra infideles , pro redemptione captivorum &c. reliquum totum debitum remittit, idque solum in debitis incertis , alias ad pias causas applicandis , absque omni præjudicio singularis personæ, & ea tantum ratione , qua Pontifex pia legata commutare potest , & solet . Verum , quia hæc apud nos in praxi non est, si curiosus es, videre potes late apud *Molinam , Less. Lug. cit.* Denique ad eandem auctoritatem superiorem referri debent duo sequentia, sed specialiter explicanda seorsim .

§. V. *Et aliquatenus per cessionem omnium bonorum .*

Quando nimirum quis solvere impotens ex dispositio- 94
ne legis civilis creditoribus suis omnia bona sua cedit, & relinquit inter ipsos secundum proportionem debitorum dividenda , & sic excusatur a restituendo, vel solvendo reliqua , sed adverte , & limita per omnem modum pro confessionali .

I. Excusatur talis in foro externo , non autem in foro 95
conscientiæ , nisi is vere impotens sit , *secundum omnes* . Ejusmodi enim cessio bonorum ideo debitori suffragatur in foro externo , quia Princeps supponit miserum hominem non esse solvendo : & si sit solvendo , nunquam Princeps intendit tollere jus creditorum , quod sane iniquum esset: ergo in foro conscientiæ tunc obligatus manet , quatenus manet potens solvere. Iniquissima ergo praxis est eorum, qui cessuri bonis , prius pretiosiora seponunt , & occultant.

II. Excusatur talis a restituendo reliquo non simplici- 96
ter , sed tantum secundum quid , & quatenus sua impotentia inculpabiliter se extendit: at, redeunte meliori fortuna , reliquum restituere obligatus manet : Quin etiam in conscientia tenetur , & in foro externo compelli potest ad laborandum , & acquirendum , unde solvat integre : Ut habet communis , & solida sententia *Sanchez , Molin. aliisque cit.* Laym. *cit. cap.* 12. *num.* 5. Lugo *to.* 2. *de justit. disput.* 21. *sect.* 2. Tamb. *lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 9. *num.* 10. Ratio est : quia tota ratio privilegii cessionis bonorum ducta est ab impotentia debitoris : ergo , cessante impotentia , cessabit ejus effectus ; at cessat impotentia , si redeat melior fortuna , aut si debitor juxta statum suum laborando acquirere possit, unde solvat : ergo , cum obligatus ad finem , obligetur etiam adhibere media , saltem ordinaria ad illum finem necessaria, talis omnino tenebitur , atque compelli poterit ad ita laborandum , & acquirendum . *Adde :* Nisi hoc dicatur , ansam dari fraudulentis cessionibus bonorum in maximum damnum creditorum.

III. Duo tamen commoda , seu privilegia sortitur ce- 96
dens bonis suis. *Unum est :* quod licet alioquin debitor ex contractu post latam sententiam, & solvendi moram, postulante creditore, in carcerem conjici , & detineri possit donec solvat, nisi sufficientem cautionem solvendi præstare possit : attamen per voluntariam cessionem bonorum

hoc consequitur, ut non possit incarcerari, & jam incarceratus dimitti debeat, *juxta l. 1. Cod. Qui bonis cedere possunt*. *Alterum beneficium est*: Quod debitor, si post bonorum cessionem aliquid acquisiverit, non amplius conveniatur, quam in quantum facere potest, servatis sibi alimentis necessariis secundum statum, & conditionem personæ, *juxta leg. 4. & 6. ff. de cessione bonorum*. Hoc utroque privilegio etiam Clerici debitores gaudent, seclusa cessione bonorum.

98 IV. Ante autem cessionem, seu in ipsa cessione bonorum, debitis gravatus, in foro conscientiæ quidem reservare potest necessaria ad suam sustentationem, spectata conditione sui status juste acquisiti, seu potest detrahere necessaria alimenta, quibus secundum statum suum parce vivat: siquidem ad propria alimenta quilibet jus habet, quibus carens, est vere in gravi necessitate constitutus, ideoque saltem in foro conscientiæ excusatus manere debet. At vero in foro externo merito primum omnibus bonis cedere cogitur ad abstinendum ab ejusmodi cessionibus debitoris fraudulentis, in aliis autem bonis, postea acquisitis, condemnatur, quantum commode facere potest, ut paulo ante dictum. Unde etiam debitore defuncto, ejusque bonis non sufficientibus ad solvenda debita, uxor, ac filii possunt in foro conscientiæ tantum detrahere, quantum satis judicatur ad vitam suam, & statum honeste, & parce conservandum, ob eandem rationem modo dictam. Et in judicio requisiti possunt cum æquivocatione congrua jurare se nihil occultasse, vel subtraxisse, intelligendo: *Nihil ipsis non debitum jure naturali*: atque propter eandem rationem non incurrent excommunicationem forte latam contra ea bona occultantes: uti, aliis citatis, docent Diana *part. 5. tract. 14. resol.* 57. Tambur. *cit. num. 9.* Tandem prædictum beneficium cessionis bonorum solum locum habet in debitis ex contractu, non item in debitis ex delicto provenientibus: uti contra *Sylvest. Navar. Less. cit.* docet communior DD. apud Mol. *tom.* 2. *disput.* 572. §. *His ita constitutis*, & Layman *cit. cap.* 12. *num.* 5. Quia non est credibile, jure communi beneficium cessionis illis concedi, qui potius pœnæ severitatem merentur. Quare in debitis ex delicto locum habet illud: *Qui non habet in ære, luat in cute*.

§. VI. *Et non improbabiliter per ingressum Religionis*.

99 Controversia gravissima est inter Doctores, an, & qualiter ingressus, ac professio Religionis liberet debitorem ab obligatione restituendi, seu solvendi debita antea contracta, sive ex contractu, sive ex delicto. De quo præ omnibus latissime Sanchez *lib. 5. moral. cap. 1. per totum*. Videndum autem prius, an ejusmodi debitoris valida, & licita sit professio, & ingressio Religionis jure divino naturali, & positivo humano. Consentiunt DD. apud Sanchez *cit. num. 3.* spectato jure antiquo, professionem ejusmodi debitoris esse validam, idque omnino certum dicit Petr. Navar. *lib. 4. de restitut. cap. 1. dub. ult.* Jure autem novo Sixtus V. Anno 1587. gravissime prohibet recipi eos ad Religionem, qui supra suas facultates ingenti ære alieno gravati, vel reddendis rationibus ita obnoxii sunt, ut ex ea causa lis, vel molestia iis illata sit, vel inferenda timeatur: talesque inhabiles ad professionem reddidit, ita ut professio irrita, & nulla sit; quam tamen inhabilitatem abstulit postea Clemens VIII. in alio motu proprio: quoad prohibitionem tamen in suo robore reliquit Constitutionem Sixti V. Sed vides hic solum comprehendi debitores supra suas facultates *ære ingenti alieno gravatos*. Et hæc de jure positivo humano. Jam quoad jus divinum naturale, consentiunt itidem Doctores: quod si debitor possit solvere debita ante ingressum Religionis, peccet graviter, iis non solutis, Religionem ingrediens: & de bonis ejus relictis a possessore, sive Monasterium, sive alius sit, restitutio facienda erit. E contra vero, si debitor non sit solvendo, nec ulla supersit probabilis spes, quod manendo in sæculo aliquando solvere poterit in toto, vel pro majori parte, licite ingredi poterit Religionem. Ratio utriusque est: quia in priori casu ingressus Religionis magnum, in posteriori casu vero nullum præjudicium, vel damnum affert creditoribus, vel Religioni. Quod si denique debitor de facto quidem non sit solvendo, tamen probabilis spes supersit, posse aliquando solvere in futurum: hic punctus est controversiæ, & tres sunt Sententiæ.

100 Prima Sententia (mihi semper vera visa) communior DD. est *Joann. Gersonis, Joann. Medinæ, Navar. utriusque Valentiæ*, aliique congestis Molin. *tom. 3. poster. disput.* 747. Layman *cit. num. 6.* Qui absolute docent, talem Religionem ingredi licite non posse, esto etiam, quod longo tempore expectans, ut debita solvat, se omnino ineptum sit redditurus ad postea ingrediendum. *Ratio est*: quia, cum solutio debitorum sit juris, & justitiæ naturalis, injuriam creditoribus infert, qui absque necessitate se mere voluntarie reddit impotentem solvere: atqui talis, ingrediendo, & profitendo religionem voluntarie, & absque necessitate reddit se impotentem deinceps solvere, cum Religionis ingressus præcepti non sit, sed mere consilii, & libertatis: ergo &c. Unde sacri Canones *cap. legem dist.* 53. prohibent, ne gravati ratiociniis, priusquam se iis expediverint, ad Religionem recipiantur, non aliam ob causam, nisi quia Religionis ingressus, & professio, sicut alia vota Deo grata non sunt, si in alterius injuriam cedant. Deinde in casu, quo filius naturali jure Charitatis, ac pietatis obligatus est parenti inopi succurrere, si aliter succurrere non possit, non potest tunc ingredi licite Religionem, & ingressus tenetur egredi, ac etiam professum Prælati dimittere debent, omnium consensu: atqui non minor est obligatio juris naturalis justitiæ ad solvenda debita sive ex contractu, sive ex delicto: ergo neque debitor Religionem ingredi licite potest, si manendo in sæculo creditoribus satisfacere potest.

Secunda Sententia absolute affirmat, ut debitis obstrictus, quibus nunc solvendo non est, facta cessione bonorum, quæ habet, possit statim Religionem ingredi, licet manendo in sæculo lucrari, & creditoribus satisfacere posset, ad id tamen non obligari. Ita D. Thomas 2. 2. *q. ult. qu. 6. ad 3. Sanctus Antonin. Cajetanus, Sylv. Angelus*, aliique multi apud Sanchez *cit. lib. Moral. cap. 19. num.* 17. Rationes afferunt: *Prima*: Homo liber propter debita non obligatur quoad personam suam, sed tantum quoad bona: ergo cedendo bonis persona libera manet, ut quemcumque statum, præsertim perfectissimum Religionis, amplecti possit. *Secunda*: Nemo tenetur solvere debitum cum detrimento boni sui majoris, seu altioris ordinis: sed bonum Religionis majus est, & altioris ordinis, quam bonum pecuniarum proximo debitarum; ergo &c. *Tertia*: Sponsus, immo maritus matrimonio rato tantum, non obstante obligatione sponsalium, vel matrimonii rati, Religionem licite, & sancte ingredi potest, sed etiam eadem videtur ratio de aliis debitis, & obligationibus quibusvis: ergo &c. Suadent rationes hæ, sed certe non urgent. Nam 101

Ad 1. Distinguitur *antecedens*: Homo liber propter debita non obligatur quoad ipsam personam in se, ita ut propter debita solvenda deberet seipsum vendere, vel in servitutem creditori tradere *conc. ant.* hoc enim Jura vetant. Non obligatur quoad personam in ordine ad bona sua habita, vel habenda, ita ut, si de facto non habeat, unde solvat, non obligetur pro posse laborare ad acquirendum, unde solvat, & non reddere se impotentem ad id acquirendum (uti in proposito fieret per ingressum religionis) *nego anteced. & consequentiam*. Hoc enim juri naturali repugnat. *Ad 2. distinguitur major*: si illud majus bonum sit necessarium ex præcepto, *concedo M.* si solum sit utile ex consilio, ut est in proposito ingressus Religionis, *nego Majorem*. *Ad 3. negatur conseq. & paritas*: quia in assumptione status inferioris, uti est Matrimonium respectu Religionis, adeoque etiam in sponsalibus ex traditione Ecclesiæ semper censetur includi hæc tacita conditio: *ducam te, vel duco te, nisi voluero assumere statum perfectiorem, scilicet Religionis*: eadem conditio in neutrius injuriam cedit, cum in ea utraque pars æquali jure gaudeat, & utrque sponsus invito altero Religionem ingredi possit. At vero in aliis obligationibus debitis ex contractu, vel delicto, nullo jure hæc censetur inesse conditio, *Solvam te, reddam tibi*, quod ex mutuo, empto, furto, rapina &c. debeo, *nisi Religionem ingressus fuero*. Hæc ergo Sententia sic absolute intellecta, parum habet probabilitatis intrinsecæ, non tamen parum extrinsecæ ob gravitatem doctissimorum Doctorum. 102

Tertia Sententia media est: si debitor speret, quod brevi tempore manendo in sæculo, verb. grat. uno, vel altero anno possit debita in toto, vel in majori parte solvere, tunc non posse licite ingredi Religionem, sed debere eo usque differre ingressum: hoc enim saltem plane convincit ratio primæ sententiæ. Secus, si deberet ad longum tempus expectare, tunc enim, facta cessione bonorum, posse statim ingredi. *Ita Navarr. uterque Ludovicus & alii*, Lessius *lib. 2. cap. 16.* Lugo *disput. 21. sect. 6. num.* 76. Ratio potissima videtur desumenda esse ex regula nostra generali: cum enim status Religionis habeat bonitatem longe superiorem, nempe se in perpetuum Dei obsequium mancipare, adeo ut semper merito existimata sit professio Religionis maximum, & summum, quod possit homo ex se Deo præstare; ideo videtur creditor propter debitum suum temporale non ingens, non posse rationabiliter velle hominem a tanto bono retardare, saltem ad longum tempus, sed potius rationabiliter consentire, ut si desit spes brevi tempore unius, aut alterius anni posse solvere, bona fide, facta cessione bonorum, si quæ habet debitor, pergat in Nomine Domini in perpetuum Dei obsequium, sui utique memor futurus. Alia est 103

ratio

ratio de filio respectu Patris inopis, ut infra in fine notabo. Alia quoque est ratio, si deflorasti virginem cum spe, ac promissione Matrimonii, tunc enim merito ab ingressu Religionis impediris: hic enim non agitur de debito pecuniario, sed de debito circa assumptionem status: nam propter culpam tuam nullum statum potest assumere virgo deflorata sine nota, nisi mediante tuo Matrimonio, ideo recte ad id præstandum cogeris etiam in conscientia sub mortali, ut suo loco visum. Supposita ergo Sententia hac probabili (quam fateor mihi placere) breviter nunc videndum, qualiter ingressus in Religionem, ac professus liberetur a restitutione, & ad quod deinceps teneatur.

Resolutio.

104 PRima: Debitor Religionem ingressus, & professus, siquidem aliqua bona ad Religionem contulit, omnino Religio tenetur solvere prædicta debita juxta vires allatorum bonorum, *secundum omnes*. Ratio clara est; quia bonorum successor adstringitur debitis ejus, cui successit, quod si vero nulla bona ad Religionem attulit, nihil amplius obligabitur ex hoc capite. *Ratio* ex dictis pro tertia Sententia patet: Quia ob tantum bonum Religionis debitor potuit cedere bonis, & de facto cessit bona fide, ut supponimus, idque rationabiliter, non invito creditore. Sed dubia restant.

105 *Secunda*: Quid si huic debitori professo afferatur hæreditas, legatum, donatio, tenebiturne Religio ex illis satisfacere pro debitis ejus prius contractis? affirmant omnino Auctores primæ Sententiæ, maxime Sanchez *lib.* 7. *Decal. t.* 2. *cap.* 31. *n.* 4. Ratio est, quia per ingressum, & professionem Religionis non derogatum fuit jus debitorum in ea omnia bona, quæ obvenire possunt Religioni ratione personæ debitoris ipsis obligatæ debitis. Et fatendum est, esse omnino conveniens, & non omnino negare audent *Castro-Palaus*, & Tamb. *cit.* §. 1. *num.* 12. Ratio tamen negandi esse potest, quia quidquid hæreditate, legato, donatione &c. acquirit Religiosus professus, non acquiritur ipsi Religioso immediate, cum sit incapax ad acquirendum dominium, sed acquiritur immediate Religioni: atqui creditores nullum habent jus in ipsam Religionem: ergo neque in illa bona Religiosi post professionem.

Tertia: Quid si Religiosus talis, salva Ordinis Regula, artificio aliquo, vel manuum labore aliquid lucrari possit, tenebiturne sic laborare, ut pretium laboris impendat ad solutionem prædictorum? affirmant rursus plerique Auctores primæ Sententiæ, ipseque *Laym. l. cit.* Sed æque probabiliter negat *Tamb. loc. cit. n.* 14. Cum enim is nullius dominii capax sit, & quidquid acquirit, immediate cedat Religioni, vel Monasterio, is de pretio disponere non potest, solutio autem debiti ex propriis bonis fieri debet, non ex alienis. Alia supra ratio fuit de eo, qui cessit bonis suis. Nam sæcularis cedens bonis suis, nec fit alterius, nec incapax dominii, sicut Religiosus. 106

Quarta: Quid si talis professus debita alicujus momenti solvere non possit, & creditores etiam rogati remittere nolint, tenebiturne egredi e Religione, si spes probabilis sit satisfaciendi, v. g. per provisionem beneficii, parochiæ? &c. Affirmant Auctores itidem primæ Sententiæ plerique, etiam *Laym. & alii cit.* ob paritatem supra dictam de filio obligato ad parentem inopem alendum. Ob eandem tamen semper rationem, quod Religiosus professus nihil sibi, sed Monasterio acquirat, longe probabilius negatur. Neque enim eadem est ratio, quæ de filio respectu parentis inopis; nam longe majus, & strictius est jus, & obligatio naturalis, pietatis filiorum erga parentes inopes (quippe in ipsis visceribus naturæ fundatum, cui juri nunquam consentur renuntiare parentes, & forte non possent) quam sit jus, & obligatio creditoris, qui suo juri ob justas causas sæpius cedere rationabiliter debet, & præsumitur, ut ex toto decursu, maxime hac, & præcedenti Sectione patet: at talem justam causam supponimus esse in proposito bonæ religionis: ergo &c. 107

Et hactenus de restitutione in communi ex generalibus radicibus utique satis.

TRACTATUS V.

In V. & VIII. Præceptum Decalogi.

De Delictis contra Justitiam, seu de injusta læsione proximi in bonis animæ, vitæ, seu corporis, famæ, fortunæ, &c. ac restitutione inde debita.

TEXTUS

Non occides. Exod. 20.

EXPLICATIO PRÆCEPTI.

1 QUinto hoc præcepto, simpliciter negativo, *Non occides*, prohibetur principaliter omnis injusta occisio hominis, & accessorie etiam omnia voluntaria ad injustam hominis occisionem cooperativa, inductiva, dispositiva. Communis DD. Nav. *c.* 15. *num.* 1. Filliuc. *Tract.* 29. *c.* 1. Marchant. *tom.* 1. *tract.* 6. *tit.* 1. *qu.* 1.

In primis, non omnem, sed solam injustam hominis occisionem, hoc præcepto prohiberi, declarat ipsa S. Scriptura, quæ sicut aliqua homicidia vetat, & prohibet: ut Genes. 9. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo*; itaque aliqua homicidia permittit, immo præcipit, & commendat, ut Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*. Et alibi passim. Deinde non solum homicidia ista injusta, sed omnia etiam ad homicidia cooperativa, inductiva, vel dispositiva hoc præcepto prohiberi, propter claram rationem, declarat Christus Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Ubi Christus ad hoc præceptum, *Non occides*, revocat tres gradus iræ, tanquam causas præcedentes, & dispositivas ad homicidium: utpote 1. Iram solo corde retentam: *qui irascitur*. 2. Iram erumpentem in vocem indignationis, non tamen expressam injuriam proximi significantem: *Qui dixerit fratri suo, racha*. 3. Iram erumpentem in vocem indignationis, & expressam injuriam proximi significantem: *qui dixerit fratri suo, fatue*. Et per consequens multo magis volens excludere iram in ipsum opus, verberando, vulnerando. Nam *ibid.* v. 38. postea excludit pœnam Talionis antiquis permissam, dicens: *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Ex quibus omnibus constat, hoc præcepto non solum prohiberi homicidium, sed etiam omnem injuriam hominis vitæ inferendam, atque omnia ad homicidia inductiva, vel dispositiva corde, ore, & opere, hac serie.

Series prohibitorum.

2 I. ERgo hoc præcepto, & principaliter in terminis prohibetur omnis injusta occisio hominis, sui ipsius, vel proximi, cujus species sunt, homicidium simplex, parricidium, sacrilegium, abortus, latrocinium, veneficium, atque insuper omnis ad ejusmodi hominis occisionem voluntaria, positiva, vel negativa, vera moralis cooperatio, quæ numeratur novemplex tritis illis versibus:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

De quibus *Tract. præced.* suo loco sufficienter.

3 II. Prohibentur omnia consilia inductiva, & dispositiva proxime, & ipso opere, quæ scilicet homicidium antecedere, aut comitari solent, videlicet omnis proximi injusta læsio, percussio, vulneratio, mutilatio, incarceratio, tortura, præparatio armorum, veneni &c. omnisque injusta violentia in hominis mortem, vel grave nocumentum corporale cedens, sive deinde talis actu intendat mortem, vel grave vitæ nocumentum, sive non, dummodo advertere debuerit inde secuturum periculum mortis, vel grave nocumentum vitæ proximi: omnia semper sunt mortalia contra quintum præceptum, *Non occides*: sumuntque speciem peccati a termino, seu ipso homicidio, quod inde sequitur, vel sequi poterat, v. gr. percussio, vulneratio, vel quævis violentia in patrem, matrem, Clericum &c. sive morte secuta, sive non, induit rationem, & speciem parricidii, matricidii, sacrilegii, & sic de cæteris. *Ratio est*: quia media adhibita sumunt suam speciem a fine, ad quem, sive ex natura sua, sive ex intentione operantis ordinantur.

III. Prohibentur omnia ad homicidia inductiva, & dispositiva propinque, opere, & ore, utpote omnis clamor, 4
contentio, rixæ, omnes comminationes, irrisiones, detractiones, maledictiones, imprecationes, omnes contumeliæ verbales (quæ proprie dicuntur exprobratio malorum culpæ, ut si quis dicatur fur, adulter &c.) omniaque convicia, quæ proprie sunt exprobratio malorum naturæ, & pœnæ, ut si quis dicatur stultus, idiota, spurius &c. quæ quidem omnia, secundum se absolute peccata sunt, aut generaliter contra Charitatem, aut specialiter etiam contra justitiam octavo Præcepto prohibita, quatenus nimirum iis honor, & fama proximi læditur injuste: at vero quatenus fiunt ab eo, qui intendit, vel advertit saltem inde secuturas rixas, percussiones, vulnerationes, mortes, specialiter erunt peccata mortalia contra hoc præceptum, reducenda scilicet ad homicidium juxta speciem suam, sicut modo dictum de percussionibus: & consequenter eadem ratione in iis explicanda erit circumstantia intenti, vel prævisi periculi occisionis, vulnerationis &c. etiamsi ea secuta non sint: quia speciem mutat peculiari deformitate contra quintum Præceptum.

IV. Prohibentur omnia etiam inductiva, & dispositiva 5
ad homicidium remote, & corde: utpote omne odium, ira, vindicta, omnisque actus internus consilii, vel voluntatis pravæ ad occidendum, vel graviter lædendum hominem: ex natura sua mortalia, contra hoc quintum Præceptum, ut patet ex citato textu *c.* 5. *Matth.* Ratio est, quia consentire in id, quod est peccatum mortale, utique mortale est, sed qui odio, ira, consilio, aut voluntate quavis mala deliberate fertur in hominis occisionem, vel læsionem gravem formaliter, vel virtualiter saltem in eam consentit, quæ est peccatum mortale: ergo &c. Ubi tamen duo sunt notanda. *Unum*, quando prædicta dispositiva ad homicidium, corde, ore, & opere concurrunt ad actuale homicidium, vel gravem læsionem proximi, tunc unum tantum moraliter constituunt peccatum mortale; quia omnia sub uno fine intento uniuntur: ut proinde sufficiat in Confessione fateri actum principalem, v. g. *occidi*, vel *taliter læsi hominem*: Secus quando seorsim exercentur, homicidio non secuto, juxta communem doctrinam in materia de peccatis. *Alterum* est, Confessarium in examinando hoc Præcepto debere inverso ordine incedere. 1. Interroget de peccatis cordis, odio, inimicitia, ira, invidia. 2. De peccatis oris contentione, maledictis, convitiis. 3. De peccatis operis, verberatione, aliave læsione corporis. 4. Tandem, sed raro, de secuto homicidio. 5. De scandalo activo, vel passivo, velut quodam homicidio spirituali, & læsione animæ. De odio, inimicitia, & reliquis velut dispositivis ad homicidium, consulto jam actum est *tr.* 2. *c.* 6. per totum. Ut ergo Confessarius plenam habeat notitiam peccatorum contra hoc præceptum, Tractatum hunc per quinque Capita digeram, 1. De scandalo activo, & passivo velut animæcidio spirituali, & restitutione inde debita. 2. De homicidiis licitis. 3. De homicidiis illicitis, & restitutione inde debita. Subjuncta brevi expositione, & remissione sexti, & noni Præcepti. 4. Erit in octavum Præceptum, de injusta læsione famæ, & honoris Proximi. Et tandem Cap. 5. in septimum, & decimum Præceptum, de injusta læsione proximi in bonis fortunæ: In Nomine Domini incipiat.

CAPUT I.

De Scandalo, veluti homicidio spirituali, seu de injusta læsione proximi in bonis animæ.

BOnum animæ spirituale idem est ac bonum morale di- 1
vinæ gratiæ, virtutis, ac honestatis, & justitiæ: ab opposito malum spirituale animæ idem est, ac malum morale culpæ,

culpæ, seu peccati, adeoque damnificare proximum in bonis animæ, seu in bono spirituali, idem est ac abducere aliquem a bono gratiæ, & virtutis, & inducere in peccatum, seu vitium, quod proprie dicitur scandalum activum, estque velut spirituale homicidium, vel, si mavis dicere, animæcidium. Unde & hoc peccatum, etsi directe contra Charitatem Theologicam militet, apte tamen reducitur, & examinatur in quinto Præcepto. Itaque *Scandalon* græce, latine offendiculum, seu pedis impactionem significat, *teste D. Hieronymo in c.* 15. *Matth.* In proposito significat offendiculum, periculum, seu occasionem peccati, vel ruinæ spiritualis alterius. Et aliud dicitur *activum*, scilicet ipsa actio præbens alteri occasionem peccandi, & ruinæ spiritualis. Aliud *passivum*, & est ipsa ruina spiritualis proximi: & omnium maxime homines se se invicem scandalizant, animasque lædunt odio, & inimicitia. Res rursus valde delicata, innumeris casibus intricata, insuper frequentissimæ praxis, quatuor Sectionibus accurate explicanda est. 1. De scandalo activo. 2. De scandalo passivo. 3. De inductione, ac cooperatione ad peccatum alterius jam parati, vel volentis peccare, aut alias certe peccaturi. 4. De obligatione scandalizantis pro damnificatione proximi in bonis animæ.

SECTIO I.

De Scandalo activo.

SUMMARIUM.

2 Usque ad n. 6. *Explicatur definitio scandali activi.*
6 *Scandalum activum aliud directum,*
7 *Aliud indirectum.*
8 Usque ad n. 13. *Quod variis modis contingere solet.*
13 *Scandalum activum tam directum, quam indirectum ex genere suo mortale.*
14 *Etiam veniale esse potest pro ratione materiæ.*
15 Usque ad n. 18. *Et (saltem directum) probabilius est peccatum speciale contra Charitatem.*
18 *Ideoque necessario explicandum in Confessione una cum specie peccati, & circumstantiis personæ inductæ.*
19 Usque ad n. 22. *Exempla varia.*

DEFINITIO.

2 Scandalum activum est *dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.* Communissima S. Thom. 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. Explico breviter.

3 I. *Dictum, vel factum:* Nam sola externa peccatoris, & operis, non utique interna, & occulta cordis, hominem in peccatum, seu ruinam spiritualem inducere possunt. Sub nomine autem dicti, vel facti, etiam comprehendi debet omissio externa, seu non dictum, non factum: v. gr. omissio Sacri, Horarum, &c. scandalizare potest, ut notant DD. communiter.

4 II. *Minus rectum*, seu *debita rectitudine carens:* hoc est, aut malum, aut speciem mali habens. Non enim opus est ad scandalum, ut dictum, vel factum ex se, & natura sua malum, vel peccatum sit, sed sufficit, quod speciem mali habeat, aut habere possit, ex circumstantiis personæ, loci, temporis, saltem respectu infirmorum, ut mox patebit exemplis. Quod si ergo quidpiam bonum, vel non malum, nec speciem mali habens facias, ex quo tamen alii ansam peccandi sumant, non erit scandalum activum, nec peccatum, sed mere passivum ipsismet imputandum.

5 III. *Præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis*, scilicet peccati. Debet autem esse occasio vera, vel ex intentione operantis, vel saltem ex natura, vel circumstantiis ipsius operis orta, & apta ad inducendum alios in peccatum, & non solum imaginaria, longe petita, non solum ex aliorum malitia acceptata. Cæterum etiam necesse non est ad peccatum scandali, ut ruina proximi reipsa sequatur, sed sufficit, quod suapte natura ex tali opere, cum his circumstantiis considerato, sequi possit, & ita sequi prævideatur, ut notat ipse *D. Th. cit. ar.* 2. Unde ulterius nec opus est ad peccatum scandali, ut ruina proximi directe sit volita, & intenta, sed sufficit, ut sit prævisa ex dicto, vel facto tuo secutura, & sic eo ipso indirecte volita, & intenta. Et hinc

IV. Scandalum activum aliud dicitur directum, seu, ut alii loquuntur, inductivum, aliud indirectum, & occasionativum tantum.

Scandala directa.

6 Scandalum activum directum, scilicet directe volitum ac inductivum dicitur, cum quis directe ex proposito, jussu, consilio, suasu, exemplo vult, & intendit alterum inducere in peccatum. Et hoc iterum dupliciter quoad formale, & quoad materiale tantum. Scandalum directum quoad formale est, cum quis directe intendit ipsam ruinam spiritualem proximi, seu ipsum peccatum formaliter, quatenus offensa Dei, & mors animæ est, & hoc proprie scandalum diabolicum, & omnium peccatorum contra proximum gravissimum, tantoque gravius homicidio corporali, quanto excellentior est vita animæ, quam corporis. Et tale scandalum in hominibus expresse, & formaliter (nisi desperatissimæ malitiæ, magis, sagis &c.) raro reperiri, bene notat Valentia *to.* 3. *disp.* 3. *q.* 18. *pu.* 2. §. *accedit quarto*. Scandalum directum quoad materiale est, cum quis directe intendit solum actum proximi, non quatenus formaliter peccatum, ruina proximi, vel mors animæ est, sed ob aliam rationem, vel finem, utpote propter delectationem, vel utilitatem aliquam, ut qui solicitat aliam personam ad peccatum carnale, ebrietatem, furtum, vel homicidium secum perpetrandum, gravissime utique peccat peccato scandali, etsi directe minime intendat ruinam proximi, & peccatum formaliter, sed solum actum proximi ob suam delectationem, vel commodum aliquod temporale. Quia tamen tali actui ruina spiritualis proximi necessario annexa est, ideo inducens ad talem actum, indirecte etiam necessario vult & intendit ruinam spiritualem, & peccatum proximi, indeque gravissimam malitiam trahit.

Scandala indirecta.

Scandalum activum indirectum, seu indirecte tantum volitum, ac occasionativum tantum dicitur, cum quis 7
actu suo, vel omissione sciens, & advertens, aliis dat occasionem peccandi, & velut exemplo suo provocat ad peccatum, etsi ipse directe nullo modo velit, & intendat inducere alios ad peccandum: nihilominus, quia tali dicto, facto, vel omissione sua prævidet, vel prævidere debet, alios inde lapsuros, & nihilominus facit, rursus indirecte convincitur velle ruinam spiritualem proximi. Quod rursus contingit variis modis.

I. Dicendo, vel faciendo aliquid, quod ex se malum est, 8
& inductivum alterius ad peccatum, ut qui coram aliis lascive se gerit, turpia dicit, vel cantat, die prohibito carnes vorat &c. advertens, vel advertere debens alios ad similia, vel alia peccata excitandos, vel inducendos: non enim semper committit peccatum scandali, qui coram aliis peccat, sed qui advertit, vel advertere deberet esse periculum alios quoque ad peccatum commovendi: contingere enim potest peccantem coram aliis ita esse vilis, vel malæ vitæ, & famæ, alios vero adeo prudentes, & constantes in virtute, ut nemo ejus malo exemplo moveatur, quin potius aversentur.

II. Fit scandalum indirectum dicendo, vel faciendo ali- 9
quid, quod ex natura sua non est malum, speciem tamen mali præsefert, ex quo quis prævidet, vel prævidere debet alios scandalizandos, vel de facto scandalizari advertit. Exemplum habes de Clerico, qui domi suæ fœminam populo suspectam alit, etsi ponatur nullum subesse peccatum, nec periculum peccati, tamen ad admovendum publicum scandalum, & malum detractionis, vel contemptus status Clericalis ex illa mali specie oriturum, tenetur sub mortali eam mulierem dimittere: ut docent unanimiter DD. & expresse decernit Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* juxta præceptum Apostoli 1. ad Thessal. 5. *ab omni specie mali abstinete vos. Et* 1. *ad Corinth.* 8. De eo, qui in Idolio (idest in loco, ubi carnes Idolis immolatæ comedebantur) recumbebat, utique per se non mala, tamen habente speciem mali ad scandalum infirmorum, severe monet dicens: *videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem; nonne scientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in sua scientia frater, propter quem CHRISTUS mortuus est?* Lege exemplum plane heroicum Senis Eleazari 2. *Machab.* 6.

III. Etiam fit scandali peccatum indirecti dicendo, vel 10
faciendo aliquid bonum de se, & justum, iis circumstantiis personarum, loci, temporis, quibus prævidet, vel prævidere debet aliquos offendendos, & speciem mali, vel occasionem peccati accepturos. V. g. Disserit quis in Concione vel conversatione contra hæreses, contra peccata carnalia, contra subtiles dolos injustitiarum &c. Zelo quidem bono ab ejusmodi sceleribus absterrendi; at prævidens, vel advertens pusillos inde sumpturos occasionem, vel periculum lapsus, scandalizat, & abstinere debet. Quam ob causam alibi monuimus, Confessarios debere esse valde cautos in interrogatoriis, maxime sexti Præcepti. Huc spectant colloquia, & consortia, etsi sanctissima, tamen nimis familiaria, vel secreta cum fœminis, etsi alioquin piis, & honestis, tamen aliis communi judicio, merito suspecta, & scandalosa, aliaque peccata vitanda.

IV. Denique fit peccatum scandali non tantum dicendo 11
vel faciendo, sed etiam tacendo, vel patiendo, tolerando, aut omittendo: non enim minus scandalizant illi, qui etsi ipsi nihil mali, vel speciem mali habens agant, vel dicant, patiuntur tamen in sua præsentia, & maxime in sua familia vel domo a sibi commissis dici, vel fieri ea, quæ alios scandalizant, vel ad peccatum inducunt, tacentes, dissimulantes, aut quod deterius, etiam arridentes, placere sibi ostendentes &c. In quo proinde maxime, cæteris longe gravius, quasi dupliciter peccant, & contra Charitatem, & contra justitiam, vel officium suum, Superiores, & Patres-familias ejusmodi permittentes, vel dissimulantes, ut infra iterum notabitur.

bitur, Jam ergo videndum, quale, & quantum peccatum sit scandalum activum.

ASSERTIO I.

12 *Omne scandalum activum, quo quis dicendo, agendo, omittendo, jussu, consilio, exemplo, quocumque modo directe, vel indirecte alios in peccatum inducit, est peccatum ex genere suo mortale, vel etiam veniale pro ratione materiæ, seu peccati, ad quod inducit. Et saltem directum est peccatum speciale scandali contra Charitatem: ideoque necessario explicandum in Confessione.* Communis, & certa Doctrina. Explico breviter per partes.

§. I. *Est peccatum ex genere suo mortale.*

13 Certissimum ex Sacris Litteris. Terribilia sunt verba CHRISTI Matth. 18. *Væ mundo a scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala, verumtamen væ homini illi, per quam scandalum venit.* Et rursus ibidem, vers. 6. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Christo consonat Apostolus *ll. cc.* & alibi sæpissime, & generalissime de re etiam licita agens ad Roman. 14. & 1. ad Corinth. 8. dicit, *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Ratio autem est evidens: quia scandalum directe repugnat præcepto naturali negativo Charitatis, & Misericordiæ, ne proximo noceas, & multo magis, ne proximum in peccatum inducas, quod est omnium damnorum, quæ proximo inferri possunt, gravissimum: ergo scandalum est peccatum ex genere suo mortale. Addimus tamen

§. II. *Mortale, vel etiam veniale pro ratione materiæ.*

14 Quod si nimirum proximum inducas ad peccatum mortale, peccabis mortaliter, si ad veniale, venialiter tantum, quantum est ex ratione scandali dati, quod tamen additum ipsi actui scandaloso, aut ex non peccato facit peccatum mortale, vel veniale: aut ex veniale facit mortale, aut ex mortali facit duplex. Nam 1. Si actu de se non malo, v. g. secreto: vel licito consortio cum fœmina alterum inducas ad veniale tantum, v. g. levem suspicionem mali, peccas simplici peccato scandali, si ad mortale aliquod, peccas simplici peccato mortali scandali. 2. Si actu venialiter malo alium solum ad veniale inducas, v. g. colloquia vana, excessum in ludo, potu, &c. peccas duplici peccato veniali: si peccato tuo veniali alterum ad mortale inducis, v. g. levi deceptione in lusu, colludentem ad graves blasphemias, &c. cessat illud esse veniale, & vere fit peccatum mortale. Ut si Religiosus, vel Clericus loquatur, vel conversetur scurriliter, in potu excedat coram sæcularibus cum gravi eorum contemptu status sacri. 3. Si actu de se moraliter malo alium solum ad veniale induxisti, v. g. ad levem contemptum status, vel personæ, ultra proprium peccatum mortale, ratione scandali manet solum peccatum veniale, ideoque nec necessario confitendum: si vero actu tuo de se mortaliter malo etiam alium, vel alios ad mortale induxisti, v. g. tactu libidinoso ad consensum turpem &c. jam duplici peccato mortali peccasti, uno proprio, altero alieno scandali, ideoque necessario explicando in Confessione; juxta mox dicenda §. 4. Cæterum monent Doctores communiter, Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 6. *a num.* 6. Diana *p.* 5. *tr.* 7. *resol.* 3. Multos excusari a peccato scandali mortali contrahendo, & confitendo ex eo, quod vel ipsi tam pravis moribus imbuti sunt, ut eorum pravum exemplum nihil, vel parum alios moveat, aut alii tam pravi facile proclives sint ad peccandum, ut qui eis exemplo malo præit, non censeatur eos moraliter inducere.

§. III. *Et saltem directum, est peccatum speciale scandali.*

15 Certum apud omnes, scandalum directum, quo directe intenditur ruina proximi, esse peccatum speciale contra Charitatem proximi omnium gravissimum, ideoque specialiter explicandum in Confessione una cum specie peccati, & circumstantiis personæ inductæ, v. g. Si loquaris turpia, ut alium, vel aliam ad turpia pertrahas, oportet explicare, ad quæ turpia inducere volueris, an ad fornicationem, adulterium, sacrilegium, &c. Quia tunc peccatum talis scandali non est solum contra Charitatem debitam proximo, sed etiam contra illam aliam virtutem oppositam, Castitatem, justitiam &c. eadem enim virtus, quæ directe me obligat ad Castitatem servandam in mea persona, eo ipso indirecte etiam me obligat, ne sciens, & volens procurem proximum a virtute Castitatis dejicere.

16 Porro etiam scandalum indirectum, & occasionatum, quo directe non intenditur ruina proximi, sed solum ex nostra actione, vel exemplo malo secutura prævidetur, esse speciale peccatum contra Charitatem, docet communior DD. *Navar. Sylv. Sotus, Valentia, Suarez,* aliisque cit. Laym. *t.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 5. §. *Porro circa Scandalum.* Lugo *de pœnit. disp.* 19. *sect.* 5. Tamb. *Oppusculo de confess. lib.* 2. *c.* 1. §. 17. Ratio est, quia hoc scandalum etsi indirecte tantum intentum, revera tamen est causa injusta, vel iniqua damni spiritualis, seu peccati proximi: atqui in omni peccato damnifico commisso in proximum, sufficit voluntarium indirectum, ponendo scilicet voluntarie causam, ex qua prævidetur secuturum damnum proximi, etsi id directe non intendatur: ergo etiam ad speciale peccatum scandali contra Charitatem sufficit voluntarium indirectum, scilicet exercere talem actum, ex quo prævidetur secutura ruina spiritualis proximi, etsi ea directe non intendatur.

Contrarium tamen docent *ex S. Thom. Palud. Durandus, Azor. Vasq. Sanch. alii apud Laym. citati.* Nimirum eum, qui solo exemplo, vel actu suo alterum induxit ad peccandum, non tamen intendendo ejus ruinam spiritualem, non committere peccatum speciale scandali, (ratio sect. 3. patebit) sed ipso facto peccare eo genere peccati, ad quod alterum induxit, v. g. Inducens alterum ad ebrietatem, vel furtum exemplo suo ipse se inebrians, vel furans, peccabit duplici peccato ebrietatis, vel furti: uno proprio, & altero alieno, & non alio speciali scandali contra Charitatem. Utraque sententia probabilis est, prior tamen probabilior: sed in praxi, & in ordine ad confessionem omnino perinde. Qui enim alterum inducit ad peccatum, sive peccet peccato scandali, sive solum eodem genere peccati, ad quod alterum induxit, certum est, quod præter actum suum peccaminosum (si aliunde talis sit) peccet alio distincto peccato ratione peccati proximi, quod, si mortale sit, in Confessione distincte explicandum necessario erit. Vide de his plura *apud Lugo, & Tamb. cit.* 17

§. IV. *Ideoque necessario explicandum in Confessione.*

I. In confitendo ergo peccato scandali. 1. Ultra proprium peccatum, si mortale sit, v. g. verba, vel actus libidinosi, ebrietates, detractiones, furta &c. necessario explicandum est peccatum adjunctum scandali in specie una cum circumstantiis personarum inductarum, ut, si personam ligatam, consanguineam, sacram &c. in peccatum carnale induxisti. Ratio dicta est *præced.* §. in initio. Immo quandoque etiam explicanda est circumstantia personæ scandalizantis, ut si Superior, Prælatus, Parochus, subditos; parentes, vel Patresfamilias, filios, vel domesticos; Magistri, Discipulos: Confessarii pœnitentes &c. scandalizarunt, tales enim cæteris longe gravius peccant scandalizando, non tantum contra Charitatem, sed plerumque etiam contra justitiam, cum tales ex officio naturali jure peccata suorum corrigere obligentur: ut bene notat Marchant. *Tribun. to.* 2. *tract.* 2. *tit.* 4. *sect.* 2. *q.* 1. §. 6. *dub.* 3. *Regula* 1. 18

II. Scandalizans tenetur etiam explicare numerum, vel (quia plerumque hoc non potest) saltem pluralitatem personarum scandalizatarum a se, v. g. dicendo: scandalo fui pluribus, multis, plurimis: auget enim id malitiam substantialem actus ex pluralitate ruinarum spiritualium. Et sine dubio non satisfaceret, qui plures induxisset ad ebrietatem, detractiones &c. si diceret solum: scandalizavi aliquem. *Communis DD. apud cit.* 19

III. Qui peccavit cum complice, v. g. peccato carnis, furti, necessario explicare debet in Confessione, si ipse alterum ad peccatum induxit, jussu, consilio, exemplo, suasu, &c. Item an invitum, an facile consentientem vel paratum, etsi enim gravius peccet, qui invitum ad peccandum pertrahit, quia talis, & voluntatem, & actum peccandi in proximo causat: tamen etiam peccato scandali peccat, qui alterum de se paratum ad peccandum prior inducit; quia, licet talis non causet voluntatem, causat tamen hic, & nunc actuale exercitium peccati, ut absque ejus inductione hic, & nunc non fieret, ut notant *cum Navar. c.*21. *num.* 26. DD. communiter. Vir ergo inducens in peccatum fœminam invitam exprimere debet se induxisse: non item si parata, vel voluntaria fuit, quia ex communiter accidentibus, & contingentibus præsumitur, & a Confessario facile intelligitur virum petiisse, ut cum aliis notat Laym. *cit. a num.* 6. 20

IV. Qui alterum induxit ad peccatum injustitiæ, furti, homicidii &c. directe jussu, consilio, auxilio, vel cooperatione propinqua, tenetur simul cum altero ad restitutionem, juxta tamen dicta suo loco: talis enim non solum peccat contra Charitatem respectu ejus, quem ad peccandum induxit, vel adjuvit, sed etiam contra justitiam respectu illius tertii, cujus damnum positive, & directe promovit: at vero qui solum suo exemplo indirecte tantum alterum ad furtum v. g. induxit; non tenetur ad restitutionem pro illo, quia talis solum peccavit contra Charitatem in proximum exemplo suo, non item contra justitiam respectu tertii; quippe cujus damnum ipse non tenebatur impedire ex justitia. *Ita Valent. Sanch. Vasq. alii* cum Laym. *cit. n.* 6. §. *Qui alterum*, Sed de hoc ex professo in septimo Præcepto. 21

SE-

SECTIO II.

De Scandalo passivo.

SUMMARIUM.

22 & 23 *Scandalum passivum duplex*, datum, & acceptum.
24 *Scandalum mere passivum non quidem semper*,
25 *Sed solum aliquando vitari debet.*
26 *Aliquando autem ob justam causam permitti potest.*
27 *Immo aliquando permitti etiam debet.*
28 & 29 *Ut quando occurrit præceptum divinum, vel humanum magis obligans ad agendum aliquid, quam omittendum illud timore scandali passivi.*
30 *Unde ob scandalum pusillorum omittenda non sunt spiritualia ad salutem necessaria.*
31 *Bona autem spiritualia ad salutem non necessaria ob scandalum pusillorum occultari, vel aliquantulum differri debent, donec reddatur ratio facti.*
32 *Immo bona temporalia quandoque dimittenda sunt, si sine gravi proprio, vel tertii incommodo fieri possit.*
33 Usque ad n. 38. *Resolvitur casus, an Matrona, vel Virgo sciens se ab aliquo turpiter amari, quoties ab eo videtur, possit.* 1. *se permittere ab illo videri, aut* 2. *se videndam per fenestras præbere, aut* 3. *prodeundo in publicum illi occasionem videndi facere.*
38 Usque ad n. 40. *resolvitur, qualiter, & quantum liceat fœminæ se ornare sine peccato scandali.*
40 *An, & qualiter liceat fœminæ saltare præviso scandalo: &*
41 *An, & quos tactus permittere possit inter saltandum.*

22 Scandalum passivum est ipsa ruina spiritualis proximi in peccatum, contingens ratione dicti, vel facti alterius minus recti: ideoque opponitur scandalo activo tanquam causæ suus effectus: atque iterum duplex est: *datum, & acceptum*. Scandalum passivum datum est, quod vere oritur ex alterius dicto vel facto minus recto, ex natura ipsius actionis, quia revera mala est, vel speciem mali habet, ut merito inde proximus sumat occasionem ruinæ spiritualis, ut sunt jussiones, suasiones, exempla prava &c. Et hoc scandalum datum proprie opponitur scandalo activo. Quod proinde semper vitari debet, ne detur proximo, sub peccato pro ratione materiæ mortalis, vel venialis, juxta satis dicta *Sect. præced.* Scandalum passivum acceptum est, quo quis ex alterius dicto, vel facto, præter omnem ejus intentionem, & præter ipsius operis naturam, & conditionem, ex sola sua sinistra apprehensione sumit occasionem ruinæ, vel peccati. Idque vel ex ignorantia, vel infirmitate tantum, & tunc dicitur *scandalum pusillorum*. Vel ex sola mera malitia hominis, alterius dictum, vel factum sibi in ruinam male interpretantis: & tunc dicitur *scandalum pharisaicum*: nimirum a Pharisæis ita in dictis, & factis Christi de se Sanctissimis, tamen scandalizari solitis ex mera malitia male interpretando. Et de hoc scandalo quæritur, qualiter vitari debeat, vel permitti possit.

ASSERTIO II.

23 *Scandalum mere passivum, & acceptum, non semper, aliquando tamen vitari debet, aliquando permitti potest, aliquando etiam permitti debet.* Omnes. Explico breviter.

§. I. *Non semper vitari debet.*

24 Ratio universim est: quia licet scandalum activum, & datum ex dicto, vel facto vere malo, vel speciem mali habente, secutum semper vitari debeat, quia nimirum repugnat præcepto Charitatis negativo, ne noceas proximo, ne in peccatum inducas, quod semper, & pro semper obligat: scandalum autem passivum, & acceptum tantum ex nostra operatione de se non mala, nec speciem mali habente, ideoque a nobis vere non causatur, non semper vitari debet, quia solum est de præcepto Charitatis affirmativo, scilicet avertendum, vel impediendum esse malum proximi, quod proinde non semper, & pro semper obligat, sed solum aliquando, certis circumstantiis concurrentibus. Et hinc

§. II. *Aliquando vitari debet.*

25 Quotiescumque nimirum nulla ratio necessitatis, vel utilitatis propriæ, vel alienæ cogit nos aliquid dicere, vel agere, ex quo putatur proximus accepturus aliquam occasionem ruinæ spiritualis, sive ex ignorantia, vel infirmitate, sive ex mera malitia, tunc vitari debet scandalum proximi acceptum. *Omnes*; quia lege Charitatis, & Misericordiæ obligamur tollere, vel impedire proximi mala, maxime spiritualia, cum facile possumus: at in proposito facile possumus, ergo &c. Non ergo licet a Sacerdote, quem scio esse indispositum, vel impeditum, petere absolutionem, cum alius adsit. Sic fœmina sciens se a quapiam determinata persona carnaliter concupisci, & concupiscendam, si foras prodeat, tenetur abstinere ab inutili egressu, saltem aliquandiu, non item ad longum tempus, vel cum suo incommodo. Quod si enim concupiscentia alterius diu duret, non erit amplius infirmitas, & scandalum pusilli, sed erit malitia, & scandalum Pharisæi, quod curandum non est. Communis cum Navar. *cap.* 14. *Laym. cit.*

§. III. *Aliquando permitti potest.*

Nimirum ob justam causam necessitatis, vel utilitatis alicujus permitti potest scandalum mere acceptum. Patet in exemplis modo allatis; sic semper licet petere ab altero opus, quod is absque peccato præstare potest, etsi prævideatur ipsum ex mera malitia sua, non absque peccato præstiturum, ut latius patebit *sect. seq.* Ratio est: quia tunc peccatum proximi sequitur non ex nostra actione, vel petitione, sed ex sola prava dispositione proximi, quod proinde ob justam causam necessitatis, vel utilitatis nostræ impedire non tenemur, sed permittere possumus. Omnes cum S. Th. 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. Nav. Laym. *c. n.* 8. Qui recte notant, majorem requiri causam necessitatis, vel utilitatis, ut permitti possit scandalum pusillorum ex ignorantia, vel infirmitate: quibus quoad commode fieri potest, condescendendum est: longe vero minorem, & quamlibet sufficere causam, ut permitti possit scandalum pharisaicum ex mera malitia, quod plerumque curandum non est. Cæterum etiam scandalum ex ignorantia, vel infirmitate post debitam instructionem, vel admonitionem adhuc durans, fit pharisaicum, & malitiosum, & tunc curandum amplius non est, v. g. Parochus die festo legitime impeditus legere Sacrum, & alium substituere non potens, debet populum informare, cur Sacrum intermittatur: quod si scandalum nihilominus sequatur, ipse excusatus est, juxta communem apud cit. 26

§. IV. *Aliquando etiam permitti debet.*

Quotiescumque nimirum operatio, vel omissio necessaria est, aut ad propriam salutem, aut ad majus bonum suum, vel proximi, vel maxime Communitatis, fieri debet, etiamsi prævideatur inde secuturum scandalum acceptum pusillorum, vel pharisaicum. Ubi tamen diligenter de se ponderanda sunt, & magnitudo boni, quod ex nostra operatione, vel omissione provenit, & gravitas peccati, seu scandali passivi inde secuturi. Pro quibus omnibus distincte, & facile dignoscendis pono breves regulas sequentes. 27

REGULA I.

Quando occurrit aliud præceptum divinum, vel humanum incompossibile cum præcepto de vitando scandalo proximi, observandum erit, quod, omnibus spectatis, videbitur majus, & magis obligare. Sic communior DD. Adrianus, Bannes, Valentia, Suarez, Henriq. aliis cit. Tannerus *t.* 3. *disp.* 2. *q.* 6. *dub.* 9. *n.* 120. contra Vasquez 1. 2. *disp.* 162. *n.* 17. & plures alios, quos sequitur Diana *p.* 5. *tr.* 7. *ref.* 22. Qui volunt nullum omnino præceptum divinum, vel humanum omittendum esse ob vitandum scandalum, excepto pusillorum tantum. 28

Et quidem quoad præcepta divina vix ullus casus affertur a Doctoribus, nisi hic, quod fœmina v. g. in Confessione omittere possit, & debeat illud peccatum, ex quo intelligit, Confessarium (cui tamen necessario confiteri debet, alio non suppetente) grave scandalum ob infirmitatem passurum, eo quod tum præceptum naturale Charitatis de impediendo peccato proximi videatur præponderare præcepto positivo Christi de integritate materiali Confessionis; uti & nos alibi admisimus. Quoad præcepta vero positiva humana, frequentior potest esse casus. Nam Parochus die festo, sive casu, sive culpa non jejunus, tenebitur tamen celebrare ad vitandum scandalum populi, si aliter vix nequeat: *secundum* omnes. Item fœmina sciens determinatam personam ex aspectu suo scandalizari, potest una, aut altera vice domi se continere, omisso Sacro, ut habet *communis* DD. At etiam teneri negant multi cum *Diana cit.* Et certum est non teneri abstinere sæpe, vel ad longum tempus. Nec tenetur domi manere, si solum putet indeterminate alios in se scandalizandos. Sic enim honesta Matrona, vel Virgo liberalis formæ nunquam domo egredi, nec per fenestras prospicere auderet, quod esset nimis intolerabile, ut etiam *ex Navar.* notat Laym. *cit. num.* 10. Similiter uxor poterit semel, vel iterum omittere Sacrum, vel jejunium præceptum, si sciat, virum morosum, vel zelotypum inde offendendum, aut occasionem gravis dissidii sumpturum ex infirmitate, vel ignorantia. *Ratio* horum, & similium est, quia est obligatio præcepti naturalis Charitatis de cavendo scandalo pusillorum, (nam pharisaicum utique curandum non est) quam præcepti positivi Ecclesiastici, de audiendo, vel celebrando Sacro jejune. 29

REGULA II.

Nulla spiritualia necessaria ad salutem debent omitti ob scandalum pusillorum: ob scandalum autem pharisaicum nullum omnino opus bonum omitti debet. Omnes cum S. Thoma c. a. 7. Ratio, quia ordine Charitatis salus pro- 30

propria præferenda est saluti proximi, ideoque opera ad salutem necessaria minime negligenda sunt ob ruinam spiritualem proximi ex sola infirmitate, vel ignorantia inde consecuturam, ob scandalum autem pharisaicum ex mera malitia oriturum, cum ii non sint in necessitate, sed mera, & libera malitia, ideoque non curandum, nullum opus bonum omittendum est. De his enim Christus Matth. 5. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.*

REGULA III.

31 B*Ona spiritualia, quæ non sunt necessaria ad salutem, sed vel de consilio, vel saltem hic, & nunc necessario exequenda non sunt, debent occultari, vel differri aliquantum ob scandalum pusillorum ex infirmitate, vel ignorantia inde secuturum, donec reddatur facti ratio.* Communis cum S. Thoma cit. Exemplum commune est de proposito, immo & voto ingrediendi Religionem, quod ob scandalum parentum, consanguineorum, vel aliorum ex infirmitate, vel ignorantia inde ortum (etsi omnino intermitti non debeat, quia hæc gravis censeretur jactura spiritualis vocati) sæpe tamen differendum est, donec illi propositis rationibus informentur, & sic de cæteris, & similibus. Quod si propositis rationibus sufficientibus scandalum nihilominus duret, jam incipit esse scandalum pharisaicum, ideoque minus jam curandum, ut cum aliis notat Valentia *hic puncto* 4.

REGULA IV.

32 B*Ona temporalia proprii dominii, si absque gravi incommodo suo, vel tertii fieri potest, aliquando dimittenda sunt ob scandalum pusillorum, si aliter sedari non possit:* quia bonum spirituale proximi ordine Charitatis præferendum est bono temporali proprio. *Communis cum S. Thoma ar.* 8. Sed durum est hoc latinum. Et de bonis alicujus momenti merito negant *Suarez*, aliique cit. *cum Diana*. Certe res est raræ praxis. Casus tamen esse potest, si opulentus Clericus hæreditatem tenuem præripere vellet aliis egenis hæredibus. Dixi autem *proprii dominii:* nam Prælati Ecclesiastici, vel Regulares, cum non sint domini, sed administratores tantum bonorum Ecclesiæ, vel Monasterii, non possunt ea dimittere, vel remittere debita, quamvis eorum exactionem aliquando debeant differre ob scandalum pusillorum, donec illud cesset, vel facta informatione pharisaicum fiat; verumtamen hic nihil universim statui posse, sed accidente casu judicio prudentis standum esse, recte monet Laym. *cit. n.* 9. Denique hic referendi sunt aliquot

Casus particulares circa fœminas.

I. *Videre, Videri, Prodire.*

33 MAtrona, vel Virgo honesta scit se turpiter amari ab aliquo, quoties eum aspicit, vel ab eo aspicitur: Quæritur 1. Potestne permittere se ab illo videri? 2. Potestne se præbere prospiciendo per fenestras? 3. Aut prodeundo in publicum illi occasionem videndi facere? Ad hunc perplexum casum jam satis quidem generatim respondimus *supra* §. 2. Sed clarioris Doctrinæ gratia juvat respondere verbis *Sanch. & Dianæ*.

34 Ad primum Sanch. *t.* 1. *in Decal. l.* 1. *c.* 6. *n.* 16. *&* 17. communiter Doctores docent, eam peccare mortaliter, quando nulla necessitate ducitur, sed ut suæ libertati satisfaciat, huc, atque illuc discurrendo, secus, ut invisat vicinos, ne inurbana videatur, ut eat ad Ecclesiam &c. Alii tamen docent, eam non peccare mortaliter. 1. Quia ea occasio potius ex propria adamantis malitia, quam a muliere data est, quæ libertate sua jure utitur. 2. Ne mille scrupulis subjaceat, dum vult expendere, quando est necessitas domo exeundi, &c. 3. Quia ex hac causa mulieres se superflue ornantes, semper peccarent, quia sciunt se a pluribus turpiter fore amandas. Hæc igitur Sententia verior est. Sic *Sanch. ibid.*

35 Ad secundum. Idem ibidem sic habet: si data opera absque ulla necessitate se ejus conspectui offerret, sed quadam vanitate ducta, nec turpis amoris alterius ignara, etsi illum non intenderet, nescio eam a culpa mortali liberare: quia aliud est, sua se quocumque eundi libertate privare, quod commode, & absque anxietate, atque absque aditu ad scrupulos, præstare nequit: aliud tamen data opera se ejus aspectui offerre, quod facillimo negotio vitare potest: nec in oblatione illa aliquid utilitatis est. *Hæc Sanch. optime.* Et summa responsionis est: talem fœminam peccare mortaliter, si data opera se conspiciendam præbeat: quippe alias forte non proditura, nisi sciat se a tali conspiciendam. Non item peccare, saltem mortaliter, si ita faciat sua libertate utens: quippe etiam alias proditura, etiamsi ab illo conspicienda non esset. Certum autem est non peccaturam, si ex aliqua rationabili causa ita prodeat, & conspiciendam se præbeat.

36 Ad tertium quæsitum respondet Diana *p.* 3. *tr.* 7. *res.* 31. *Sic* dico igitur, quod quando fœmina timet, ne a persona particulari ametur lascive, teneri cavere a publico, & abstinere ab actione occasionante alicui ruinam, quando potest absque gravi proportionato incommodo: quia tenemur vitare aliorum peccata, quantum commode possumus: Unde deducendum est, peccare fœminam euntem in hoc Templum ad hoc Sacrum, in quo est aliquis a quo turpiter amatur, quando commode potest aliud Templum adire, eo periculo vacans: Item quando it per hunc vicum, potens commode ire per alium: Item quando audit sonitum equi vehentis amasium, & ipsa se absque necessitate dat in fenestra conspiciendam &c. Quando verba facit coram amatore, quibus ille sit accendendus, si potest absque specie inurbanitatis tacere. Item quando domo egreditur sciens eum expectare spectandam, si nulla tunc sit necessitas. Ita *ex Hurtado Diana cit.*

Secus ergo dicendum, quando est necessitas, vel rationabilis causa prodeundi in publicum. Et consentiunt omnes, 37
fœminam ob illam causam non teneri ad longum tempus abstinere a publico, vel actionibus de se indifferentibus, v. g. ad longum tempus non aspicere per fenestram, non ad januam domus suæ stare, vel assidere; sed solum semel, & iterum, donec alter advertere possit se fugi ab illa, quod si enim alterius peccatum, & turpis amor diutius duret, non erit amplius ex infirmitate, & scandalum pusilli, sed ex malitia, & scandalum pharisaicum, adeoque deinceps non curandum.

II. *Ornare se.*

DE hoc juvat audire conscientiosum Doctorem Navarrum *c.* 23. *Man. n.* 18. Nemo peccat ornando se splen- 38
dide pro sui status decentia, & more Religionis, modo id bono fine fiat, immo tenetur, licet alius, vel alia ad ejus concupiscentiam per accidens alliciatur, &c. permittendus est ergo ornatus mulieribus juxta exigentiam status, & more patriæ, aut etiam ex bonitate aliqua veniali. Ratio est; quia fœmina habet jus ad illa vestimenta, & ornamenta, quæ sunt juxta consuetudinem Patriæ: & oppositum foret illi valde grave: ergo suavis lex Charitatis non obligat illam, ut cum tanto gravamine suo evitet peccatum illicitæ concupiscentiæ alterius. *Sic Nav.* Sic DD. alii communiter cum Sanch. Laym. *cit. num.* 11. Diana, Tamb. *lib.* 7. *Decal. c.* 8. §. 8. *per totum*, aliisque cit.

Excipe tamen: 1. Si mala, & lasciva intentione fœmina 39
se ita ornet. 2. Si constaret in certo casu determinatam personam inde spiritualiter ruituram, tunc enim ex Charitate abstinere tenebitur, quantum commode fieri potest, *ut ex Nav. notat Laym. cit.* 3. Si corporis ornatus ex se sit nimis turpis, & ad lasciviam provocans, utpote mammis usque ad pectus nudis, vestitu ante ventrem nimis tenui saltem, quæ primitus talem in patriam inducunt, a mortali excusari non possunt ob nimium scandalum, alioquin in provinciis, ubi talis consuetudo jam viget, ut fœminæ ita nudatæ incedant, a mortali DD. excusant, meique citati. Denique virum indui veste fœminea, aut e contra fœminam veste virili, si ex justa causa fiat ad occultationem justam in periculo, aut in licitis comœdiis, culpa vacabit: si ex levitate, vel joco solum, ut in bacchanalibus, veniale non excedit, ut docet ipse S. Thomas 2. 2. *qu.* 169. *a.*3. *ad* 3. *Cajet. Navarr.* aliosque citans Laym. *l. c.* Attamen ob circumstantias malæ intentionis, periculi, libidinis in se, vel in aliis, adeoque gravis scandali activi, peccatum mortale fieri, nimis certum est: ideoque in sacris Religionibus id minime tolerandum.

III. *Saltare.*

DE hoc *Hurtad. apud Dian. cit. resol.* 29. sic habet. 40
Quando fœminæ honesto motu pedes referunt ad numerum, si timeant aliquem vage, & confuse accepturum occasionem ruinæ, non tenentur abstinere ab illa actione; quia ille timor est communis infinitis rebus, a quibus non tenemur abstinere, nihil enim est, quo non abutatur hominum pravitas. Si vero aliqua fœmina prudenter timeret adstare aliquem particularem accepturum occasionem ruinæ, distinguendum est. Si non potest, nisi incommode, abstinere a chorea, non tenetur abstinere, e. g. si fœmina provocetur a viro nobili, qui in injuriam referret, nisi fœmina prodeat, & adstantes habebunt occasionem malæ suspicionis. Si vero commode potest, tenetur abstinere, si advertat, alium peccare ex passione, i. e. ex infirmitate: at vero non tenetur se privare oblectatione illa honesta, communi aliis fœminis propter alterius malitiam &c. *Hæc Hurtad.*

IV. *Tangi.*

MAtrona, Virgo, puella inter saltandum, conversan- 41
dum &c. advertit se a libidinoso tangi: siquidem tactus sint impudici ex objecto, non potest licite permittere se tangi, nam concurret ad actum intrinsece, & mortaliter malum, si vero tactus ex objecto honesti, ut oscula in facie, tactus genarum, compressio manuum, amplexus &c. & sola tangentis prava intentione libidinosi sint, id advertente puella, distinguendum est: si enim fiant in publico, ut in choreis, in convivio &c. licite eos tactus permittit puella: quia in re per se non

se non mala adest excusatio sufficiens, ne scilicet in suspicionem malitiæ apud spectantes veniat tangens repulsus, alias bonæ famæ. At vero si tactus fierent in secreto, aut etiam in publico, sine suspicione illa, & periculo infamiæ repelli possent, omnino tenetur puella illos repellere, si moraliter certo (nam in dubio nemo præsumendus malus) tangentis, osculantis, vel amplectentis malitiam, & libidinosum affectum advertat: tenetur enim ad non concurrendum cum peccato alterius, ubi nulla adest excusatio permittendi, juxta late dicenda in sequentibus. Unde etiam concedunt DD. apud Bonac. *de Matr. q. 4. p. 10. num. 9.* licite posse a puella repelli Medicum, vel Chirurgum, & sic negligere curationem sui morbi, ne tangatur in partibus inhonestis, non scandali alterius, sed etiam proprii pudoris causa: quia nemo tenetur admittere curationem, a qua non minus abhorret, quam ab ipso morbo. Et hactenus quidem de scandalo, quatenus est inductivum, vel occasionativum peccati alterius, alioquin non peccaturi. Jam sequitur longe difficilior, & intricatior quæstio, &

SECTIO III.

De inductione, & cooperatione ad peccatum alterius jam parati, & volentis peccare, vel alias certo peccaturi.

SUMMARIUM.

42 Absolute, directe, & proxime, *inducere, vel jam parato ad peccatum cooperari nunquam licet.*

43 Paratus *peccare dicitur, qui habitualiter ita dispositus est, ut quavis occasione data semper peccet, v. g. se inebriet, jejunium frangat &c. Et*

44 *Tali sine causa non licet nec indirecte, & remote cooperari, v.g. dando uberem potum, cibos vetitos.*

45 & 46 *Volenti, seu actu interno jam intendenti peccare, externe tamen non peccaturo, nisi adjuves, dando cibum, potum &c. sine ulla justa causa sic cooperari non potes.*

47 & 48 *Immo etiam nec certe peccaturo sibi aliunde procurando, tu sic absolute, & proxime cooperari potes sine alia causa, præbendo, v. g. cibum, potum, instrumentum, &c.*

49 *Nec obstat, quod absque tua cooperatione peccatum adhuc fieret.*

50 & 51 *Secus est, si actio tua indifferens sit solum remote, & conditionate cooperativa.*

52 Usque ad n.56. *Non licere certo peccaturum gravius inducere ad peccatum minus, docent plures DD. Tamen*

56 *Longe probabilius id licere docent alii æque multi.*

57 *Idque certum videtur, quando peccaturus determinatus est ad utrumque peccatum, gravius, & levius, disjunctive.*

58 *Sic etiam volenti committere peccatum gravius, licite suadere potes minus, quod est veluti pars illius majoris: ut volenti furari mille, si non possis omnino impedire, licite suades, ut contentus esse velit centum.*

59 *Salvo semper jure tertii; nullam scilicet personam certam proponendo.*

60 *Sic etiam volenti committere peccatum majus, licite proponitur aliud minus.*

61 *Immo etiam licite cooperari possum ad minus, ut impediam majus damnum, v. g. furtum, si alia via avertendi majus non suppetat.*

62 *Secus est, si agatur de bonis vitæ, & corporis, ac etiam fortunæ respectu diversorum, tunc enim, licet quis consulere possit minus damnum, non tamen ad illud cooperari potest.*

63 *Peccatum alterius permittere, vel ad illud ansam dare non licet* eo fine, *ut alter peccet, puniatur, ideoque in malum ipsius.*

64 *Probabiliter tamen ita permittere, vel etiam ansam præbere licet ob alium finem* bonum, *vel indifferentem, v. g. ad alterius emendationem, ad se indemnem servandum &c.*

65 *Dominus, Pater &c. servum, vel filium suspectum licite finit denuo furari, pecuniam exponit, clavem relinquit &c.*

66 *Aut servum sibi fidelem a fure sæpe sollicitatum ad furandas res sibi dandas, cum aliqua re ad furem mittit, ut sic fur deprehensus non amplius servum sollicitet; &*

67 *Maritus uxori de adulterio suspectæ licite occasionem relinquit, vel etiam remotam, & indifferentem ansam præbet, ut deprehensa emendetur.*

68 Usque ad n. 71. *Sic pariter ob finem emendationis, vel majorem rei securitatem &c. custodes gabellarum, hortorum, vinearum, piscinarum, sylvarum &c. licite se abscondunt, ut homines sic deprehensi emendentur, res custodienda magis secura maneat; secus, si id faciant ob lucrum, vel mulctam.*

71 Usq; ad n.75. *Omnis non obligatus specialiter impedire peccatum proximi, sed ob justam causam permittere potens,* potest etiam licite, ob bonum finem, vel justam causam necessitatis, vel utilitatis, remote, & materialiter, actione omnino indifferenti, ad illud cooperari.

75 *Ob justam causam necessitatis, vel utilitatis alicujus momenti semper* licet petere opus ab aliquo, *quod is sine peccato præstare potest, etsi putetur, vel prævideatur non esse præstiturus,*

76 *Sic ob* justam causam alicujus necessitatis, *si alius non adsit, licite petis. I. Sacrum, absolutionem, vel alia Sacramenta a concubinario, vel alias notorie in mortali existente, immo etiam excommunicato tolerato, etsi prævideas eum sine peccato non præstiturum.*

77 *II. Mutuum ab usurario, non sine peccato usuræ daturo.*

78 *III. Solutionem maleficii a saga, vel mago, quem scis sine novo maleficio solvere posse, etsi credas non esse soluturum.*

79 *Secus, si scires sine novo maleficio solvere non posse.*

80 *Pariter IV. potest fœmina licite adire Judicem, Magnatem &c. ex rationabili causa, vocare medicum &c. esto, advertat eos inde labi, vel tentari &c.*

81 *Ob justam causam necessitatis, vel utilitatis, gravis etiam,* licet alteri cooperari materialiter *ad peccatum, materiam, vel occasionem præbendo, quoties id absque tali cooperatione nihilominus fieret, aliis materiam, vel occasionem facile præbituris.*

82 *Unde I. Ob diminutionem, & cessationem lucri notabilis hospites, caupones, coqui &c. licite possunt ministrare vinum se inebriaturis, cibos indifferentes &c.*

83 *Immo & carnes in locis, ubi Catholici cum hæreticis sunt permixti.*

84 *Quin & in locis Catholicis utcumque excusari possunt caupones, dum mercatoribus hæreticis transeuntibus, ita petentibus, carnes porrigunt.*

85 & 86 *II. Ob eandem diminutionem lucri notabilis, mercatores, & opifices licite facere, & vendere possunt res de se indifferentes, ut arma, fucos muliebres, taxillos, carthifolia &c. esto prævideant emptores aliquos iis abusuros ad peccatum.*

87 Usque ad 90. *Secus est de rebus, quæ sunt per se malæ actionis instrumenta, ut artefacta ad libidinem excitantia, idola &c. Casus varii.*

90 & 91. *III. Permittente magistratu, etiam licite Catholicus ædificat, vel restaurat hæreticorum templa, Judæorum Synagogas, domum extruit, vel locat meretrici &c. ubi permissa sunt lupanaria.*

92 Usque ad 95. *IV. Pictores tamen valde turpia pingentes, & histriones valde turpia repræsentantes regulariter peccant mortaliter.*

95 *Quando aliquid alicui ex justitia debetur, præstandum est, etsi per illud alter peccaturus sit, si tu peccatum aliunde impedire non debeas, vel commode non possis.*

96 *Sic reddere, vel dare debet I. debitor mutuum, subditus tributum dominis immediate abusuris:*

97 *II. Confessarius absolutionem saltem sub conditione, Parochus Eucharistiam &c. iis, quos aliunde sciunt indispositos;*

98 *III. Uxor debitum petenti marito voto castitatis obstricto. Et*

99 *Famuli, & ancillæ ratione servitii jussa dominorum, aut Prælatorum opera facere ex se indifferentia, &* remote *tantum ad peccatum se habentia, non item* propinque, & proxime *ad peccata ordinata. Casus varii valde notabiles* usque ad n. 102. *Tandem etiam*

102 *Licet materialiter ad peccatum proximi cooperari,* quoties major necessitas, seu ratio majoris mali evitandi ita exigit, vel cogit. Unde

103 *I. Christiani captivi apud Turcas bellantes contra Christianos licite remigant, fodiunt, sarcinas, & arma advehunt.*

104 *Non tamen excusantur, etiam metu mortis, actu pugnantes.*

105 *II. Etiam licite obediunt incolæ Tyranno injuste Provinciam occupanti, quoad opera indifferentia &c.*

106 *Peccant quidem graviter parentes, Domini, si filios, vel servos lascivos domi retineant, quia tamen sæpe ex ejectione non modo non emendantur, sed magis pervertuntur, tali periculo prævisso, licite eos retinent.*

107 Usque ad n. 111. *III. Resolvitur, an liceat Sacerdoti, vel Parocho ex malitia nolenti administrare Sacramenta summe necessaria, v.g. baptismum, vel Pœnitentiam in articulo mortis, offerre pecuniam.*

§. I. *Licetne tali cooperari absque alia justa causa?*

CErtissimum est, nunquam licere alterum quantumvis pa- 42
ratum, ac volentem inducere, eique cooperari ad peccatum formaliter, *absolute, directe, & proxime,* quatenus peccatum est. Nunquam enim licet quacumque de causa inducere alterum, ut voluntarie, & plene se inebriet, mentiatur, falsum juret, blasphemet, fornicetur &c. nunquam licet a venefico petere, ut maleficium solvat novo maleficio, aut cum scis, eum sine novo maleficio solvere non posse: petere ab infideli, ut per falsos Deos juret: petere a Sacerdote non habente jurisdictionem, vel excommunicato non tolerato, vel concubinario notorio, ut Sacramenta ministret, absolvat, sacrificet, extra casum legitimæ necessitatis. *Ratio est evidens:* quia adhuc esset verissimum peccatum scandali activi, & inductionis proximi in ruinam spiritualem. Nec

Nec obstat, quod ejusmodi homines per se parati sint, & volentes ad ejusmodi peccatum, quia licet tunc non voluntatem peccandi, tamen actuale exercitium peccati hic, & nunc per se directe causaret. Quæstio ergo, & difficultas sane gravis, & late patens est, an non liceat alterum jam ita paratum, & volentem peccare, seu alioquin certo peccaturum inducere *conditionate*, *indirecte*, *& remote*: supposito nimirum, si omnino peccare velit, offerendo ei occasionem, materiam, vel cooperationem de se indifferentem ad tale peccatum, idque absque omni alia justa causa, nisi quod jam paratus sit, aut velit peccare, aut etiam alioquin certo peccaturus sit. (Quod vero ex justa causa liceat, late videbimus in sequentibus.) Propono rem particulatim.

I. *Paratus peccare*.

43 Dicitur, qui habitualiter ita dispositus est, ut quotiescumque offertur occasio talis peccati, semper peccet v.g. se inebriet, jejunium frangat, usuras exerceat, Sacramenta in mortali administret, &c. nondum tamen hic & nunc vult peccare, nec adhuc in actu interno peccat, sed solum, si detur occasio, prompte peccabit. Licebitne tali dare potum uberem, vel cibos vetitos administrare, a tali petere mutuum, Sacramenta, idque absque alia causa, nisi quod ille jam paratus sit, ad illud peccatum?

44 Resp. Certissimum est, sic non licere. *Ratio clara*: Quia lex Charitatis obligat te, ut quoties commode potes, non coopereris positive ad peccatum proximi, saltem quod alias non fieret: atqui in proposito vere positive cooperaris ad peccatum proximi, & causa es, quod hic & nunc peccatum committatur, tam quoad actualem voluntatem internam, quam quoad externam consummationem, quod alias non fieret: insuper commode, & facillime posses non cooperari, cum nulla subsit justa causa, ut supponitur: ergo non licet cooperari citra peccatum mortale scandali.

II. *Volens peccare*.

45 Dicitur, qui jam actu intendit peccare, se inebriare, jejunium violare, inimicum occidere, rem alienam surripere &c. adeoque actu interno de facto jam peccavit; actu tamen externo non consummaturus peccatum, nisi tu cooperaris indirecte, & remote, potum, vel cibum prohibitum præbendo, instrumenta occidendi, vel furandi administrando, &c. Licebitne ita cooperari hac sola, non alia causa, nisi quod jam velit peccare?

46 Resp. Certo etiam non licere, sed peccari mortaliter pro ratione materiæ. Communis cum Sanch. *l.* 1. *Mor. c.* 7. *num.* 15. Tamb. *l.* 5. *Decal. c.* 1. §. 4. *n.* 6. *&* 7. *a n.* 65. Ratio adhuc est eadem: quia etiam sic cooperaris ad peccatum proximi, & causa es, ut hic & nunc committatur peccatum, etsi non quoad voluntatem internam, attamen quoad externam consummationem, seu quod hic, & nunc actu externo fiat peccatum proximi, quod alias non fieret, nisi tu cooperareris, facillime potens non cooperari, ut supponitur: ergo &c. Auctores in contrarium citati apud Dian. *p.* 5. *tract.* 7. *resol.* 8. & Tamb. *cit.* solum loquuntur in casu, quando subest justa causa necessitatis, vel utilitatis ita cooperandi, quod nos quoque concedemus §. 4. Aut certe loquuntur in casu hoc sequenti.

III. *Certo peccaturus*.

47 Dicitur, qui jam actu intendit peccare, se inebriare, jejunium frangere, occidere, furari &c. ita certo, ut etiamsi tu non cooperaris, potum, cibos vetitos, instrumenta non præbeas, adhuc tamen certo peccabit aliunde sibi procurando prædicta: licebitne huic tali actione indifferenti, cooperari, potum, cibum, instrumentum præbere, iterum ea sola, non alia causa, nisi quod tamen alias peccaturus sit, etiamsi tu non concurras, ac proinde negando concursum tuum peccatum impedire non possis, quæstio magis difficilis, & controversa. Affirmant omnino, & concedunt *Lessius*, *Hurtadus*, *alii apud Dianam supra citatum*. Sed

48 I. Resp. Adhuc non licet talem inducere absolute, aut actione licet indifferenti tamen hic, & nunc *proxime* determinata ad peccatum cooperari. *Ita Sanch. supra citatus*. Vasq. *de scand. dub.* 3. aliisque citatis, *Diana*, *& Tamb. l. c.* Ratio adhuc eadem manet, & urget: quia lege Charitatis nunquam licet alteri cooperari ad peccatum, seu aliquo modo esse causa peccati alterius, absque ulla justa causa excusante: atqui etiam alias certo peccaturum, v.g. se inebriaturum, occisurum &c. absolute inducens, ut hic, & nunc ita peccet, aut nunc ei actione licet de se indifferenti, tamen hic, & nunc *proxime* determinata ad peccatum cooperans, utpote vinum, carnes, arma ministrans, scalam furi tenens, atque vere cooperatur ad peccatum, & est causa illius peccati, ut hic, & nunc fiat: ergo &c.

49 II. Nec obstat, quod absque tua cooperatione peccatum adhuc fieret alias, & alibi: hoc enim non immutat tuum concursum hic, & nunc præstitum, nisi alia justa causa accederet, quemadmodum ab omnibus censetur homicida, & irregularis, qui alterum quantumvis paratum occidere, & certo occisurum induceret absolute, ut hic, & nunc occidat: aut actione aliqua *proxime* ordinata ad homicidium cooperetur, etsi alias homicidium adhuc fieret. Et universaliter, omnes cooperatores ad damnum proximi hic, & nunc inferendum, etiamsi alias sine unius, aut alterius cooperatione certo inferendum, omnes tamen rei fiunt peccati, & restitutionis faciendæ, ut alibi probatum: ergo ex hoc solo capite, quod alter alias certo peccaturus sit, non licet eum absolute invitare, ut hic, & nunc peccet; aut actione de se indifferenti *proxime* cooperari ad peccatum, ut hic, & nunc fiat: sed talis adhuc peccabit mortaliter.

III. Dixi semper notanter, & intelligendum semper: si 50
actione indifferenti quidem, tamen *hic*, *& nunc proxime ad peccatum determinata cooperatur*, sic ut vere censeatur positive cooperari, & concurrere ad peccatum, ut in exemplis allatis liquet: Secus esset, si actio omnino indifferens sit, & remote solum, non ita proxime hic, & nunc ordinata ad peccatum, ut quis moraliter censeatur positive cooperari ad peccatum, sed potius se habere negative, aut permissive: ut si vendas agnum Judæo ad suam superstitionem paschalem, vel infideli, quem scis velle immolare idolo: si vendas carnes alicui, quem scis comesturum die prohibito; si mercator vendat mulieri fucos, quam scit velle uti ad alliciendum alios ad turpem sui amorem &c. tunc enim peccatum, saltem mortale, non erit: cum tales vere non censeantur cooperari ad peccatum, sed tantum permissive se habere, permittere peccatum, quod impedire non tenentur. Ita optime distinguit *Sanch. l. c.* optime etiam probans, adhuc esse peccatum veniale, si absque omni justa causa fiat: quem, quæso, lege: non pœnitebit.

IV. Dixi item semper: *Non licere talem inducere absolute*: 51
licere autem inducere, vel cooperari conditionate, dummodo aliqua rationabilis, etiam non multum gravis causa accedat: probabilissime docet Hurtadus apud Dian. sæpe cit. *p.* 5. *tr.* 7. *de scandalo*, *res.* 7. Ut si tali peccaturo dicas: si omnino decrevisti te inebriare hodie, vel cœnando jejunium violare, apud me potius bibe, vel cœna; idque ob causam aliquam, v.g. ne tu inurbanus videaris eum dimittens; aut ne alter noxia comedat, vel bibat; aut ne in popina aliis scandalum præbeat, aliudve periculum animæ, vel corporis incurrat. Item si vis occidere Petrum, aut Paulum; si vis cognoscere Cajam, aut Bertam: occide potius Petrum, cognosce potius Cajam: ne forte occidatur Paulus amicus tuus; aut ne vitietur Berta consanguinea tua. Item, si omnino vis hunc occidere, ne occidas hodie, sed cras, re melius deliberata: ne occidas in mea domo, sed extra: ut sic interea consulas vitæ alterius. Et universaliter licebit sic consulere conditionate minus malum in ordine ad majus malum evitandum, de quo mox. Ratio horum, & similium est: quia cum talis invitatio, vel consilium sit conditionatum, videtur omnino cohonestari a tali rationabili, & proportionata causa, præsertim ad minus malum proprium, vel alterius evitandum.

§. II. *Licetne paratum, & certo peccaturum gravius, inducere ad minus peccatum?*

Celeberrima, & in praxi frequens est hæc quæstio, 52
utrum alicui habenti certum propositum committendi peccatum gravius, liceat suadere peccatum aliud minus, si aliter a proposito dimoveri non possit. Exemplum vulgare est, an aliquem certo occisurum, vel adulterium commissurum, &c. liceat ad plenam ebrietatem, & voluntariam inducere, sicque impotens fiat ad majus malum perpetrandum.

Negant absolute id licere gravissimi *DD. Cajet. Gabr.* 53
Cov. Valent. Sa, eosque citans Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *n.* 7. *Castro-Pal. Hurtad. apud Dian.* mox citandum. Ratio est: quia jussu, vel suasu alterum inducere directe ad peccatum formaliter, per se malum, & illicitum est: atqui volens avertere ab homicidio, vel adulterio proposito, & suadens ebrietatem voluntariam, vel fornicationem, adhuc vere, & directe inducit ipsum ad peccatum formaliter, vereque ipsius peccati causa est, quod alias nullo modo fieret, quippe de quo alter ne cogitavit quidem, ut supponitur: ergo per se malum, & illicitum est alterum sic inducere in peccatum minus.

Et confirmatur: ipse peccator non recto medio utitur, si 54
ad vitandum majus peccatum eligat peccatum minus: ut si, ne committat homicidium, vel adulterium, aliquis vellet se plene inebriare: ergo neque tu illi recte consulis suadendo peccatum minus, ut gravius evitet: neque enim ex duobus malis minus eligendum est, quando utrumque vitari potest, & debet, ut in proposito: sed quando utrumque vitari non potest, & unum necessario sustinendum est.

¶. Sed nonne advertis hoc solum procedere de ipso pec- 55
cante, qui utrumque peccatum vitare potest, & debet, non de consulente, qui utrumque malum impedire non potest? Interim non negaverim huic sententiæ suam probabilem pietatem.

Longe ergo probabilius id licere affirmant communius 56
Doctores, *Abbas*, *Nav. Sotus*, *Medin. Vasq. Bonac. Basil.* Pon-

Pontius, *Rodriq. Less.* aliisque congestis Sanch. *l. 7. de Matr. disp.* 11. *n.* 15. Lugo *disp.* 19. *de Just.* §. 2. *sect.* 2. *n.* 43. Dian. *p.* 5. *tr.* 7. *res.* 18. Tamb. *l.* 5. *Decal. c.* 1. §. 4. *n.* 8. Ratio optima est: quia tunc absolute non suades malum, seu peccatum, sed solum sub conditione, si omnino peccare decrevisti, suadeo tibi, ut relicto peccato graviori, v. g. homicidio, adulterio &c. aliud minus committas, v. g. ebrietatem, vel fornicationem: atqui hoc minus peccatum licet secundum se absolute revera malum, & peccatum sit, tamen hic, & nunc relatum, & consultum ad illud majus peccatum evadendum, concipit aliquam æstimabilem bonitatem, quæ est evitatio majoris mali: adeoque licet peccanti absolute malum maneat, quia per ipsum stat, ut totum illud malum omittatur: respectu tamen consulentis bonum est, qui cum utrumque malum impedire non possit, minus malum suadet eligendum, non quatenus malum est, sed quatenus bonum est, scilicet ad avertendum proximum ab illo majori malo: aversio autem illa a majori malo bona est. Et favet huic Sententiæ S. August. l. 2. de adult. conjugis c. 15. & refertur in c. si quod verius 33. qu. 2. *Si facturus est quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium: ut vivente uxore alteram ducat, & non humanum sanguinem* (propriæ scilicet uxoris) *fundat*. Accedit exemplum *Loth*, *Gen.* 19. ad Sodomitas a pessimo scelere avertendos, dicentis: *Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis: dummodo viris istis nihil mali faciatis*. Torta profecto nimis est responsio adversariorum, sensum eorum verborum esse non positive consultivum, sed comparative permissivum, quasi dicatur: Potius permitterem adulterium, quam uxoricidium, potius sinam, filias meas prostitui, quam peregrinis meis tantum flagitium inferri. Non video, quomodo Loth hunc sensum admittat. Sententia ergo hæc probabilissima, & sine scrupulo practicabilis est: & practicavi ipse aliquoties. Insuper hic certa aliqua puto.

57 I. Certissimum videtur, quod, quando peccaturus determinatus est ad utrumque peccatum, & gravius, & levius: v. g. vult spoliare viatorem simul, & occidere: eadem nocte & adulterium committere cum matre aliqua, & insuper incestum cum filia &c. tunc licite suaderi posse minus ad evitandum majus; utpote solam potius spoliationem, quam simul homicidium, fornicationem potius cum filia sua, quam adulterium cum matre, & postea etiam incestum cum filia, & ita in similibus. Quia tunc non allicis ad hoc minus peccatum, quod ipsum ille jam etiam facere decreverat; sed solum ei permittis hoc peccatum minus committere ob rationabilissimam causam, ut evitetur duplex, & majus peccatum. *Ita Castro-Pal.* cum Tamb. *cit. n.* 10. Sic alibi resolvimus; quando puella impraegnata præ intolerantia pudoris, infamiæ, aut pœnarum horrore, certo esset seipsam occisura, utique simul perituro fœtu animato, nec alio modo ab hac voluntate abduci posset, licite te ei posse suadere abortus procurationem, ex duobus malis minus permittendo: erit enim consilium conditionatum, si omnino utriusque vitam velis perdere, perde unius tantum. Quod quidem verissime, & rationabiliter consulitur, ait Lugo *cit. n.* 143.

58 II. Etiam certum videtur apud omnes, volenti committere peccatum gravius, te licite posse suadere peccatum minus, quod est velut pars in illo peccato majori formaliter, vel virtualiter inclusa, tunc enim non inducis hominem ad peccatum, sed solum directe abducis hominem a majori parte peccati concepti, cum a toto abducere non possis; nec suades malum, sed solum diminutionem mali, quæ utique bona est. E. g. Volenti furari mille licite suades, rogas, & urges, ut saltem centum contentus esse velit. Volenti committere adulterium, bene suades potius fornicari cum aliqua soluta. Volenti alterum occidere, recte suades potius verberare, vel mutilare tantum, & sic in omnibus, quando peccatum minus consultum in majori intento formaliter, vel virtualiter includitur.

59 Sed tamen semper intelligendum, *salvo jure tertii*: ut nimirum tali suasione nullum damnum corporale, vel spirituale inferatur tertiæ personæ certæ: v. g. Volenti committere adulterium, licet suadere indefinite fornicationem simplicem, at non cum hac, vel illa certa persona; volenti furari a paupere, licite suadetur, ut furetur potius ab aliquo divite, at non licet determinare certam personam divitis, ut ex communi notat Laym. *cit. n.* 7. §. *Debet tamen*. Quamvis hoc ipsum concedant Vasq. *opusc. de scand. art.* 1. *dub.* 2. Dian. *cit. p.* 5. *tr.* 7. *res.* 10. & quidam alii apud ipsos: eo nimirum, quod dives in hoc casu censetur irrationabiliter invitus, quod furto sibi facto absque notabili suo damno, longe majus damnum pauperis evitaretur: nec improbabiliter. Intellige tamen, non respectu ipsius furis, sed respectu consulentis tantum, qui ex Charitate suo consilio eo tendebat præcise, ne committeretur majus malum, cum omne malum impedire non posset: idque cum agatur de bonis fortunæ externis tantum, quibus ipsemet dives proximo in gravi necessitate constituto succurrere teneretur. Unde pessime inferres, quod volenti violare hanc, possis obtrudere hanc aliam; volenti occidere hunc, possis suadere alium; volenti diffamare hos, possis consulere alios, &c. Quia hæc bona animæ, vitæ, famæ, nemo ipsi tenetur exponere pro alio, præsertim posita etiam sententia, quod volenti committere gravius peccatum, non liceat suadere aliud minus peccatum formaliter in illo majori minime contentum.

III. Adhuc tamen certum videtur apud omnes, nos licite posse proponere tali minus malum, & rationes afferre: v. g. adulterium aliquis proponit, occidere inimicum tentat, potes ei proponere, & rationes, ac motiva adferre minus esse malum, usuram, quam furtum; fornicationem, quam adulterium; verberationem, quam homicidium &c. Nam sic non allicis proximum ad malum, nec ad minus quidem, sed solum dicis, ista minora mala esse, quod verum est. Cæterum si ipse eligat minus malum, suæ aliquali emendationi potius, quam nostræ propositioni imputandum est. Vide *Hurtad.* apud Dian. *cit. res.* 18. satis clare de hoc differentem. 60

IV. Quoad ipsam cooperationem vero etiam certum puto, quod si latro, v. gr. dicat mihi: nisi me adjuves ad furandum Titio pecuniam, vel suppellectilem, ego aliud gravius damnum inferam, domum incendam &c. & alia via non suppetat avertendi furem, posse me licite illum juvare: quia dominus in re sua, de qua potest disponere, censetur id velle, cum tuo hoc auxilio rem utilem pro ipso geras, majus ipsius malum impediendo. 61

Unde rursus alia est ratio de bonis vitæ, & corporis, in quibus etsi liceat minus consulere, ne committatur majus, v. gr. verberationem, vulnerationem, vel mutilationem, ne committatur homicidium; non tamen propter eum finem licebit cooperari ad mutilationem, v. g. Ratio disparitatis est jam indicata: quia illorum bonorum fortunæ alter est dominus, & libere de eis disponere potest, ideoque præsumitur rationabilis ejus voluntas, & consensus in minus malum, ut evitetur suum malum majus: At vero bonorum vitæ, corporis, ac membrorum suorum homo non est dominus, ut de eis libere disponere possit, sed custos tantum, ideoque non potest præsumi ejus rationabilis voluntas, & consensus etiam in minus malum, ut recte observat Diana sæpe cit. *tract.* 7. *res.* 19. *in fine*. Quin etiam respectu diversorum, neque in bonis fortunæ id licet; ut si latro poscat a te auxilium ad minus furandum ab hoc, secus ab alio furaturus plus: etsi juxta supra dicta adhuc possis consulere, non tamen poteris adjuvare. Ratio discriminis iterum est: quia consilium tuum per se præcise tendit ad evitandum majus peccatum, relicto ipso peccato minori in arbitrio peccaturi. At auxilium, aut cooperatio per se tendit in ipsum peccatum, quod licet minus, tamen peccatum est, quodque, sicut solus committere licite non potes, ita neque cum alio, ut cum Vasquez *cit. num.* 14. optime docet Tamb. *cit. num.* 16. 62

§. III. *Licetne paratum peccare studio permittere, vel etiam ad id ansam dare ad bonum finem?*

Certum est, te, cum possis, & debeas impedire, non posse permittere peccatum alterius, multo minus ad id ansam dare, eo fine, ut alter peccet, vel puniatur, adeoque in malum ipsius: sed quæstio non levis est, utrum sic possis permittere peccatum alterius, vel etiam ad hoc ansam præbere ad finem aliquem bonum, puta, ut alter deprehensus efficacius emendetur, ut te indemnem serves; molestia, vel dedecore liberes &c. Negant id licere, saltem quoad ansam positivam peccati præbendam, sane probabilius, & tutius *Sa*, *Sanch. Bonacin.* alii apud mox citandos. 63

Resp. Licet ita permittere, & probabiliter etiam ansam præbere, si spes certa sit emendationis, vel boni alterius effectus. Ita cum aliis allatis Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 18. Tamb. *l.* 5. *Decal. c.* 1. §. 4. *a n.* 2. Rationem subjungam propositis prius casibus. 64

Primus. Licite potest dominus, vel paterfamilias servum, vel filium de furto suspectum, non tantum tacendo, dissimulando, abeundo, permittere denuo furari: sed etiam indifferentem ansam præbere, pecuniam exponendo, clavem in arca relinquendo &c. ut in furto deprehensos, deinceps efficacius emendet, aut se indemnem servet. Simili causa, Pharmacopæus quidam, mihi notus, famulo suo de furto gravissimo suspecto, per personam ignotam submisit quinque capitella pro certis speciebus, quibus ille retentis, in furto deprehensus, & ex servitio dimissus est absque alio incommodo. Excusavi a peccato saltem gravi, si non intendit ejus peccatum, vel malum, sed præcise suam indemnitatem. Similes casus frequentes sunt apud mercatores, & officiales pecuniarios &c. 65

Secundus. Dominus habens servum fidelem ab alio fure sæpe sollicitatum ad furandum res domini ad sibi tradendum, convenit cum eodem servo, ut res aliquas ad furem deportet, ut sic fur deprehensus cum re furtiva, ac punitus servum illum non amplius ad furandum sollicitet. Hic casus permittitur in jure civili *L. Si quis servus, c. de furtis*. Eamque legem non tantum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ prodesse (*contra Sanch. & alios*) docent *P. Navar.* & *Castro-Palaus* apud Tamb. *cit. num.* 4. 66

Tertius. Maritus uxorem gravissime habet suspectam de adulterio, vel vice versa, potest non tantum exeundo, 67

ac dissimulando illi relinquere occasionem adulterandi, sed etiam remotam ansam præbere, v. g. dicere, ut certo tempore alterum vocet, vel conveniat ad finem aliquem indifferentem: ut sic deprehendi, & emendari queat, aut etiam adhibitis testibus, postea testificaturis, divortium intentare posset. *Sic DD. cit.* Dixi: *ad finem aliquem indifferentem:* Nullo enim modo ad ipsum peccatum. Graviter ergo peccavit uxor illa, quæ ancillæ a marito sollicitatæ ad turpia, & ideo servitium relinquere volenti, suasit ficte consentire, & ejus loco seipsam in ancillæ lecto collocavit, & sic maritum ad formale, etsi non materiale adulterium induxit, & insuper, quod horribilius, paulo post supervenientem famulum, putans redire maritum, etiam admisit.

68 *Quartus*. Custodes gabellarum, hortorum, vinearum, piscinarum, sylvarum &c. sese abscondunt, ut viator sine gabella soluta transiens, aut hortum, vineam, piscinam, sylvas ingrediens, fructus, uvas, pisces, vel feras capiens deprehendatur: An licite? Si nullo modo intendunt peccatum, damnum, vel pœnam proximi, sed præcise ut res suæ curæ concreditæ melius custodiantur, rariusque delinquentes impingant, dum timent, ne forte a latitantibus deprehendantur, merito a peccato absolvit cum Bartholomæo *a Sanct. Fausto* Tamb. *cit. n.* 3. At contra universaliter nunquam licet sic peccatum alterius permittere, multo minus ad id positivam ansam dare, ad eum finem, ut deprehensus puniatur, mulctam solvat, præsertim suo etiam commodo &c. Quia, cum pœna illa non sit debita ante commissum peccatum, nec alio modo haberi possit, nisi intendas etiam peccatum proximi, ad quod illa sequitur: atqui nunquam licet intendere peccatum proximi &c. Fœda ergo, & iniquissima est praxis proditorum certæ Urbis, ubi prohibitum est bibere in cellariis Ecclesiasticorum sub quinque florenorum mulcta in singulas mensuras, qui potitantibus se immiscent, & ad liberius bibendum alliciunt, ad majus suum lucrum, scilicet mediam partem mulctæ, captandum.

69 Ratio dictorum, & similium omnium est: quia prædictis, & similibus modis omnibus non concurritur formaliter ad ipsum peccatum, sed solum occasionem, vel materiam relinquendo peccatum permittitur, ut efficacius deinceps impediatur, adeoque hoc non est facere malum, ut eveniant bona, quod utique damnabile est; sed solum est permittere malum, ut eveniat bonum, quod minime malum, immo summum DEI artificium est. Deinde actiones illæ omnes de se non sunt peccaminosæ, sed indifferentes omnino, iisque positis peccatum adhuc fieri, vel non fieri potest: adeoque non sunt ullo modo inceptiones ipsius peccati, ut consideranti patet, & ideo propter talem justam, ac gravem causam a cooperatione ad peccatum omnino excusari possunt, juxta mox late dicenda.

§. IV. *Qualiter liceat cooperari ad peccatum alterius ex justa causa.*

70 Certissimum, & quæstione indignum est, non posse te proximo cooperari ad ipsum peccatum proxime, & formaliter, seu in ipsa actione peccaminosa proximi, v. g. in occidendo innocentem, in actu turpi, in auferendo rem proximi &c. ob ullam prorsus causam (notatis tamen infra notandis) sic enim manifeste eris complex peccati. Sed quæstio, & quidem difficilis, varia, ac omnium frequentissimæ praxis est, an liceat cooperari ad peccatum alterius remote, & materialiter, scilicet actione de se adhuc indifferenti solum materiam, & occasionem proximo præbendo ad peccatum a se intentum, ut in exemplis §. 1. allatis, se inebriaturo vinum præbere, furaturo scalam ad fenestram admovere: vel inscensuro domum dorsum supponere, &c. idque ob aliquam justam causam: nam sine justa causa non licere, abunde patet ex dictis eodem §. 1.

ASSERTIO III.

Et Regula generalis.

71 *Omnis non obligatus specialiter impedire peccatum proximi, sed ob justam causam potens permittere, etiam licite potest remote, & materialiter cooperari ad peccatum proximi actione de se omnino indifferenti, ob justam, & rationabilem causam, dummodo semper obsit mala intentio ad ipsum peccatum, sed suam actionem referat ad bonum finem, seu justam causam necessitatis, vel utilitatis suæ.* Ita communis DD. Cajetanus, Navarr. Azorius, Molina, Lessius, Suarez, aliique congestis Sanchez *lib.* 1. *Moral. c.* 7. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *num.* 4. Diana *p.* 5. *tract.* 7. per totum. Tamb. cit. §. 4. *num.* 16.

72 Ratio Regulæ breviter est: quia in proposito Regulæ non teneris abstinere a tali actione materiali, & indifferenti ad peccatum proximi: ergo licite potes cooperari. *Prob. Ant.* Ideo tunc tenereris abstinere a tali actione ex se non mala, ut impedires, seu non permitteres peccatum proximi: atqui tunc non teneris impedire, quia moraliter non potes: nam illa justa, & rationabilis causa necessitatis, vel utilitatis tuæ tollit a te moralem potentiam impediendi peccatum alterius, cum inter requisita ad obligationem succurrendi proximo in necessitate, ac impediendi malum ipsius corporale, vel spirituale, semper numeretur facultas, & indemnitas succurrentis: ergo tunc non teneris abstinere a tali actione, sed licite potes agere: nec moraliter censeberis velle peccatum, vel cooperari peccato proximi positive, sed propter necessitatem, vel utilitatem tuam solum censeberis negative permittere, prout in omnibus casibus, & exemplis adferendis elucebit. Secus esset, si absque ulla justa causa ita coopereris peccato proximi, v. g. se inebriaturo sine omni causa vinum præbeas; tunc enim nihil poteris ostendere, quod velis, nisi proximum peccare; ideoque positive censeberis cooperari peccato proximi: quod valde nota.

73 Totum ergo fundamentum hujus doctrinæ in duobus consistit. *Primo:* in natura actionis, vel operis, quod ex se non malum, sed indifferens, licitum, vel etiam bonum sit. *Secundo:* in causa rationabili excusante, quæ debet esse justa, & proportionata cum opere faciendo, & ipso operante, ut nimirum respectu cooperantis tali opere ad peccatum alterius (quod alias ex Charitate impedire, vel saltem non promovere deberet) censeatur moraliter urgens & necessaria, sic ut is moraliter censeatur non posse abstinere a tali actione.

74 Certe autem est, non semper eandem causam excusare. Quanta ergo debet esse causa excusans in omni casu? non potest una regula determinari, sed arbitrio prudentis dijudicandum relinquitur: in quo quatuor tamen potissimum consideranda communiter proponuntur *ex Laym. & Sanch. cit.* 1. Tanto gravior causa requiritur, ad quanto majus peccatum concurritur. 2. Tanto gravior causa requiritur, quanto propinquius ad peccatum concurritur; major quippe requiritur causa excusans te cooperari proximo ad peccatum, v. g. furi domum inscensuro scalam præbere, quam remote tantum, v. g. eidem scalam accommodare, inebriaturo vinum præbere. 3. Major requiritur causa, quando sine tua cooperatione peccatum non fieret, quam si adhuc fieret. 4. Major etiam longe requiritur causa cooperandi, quando peccatum alterius est contra justitiam in damnum tertii, ut furtum, homicidium &c. quam quando est contra alias virtutes, Temperantiam, Castitatem &c. His positis, & semper præ oculis habendis, pro innumeris resolvendis conscientiæ casibus, clarioris, & ordinatioris doctrinæ gratia, statuamus aliquas Regulas particulares, ac velut locos communes certorum casuum.

REGULA I.

75 *Ob justam, & rationabilem causam necessitatis, vel utilitatis alicujus momenti semper licet petere opus ab aliquo, quod is sine peccato præstare potest, etsi putetur, vel prævideatur cum peccato præstiturus.* Ratio est: quia tunc peccatum proximi mere per accidens sequitur ad tuam petitionem ex sola alterius malitia, quam, justa, & rationabili causa excusante, non teneris impedire, abstinendo a tua petitione, sed licite permittere potes.

CASUS I.

Petere Sacramenta.

76 Ob justam causam necessitatis alicujus licite petis absolutionem, Sacrum, alia Sacramenta a Confessario, Parocho, Presbytero concubinario: vel alias in statu peccati mortalis notorie existente, quando alius bonus præsto non est; etsi illum prævideas ex malitia non sine peccato præstiturum; nam posset etiam præstare sine peccato, utpote contritione elicita, vel absolutione petita, vel supposita. Secus esset, si alius bonus, vel æque bonus præsto sit: quia tunc nulla te justa causa necessitatis, vel utilitatis excusabit a cooperando ad peccatum proximi. Quod si Sacerdos, vel Parochus talis excommunicatus sit: jam nuper indicata est distinctio. Aut enim est excommunicatus non toleratus, & vitandus, uti est omnis, & solus nominatim denunciatus, aut notorius percussor Clerici; & tunc non licebit petere ab eo Sacramenta, (extra articulum mortis alio non suppetente) hoc enim esset communicare in divinis cum excommunicato non tolerato, contra gravissimam prohibitionem Ecclesiæ. Immo invalide ab illo absolvereris; siquidem ab excommunicato vitando Ecclesia tollit, vel saltem suspendit omnem jurisdictionem. Aut est excommunicatus toleratus, & non vitandus, uti est omnis alius præter prædictos, etiam Hæretici, & Apostatæ in Germania, scilicet non nominatim denunciatus, aut non notorius percussor Clerici &c. & tunc licite, & valide ab eo Sacramenta petere, & suscipere potes, quia ita in gratiam Fidelium concessit *Concil.* Constant. *cap. ad evitanda scand.* Quo casu etiam ipse excommunicatus Sacerdos non tantum valide, sed etiam licite administrabit Sacramenta, dummodo ipse se non ingerat: sed ad petitionem Fidelium ministret (in horum enim, non ipsius gratiam, & favorem hæc facultas data est) & per ipsum non stat, quominus absolvatur. Ita ex *Suar. Sanch.* late, & optime *Diana loc. cit.*

II. Petere mutuum ab usurario.

77 IN primis semper licite potes petere mutuum ab usurario seu pecuniam mutuam simpliciter, etiamsi certo scias, eum non daturum, nisi cum peccato usuræ, seu injusto lucro usurario; nam potest etiam dare sine usura, neque ullo modo tu intendis eam usuræ injustitiam, sed tantum propriam utilitatem, vel commodum, etsi non omnino necessarium, permissa tantum malitia usurarii. Quin etiam probabilissimum est, posse te petere mutuum ab usurario expresse cum usura, v. g. dicendo: *Da mihi talem summam pecuniæ mutuam: nam solvam tibi lucrum usurarium, quod petieris*; times enim, si hoc non addas, ne tibi mutuum rotunde deneget; non enim hoc est hominem inducere ad peccatum, neque enim petis absolute, si sapis, ut a te usuras exigat, sed solum petis mutuum, & quia scis, eum non velle dare sine usura, ostendis voluntatem tuam solvendi etiam lucrum usurarium, ut sensus sit conditionatus in hunc modum: *Da mihi mutuum, & quia non vis mutuare gratis, solvam tibi lucrum usurarium*. Ita Sanchez *lib. 3. moral. cap. 8. n. 30. Molina*, aliisque cit. Diana *par. 5. tr. 7. de scandalo res. 8.* Tandem certum est, te licite posse solvere usuram, seu usurarium lucrum ob mutuum jam acceptum, etsi id accipiendo usurarius adhuc peccet, excusaris enim solvendo, quod promiseras, ne habearis infidelis, neve claudat tibi ostium ad habendum deinceps mutuum. Usurarius autem sibi solum imputet, quod peccet accipiendo sibi lucrum injustum, cum facillime posset, & deberet non recipere. Ita cum aliis Sanch. *proxime citatus*, & ipse Lugo *tom. 2. de just. dist. 25. sect. 11. §. 1. nu. 229.* alii apud ipsos.

III. Petere solutionem maleficii.

78 SI maleficium illatum sit homini, vel bruto &c. utique urgente necessitate pressus, licite potes petere ejusdem solutionem a saga, vel mago; dummodo scias, eum solvere posse absque novo maleficio, seu novo commercio, & operatione dæmonis; etiamsi putes, vel credas, eum ex malitia, & diabolico contractu non soluturum, nisi cum novo maleficio alicui alteri homini, vel bruto inferendo. Quod enim petis, bonum est, & ab altero bene fieri potest, ut supponitur: quod autem male fiat, & peccetur, non tuæ petitioni, sed alterius malitiæ imputandum est; uti *contra Cajetanum* habet communis DD. cum Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 95. num. 11. alii.*

79 Secus dicendum esset, si scires sagam, vel magum absque novo maleficio solvere non posse; quia nunquam licet alterum inducere ad opus, quod is sine peccato præstare non potest, ut jam initio §. notavi. Ubi obiter nota tunc fieri novum maleficium, quando ex pacto cum dæmone per signa, vel media magica applicata, dæmon invocatur ad causandum novum aliquem effectum: v. g. morbum hominis transferendo in canem, vel catum: pro recuperando butyro lactis calefacti calorem transferre in sagam &c. non item, quando per aliqua signa, etiamsi a dæmone instituta, vel indicata solum impeditur maleficium a dæmone causandum, vel continuandum, aut dæmon solum cogitur ad desistendum a maleficio inferendo, vel continuando, sic sagam te percutientem, vel mulcentem ad intoxicandum, vel fascinandum, licite potes repercutere; cum ea repercussione scias, solere maleficium impediri. Et scis eadem ratione a doctis permitti praxim militum, qui contra veneficia induratos, seu, ut vocant, congelatos, gladio ter impungunt, tribusque crucibus formatis in aere, dicunt: *Deus est fortior dæmone, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.* certo semper effectu. Sed de his ex professo in primo Præcepto, *tr. 2. capit. 9. section. 4.*

IV. Casus specialis de fœminis.

80 LIcite potest fœmina liberalis adire Judicem, vel Magnatem pro sua justa causa alicujus momenti, vel pro beneficio sibi, aut alteri impetrando: aut ægra vocare Medicum pro sua curatione: aut æger admittere assistentiam fœminæ cum necessario obsequio, etiamsi prævideant, vel advertant Judicem, Magnatem, Medicum, fœminam &c. ea occasione labi in peccatum, seu in tentationem impuram: hoc enim non est inducere in peccatum, cum possint, & debeant non labi; sed solum est permittere peccatum alterius, tam gravi causa excusante, ut non teneantur impedire ipsius peccatum. *Ita cum Hurtado*, & Diana *p. 5. tract. 7. res. 20.* Tambur. *cit. §. 4. a num. 23.* Quia insuper resolvunt, licite posse quemlibet adire Judicis, v. g. vel Magnatis alicujus concubinam, vel amasiam, eamque precibus vel muneribus sollicitare, ut pro ipso intercedat, quando ejus intercessione speret notabile beneficium apud Magnatem, aut justam sententiam apud Judicem de re alicujus momenti pro se impetrare, nec alia via se offerat, qua possit ejusmodi beneficium vel sententiam obtinere. *Ratio est*: quia id potest fœmina obtinere sine exercitio, vel augmento turpis amoris: & petitio ex se bona, & de re bona est. Si autem ea occasione, de se omnino indifferenti, peccetur, ipsis imputetur. Huc etiam revocari possent plerique casus regulæ sequentis.

REGULA II.

OB justam & proportionatam causam necessitatis, vel utilitatis gravis licet alteri cooperari materialiter ad peccatum, materiam, vel occasionem præbendo, quoties absque tali cooperatione peccatum proximi nihilominus fieret, nimirum aliis occasionem, vel materiam facile præbituris. 81

Ratio est: quia sic non concurritur ad peccatum formaliter: nam & stante tuo concursu (cujus justam causam habes) peccatum adhuc potest non fieri; & secluso tuo concursu, peccatum adhuc fieret.

CASUS I.

Hospites, Caupones, Coqui.

IPsa diminutio divertentium, ac cessatio lucri notabilis, 82 est sufficiens causa, ut Caupones, Hospites, Coqui, licite possint ministrare vinum aliumve potum se inebriaturis, cibos indifferentes (de carnibus mox) jejunium soluturis, etiam cum nesciunt, vel dubitant, an a jejunio excusentur, idque maxime, cum, uno negante, non sine suo damno, aliis administrantibus, adhuc peccatum fieret. *Communis apud cit.* Ratio in Regula data est.

Quin etiam in civitatibus, & locis, ubi Catholici cum 83 hæreticis permixti sunt, etiam licet in caupona, vel hospitiis, diebus interdictis ministrare carnes postulantibus sine delectu, cum examen de Fide, & Religione ad caupones non spectet: non item in civitatibus, & locis mere Catholicis, nisi ob longe graviorem causam necessitatis, vel gravioris mali evitandi.

Excusari tamen utcumque possunt caupones in locis ca- 84 tholicis, dum mercatores hæretici ex solemnibus nundinis adventantes carnes postulant, iis negantibus, facile aliunde comparaturi, non sine magno cauponum detrimento, & lucro cessante, quantum est in foro conscientiæ: nam in foro externo ipsi viderint. Qua ratione vera est Sententia Cajetani, & Navar. supra relata, licere amicum, qui se inebriandi, & jejunii violandi causa ad cauponam properat, in domum suam ducere, eique vinum, vel cœnam ministrare: si nimirum rationabilis aliqua causa subsit, vel ad lucrum capiendum, vel ad alterius damnum, vel periculum, aut scandalum in caupona oriturum evitandum.

Non tamen id poterit licite fieri ab ejusdem Superiore, cujus officium est impedire peccata suorum subditorum, sicut neque paterfamilias domesticis suis licite poterit cœnam, multo minus carnes, ministrare diebus jejunii, si credat eos ad jejunium obligari, etiamsi sciat illos alias occulte, vel alibi voraturos, ut ex Nav. *cap.... num. 26.* notat Layman *sæpe cit. & par. 5. tr. 7. res. 39.*

II. Vendentes, Ementes.

EAdem diminutio justi, ac notabilis lucri sufficiens cau- 85 sa est, ut mercatores, & opifices licite possint facere, & vendere res indifferentes, quibus & homines bene, & male uti possunt, etiamsi sciant emptores, non tantum aliquos in genere (alioquin quis ullam rem vendere posset?) sed etiam hoc in particulari abusuros esse ad peccatum: dummodo in ipsa emptione, ejusve circumstantiis non appareat intentio peccandi. *Omnes*. Sic opifices licite faciunt, & vendunt gladios, & arma, etsi sciant emptores iis abuti ad injustum bellum, duellum, homicidium. Item Mercatores licite vendunt fucos mulieri, quos sciunt emi, ut iis peruncta ad turpem amorem alliciat: item taxillos, cartifolia, & similia, quibus tamen emptores peccaturos injustis ludis certo prævident. Item eadem ratione potest quis licite sua vina, frumenta aliasve merces vendere alteri, quem scit per fraudem revenditurum, utpote miscendo vino aquam, merci bonæ materiam deteriorem, aut de mensura, vel pondere detrahendo &c. etiam ob solam illam causam, quia alioquin difficulter aliis, vel cum suo damno, vel minori lucro vendere deberet. Ita cum aliis Sanchez *lib. 1. Moral. cap. 7. n. 37.* Diana *par. 3. tract. 6. res. 44. & par. 5. tr. 7. res. 39.*

Secus dicendum, si quis alteri mercede conducto trade- 86 ret sua vina, frumenta &c. ut cum simili fraude, & injustitia vendat pretio sibi allato: tunc enim ipsemet principaliter venderet, sicque peccaret contra justitiam cum onere restitutionis, ut bene notant DD. *cit.* Quod si vero dominus vini, cerevisiæ v. g. non præcipiat, nisi juste vinum vendi, tali taxa, justa mensura a suo tabernario; sciat tamen ipsum vendere injuste, pretio subtracto, sibique retento, idque ob justam causam dissimulet, quia nimirum alias damnum pateretur: dominum a peccato excusat *Merolla apud Dianam ibid.* consentientem. Denique si dominus omnino ignoret fraudem committi a tabernario, certum est a peccato excusari. Quod si tamen pretium injustum

stum ipse dominus recepisset, re cognita, tenebitur ad restitutionem excessus, solum in quantum ex eo injusto pretio superest, aut quantum inde ditior factus est, juxta Regulas restitutionis. Verum notanter

87 Dixi 1. *Res indifferentes licere facere, & vendere, quibus homines bene, & male uti possunt*. Nam illa, quæ per se malæ actionis instrumenta sunt, & nullum bonum usum habent, sine dubio non licet conficere, vendere, tradere, v. g. (erubesco adferre) instrumentum diabolicum artificiose factum occultæ libidinis fœmineæ; item instrumentum latronum ad impediendam loquelam: infideli idolum, vestes Sacerdotales, Aram, vel templum idoli ad exercendam idololatriam, nisi urgentissima aliqua causa v. g. extrema hominis necessitas, vel pauperies excusaret, quod contra alios probabiliter admittit Tanner. *t.* 3. *disp.* 1. *q.* 9. *dub.* 5. *n.* 144. Diana *res.* 37. Tamb. *cit.* §. 4. *num.* 38. Et Ratio excusationis est: Quia & illæ actiones non sunt omnino intrinsece malæ, quia idolum vel vestes similes etiam licite appeti, ideoque fieri, vel vendi possunt etiam ad usus licitos, v. g. comœdiam, ornatum domus, monumentum antiquitatis &c. ergo urgentissima causa excusante etiam fieri possunt infideli abusuro. Huc etiam spectat, quod non liceat venena vendere, nisi iis, qui bene usuri putantur, ut ad medicinas, colores &c. Unde venditio veneni, quod ad nullum usum servit, nisi ad occidendum hominem, abortum procurandum &c. simpliciter mala est; nec legi, qui excusaret, si ad eum finem vendatur.

88 Dixi 2. *Dummodo in ipsa emptione, ejusque circumstantiis non appareat intentio mala peccandi*. Quod si enim in ipsa emptione appareat emptoris mala intentio peccati, certum est, non licere ejusmodi vendere ob solam prædictam causam diminuti lucri, sed alia longe gravior causa accedere deberet. Illicite ergo alicui jam furenti, & jam minitanti necem alteri, venderes gladium, vel accommodares; immo illicite redderes suo proprio domino, ita furenti, nisi gravissima causa, v. g. mortis propriæ, urgente, & excusante. Illicite quoque venderes jam actu proficiscentibus ad bellum injustum, magis illicite deferres ad castra, actu bellum injustum gerentium, arma, & similia, nisi iterum gravissima causa similis excusaret, juxta dicenda Regula quarta. Sic denique Apothecarius illicite venderet mercurium, vel quid simile fœminæ gravidæ, sciens usuram ad abortum procurandum. Hæc quoad vendentes.

89 Quoad ementes vero hoc solum ex alibi dictis hic annotare placet: Nimirum ob similem causam necessitatis, vel utilitatis posse te licite emere a militibus res ablatas ignotorum dominorum, etiam pro derelictis habitas, cum etiam te non emente, tamen non sint restituturi, aut alii empturi, certe domini non recuperaturi; dummodo semper habeas voluntatem dominis, si quando compareant, restituendi, quantum adhuc extat, vel quantum inde ditior factus es. Sed de hoc alibi plura.

III. *Locantes, ædificantes*.

90 Legitimo Magistratu permittente, licite Catholicus potest hæreticorum templa, vel synagogas Judæorum ædificare, restaurare, ornare &c. similiter in civitatibus, vel locis, ubi, ad majora mala evitanda, permissa sunt lupanaria, licite potes ædificare domum meretrici, vel meretricibus, permittente interim Magistratu, ut opus turpe exerceatur inibi, uti (contra *Nav.* id ut valde periculosum merito dissuadentem) docet *communis*, & *recepta DD. Sententia*, meique citati omnes. Et omnino verum credo, quando justa subest causa: utpote si domus non posset æque bene aliis honestioribus locari, & insuper, te non locante, tamen locabunt alii, & sic peccata non impedirentur: quod si autem domum tuam æque bene aliis locare possis, certe sine omni tuo incommodo poteris, ideoque debebis non locare, & actiones turpes domi tuæ exercendas impedire: idque maxime verum est, quando, te non locante, simul spes est, fœminam, alibi non reperta occasione, perdite non victuram, ut rationabilissime docet *Hurtad. apud Dianam supra*. Nihilominus Sanch. *lib.* 1. *Moral. cap.* 7. *n.* 20. *Lessius*, *Valentia*, alii plurimi cum cit. Diana *resol.* 24. id absolute concedunt licere, absque ulla alia causa excusante, eo quod locatio domus, seu locus ipse valde remote se habeat ad peccatum abutentis, cum nec materia, nec occasio peccati sit.

91 Excipiunt tamen merito: nisi locus, ratione situs, esset magis aptus ad alliciendos homines ad peccatum, aut vicinitas meretricis multum noceret honestis fœminis in vicinia commorantibus: tunc enim requireretur causa aliqua excusans ad locandum, qualem adhuc sufficientem esse illam supra dictam, quod nimirum domus non possit aliis honestioribus locari, censet *Tamb. dicto* §. 4. *n.* 34.

IV. *Pictores, Histriones &c.*

92 Peccant sine dubio materialiter, regulariter loquendo, pictores pingentes valde turpia, vel obscœna; & multo magis histriones ejusmodi valde turpia repræsentantes, ex quibus moraliter certum est, & multos lapsuros graviter quoad castitatem, & pudicitiam: magis enim movet repræsentatio velut viva turpium, quam pictura mortua. Dico autem: *regulariter loquendo*: Nam in casu raro, si tanta esset pictoris, vel histrionis necessitas, ut eo lucro indigeret ad victum, vestitum, vel ejusmodi quid necessarium, semel, aut iterum licere, donec alia victus ratio occurrat, permittunt aliqui DD. cum Tamb. *supra cit. n.* 28. Dummodo absit periculum mortale impuræ delectationis venereæ, quod in hujusmodi cavere sane est. Unum, aut alterum dubiolum hic restat.

Unum. Utrum pictori liceat pingere imaginem amasiæ pro eo, quem pictor certo scit in illam turpiter esse affectum, idque extra finem matrimonii, præsertim si etiam essent matrimonii ad invicem incapaces. *Resp.* non licere citra peccatum mortale, regulariter loquendo, cum præbeat fomentum, & incitamentum turpis amoris: nisi iterum causa gravissimæ necessitatis pictoris excusaret. Cum enim talis pictura de se sit indifferens, & etiam bono usui deservire possit, ob causam gravis necessitatis poterit pictor permittere peccatum alterius: uti contra *Azorium*, *Bonacinam*, & alios docent *Basilius*, *Pontius*, *Castro-Palaus* alii cum Diana *par.* 5. *tr.* 7. *res.* 5. Tamb. *eodem n.* 28. 93

Alterum dubium est. An rhedariis, vel lecticariis, qui nimirum ex officio, vel statu suo rhedas agunt, vel lecticas portant pretio conducti, liceat scienter amasiam ad amasium, vel e contra adducere. Negant DD. communiter. Et certum videtur non licere absque omni justa causa excusante: at subsistente aliqua justa causa (qualis est ipsum lucrum inde capiendum, alioquin cessans) concedit *Merolla* cum Diana apud Tamb. *cit. n.* 30. Et quod mirum est, conscientiosus Navarr. *l.* 5. *consil. in secunda edit. cons.* 5. *de pœnit. in fine*. Ubi de his ipsis, & ejusmodi servitiis loquens dicit: ex his videtur colligi ratio defendendi multos a peccato, saltem mortifero; modo non placeat eis peccatum, & faciant obsequia prædicta ob aliquem bonum finem; puta, eo quod exhibeant illa, officii sui causa, vel ob justam mercedem: licet enim hæc officia, & obsequia sint valde conjuncta peccato; non tamen sunt secundum se, & suapte natura peccata; & ideo sejungi possunt a peccato per finem diversum, & sejunctum. *Hæc Navarrus sapienter*. Major infra erit ratio de famulis, & ancillis. 94

REGULA TERTIA.

Quando aliquid alicui ex justitia debetur, præstandum est, etsi per illud alter peccaturus sit: si tu peccatum aliunde impedire non debeas, vel commode non possis. 95
Ratio est: quia ipsa obligatio justitiæ est sufficiens causa excusans actionem tuam alias indifferentem a cooperatione ad peccatum alterius, posito, quod illud impedire non debeas, aut hic, & nunc commode impedire non possis: prout certe regulariter non potest creditor. Quod si autem in casu aliquo revera impedire posses peccatum alterius, maxime contra justitiam non reddendo debitum, te tunc non solum non teneri reddere, sed teneri pro tunc non reddere debitum, constat ex dictis de causis excusantibus a restitutione.

CASUS I.

Debitores, Subditi.

Creditori mutuum reddendum, debitum solvendum, 96
suum restituendum, dominis tributum pendendum, etsi illis pecuniis, vel rebus receptis immediate ad peccatum abusuri sint, ob rationem Regulæ datam: dummodo ipsi non exhibeatur in ipsa intentione actuali peccandi, & omnium maxime contra justitiam in damnum tertii. Sic enim furioso, vel alteri jam actu volenti occidere, non licet reddere etiam sua propria arma (multo minus vendere, vel commodare) nisi alia gravissima causa urgeret.

II. *Sacerdos, Confessarius*.

Confessarius pœnitenti, quem aliunde scit indispositum, non tamen fatenti, tenetur absolutionem dare, 97
saltem sub conditione mente retenta, ut in materia de pœnitentia dicitur: quia tenetur ei credere tam pro, quam contra se. Item Parochus, vel Sacerdos peccatori indisposito, etiam excommunicato occulto tamen, etsi sibi probe noto, tenetur administrare SS. Eucharistiam publice petenti: immo etiam petenti privatim, si ejus indispositionem ex sola ejus Confessione Sacramentali cognitam habet: Quia debetur ei sua fama, & observatio sigilli ex justitia. Communis doctrina suo loco tradita.

III. *Conjuges*.

Uxor v. g. tenetur reddere debitum petenti marito voto castitatis adstricto, ideoque peccaturo, si eum pe- 98
tentem a proposito suaviter evocare non possit: pie enim, & laudabiliter conabitur peccatum conjugis impedire, v. g. dicendo: quæso, serva tuum votum, expecta, donec ego petam,

petam, statimque petat; immo cum primum advertit conjugem desiderare copulam, ipsa petendo prævenire poterit, sic enim alter jam obligatus reddere, non amplius peccabit, quod valde nota. Et sic e contra discurre de marito respectu uxoris eodem voto adstrictæ. Attamen peccabit fœmina, si sciens viri votum cum eo contraxit, vel e contra, vir cum fœmina: quia tunc absque obligatione concurrit ad contractum Deo injuriosum: ut habet *cap. Nos novimus* 17. *qu.* 2. & docet communis DD. Navar. *c.* 22. *n.* 73. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 17. Attamen in casu, quo permittuntur matrimonia Catholicorum cum hæreticis, sponsus Catholicus licite ministrat Sacramentum Matrimonii sponsæ hæreticæ, vel e contra Sacramentalis gratiæ incapaci: Quia contrahens est solum minister privatus hujus Sacramenti, neque ad ministrandum Sacramentum specialiter ordinatus, ut ejus officii sit, indignos notorie a Sacramento excludere.

IV. Famuli, Ancillæ.

99 Ipsa ratio famulatus, seu servitii est sufficiens causa, ut excusentur famuli, & ancillæ: item filiifamilias, & uno verbo subditi, si jussu dominorum, aut Prælatorum faciant opera, ex se indifferentia, & remote tantum ad peccatum se habentia; non item propinque, & proxime ad peccatum ordinata. Utpote: 1. Si famulus jussu heri usurarii pecuniam ad usuram dandam numeret, deferat, recipiat, in librum referat, absque alia mala intentione, vel complacentia ad peccatum. 2. Si famuli, & ancillæ, seu coqui, & coquæ dominis, jejunium violaturis cœnam, & carnes coquant, vel ministrent: quia hæc actio natura sua non ordinatur ad peccatum, sed solum ad substantiam actus comestionis spectantis ad nutrimentum dominorum, cui actui eo die per accidens conjungitur peccatum dominorum, quod famuli, & ancillæ impedire non tenentur, sed funguntur suo officio, sicut aliis diebus. Communis DD. apud Dianam *citat. p.* 5. *tr.* 7. *res.* 13. 3. Si famulus jussu domini, quem scit ire ad adulterandum, sternat equum, ipsum mere comitetur, mereque expectet, more solito ante fores servitii causa (hoc est, non ut custodiat, securum, vel animosiorem ad peccatum reddat, tunc enim clare peccabit) item si fœminam, cum qua dominus peccaturus est, in domum admittat, facem præferat, lectum sternat, cibum, vel potum ministret, exuere juvet &c. Item si ancilla heram suam meretricem ornet, & similia modo dicta faciat. 4. Si famulus, vel ancilla inter hujusmodi heros, & heras deferat litteras, internuntia, munera, solius urbanitatis, vel amicitiæ plena, præstetque similia alia officia, quæ alius famulus, vel ancilla æque præstaret, & ita similibus sexcentis. *Ratio omnium est*: Quia ex una parte illi ex officio, & conditione sua tenentur dominis servire, & obsequi. Ex altera vero parte cooperatio ad peccatum mere materialis, & remota tantum est. Unde tamen similia non liceret scienter præstare aliis liberis ab obsequio.

100 Contra vero in iis, quæ propinque, vel proxime se ad peccatum habent, juvant, vel ordinantur, etsi de se indifferentia, non possunt famuli, & ancillæ obsequi dominis ex sola ratione famulatus, vel servitii. Immo modo post propositiones damnatas, non amplius excusat metus cujusvis notabilis detrimenti: ut si timeant, ne a domino, vel a domina cum detrimento, vel dedecore e domo, vel servitio expellantur, aut male tractentur; aut si sponte servitium deserant, aliud vel non inveniant, vel saltem cum molestia quærere cogantur. Sic enim illa intelligenda videtur damnata ab Innocentio XI. propositio 51. *Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendentem per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo ejiciatur.* Et hinc concubinam, vel amasiam conducere, aut litteras turpiter amatorias scienter deferre, (sicut & litteras continentes expressam provocationem ad duellum) nunquam potest esse licitum: cum hæc videantur intrinsece mala, & species lenocinii, ut habet communis DD. cum Sanch. *lib.* 1. *mor. cap.* 7. *n.* 26.

101 Excusat tamen omnis ignorantia: cum famuli, vel ancillæ non sit inquirere intentiones, & consilia dominæ, vel domini sui. Quod si autem famulus certus sit de turpi amore domini erga talem fœminam, ignoret autem quid in litteris contineatur, adhuc non licere deferre, docet *Sanch. cit.* Quia tunc ex communiter contingentibus debet servus præsumere turpia esse, & mala. Eam tamen delationem ex aliqua urgenti causa licere, concedunt *Rebellus*, & *Castro-Palaus*, apud Tamb. *cit.* §. 4. *n.* 18. Vide de his plura, & curiosa apud *Dianam*, & *Sanch. ll. cc.* Et modo post Propositiones damnatas utilissime leges Joan. Card. & alios, recentissime in præfatas Propositiones scribentes.

REGULA QUARTA.

102 *Licet materialiter ad peccatum proximi cooperari, quoties major necessitas, seu ratio majoris mali evitandi, ita exigit, vel cogit.* Ratio est: quia ex duobus malis, quorum utrumque vitari non potest, minus eligendum, vel certe permittendum est.

CASUS I.

Juvare pugnantes injuste.

Christiani, vel Catholici captivi apud Turcas, vel hæreticos bellantes contra Christianos, vel Catholicos, licite remigant, fodiunt, sarcinas, & arma advehunt &c. Quia ex una parte magna necessitas, & gravissimus metus verberum, & mortis eos cogit: Et ex altera parte cooperatio non adeo propinqua est, sine qua damnum nihilominus inferendum est. Quod si tamen captivi ejusmodi auxilia negantes, Christianos, vel Catholicos magno periculo eripere possent, vel victoriam causare, omnino ex Charitate videntur obligari ad bonum commune Reipublicæ Christianæ, vel Ecclesiæ anteponendum propriæ vitæ. *Sic Pet. Navar. Molina*, Laym. *cit. n.* 5. §. *ulterius*. Eadem ratione iidem excusantur, si inferant damna Christianis in rebus externis, auferendo, destruendo, comburendo, simili metu mortis coacti: quia tunc sunt in extrema necessitate ad tuendam vitam, & domini non debent esse inviti rationabiliter, sed potius ex Charitate consentire, neque eam actionem, prout a miseris captivis fit, sibi injuriosam putare: uti contra alios recte docet Molina *tom.* 1. *de just. tr.* 2. *disp.* 115. aliisque cit. Diana *cit. resol.* 30. 103

At vero minime excusantur mortis, vel cujuscumque mali metu, actu pugnantes contra Christianos, vel Catholicos, eos occidentes, mutilantes, tormenta explodentes, applicantes ignem navibus comburendis cum Christianis &c. quia hæc sunt intrinsece mala, nec patrocinari potest consensus innocentium. Eadem ratione proportionaliter discurrendum de juvantibus fures, vel latrones, non propinque tantum v. g. scalas applicando, vel dorsum supponendo furaturis &c. sed etiam proxime ad furandum, vel prædandum: nimirum excusari certo metu mortis, vel alterius gravissimi mali prudentis judicio proportionati cum damno proximis inferendo, qui similiter non debebunt esse rationabiliter inviti; minime tamen excusantur juvantes latrones ad homicidia &c. Ratio jam antea est dicta. 104

II. Obedire Tyranno.

Tyranno, expulso Principe, Provinciam injuste occupante, possunt incolæ sub eo manere, ejusque cogente imperio, fossione, excubiis, contributione &c. juvare: non utique animo bellandi contra proprium legitimum Principem; sed quatenus opera illa indifferentia sunt, & minus mala ad majus evitandum, quia nimirum si ab incolis recusentur, majora damna ipsis, & Reipublicæ imminent; quippe ut bonis omnibus privati, provincia ejiciantur, aliis ad nocendum promptioribus substitutis, quam ob rem ipse Princeps legitimus censetur velle, ut manentes hæc interim faciant ad majora mala devitanda. Ex communi Laym. *cit. n.* 5. §. *secundo resolves*. 105

III. Tolerare malos.

Peccant sane graviter parentes, domini, Patres familias, si filios, servos, ac famulos malos, lascivos, luxuriosos &c. domi retineant, & non ejiciant, si credant ex eorum ejectione emendandos fore, & ut ajunt ad crucem, repturos. At quia sæpissime timendum, & passim contingit, eos ex ejectione extra domum, & curam, ac disciplinam paternam, vel herilem, non modo non emendari, sed potius magis pervertendos, in graviora scelera, & dedecora labi &c. præsertim si etiam eorum opera parentibus, vel dominis necessaria sit, ut sine gravi damno suo, vel incommodo ejici non possint, prudenter, & licite eos retinent; dummodo familiæ, vel familiaribus non sint perniciosi. Unde excusari possunt, si ob justam causam retinuit filium, vel famulum extra domum amasiam habentem: at minime excusari poterunt, si domi amasiam habeant, hoc enim esset receptare peccantes, & facere, ut securius, & commodius peccent. Quid hic de scandalo. Quid de contagione totius familiæ. Quænam justa causa id permittendi esse possit, saltem ad longum tempus. *Ita ex Sylv. Navar.* Tamb. *cit.* §. 4. *n.* 21. & 22. 106

IV. Redimere vexationem.

Casus hic singularis est in administratione Sacramentorum, si Sacerdos, vel Parochus ex malitia nolit administrare Sacramenta, maxime necessaria, v. g. Baptismum infanti morituro, pœnitentiam existenti in peccato mortali, & periculo mortis: licebitne ei offerre pecuniam ad redimendam eam iniquissimam vexationem? 107

Sane communis Sententia Antiquorum Theologorum, *S. Thomæ, Scoti, Alensis, Gabrielis, & aliorum est*, non licere offerre pecuniam pro administratione Sacramenti, etiam in extrema necessitate. *Ratio* eorum est: quia 108

quia emere Sacramentum intrinsece malum est: ut proinde nulla circumstantia etiam extremæ necessitatis juvante cohonestari, seu licite fieri possit: nam hoc non solum est scandalum, quo inducitur proximus ad peccatum, sed etiam est peccatum simoniæ juris naturalis: quia ipsa obligatione pecuniæ emitur Sacramentum: emere autem Sacramentum tam iniquum, & simoniacum est, quam vendere.

109 Verum magis placet sententia opposita *D. Bonaventuræ, Vasq. Pontii*, & jam *communis DD.* quos sequitur Diana *p. 5. tr. 7. ref. 16.* Licere nimirum Sacerdoti nolenti infantem baptizare in extrema necessitate, pecuniam offerre, immo si aliter induci non possit, etiam debere fieri. *Ratio* in oppositum est: quia in primis hoc non est scandalum: non enim peto, ut ipse Sacramentum vendat, absit: sed peto Sacramenti administrationem, quæ sancta est, & ab eo sancte fieri potest, ex suppositione autem, quod is ex malitia aliter administrare nolit, offero pecuniam, non simoniace, ut Sacramentum emam, absit: sed præcise, ut mentem ipsius, & voluntatem inducam, ut in tanta necessitate conferre velit Sacramentum. Unde neque est simonia; quia non æstimo Sacramentum pecunia, sed nolentem aliter conferre, oblata pecunia, allicio, permittendo interim ejus peccatum tamquam minus malum ad evitandum majus malum damnationis infantis. Quare non licite solum sic offero, sed ex Charitate etiam offerre debeo: quia ex duobus malis minus est eligendum. Quamvis autem DD. cit. prædicti, & plerique loquantur solum de Baptismo infantis moribundi, sic necessario baptizandi, eadem tamen omnino est ratio de Sacramento Pœnitentiæ necessario ad

110 salutem. Immo *Hurtadus*, & *Diana cit.* extendunt ad Sacramentum Eucharistiæ, ac omnia alia, quæ si aliter Sacerdos malitiose ministrare nolit, posse pecunia oblata extorqueri: non enim æstimatur Sacramentum pecunia: sed sola voluntas Ministri allicitur ad præstandum id, quod sine peccato præstare posset, & deberet: si male præstetur, est ex sola malitia Ministri.

111 Eademque ratione dicendum in casu tempore belli non raro, quo millies hæretici Sacramentum Eucharistiæ essent prophanaturi, pedibus conculcaturi &c. licite catholicus eis offeret pecuniam, non ut Sacramentum ab eis emat, vel pretio æstimet, sed ut, mitigata eorum mente sacrilega, tantam Sacramenti irreverentiam redimat, & impediat. Ex his quatuor Regulis per casus satis late deductis bene penetratis facile resolves alios casus prorsus innumeros, quo scripto congerere impossibile est.

SECTIO IV.

De obligatione Scandalizantis lædentis proximum in bonis Animæ.

SUMMARIUM.

111 *Scandalizans active, tenetur ad procurandam scandalizati emendationem non tantum ex Charitate*, usque ad n. 114. *sed*
114 & 115. *Probabiliter etiam ex justitia.*
116 *Idque certum, si per vim, vel fraudem induxit alium ad peccatum, vel errorem in rebus fidei; ita ut*
117 *Talis sub mortali obligetur. I. vim, metum, minas, imperium &c. revocare: &*
118 *II. Fraudem, dolum, vel falsas persuasiones, quibus induxit, amovere: ac*
119 *III. Insuper si etiam amota causa peccati, & ostensa veritate, seductus in peccato perseveret, mediis opportunis ejus emendationem procurare: &*
120 *IV. Si seductus inde damnum passus est, illud compensare.*
121 *Qui vero sine vi, vel fraude aliquem, aut jam ante peccare paratum, inducit in peccatum, non ex justitia, sed ex charitate solum obligatur ad ejus emendationem*, usque ad n. 124.
124 *Parentes, consanguinei, & quivis alii aliquem vel aliquam a Religione ingredienda, vel profitenda retrahentes, vel impedientes &c. quomodo peccent:* & n. 125. *Et*
126 *Ad quid obligentur I. ipsi taliter abstracto*, usque ad 131.
131 *II. Religioni pro abstracto ingressuro, vel professuro*, & *n. 133. aut*
133 *III. Jam professo, & tandem*
134 *Quando, quantum, & quomodo restituendum Religioni pro abstractis*, usque ad n. 138.
138 *An, quomodo & quotupliciter peccent, qui malo animo, & sine causa Novitio negant votum ad Professionem*, usque ad n. 145.

ASSERTIO IV.

112 *Quicumque active scandalizans alterum induxit in peccatum, vel errorem noxium, ad compensandum damnum spirituale illatum, obligatur procurare ejus emendationem ex Charitate maxime, & probabiliter etiam ex justitia: idque certum, si per vim, vel fraudem induxit: alioquin verius non ex justitia, sed charitate tantum.* Explico breviter.

§. I. *Obligatur ex Charitate maxime.*

Certissimum apud omnes: nam quicumque Christianus ex lege generali Charitatis, & speciali præcepto fraternæ correctionis tenetur corrigere errantem, vel peccantem: Ecclesiastici 17. *Et mandavit illis, unicuique de proximo suo.* Et latius *ibid. cap.* 19. Et clarissime Christus Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum &c.* ergo multo magis, & maxime ex Charitate tenetur corrigere, seu procurare emendationem proximi sui, quem ipsemet in peccatum, vel errorem induxit: nam talis præter communem titulum Charitatis, quo cæteri omnes obligantur, habet alium specialem titulum damnificantis, eo quod auctor fuerit illius mali spiritualis proximi, quod proximus incurrit, & patitur. 113

Quæstio ergo, & controversia major est, an etiam talis obligetur ex justitia ad compensandum damnum spirituale proximi, & procurare ejus emendationem. Affirmat universim, & indistincte communis Theologorum Sententia, Scot. 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 1. *Richard. Paludan. Gabriel Adrian.* alii. Communior autem Sententia RR. ita distinguit: Si per vim, vel fraudem induxit, obligari ex justitia: si sine vi, vel fraude, ex Charitate tantum. *Sic Sot. Sylv. Azor. Less. Laym.* aliisque *cit.* Lugo *disp.* 9. *de just. sect.* 1. *a n.* 8. Eademque ratione commodissime explicari potest Sententia *Scoti*, ut ibidem notat *Scholiast.* loquitur enim indefinite his verbis. *De isto dico, quod tenetur modo sibi possibili restituere sibi damnum, scilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam, & ad actus virtuosos, & si sola inductio non sufficiat, quia facilius est pervertere, quam convertere, tenetur, & per se orando, & per orationes aliorum procuratas impetrare sibi conversionem, & per alios persuasiones efficaces: dum tamen illis non prodat peccatum occultum illius alterius. Ex hoc patet, quantum periculum sit alium sollicitare, & inducere ad peccatum: quia vix potest digne restituere, cum voluntatem illam allectam ad peccata vix possit persuasionibus, & aliis multis viis reducere ad virtutem.* Ratio hujus satis patet: quia cum virtutum bona sint maxima secundum Augustinum 1. Retractationum c. 9. *plus damnificat, qui in istis damnificat, quam qui in quibuscumque aliis: & per consequens plus secundum justitiam ad restituendum proximo tale bonum, quantum sibi possibile est.* Sic Scotus indefinite loquens: sed quia communiter intelligitur, & citatur pro prima Sententia, ideo in favorem illius antiquæ piæ Sententiæ dicimus. 114

§. II. *Et probabiliter etiam ex justitia.*

Probabilior omnino est prima Sententia universaliter affirmans, talem obligari ex justitia. Suadetur: quicumque damnificat proximum in bonis injuste, peccat contra justitiam commutativam, & tenetur ad restitutionem, & quidem tanto magis peccat, & restitutioni obnoxius fit, quanto majus est bonum, in quo damnificat: sed quicumque inducit proximum quocumque modo in peccatum, quod alias non commisisset, est vera actualis causa per se illius peccati, & privat proximum suum bono maximo divinæ gratiæ ipsi ex Christi, & propriis meritis debito, adeoque damnificat ipsum in bono spirituali pertinente ad vitam æternam: ergo peccat contra justitiam commutativam, & quidem multo magis, quam si damnificaret eum in bonis temporalibus vitæ, famæ, fortunæ, juxta dictum Anacleti Papæ Epist. 3. relatum cap. Deteriores 6. q. 1. *Deteriores sunt, qui vitam bonorum pravis moribus corrumpunt, quam si substantias aliorum, prædiaque diripiant.* Ergo ulterius etiam tenebitur ad restitutionem ex justitia, & quidem multo magis, quam qui damnificat in bonis temporalibus inferioribus. Sane nulla videtur ratio, quare obligatio restitutionis ex justitia solum restringeretur ad damna temporalia, & non item ad spiritualia; neque videtur obesse consensus damnificati in spiritualibus: nam damnificans in bonis corporalibus adhuc tenetur ad restitutionem, etiamsi damnificatus aliquando in damnum suum consentiat. Nam usurarius v. g. obligatur ad restitutionem usuræ mutuanti, etsi is in ipsam consenserit: ergo etiam talis inducens ad peccatum obligatur ad restitutionem, non obstante, quod alter seductus consentiat in peccatum suum, vel damnum suum. Confirmat *Sotus* antiqua Lege Dei Exodi 22. *Qui seducit virginem, & dormit cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem, aut reddat ei pecuniam, juxta modum dotis, quam virgines solent accipere.* Ergo ista damnificatio illata virgini contra Castitatem requirit restitutionem castitatis conjugalis reddendæ pro ea. Jam vides sententiam esse valde probabilem. Insuper dicimus: 115

§. III. *Idque certum, si per vim, vel fraudem induxit.*

Nimirum, qui per vim, vel metum, fraudem, vel dolum, aut falsam doctrinam induxit alterum ad peccatum, vel errorem in rebus fidei, vel morum, tenetur ex justitia tollere causam datam, ne amplius in peccato persistat, 116

stat,

ſtat, atque procurare ſeducti emendationem. *Sic omnes, utriuſque ſententiæ Doctores*. Ratio clara eſt, quia quicumque infert alteri veram injuriam damnoſam, ſeu damnum injuſtum, utpote invitum, ac involuntarium privando re ſua, quam titulo juſto poſſidet, peccat contra juſtitiam, & obligatur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem damni illati, & ante omnia ad amovendam cauſam appoſitam talis damni, ut conſtat ex ipſo fundamento juſtitiæ, & reſtitutionis; ſed qui alterum per vim, vel fraudem induxit in peccatum, vel errorem, infert ei veram injuriam: cum quilibet habeat jus, ne ſibi per vim, vel fraudem malum inferatur; infertque grave malum ipſi invito, ac involuntario: quia, ut ſupponitur, nunquam tali peccato conſentiret, niſi alter aut vi, aut metu compuliſſet, aut fraude, vel dolo, vel ſuaſu falſo decepiſſet: & ſiquidem per vim, vel metum induxit ad peccatum formaliter, utpote cognitum, & ſufficienter voluntarium, adhuc infert ſane graviſſimam injuriam, damnumque injuſtum graviſſimum reatus peccati mortalis, ac æternæ damnationis, privando illum maximo bono ſuo, ſcilicet gratia, quam vere poſſidet a Chriſti, & propriis meritis: Si vero per dolum, vel fraudem, falſam doctrinam, induxit in peccatum, ſaltem materialiter tantum, utpote ignorantia invincibili excuſatum: adhuc injuriam infert conſtituendo eum invitum in malo materiali, quod licet per ſe grave non ſit, per accidens tamen ſæpe maxime grave evadit ob damnum annexum: ut ſi virgini, fœminæ, vel maſculo perſuadeas copulam carnalem in talibus circumſtantiis non eſſe peccatum: tunc enim magnum detrimentum ei infers in amiſſione virginitatis, quæ pretioſiſſimum ornamentum eſt: aut ſi propter talem actum incurrat aliud damnum ſpirituale, vel temporale, ut ſæpe contingere ſolet: puta, quia talis ſemel ex ignorantia peccans, poſtea ſublata ignorantia, adhuc peccabit: aut quia in foro externo punietur, &c. ergo talis peccat contra juſtitiam, & per conſequens tenetur ad reſtitutionem, ſeu compenſationem damni illati: & ante omnia quidem ad amovendam cauſam appoſitam damni illati, hoc nimirum ordine, & modo.

117 I. Qui alterum vi, metu, nimis, imperio &c. ad peccandum induxit, tenetur ſub mortali remittere vim, minas, revocare imperium, & relinquere eum in ſua libertate: intellige, quando peccatum ex metu committendum adhuc pendet in futurum, quia alter ſcilicet ex metu adhuc peccabit, ſi autem peccatum perpetratum jam ſit, neque amplius perpetrandum ex metu tuo, jam non amplius ex juſtitia, ſed ex Charitate tantum teneberis procurare ejus emendationem, jam non amplius ex tua injuria, ſed propria libertate peccabit. Excipit tamen recte Lugo *cit. ſect.* 1. Niſi talis ignoret actum ex ſe metu factum eſſe peccatum, aut neſciret adhibere remedia ad recuperandam gratiam, tunc enim ex juſtitia teneberis ei oſtendere remedia emendationis; quia tua cauſa adhuc invitus grave malum patitur.

118 II. Similiter, qui fraude, dolo, vel falſis perſuaſionibus feſellit ad peccandum, tenetur ex juſtitia ſub mortali amovere fraudem, vel fallaciam, veritatem oſtendendo, ut qui falſa doctrina alterum ſeduxit, aut in rebus fidei credendi aliquid erroneum, aut in rebus morum credendi aliquid non eſſe peccatum, v. g. fornicationem ſimplicem, pollutionem, uſuram, perjurium in neceſſitate propria, vel amici, mortuo creditore, non eſſe amplius obligationem reſtituendi &c. tenetur utique ex juſtitia ſub mortali ad amovendum errorem, ac docendam veritatem, ne ſcilicet alter in peccato, vel errore perſeveret: ſto enim alter ſeductus non peccet formaliter, excuſante ignorantia, tu tamen ſcienter inducens ad malum peccaſti formaliter, & peccas, quamdiu ſic ipſum relinquis.

119 III. Inſuper, etiam amota cauſa peccati, vel erroris, & veritate oſtenſa, ſi ſeductus in peccato perſeveret, adhuc ſeducens tenebitur mediis opportunis procurare ejus emendationem, vel correctionem: & quidem ex juſtitia *ſecundum Scotum*, & *Doctores primæ Sententiæ*, eo quod ſua ſeductione non tantum actuali peccato, vel errori, ſed etiam perſeverantiæ in tali peccato, vel errore injuſtam cauſam dederit: at vero *ſecundum Doctores ſecundæ Sententiæ* probabilius non ex juſtitia, ſed ex Charitate tantum: quia, ablata fraude, & veritate oſtenſa, ſi alter in peccato, vel errore nihilominus perſeveret, nullum amplius damnum, vel malum invitus patitur, conſequenter ceſſat injuria, & obligatio compenſandi ex Juſtitia, juxta mox dicenda §. *ſeq.*

120 IV. Quando tua vi, vel fraude inductus ad peccatum aliud damnum notabile incurrit, utpote pœnam in foro externo, ejectionem ex Monaſterio, vel Religione &c. utique clare obligaberis ad ejus damni compenſationem: quia ejus damni injuſta cauſa fuiſti. Similiter ſi alium vi, vel fraude induxiſti ad peccatum contra juſtitiam in ſpecie, verbi gratia, furtum, homicidium, &c. utique obligatus manes ad compenſandum damnum illatum tertio, tamquam ejus cauſa principalis. Res certa dicta ſuo loco. Jam denique dicimus.

§. IV. *Alioquin verius, non ex juſtitia, ſed ex Charitate tantum.*

Nimirum, qui alterum citra vim, vel fraudem ſcientem, & libere conſentientem induxit in peccatum, ad nullam obligatur ex juſtitia compenſationem damnorum ſpiritualium, ſed tantum ex Charitate. *Sic Auctores ſecundæ ſententiæ*. Ratio eſt ſolida: quia nulli debetur reſtitutio, vel compenſatio ex juſtitia, niſi injuriam paſſo, atqui juxta Regulam Jur. in 6. *ſcienti, & volenti non fit injuria*. Unde nullus ex conſilio, quod alteri dat, tenetur ei damna ex eo conſilio ſecuta compenſare, niſi fraus intervenerit, juxta aliam Regulam juris L. conſilii ff. de regul. Juris. *Conſilii non fraudulenti nulla eſt obligatio*. Et L. 2. ff. mandati, dicitur *Nemo ex conſilio obligatur, etiamſi non expediat ei, cui dabatur, quia liberum eſt cuicumque apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium*. Ergo inducens alterum in peccatum, ſecluſa vi, vel fraude, ſolo conſilio, ſuaſu, prece, dono, exemplo, cum alter ſciens, & volens in peccatum, adeoque in damnum ſuum ſpirituale conſentiat, nullam ei infert proprie injuriam contra juſtitiam, conſequenter ex juſtitia ad nullam obligatur reſtitutionem damnorum. Unde licet is, qui conſuluit alteri damnificare tertium, teneatur reſtituere damnum illi tertio ex ſuo conſilio, utique invito illatum, *ſecundum omnes*: nullus tamen dicit, teneri reſtituere ipſi conſulto damna inde emergentia: quia nimirum tertio nec ſcienti, nec volenti injuria facta eſt: Secus eſt de conſulto. 121

Atque hinc clare patet ad fundamentum primæ ſententiæ. Falſa ſimpliciter eſt *minor*: Grandis enim eſt diſparitas inter damnificationem in ſpiritualibus, & corporalibus: nam in corporalibus damnum infertur invito, & licet quiſpiam in damnum ſuum aliquando conſentiat, v. g. mutuans uſurario, virgo ſtupratori, gratis interim dato, tunc etiam ei fieri injuriam, tamen poſtea involuntarie in illo damno perſeverat, quo tamen juſte liberari debet: ergo cum ipſe ſe liberare nequeat, is, qui damnum intulit, ex juſtitia tenebitur eum liberare, illatum damnum compenſando. At vero in ſpiritualibus damnificatus, ſeu in peccatum inductus ſine vi, vel fraude non tantum ipſe tunc ſciens, & volens in peccatum, ac damnum ſuum conſentit, ſed etiam ſciens, & volens in eodem damno ſuo perſeverat, quo ſe per pœnitentiam ſemper liberare & poſſet, & deberet: conſequenter nulla ei facta eſt injuria, ſicque nulla obligatio alterius ad tale damnum compenſandum ex juſtitia, ſed ſolummodo ex Charitate. Denique accedit communis praxis Confeſſariorum, etiam Doctorum, & proborum qui confitentibus, qui alios in peccatum ſcientes, & volentes induxerunt ſine vi, vel fraude, ad nullam obligationem obligant, præter injunctam pœnitentiam. Ut cum aliis advertit Laym. 122

Tandem apud omnes in confeſſo eſt, nulli reſtitutioni obnoxios eſſe illos, qui ad peccatum inducunt alios, antea peccare paratos, ac volentes, v. g. meretrices expoſitas: quia moraliter æſtimandi non ſunt cauſa peccati alterius, ſed ſolum occaſio expectata. Neque illos, qui abſque intentione ruinæ ſpiritualis, ſolum malo ſuo exemplo alios ſcandalizant: quia talis ſcandalizans eſt ſolum cauſa remota peccati, & ruinæ aliorum plane libere ad ſuum exemplum ruentium. Reſtat unum, & alterum, non levis momenti, dubium Regulare. 123

Dubium Regulare prius.

Ad quid teneatur, qui alium retrahit a Religione ingredienda, profitenda, vel etiam profeſſa.

Certum eſt apud omnes, graviſſime peccare parentes, conſanguineos, & quoſvis alios, qui aliquem, vel aliquam ab ingredienda, vel profitenda Religione malo animo, & ſine ulla rationabili cauſa retrahunt, vel impediunt, ſive id fiat vi, vel metu, fraude, vel dolo, ſive etiam malignis perſuaſionibus, rationibus futilibus, importunis precibus, blanditiis &c. v. g. obtrudendo ſpem honorum, divitiarum, voluptatum: exaggerando difficultatem, moleſtiamque vitæ Religioſæ: aut ob proprium eorum, non tamen debitum commodum, vel utilitatem &c. Tales namque abſque juſta cauſa voluntarie privant ſeipſos maximo bono Religionis: & ſi vis, vel metus, fraus, vel dolus acceſſerit, ultra peccatum mortale incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ in Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 18. *de Regularibus*. Ubi excommunicantur omnes: *qui ſanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine juxta cauſa impedierint*. 124

Secus a peccato immunes ſunt, & recte faciunt, qui bono animo, recta intentione, & rationabili cauſa alicui ingreſſum, vel profeſſionem Religionis diſſuadent: utpote, quia parentes, vel conſanguinei proximi in magna neceſſitate conſtituti, ipſius opera indigent, aut bono communi magis expedire videtur, ſi extra Religionem maneat, aut quia ſecundum animæ, vel corporis diſpoſitionem non videtur aptus ad talem Religionem, aut quia in tali Religione, vel monaſterio non adeo bene ſecundum diſciplinam 125

Regularem vivitur: *Omnes*. Ratio est: quia, ut Religionis ingressus, vel professio hic, & nunc alicui expediat, potest in consultationem cadere: ergo qui bono animo, & rationabiliter dissuadet, attentis circumstantiis prædictis, vel similibus, nihil peccat, nec consequenter alicui restitutioni obnoxius erit, cum nulla injuria præcesserit. Supposito ergo, quod quis illicite, & malo animo aliquem a Religione ingredienda, profitenda, vel jamjam professa retrahat, vel extrahat, quæritur, ad quidnam obligetur, tum ipsi, quem retraxit, tum Religioni, e qua retraxit, vel extraxit. Pono distinctas resolutiones.

§. I. *Quid ipsi abstracto a Religione.*

126 Qui vi, vel metu, fraude, vel dolo alium abstraxit a Religione, vel ingredienda jam vocatum vel resolutum, vel profitenda jam Novitium, aut etiam jam professa, utique peccat contra justitiam. Quia invitum, & involuntarium aliquo modo, quippe, vel metu coactum, vel fraude deceptum privat maximo spirituali bono: ideoque ex justitia obligatur ad compensationem damni illati modo sibi possibili *juxta communissimam sententiam DD.* obligatur ergo talis ex justitia.

127 I. Amovere causam damni illati, scilicet remittere vim, vel aperire fraudem, & relinquere eum in sua plena libertate, ut jam, si velit, & libere eam Religionem ingredi, vel eam profiteri, vel ad eam professam redire possit.

128 II. Etiam ablata vi, vel fraude, tenetur ei ex justitia compensare pro damno illato: utpote procurando ei reditum ad talem Religionem, in qua vel Novitius, vel professus erat, si is aliunde non possit. Item resarciendo ei omne detrimentum spirituale, vel temporale, quod ea de causa passus est, si tamen compensare, vel reparare possit, quia totius istius damni injusta causa fuit.

129 III. Ablata autem vi, vel fraude, ut jam plane ei liberum sit Religionem ingredi, vel ad eam reverti, si ipse amplius nolit, jam non ex justitia, sed ex Charitate tantum tenebitur ei procurare ejus ingressum, vel reditum: quia non amplius invitus, sed volens damnum subit; ut in simili dictum superius.

130 IV. Denique similiter, qui, seclusa omni vi, vel fraude, solis persuasionibus, blanditiis, precibus alium a Religione avocavit, ita ut alter libere consenserit non ingredi, vel profiteri, vel egredi a Religione, ad nihil tenebitur ex justitia, sed ex Charitate tantum: ut contra antiquos illos supra allatos §. 1. docet communis & certa Sententia DD. Quia scienti, & volenti suum damnum, nulla fit injuria: nec consequenter ulla oritur obligatio restitutionis.

§. II. *Quid Religioni pro abstracto ingressuro, vel professuro.*

131 Revocans, & abstrahens malo animo aliquem a Religione, vel ingredienda jam dispositum, aut susceptum, vel profitenda jam Novitium, sine omni vi, vel fraude, solis persuasionibus, precibus, blanditiis &c. ad nihil tenetur ex justitia ipsi Religioni, vel Monasterio, *Communissima DD. tam antiquorum cum Scoto supra, quam RR. cum Sanch. Lugo cit.* Ratio clara, & facilis est: quia ubi nullum jus, nulla potest esse injuria, nec consequenter obligatio restitutionis: atqui Religio nullum omnino habet jus ad volentem ingredi, etiam jam susceptum, etiam jam ingressum Novitium, ejusque emolumenta, manet enim is semper in plena sua libertate; ergo talem sine vi, vel fraude retrahens a Religione ingredienda, vel profitenda, nullam Religioni infert injuriam, consequenter nullam contrahit obligationem restitutionis: sed sicut ipse candidatus, vel Novitius libere potest non ingredi, vel egredi sine ulla obligatione, ita idem ipse consulens sine vi, vel dolo ab omni obligatione immunis erit: neque enim peccat contra justitiam, esto peccare possit contra Charitatem, si id malo in Religionem, vel ei nocendi animo faciat: quo secluso neque contra Charitatem peccabit, maxime si ita faciat in suum proprium, vel suorum, vel Religionis propriæ commodum, ordine enim Charitatis proprium commodum commodo alieno in æquali causa juste præfertur.

132 At vero qui per vim, vel fraudem aliquem retrahit a Religione ingredienda, vel profitenda, sicut peccat contra justitiam ex dictis, ita ex justitia obligabitur ad compensandum Religioni damnum illatum. Est item *communis DD. cit.* Ratio est: quia quicumque nocet alteri cum injuria, tenetur restituere illatum damnum: Sed quicumque per vim, vel fraudem retrahit aliquem ab ingressu, vel professione Religionis, ipsi Religioni nocet cum injuria, cum quilibet habeat jus, ne sibi per vim, vel fraudem noceatur: etsi enim Religio nullum adhuc habeat jus acquisitum ad ingressurum, vel Novitium absolute, ut dictum est; quælibet tamen Religio hoc ipso, quod approbata est ab Ecclesia, vel Sede Apostolica, habet jus acquisitum respectu cujusvis, ne quis per vim, vel fraudem avertat eum, qui jam statuit ingredi, vel jam ingressus profiteri: esto interim ipsi ingressuro, vel professuro, semper maneat sua libertas ad ingrediendum, vel profitendum, necne, quemadmodum legatarius v. g. etsi nullum adhuc habeat jus acquisitum ad legatum sibi destinatum, idque semper maneat in libertate legantis, quamdiu vivit, habet tamen jus, ne per vim, vel fraudem ab eo excludatur, ideoque per vim, vel fraudem ipsum a tali legato impediens nocet ei per injuriam, ac per consequens compensare tenetur, ut latius visum suo loco. Ergo similiter per vim, vel fraudem retrahens aliquem ab ingressu, vel professione Religionis, vere nocet Religioni, per injuriam privans ipsam jure suo ad illum, & ejus commoda sperata, ac per consequens damnum illatum compensare tenebitur; modo mox dicendo *n.* IV.

§. III. *Quid Religioni pro abstracto jam professo.*

Quicumque Religiosum jam professum abstrahit ex Religione jam professa, atque ad apostasiam trahit quomodocumque, sive vi, vel metu, dolo, vel fraude, sive solum consilio, suasione, vel alia simili cooperatione, præter gravissimum peccatum, obligatur ex justitia ad restitutionem totius damni illati, & secuti Religioni, vel Monasterio. *Ita communis DD. cum Scoto cit. Nav. uterque Molina, Azorius, Lessius*, aliisque cit. Laym. *lib.* 3. *de justit. tr.*2. *c.*8. *n.*3. contra Scotum, *& Sanch.* apud eundem, qui negant de eo, qui sine vi, vel fraude abstraxit; & probabile censet Lugo *cit. disp.*9. *sect.*3. *n.*41. Ratio jam supra dicta hic urget universaliter: quicumque per injuriam nocet alteri, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem damni: sed retrahens quomodolibet, cum, vel sine vi, aut fraude Monachum professum ex Religione, per injuriam, nocet Religioni, vel Monasterio, cum Religio habeat verum, & strictum jus ad Monachum professum, omniaque ejus emolumenta: Monachus enim professus personaliter obligatus est Religioni cum sui juris non sit, sed per Obedientiæ votum a Prælato acceptum se Ordini tradidit cum omni suo emolumento, adeoque quidquid acquirit Monasterio vel Ordini acquirit; omnisque sua industria tenetur Ordini suo, vel Monasterio fructificare. Neque refert responsum *Soti* adversarii, quod professus non teneatur ex justitia, sed solum ex Obedientia fructificare, seu procurare commoda suo Ordini, vel Monasterio, ideoque ipse egressus non peccet proprie contra justitiam; sed contra Obedientiam: Quomodocumque enim obligetur professus, sive ex justitia, sive ex Obedientia, sufficit, quod Religio, vel Monasterium revera habeat jus ad commoda ab eo procuranda, ut iis sine injuria privari non possit; ergo quomodocumque abstrahens professum ex Religione per injuriam, nocet Religioni, vel Monasterio injuste privando eam commodis, & emolumentis per eum procurandis: adeoque peccat contra justitiam, & ex justitia obligatur ad restitutionem, & compensationem omnium ejusmodi damnorum per talem professum procurandorum, idque non solum quoad temporalia, sed etiam quoad spiritualia, ut si abstractus fuisset vir doctus, fructuosus in docendo, prædicando, aut vir bonus, & virtuosus ædificans fratres, & populum, idque juxta modos jamjam assignandos. 133

§. IV. *Quantum, & quomodo restituendum Religioni pro abstractis.*

I. Qui per vim, vel fraudem alium abstraxit a Religione ingredienda, vel profitenda, aut jam professa etiam sine vi, vel fraude: In primis non tenetur restituere Religioni pro ipso damno naturali, seu carentia ipsius personæ, quæ ingressura, professura, vel perseveratura fuisset, sic nimirum, ut loco illius ex justitia teneatur alium æque utilem introducere, aut si non possit, ipsemet teneatur ingredi, per se loquendo, (de quo rursus infra N. IV.) cum Religionis ingressus non necessitatis, sed liberæ voluntatis esse debeat, juxta Verbum Christi Lucæ 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me:* Sed solum per se loquendo, tenetur restituere pro damno temporali, vel accidentali illato Religioni ex injusta abstractione talis ingressuri Novitii, vel jam Professi, quatenus, scilicet per hoc Religionem injuste privat commodis, & emolumentis, quæ talis persona ingressa, professa, perseverans, sua donatione, hæreditate, scientia, industria &c. certo attulisset, & allatura fuisset. *Ratio est:* quia damnum solum naturale personæ, secluso damno temporali, vel accidentali, non est materia restitutionis, ut videbitur *infra de restit. ex homicidio.* 134

II. Ipsa commoda temporalia ex tali persona ingressa, professa, vel perseverante Religioni proventura, & sperata non sunt restituenda integra (quis enim computabit integrum damnum in futurum, nisi futurorum præscius solus Deus?) sed ex parte tantum secundum proportionem spei præsentis, attentis circumstantiis arbitrio boni viri, & detractis expensis; possunt enim illa commoda multis modis impediri, per mortem, morbum, vitium, aliasve causas, ut notant *DD. cit.* etiam Lugo *n.*35. bene addens, quod illa commoda in toto, vel in parte sæpe suppleantur per ingressum spontaneum alterius æque utilis, qui, si alius mansisset, & numerus Religiosorum completus fuisset, forte susceptus non esset, ut ideo abstrahens primum merito a resti- 135

restitutione liberetur. Quod si tamen jam professum extraxisses e Religione, certum est, te debere restituere totum commodum præteritum, detractis solum expensis, quod is tanto tempore absentiæ, si mansisset, Religioni attulisset, quia illius damni præteriti totius certa causa fuisti. De commodis in futurum speratis, eadem ratione.

136 III. Qui per vim, vel fraudem aliquem abstraxit a Religione ingredienda, vel profitenda utique ante omnia tenetur ex justitia amovere vim, vel fraudem, & relinquere hominem in sua plena libertate. At quid si, amota vi, vel fraude, alter nihilominus nolit Religionem ingredi, vel reverti ad profitendum, adhucne tenebitur pro damno Religioni inde secuto restituere? Si ablata vi, vel fraude homo plane liber evadat, ut nullo modo amplius inde moveatur, non teneberis amplius ex justitia compensare illa damna, quia non amplius tibi, ut auctori, sed liberæ ejus voluntati imputari debent. Verum hoc rarissimum est, vix enim unquam fieri potest, quin etiam ablata, vi, vel fraude tua, homo adhuc moveatur, vel impediatur ingredi, vel reverti ad Religionem; primus enim fervor semel a te inique destructus, non potest ita facile recuperari: idque maxime verum est, si antea aliquid posuisti, quod difficiliorem reddat ingressum, vel redditum, ut si mores homines corrupisti curis sæcularibus, vel debitis intricasti &c. tunc enim illa damna secuta Religioni ex abstractione talis personæ adhuc tibi, ut causæ, & auctori imputantur; ideoque ordinarie etiam ablata vi, vel fraude, adhuc obligaris Religioni ad compensanda damna illata. Vide optime *Lugo cit.*

137 IV. Qui quovis modo, etiam sine vi, vel fraude Religiosum jam professum ex Religione extraxit, ante omnia tenetur omni modo possibili conari, & procurare apostatam ad Religionem revocare, impetrando etiam impunitatem fugæ, quæ facile concedetur seducto ob commoda sperata notabilia. Quod si hoc impossibile sit, conabitur alium æque utilem ad ingressum illius Religionis disponere, aut alio modo Religioni pro damno causato compensare, ut dictum est. Si nihil horum possit, ipsummet abstrahentem teneri Religionem ingredi ad illa damna temporalia compensanda, affirmant graves DD. antiqui *S. Antonin. Scotus*, *Gabr. Major. Rosella*, *Paludanus*, *Sylv.* aliosque citans Mol. *t.* 1. *de justit. disp.* 31. *n.* 8. Et ita fecisse scribitur S. Raymundus, hanc ipsam ob causam Religionem S. Dominici ingressus. Pium factum, & pia Sententia. Sed communius, & verius negant alii, *Sotus*, *Aragonius*, *Ledesma*, *Vasquez*, *Lessius*, eosque citans Lugo *citatus nu.* 30. Ratio sufficiens a posteriori est: quia neque qui occidit Religiosum, tenetur pro illo seipsum offerre Religioni, nec ad hoc a Judice compelli potest; ergo multo minus, qui solum extraxit a Religione. Rationem vero a priori ex dictis facile colliges, quia nimirum nemo tenetur damnum alterius diversi generis resarcire cum suo proprio damno superioris ordinis: sic enim qui occidit servum alterius, nec habet, unde ejus pretium restituat, non tenetur pro illo se dare in servum: hoc enim esset pro damno temporali pecuniario perdere suam libertatem, quod est damnum superioris ordinis. Sic in proposito: si fuisti causa, quod Religio patiatur damnum temporale ob jacturam Religiosi a te abstracti, teneris quidem illud damnum temporale compensare aliquo modo possibili; non tamen teneris ipse ingredi Religionem: hoc enim esset perdere suam libertatem pro damno temporali Religioni illato longe inferioris ordinis.

Dubium Regulare alterum.

Quomodo peccent, qui sine causa, & malo animo, Novitio negant votum ad professionem.

138 SUnt, qui dicunt talem non peccare graviter, hac ratione: quia non magis obligatur Religio ad retinendum Novitium, quam Novitius ad perseverandum: sed Novitius absque peccato gravi potest egredi e Religione, etiam sine justa causa ex inconstantia mentis, & sola levitate: ergo & Religiosi eodem modo absque peccato gravi poterunt eum dimittere, adeoque vota negare: utrinque enim est communis libertas: & ad hoc datur Novitiatus, ut utraque pars probet, & probetur. Ita cum aliquibus Sanch. *lib.* 5. *Moral. cap.* 4. *num.* 49.

RESOLUTIO.

139 M*Ortaliter, & valde graviter peccant Religiosi, qui absque omni juxta causa Novitio negant votum ad Professionem, sicque exire compellunt.* Ita Suar. *Ludov. Miranda, nostri Corduba, & Laurentius Portellus, aliisque cit.* Diana *p.*2. *tr.*2. *de dubiis Regularium*, *resol.*19. Lugo sæpe *cit. in appendice*. 54. Ratio mortalis, & gravis peccati est multiplex.

140 I. Peccant graviter contra Charitatem. Nam secundum communissimam DD. Sententiam, peccat graviter contra Charitatem, qui aliquem sine justa causa a Religione ingredienda, vel profitenda solum retrahit, ut supra visum: atqui ille, qui negat suffragium Novitio idoneo, non solum illum retrahit a Religione, sed etiam expellit, quantum in se est: ergo hic a fortiori gravius peccabit.

Neque hinc inferas etiam Prælatum peccaturum graviter, qui petentem ingredi Religionem admittere nollet sine aliqua justa causa: quia relinquit illum liberum, & expeditum, ut alibi, vel aliam Religionem ingredi possit. Secus esset, si jam receptum Novitium & ipse sine justa causa dimitteret. Nam ecce ulterius. 141

II. Peccant insuper graviter ut minimum contra eandem Charitatem: quia Novitius non potest repelli a Religione sine gravi suo detrimento, & nota injusta famæ suæ. Sciunt enim omnes: nunquam nolentem dimitti a Religione, nisi ob defectus naturales, vel morales, qui reddunt ipsum ineptum, vel parum aptum ad vitam Religiosam: Sicut enim Religiosum esse, honori tribuitur; ita Religiosum fuisse, communiter tribuitur dedecori apud homines, nec absque fundamento: saltem incipiunt ei illudere, dicentes: quia *hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*. Lucæ 14. Unde qui eum defectum habent, omni studio conantur illum occultare: atqui talem notam absque ulla justa causa inurere Novitio, non potest non graviter lædere legem Charitatis ut minimum: ergo tales peccant graviter contra Charitatem. Unde & ipse *Sanch.* fatetur, fore peccatum mortale, quando gravis Novitio esset nota: atqui de facto semper gravis est nota, quam quilibet multa pecunia redimeret, si posset. Unde reipsa, & practice parum a nobis differt *Sanchez*. 142

III. Peccant graviter contra officium suum, & saltem contra justitiam legalem: suffragatores enim ex officio suo non habent admittere, vel repellere Novitium, sed solum judicare, & testificari de idoneitate Novitii ad profitendam Religionem istam: ideoque si vota rogati negant Novitio idoneo absque omni justa causa suffragium, seu votum suum; ipso facto dicunt: *Judico, & testor, hunc non esse aptum, & idoneum in nostra Religione:* atqui clarum est, hoc gravissime adversari officio justi Judicis, ac testis: Judex enim in conscientia tenetur judicare secundum merita causæ: & testis interrogatus de qualitate alterius tenetur testificari, sicut coram Deo novit: ergo tales iniqui suffragatores graviter peccant contra officium suum, & saltem contra justitiam legalem. 143

IV. Peccant insuper graviter contra ipsam justitiam commutativam: quia in receptione novitiorum fit contractus mutuus onerosus. Religio enim ad se venientibus offert sustentationem, probationem, examen, & judicium legitimum, juxta probationis experientiam. E contra ingrediens suos, & sua relinquit, onus probationis subit, periculo majoris detrimenti (si forte non satisfecerit) se exponit; vicissim expectans examen, & judicium legitimum, juxta experientiam probationis; nequaquam enim subiret tantum onus, nisi certo consideraret, etiam Religionem fideliter ex parte sua de sua persona judicaturam: ergo si Novitius ex parte sua subit onus suum. Religio vicissim tenetur ex justitia ei ad examen, vel judicium legitimum juxta merita causæ; atque ad hunc ipsum finem adhibet suffragatores Religiosos suos: ergo ulterius, si Religiosi Novitio idoneo negent suffragium, peccant contra justitiam commutativam, & per consequens obligantur ei ad compensanda damna, quantum possibile est. *Confirmatur efficaciter a posteriori*: Novitius sine justa causa repulsus a Professione, & ejectus, potest in foro externo reclamare, quod si de veritate constaret, restitueretur: ut docent DD. relati a *Lugo cit.* Et fatetur etiam *Sanch.* supra: ergo Novitio aliquod jus competit, ut sine causa non expellatur: alioquin non posset in judicio suum jus prosequi, si nullum jus haberet: ergo ulterius contra justitiam peccant, qui sine justa causa sufficienti vota negantes eum expelli faciunt. Ad rationem oppositam ab initio, facile negatur Major, & paritas. Novitius enim sine justa causa egrediens per hoc nullam incurrit notam Religio, sicut e contra Novitius sine causa expulsus. Et hisce circa læsionem spiritualem proximi in bonis animi præmissis, jam amplius ad materiam quinti Præcepti accedamus. 144

CAPUT II.

De Homicidiis licitis.

HOmicidium licitum est generaliter tantum in duobus casibus, videlicet de expresso Dei mandato, & lege justa publica: uti elegantissime ostendit D. August. *lib.* 1. *de Civit. cap.* 21. Lex autem justa occidendi hominem aut est ipsa lex divina naturalis; utpote de conservando bono communi, vel privato ab injusto invasore, ut fit in bello justo defensivo, & privata defensione inculpatæ tutelæ: aut est lex divina positiva præcipiens in certo casu occidi malefactores: aut denique est lex humana publica, & justa. Unde in particulari quatuor casus inferuntur, & assignantur a Doctoribus, quibus licet hominem occidere absque peccato. I. Mandato Dei speciali. II. Lege publica, & ministerio justitiæ. III. Bello justo. IV. Defensione pro moderamine inculpatæ tutelæ. 1

Quoad primum de speciali mandato, & instinctu Dei occidendi seipsum, vel alium: Certum est, Deum, cum sit absolutus Dominus vitæ, & mortis, sicut potest præcipere

cipere homini occidere seipsum, vel alium, prout præcepit Abrahamo occidere proprium filium; ita tunc hominem posse, & debere obedire. At vero tale mandatum, vel instinctus talis numquam præsumi debet, nisi de eo certissime, & absque ulla tergiversatione constaret, ut late docet D. August. *ibid. c.* 26. Ubi sane diabolus plurimos sæpe miserrime decepit, ut ex historiis, etiam nostris Chronicis, & experientia nimis notum est. De reliquis ergo strictim agendum erit quatuor Sectionibus. I. De homicidio ex justitia publica. II. De homicidiis in bello justo. III. De homicidio per defensionem inculpatæ tutelæ. IV. De homicidio in duello, saltem aliquando licito.

SECTIO I.

De homicidio ex Justitia publica.

SUMMARIUM.

2 & 3 *Licitum est occidere malefactores,*

4 *Quando eorum delicta ita merentur.* Usque ad n. 8.

8 *Idque auctoritate publica tantum, non privata,* & 9.

10 Usque ad n. 13. *An, & quando liceat privato occidere Tyrannum.*

13 *Qualis Juris ordo servandus, seu quæ requirantur, ut quis licite possit ad mortem damnari, & occidi.* Usque ad n. 16.

16 Usque ad n. 20. *An, & qualiter liceat occidere Bannitos, seu præscriptos.*

20 Usque ad n. 25. *Leges civiles positive, & approbative permittentes marito occidere adulterum, vel adulteram filiam in flagranti deprehensam iniquæ sunt.*

25 *Nulla auctoritate humana occidere licet innocentem* per se. Usque ad num. 26.

26 Per accidens *autem quandoque licet, tribus præsertim casibus.* Usque ad num. 30.

30 & 31 *Neque Princeps, vel Judex supremus,*

32 Usque ad num. 35. *Neque Judex inferior sententiam mortis ferre potest in eum, quem privata notitia certo scit esse innocentem.*

36 Usque ad num. 40. *An Civitas, vel Respublica possit occidere, vel caput mittere civis innocentis Tyranno alias excidium minitanti.*

ASSERTIO I.

2 *Licitum est occidere malefactores, quando eorum delicta ita merentur secundum legem Dei, rectam rationem naturalem, & maxime ob exigentiam boni communis Reipublicæ; idque auctoritate publica tantum, ac servato ordine Juris. Nulla autem auctoritate humana unquam licet occidere innocentem per se, sed bene quandoque per accidens.* Est tota communis DD. ut patebit explicatione.

§. I. *Licitum est occidere malefactores.*

3 Certum de fide (contra errores Manichæorum, & Vualdensium apud nostrum Alphonsum de Castro *lib. contra hæreses, verbo occidere*) constat apertissimis Scripturæ locis. Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur: qui immolat Diis, occidatur.* Et ibidem occidenti furem diurnum statuitur pœna homicidii, dum dicitur: *homicidium perpetravit, & ipse moriatur.* Eademque pœna mortis statuitur filio protervo Parentibus inobedienti. *Deuter.* 21. Et filiæ in domo patris fornicanti. *Deuter.* 22. Atque in nova Lege Apostolus ad *Rom.* 13. de Principe sæculari loquens ait: *Dei Minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit.* Ratio autem naturalis manifesta est: quia non potest esse illicitum, quod omnino est necessarium ad vitam hominum socialem, seu politicam, & quietam conservandam: sed tale certe est punitio sceleratorum, etiam per mortem; ergo &c. Nam cum primum homines in vitæ societatem coeunt, ipsa naturalis ratio a Deo indita dictat, ut Princeps, vel Magistratus tamquam caput Communitatis jus habeat singulos de Republica delinquentes puniendi etiam morte, si opus sit. Communitas enim ita se habet ad singulos homines, sicut se habet homo quisque ad membra sua: atqui homo, licet non sit dominus membrorum suorum, sed custos, si tamen aliquod membrum corpori noxium esse incipiat, secundum ipsam rectam rationem illud abscindit, & tollit, ita permittente Deo, ne totum corpus pereat: ergo eadem ratione Magistratus, licet non sit dominus vitæ, & mortis singulorum hominum, sed rector, & custos; tamen recta ratione e medio tollit eos, qui Reipublicæ noxii esse comperiuntur: ergo ipsa ratione, & lege naturali licitum debet esse malefactores occidere, sed nimirum, ut notanter additum,

4 *Quando eorum delicta merentur secundum Legem Dei* (qui solus absolutus Dominus vitæ, & mortis ipsemet in quibusdam casibus positive ita constituit, ut locis Scripturæ citatis constat.) *Aut secundum rectam rationem, & maximè exigentiam communis boni.* Gravitas enim peccati ad merendam pœnam mortis mensurari debet, non tantum ex natura, & malitia peccati secundum se, sed etiam, & maxime quidem, ex inordinatione, periculo, & detrimento boni communis Reipublicæ. Qua ratione Leges militares severissimæ, justæ tamen sunt, v. g. ut neglecta custodia, somnus levis, exigua inobedientia, vel offensa in officiales, &c. morte puniantur: quia ex ejusmodi delictis, etsi de se levibus, gravissima tamen mala exercitui causari possunt. Eademque ratione justæ comprobantur Leges civiles, speciatim Carolinæ de furibus Reipublicæ perniciosis suspendio necandis. Sicque explicari potest Scotus noster 4. *dist.* 15. *qu.* 3. absolute negans, justam esse legem de fure occidendo.

Nam valde notandum est, quod furtum dupliciter considerari possit: I. Nude secundum se, quatenus est præcise læsivum boni privati alterius, nimirum ablatio rei alienæ invito Domino: & hac ratione verissima est Sententia *Scoti*, furtum juste morte puniri non posse; cum inæqualis sit omnino compensatio pro re ablata temporali auferre ipsam vitam, quæ est bonum altioris ordinis, & pretio inæstimabile: atque ita cum *Scoto*, sentiunt gravissimi *DD. Alensis Sylv. Alphonsus a Castro*, dicens, oppositum esse nimis crudele, Sotus, *l.* 5. *de just. q.* 3. *art.* 3. §. *in* 4. *argum.* Ubi reprehendit *Baldum*, tamquam auctorem occisionis furum, & dicit, quod tempore *D. Thomæ* (qui ab eo citatus ipse hanc sententiam insinuat) simplices fures non occidebantur, cui Doctor fere fuit contemporaneus. Et favent Leges moderni temporis, quibus saltem ob primum furtum sine effractione factum nemo occiditur. II. Furtum considerari potest, ut circumstantionatum, & quatenus est læsivum boni communis, vel etiam vitæ proximi: quatenus scilicet est conjunctum, aut cum invasione, & voluntate directa, vel indirecta occidendi (qua ratione ipsa lex divina *Exodi* 22. permittit impune occidi furem nocturnum: quia præsumitur, quod, qui de noctu furatur, occideret sibi resistentem, si posset, ait *Scotus loc. cit.*) aut cum damno, & detrimento Reipublicæ, & boni communis, quatenus nimirum ex furtis, præsertim repetitis, sequitur perturbatio pacis communis, gravia pericula, damna, præjudicia innocentum &c. Et hujusmodi circumstantiis cum furto conjunctis licite secundum rectam rationem occiduntur fures, & consequenter juste feruntur leges de furibus occidendis. Neque hoc negat Scotus, sed potius supponit, ut ex contextu patet. Atque hinc facilis est responsio ad ea, quæ Adversarii 5

Objiciunt: Præceptum illud negativum *Non occides*, Universale est, & absque exceptione malefactorum, saltem furum: ergo &c. *Confirmatur.* Div. August. cit. lib. 1. de Civ. Dei cap. 21. diserte dicit. *Hoc præceptum*, Non occides, *generaliter intelligendum est de omni occisione hominis, illis solum inde exceptis, quos Deus vel lege lata, vel expressa revelatione particulari jusserit occidi.* Sic Augustinus: ergo illi, quos Deus non jussit occidi (prout revera nullibi jussit occidi fures) non possunt hac pœna juste puniri. 6

Resp. Illud præceptum universale intelligendum esse universaliter de omni occisione injusta tantum, qualis est hominis innocentis quavis auctoritate: aut etiam nocentis auctoritate privata ad meram vindictam. Sine dubio non comprehendit occisionem injusti aggressoris cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quemadmodum & illud præceptum universale, *Non concupisces rem proximi tui*; de concupiscentia injusta tantum, seu desiderio injusto modo habendi rem proximi intelligendum est; minime vero de concupiscentia justa, ac licito modo, & desiderio rem proximi habendi: *Secundum omnes. Ad confirm.* Respond. Omnes malefactores tales Reipublicæ perniciosos (quales revera sunt etiam fures) ab illa lege universali, *Non occides*, exceptos esse ipsa lege divina naturali, quæ dictat, sceleratos esse puniendos pœna condigna a legibus statuta: maxime autem excepti sunt illi, quos Deus speciali lege positiva jussit occidi, aut etiam speciali revelatione juberet occidi, prout jussit Abraham filium suum Isaac, quamvis innocentem. 7

§. II. *Idque auctoritate publica tantum.*

Ita cum S. Thoma 2. 2. *qu.* 64. *art.* 3. omnes unanimiter docentes, extra casum necessariæ defensionis (de qua infra) nemini licere privata auctoritate aliquem occidere, quantumvis nocentem malefactorem. Et docet etiam Div. August. *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 26. inter alia dicens: *Qui sine aliqua publica auctoritate maleficum occidit, velut homicida judicabitur, & tanto amplius, quanto sibi potestatem a Deo non concessam usurpat.* Ratio communis supra indicata est: Quia non licet occidere malefactorem, nisi ob bonum commune; sicut non licet amputare membrum, nisi ob salutem totius corporis: atqui procuratio boni communis pertinet ad potestatem publicam, quæ est in Principe, vel Republica, non autem ad civem privatum; ergo ad solam auctoritatem publicam pertinet occidere malefactores. Urgentior autem, & potissima ratio desumitur ab inconvenienti maximo: Quia multo graviora damna advenirent Reipublicæ, si quilibet posset esse Judex in propria causa, 8

& nul-

& nullo juris ordine servato, sententiam etiam mortis ferre, & exequi in malefactores: tot enim essent Judices absoluti, quot cives; quod maxime repugnat politicæ Societati, & Communitati humanæ. Ad hoc enim constituuntur Judices in Republica, ut ipsi tanquam communes, & publicæ personæ sine affectu judicare possint, quæ a singulis judicari non possunt, maxime in gravissima causa sanguinis. Horrendum est, vel cogitare solum gravissima mala oritura, si ea facultas cuilibet privato, vel solo uno anno permitteretur. Unde etiam, quamvis si homines non essent adunati in una Republica, vel sub uno Capite, sed singuli homines, vel saltem singulæ familiæ seorsim, & independenter habitarent, tunc quilibet homo, vel quælibet familia haberet jus, & potestatem vindicandi, ac puniendi injuriam sibi illatam ab aliis, etiam morte, si causa ita exigat secundum rectam rationem. Eo tamen ipso, quo convenirent in unum ad faciendam unam Communitatem, seu Rempublicam, non possent retinere illud jus, seu potestatem illam ob dictam rationem damnorum inde emergentium Communitati ipsi; nam Communitas ipsa (quæ est persona politica) habet jus procurandi propriam quietem, & tranquillitatem per media necessaria: ex his autem unum, & maxime necessarium est, quod membra privata, & particularia, sive personæ, sive familiæ, non exerceant propria auctoritate potestatem istam, ex cujus usu omnia perturbarentur. Quod si quandoque Respublica, Magistratus, vel Minister publicus remedium non adhibeat, id per accidens est, & minus malum est, quod in uno casu scelera impunita maneant, quam quod propter unum, vel alterum ejusmodi casum privatis personis, vel familiis talis potestas concedatur, quæ afferret maxima pericula factionum, & perturbationum: & bonum, quod vita communis affert, maxima ex parte destrueret, vel perturbaret. Vide plura, & pulchra apud Lugo *tom. 1. de justit. disp. 10. sect. 2.*

9 *Dices*: quomodo ergo Moyses Exodi 2. occidit Ægyptium, qui Hebræum vexabat, cum adhuc privatus nondum publicam auctoritatem haberet? Varii varia respondent: Sed facile dici potest, fuisse causam justam occidendi Ægyptium, ut Hebræum innocentem ab illo injuste percussum defenderet: quod omnibus jure naturæ licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut suo loco videbimus.

Dubium incidens.

An liceat privato occidere Tyrannum.

10 Resp. I. Tyrannus invasor dominii alieni pro tempore, dum actu invadit dominium, Regnum, Principatum, juste, & licite a quovis privato occidi potest. D. Thom. *lib. 2. de Regimine Principum cap. 6. Cajet. Sotus*, Filliucius *tract. 28, cap. 1. num. 14.* aliisque cit. Diana *par. 5. tract. 4. resol. 21.* Ratio est: Quia talis est hostis inferens injustum bellum Reipublicæ: quilibet autem subditus potest, & debet injustam vim Reipublicæ illatam repellere; adeoque, quod solum expeditissimum est, ipsum Tyrannum, bellum, & vim injustam inferentem occidere; idque non tam propria auctoritate privata, quam auctoritate publica totius Reipublicæ in id consentientis, facere censetur: ergo, &c.

11 Resp. II. Tyrannum invasorem dominii, postea tempore possessionis jam comparatæ, & aliquandiu retentæ, adhuc a privato posse occidi, saltem dum tyrannice gubernat, & aliter non potest Respublica a tyrannide liberari, etsi probabiliter doceant *D. Thomas, Cajet. Sotus cit.* merito tamen hanc scientiam suspectam, & nemini jure consulendam censent Filliucius *cit. num. 25. Azorius, aliique cum Diana cit.* eo quod nemo a possessione dejici debeat, nisi prius a Judice audiatur, & judicetur, & res tanti momenti publicum judicium postulans privato cujusvis judicio concedenda non sit, nisi in ultima necessitate, cum aliud remedium non superesset. Quo sensu illam sententiam interpretatur Azorius *tom. 2. lib. 11. cap. 5. quæst. 10.*

12 Resp. III. Tyrannum vero non invasione, sed gubernatione tantum, qui scilicet sit verus, & legitimus dominus Regni, vel Reipublicæ, sed solum tyrannice gubernat, omnia referens in suum commodum cum detrimento, communi vexatione, & oppressione subditorum, &c. occidere privato nullo modo licet, nisi in casu, quo quivis injustum invasorem vitæ, vel rerum suarum occidere potest per defensionem inculpatæ tutelæ: *Omnes*. Et definitum in Concil. Constantiensi *sess. 15.* Ubi damnatur articulus iste Joannis Hus; *Quilibet tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici.* Ratio est: Quia verus dominus non amittit dominium ex sua malitia, & tyrannide; sed in tali casu recurrendum est ad Superiorem tyranni, si habet, aut ad judicium publicum totius Communitatis: ergo. De quo Juristæ.

§. III. *Et servato juris ordine.*

13 Saltem substantiali: ut nimirum concurrentibus quatuor ad substantiam judicii requisitis, Judice, actore, reo, & causa, crimen vere morte dignum, sit omnino manifestum, vel confessione rei debite cognitum; adeoque adsit accusatio, & testimonium; citetur, & audiatur reus: & tandem lata sententia executio demandetur justitiæ ministris, concesso tamen occidendo spatio percipiendi Sacramenta necessaria, nisi forsitan gravius urgeat periculum. De his Juristæ: nobis innuisse sufficiat. Unde neque princeps supremus occidere potest reum ob crimen omnino occultum, utpote sibi soli cognitum (præsertim si in foro externo probaretur innocens) regulariter loquendo. Uti cum Petr. Navar. & aliis recte probat Tamburinus *lib. 6. Decal. c. 1. §. 4. num. 18.* Ratio est: Quia Princeps jurisdictionem fori externi tantum habet, ad quod non pertinent omnino occulta, quæ probatione externa carent. *Deinde* de jure naturæ est, quod reus audiatur in sui defensionem, quod non potest fieri, nisi per probationes externas ab ipso reo adducendas. *Denique*, si nemo potest proximum diffamare de crimine omnino occulto, quanto minus ob id poterit eundem occidere?

Dixi autem *regulariter loquendo*: Poterit enim ita fieri in casu, quo instaret aliquod magnum damnum Reipublicæ, aut alterius, aut ipsius Principis: sed tunc reducitur res ad defensionem necessariam inculpatæ tutelæ, etiam privato licitam. 14

Cæterum supremus Princeps, cum possit dispensare in juribus positivis, poterit quoque ob justam causam reum mortis condemnare, non servato omni illo ordine juris, utpote I. Si delictum omnino sit notorium: tunc enim non tenebitur citare, & audire reum, vel testes, prout fit in proscriptione Bannitorum. II. Quando grave imminet periculum Reipublicæ, nisi executio statim fiat; ut si adsit timor rebellionis, vel turbationis in Republica. III. Quando adest periculum fugæ ejus, qui de gravi scelere reus est, &c. IV. Denique an in dubio Princeps supremus habeat potestatem aliquem occidendi, vel morte condemnandi more belli sine ullo, ne summario quidem processu, vel statim, & in continenti, negat cum multis Lugo *tom. 2. de justit. disp. 37. sect. 5. num. 52.* Concedit autem probabiliter in aliquo urgenti casu Lessius *lib. 2. c. 29. num. 96.* E. G. Regem posse sine judiciali strepitu occidere occultum adulterum, qui vim Reginæ inferret, solusque Rex id sciret; quia sic Regi expedit ad Regiam infamiam evitandam. Sed certe etiam hic casus, utique licitus, potest reduci ad defensionem necessariam inculpatæ tutelæ: est enim talis adulter verus aggressor regiæ famæ, & honoris. Unum, & alterum magis practicum hic explicandum venit. 15

Dubium primum.

De occisione Bannitorum, seu proscriptorum.

Resolutio I. Licitus, & justus est mos, malefactores Reipublicæ perniciosos fugitivos proscribendi, eosque occidendi omnibus facultatem præbendi, etiam proposito præmio occisionis. Communissima DD. tam Theol. apud Laym. *lib. 3. de just. tract. 3. p. 3. c. 2. n. 3.* quam Juristarum omnium apud Clarum *lib. 5. sentent. verb. homicidium n. 66.* Ratio est: quia maxime interest Reipublicæ de malefactoribus, vel hostibus perniciosis pœnam mortis sumere: cum autem id fieri nequeat, postquam reus aufugit, vel comprehendi nequit; nisi publica cuilibet eos occidendi facultas concedatur, juste Magistratus talem facultatem quandoque concedere poterit; atque ut id efficacius fiat etiam proponere præmium occisuro: vel etiam immunitatem a pœna, si ipse occisor etiam malefactor Bannitus, vel proscriptus sit, ut mos ubique receptus est. Quamquam recte moneat Molina *tr. 3. disp. 7.* Quod id raro, & ob gravissimam causam eveniat, ob gravia incommoda: & maxime, quod tales sine Sacramentis in peccatis mortalibus pereant ex improviso. 16

II. Talem ergo proscriptum cuilibet sæculari privato interficere licet, etiam per insidias, seu proditorie, si alias commode non possit ob periculum ex resistentia. *Ratio est*: Quia tunc per sententiam proscriptivam Magistratus quilibet constituitur minister justitiæ. Unde vera omnino est sententia communis DD. contra Clarum *cit. n. 71.* Proscriptum contra talem aggressorem non posse se defendere vi, ipsum occidendo, vulnerando: quia talis aggressor velut minister justitiæ constitutus jus habet illum occidendi; consequenter proscriptus ei injuriam infert resistendo. *Non enim est permissa defendendi facultas, ubi offendendi est data libertas*, ajunt DD. in l. 1. C. Quando liceat unicuique sine Judice se vindicare. Et alioquin sequeretur necessario, licere etiam reo condemnato publicos lictores, vel carnifices occidere pro tuenda vita sua, atque adeo dari posse bellum ex utroque parte absolute justum, seclusa ignorantia, *contra omnes*. 17

III. Ut tamen omnino licita sit ejusmodi privata occisio Proscripti, aliquæ requiruntur conditiones: I. Ut fiat bono zelo publicæ justitiæ, ac boni communis, non odii, vel vindictæ privatæ causa. II. Ne fiat durante justa appellatione. III. Excipiendi sunt parentes, liberi, uxor, & alii, qui proscriptum alere tenentur jure naturæ, quod non potest tollere jus humanum civile: non ergo licet filio occidere 18

dere patrem proscriptum, nisi is publicus esset hostis Reipublicæ, aut alias perniciosus, & aliter hoc malum averti non posset, *ut notant DD. Clarus, & Laym. cit.* Quamvis absolute licere doceat *Bartolus*, & alii apud Dianam *par. 3. res.* 41. IV. Ut sint tantum intra, & non extra territorium Magistratus, vel principis proscribentis, *secundum communem, & veram sententiam Theologorum Sylv. Armillæ, Sa, Azorii, Tolet. aliorumque cum Laym. cit. nu.* 3. Et sumitur *ex L. ult. ff. de jurisdictionem omnium Judicum*, & *c. 2. de Constitut. in 6.* Ubi notant DD. communiter, quod nullus judex, aut Magistratus jus dicere, aut sententiam exequi possit extra territorium suum: adeoque neque contra proscriptum sententiam justitiæ exercere poterit extra fines territorii sui, nisi de expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia Domini, vel Magistratus alterius territorii, & consequenter vi proscriptionis nemo poterit proscriptum interficere extra terminos proscribentis. Contrarium tamen docet communis Juristarum *Clarus, Graffis, Prosper, Farinacius*, & alii, quos refert, & sequitur Diana *par. 5. tr. 4. res.* 24. quem vide.

19 IV. Denique si non sint legitime proscripti, sed solum notorii rei, grassatores, regulariter non possunt occidi, ne a satellitibus quidem eos capere volentibus, solum ex eo, quod ipsi resistant (nisi urgerentur ad necessariam sui defensionem, ipsimet occidendi ab illis, nisi præveniendo occidant) nec possunt tunc Judices facultatem concedere, ut ipsos occidant, quia nondum sunt condicti, nec condemnati de crimine capitali. Dico autem *regulariter*: nam propositis sex conditionibus posse occidi, bene docet *Farinacius* apud Dianam *part. 8. tr. 7. res.* 44. quem lege.

Dubium alterum.

De occisione adulteri, vel adulteræ in flagranti.

20 Lege *Cæsarea ff. & Cod.* diversis locis facultas fit, & marito occidendi adulterum cum uxore deprehensum in flagranti in propria domo: & patri occidendi filiam deprehensam in adulterio simul cum adultero in propria, vel soceri domo, ita tamen, ut utrumque occidat; nam si uni, v. g. filiæ parcat, jam reus erit homicidii. Dubitatur, an Leges istæ sint justæ, etiam pro foro conscientiæ. Atque ut hoc dubium resolvatur:

21 *Quæstio est:* An leges istæ sint permittentes tantum, seu non punientes in foro externo (quemadmodum sunt leges permittentes lupanaria, ubi opus est ad majora mala evitanda) an vero sint positive approbantes, sic ut maritus, vel Pater auctoritate legum publica fiat velut minister, & executor justitiæ ad morte puniendum talem in flagranti crimine deprehensum, sicut modo dictum est, fieri occisores Bannitorum: si ita sit, maritus, vel Pater, etiam in foro conscientiæ, licite occidet talem adulterum, vel adulteram: atque ita esse docent plures Juristæ cum Julio Claro *lib. 5. sent. §. Homicidium a n.* 48. Et probabile, vel saltem non improbabile, censent aliqui Theologi apud Sanch. *lib. 10. de matr. disp. 8. n.* 37. Lugo *tom. 1. de just. disp. 10. sect. 3. n.* 85. Contrarium tamen absolute docent Theologi fere omnes, & Juristæ communiter apud eosdem: nimirum Leges permittere tantum, minime vero approbare, & reddere licitam in foro conscientiæ ejusmodi sævam executionem, seu occisionem adulteri, vel adulteræ. Pono ergo breves resolutiunculas.

22 *Prima:* Iniquæ sunt leges civiles, si concedant positive, & approbative facultatem marito occidendi adulterum; aut Patri occidendi filiam adulteram cum adultero. Significatur *cap. Inter hæc 33. q.* 2. Et D. August. *lib. 2. de adult. conjug. cap.* 15. Et communissima DD. cum S. Thom. *in 4. dist. 37. qu. 2. art.* 1. contra Clarum *cit. n.* 50. Nam ab Alexandro VII. in terminis damnatur hæc propositio 19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Et Ratio est: *Quia non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice potest expediri*, Reg. juris 136. ff. Et *inauditum, ac non condemnatum* (nisi invasorem) *a privato occidi nulla æquitas patitur*, l. 2. ff. ad legem corn. de sicariis, l. ultim. C. de malef. & maxime legi Charitatis Christianæ repugnat, hominem adeo imparatum, & impenitentem, utpote actu peccato mortali incumbentem subito occidi absque urgente necessitate: & quænam hic necessitas fingi possit. Unde etsi maritus esset ipsemet Judex, & propriam uxorem, vel filiam cum adultero inveniret, adhuc non posset absque peccato ipsos ibi occidere, sed deberet servare juris ordinem, ut legitime puniantur: sicut enim Judex non potest committere alteri marito, ut sic statim occidat non servato juris ordine; sic nec sibi potest eam licentiam assumere: eadem enim inconvenientia sequerentur.

23 *Secunda:* Justæ tamen sunt ejusmodi leges id permittentes negative tantum, quatenus eo casu pœnam homicidii remittunt, & actionem tam civilem, quam criminalem excludunt contra talem occisorem: idque partim ob circumstantiam atrocis injuriæ, & justissimi doloris, ac vehementissimæ passionis pro amentia quasi reputatæ, ut habetur *l. si adulterum, §. Imperator, ff. ad leg. Juliam de adult.* Partim etiam ad absterrendos homines a crimine adulterii. Qua ratione etiam sacri Canones excommunicationis sententiam ab eo removent, qui in Clericum, cum uxore, matre, sorore, vel filia turpiter inventum, violentas manus injecerit, *c. si vero 1. de sent. excomm.* Et *cum Molina* docet Laym. *cit. c. 2. n. 4. in fine.* Rationem dat Glossa *ibid. v. turpiter.* Quia justum dolorem compescere difficillimum est. Attamen talis adhuc peccat mortaliter, eritque irregularis ex delicto.

Tertia: Talis ergo ita deliberate, & maxime ex proposito quæsita occasione, vel studio procurata, occidens uxorem, vel filiam adulteram, vel adulterum, in foro conscientiæ peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem debitam ex homicidio illicito, ob rationes supra datas: idque tam in flagranti crimine deprehendens, quam postea, ante sententiam Judicis: post tamen sententiam latam a Judice, qua talis institueretur voluntarius Minister justitiæ, posse sine peccato occidere, docent *Sotus, Covar. Med. Azor. Filliuc. cit. num.* 17. Verum id non est consulendum, cum proclive sit, ut maritus v. g. potius occidat in vindictam, & odium, quam ex Zelo justitiæ: atque ut uxor deinceps detestetur maritum ob tantam commissam, etsi permissam, crudelitatem. 24

§. IV. *Nulla autem auctoritate humana licet occidere innocentem per se, sed bene quandoque per accidens.*

Certissimum est, nunquam licere occidere innocentem per se directe intendendo, & volendo ejus occisionem in se, quavis auctoritate humana, ob quamcumque etiam urgentissimam causam. *Omnes* cum S. Thom. *q. 64. art. 6.* Constat ex universali præcepto divino Exodi 23. *Insontem, & justum non occides: quia aversor impium.* Prohibetque ipsum jus naturale, quo potestas gladii tradita est Magistratui adversus eos, qui male agunt, & non contra innocentes. *Ratio communis est:* Quia vita hominis est sub dominio solius Dei: quare sicut homo non potest eam sibi tollere sine jussu Dei, sic multo minus, alterius, qui minus jus in ipsum habet. Duo permolesta dubia, hic occurrentia, mox dabo inferius. 25

Occidere autem innocentem per accidens, præter intentionem, & indirecte, nimirum directe, & in se nullo modo volendo, vel intendendo ipsam occisionem, sed solum aliam actionem justam, cum qua tamen per accidens conjungitur occisio innocentis; quia nimirum actionem justam exercere non potes, nisi simul præter intentionem tuam occidendo innocentem: hoc quandoque ex gravissima causa licere etiam omnes consentiunt. 26

Casus autem sunt,

Primus: In bello justo, cum justa victoria obtineri non potest, nisi simul cum nocentibus occidantur innocentes, ut in explosione tormentorum contra urbem, vel navem, subversione turrium, conflagratione tectorum, &c. licite sic fit. Communissima cum Molin. *t. 2. disp.* 119. *Lessius, Lay. Lug. citt.* Ratio est: Quia licet sic bellantes occidant insontes physice, non tamen censentur occidere moraliter, & humano modo, cum occisio minime sit intenta, sed pure, & juste permissa, quippe mere per accidens conjuncta cum alia actione justa gravissimi momenti. Unde minime liceret bellantibus occidere infantes, filios, amicos hostium in castris forte habitos eo fine, ut pro liberandis filiis obsessi se dederent: Quia jam occiderent directe innocentes (licet eorum occisio ad alium finem ordinetur) vide Lugo *cit. disp. 10. sect. 4. & 5.* 27

Secundus: Quando injustum aggressorem, te occisurum, vis occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ: is autem protegat se, opponendo tibi infantem, vel hominem innocentem, si aliter eum ferire non potes, licite poteris eodem ictu sclopi, vel gladii, infantem, vel innocentem simul & hostem ferire: uti contra paucos aliquos docet *communis DD. Pet. Nav. Less. Lugo citt.* Ratio est: quia talis utitur jure suo ad necessariam sui defensionem dirigendo ictum gladii, vel sclopeti directe adversus injustum aggressorem vitæ suæ: per accidens autem est, quod in illo spatio intermedio etiam innocentem ab aggressore objectum feriat, propter quem salvandum, in tanta propria necessitate, non tenetur abstinere ab illa actione justa per se directe ordinata ad solam justam, ac sui necessariam defensionem, ac propterea moraliter non occidit, sed solum licite permittit simul fieri occisionem innocentis. 28

Tertius: Similiter, si equo vectus fugias inimicum te occidere volentem, & in via arcta necessario conculcandus sit ibi jacens dormiens, claudus, infans, adhibita omni circumspectione, & cautela, ne noceas, quam pro tempore, & loco poteris, licite cursum urgebis, per accidens permittendo conculcationem, & mortem innocentis. *Ita contra Pet. Nav. Sylv. Turrianum, aliosque docet communis DD. Cajet. Cordub. aliisque citt. Less. Laym. Lug. cit. Tamb. l. 6. Decal. c. 1. §. 1. n.* 13. Ratio est eadem: Quia actio illa per se ordinatur ad salvandam vitam tuam necessaria fuga, minime vero occidendum innocentem: uteris enim jure tuo naturalissimo, 29

ſimo, fugiendo per viam publicam pro ſalvanda vita tua: per accidens autem eſt, quod ſequatur damnum alteri, quod nullo modo intendis, & cum æquali extremo tuo damno nullatenus teneris impedire. Quod ſi tamen infans ille conculcandus non eſſet baptizatus, ideoque æternum damnandus pœna ſcilicet damni, lege Charitatis tenereris fugiens curſum ſiſtere: quia charitas obligat ad præferendam ſalutem æternam proximi vitæ propriæ in æquali neceſſitate juxta communem doctrinam de Charitate. Tandem principaliter, an, & qualiter liceat procurare abortum fœtus etiam jam animati pro ſervanda vita corporali prægnantis, vide late dicta *p. 4. de Sacram. cap. 4.* Reſtant modo dubia explicanda ſupra indicata, ſane valde controverſa.

Dubium primum.

Quid in Judicio publico.

30 QUæritur, an Judex, vel Princeps licite poſſit ſententiam mortis ferre in eum, quem privata notitia certo ſcit innocentem eſſe; qui tamen in judicio externo ſecundum allegata, & probata nocens, & reus mortis probatur. E. g. Ipſe Judex, vel princeps occulte interfecit Titium, qui adulterium commiſit cum uxore magnatis abſentis, inde imprægnata cum ingenti infamia, dedecore, & ſcandalo, &c. ſed Cajus propter aliqua indicia vehementia ſuſpectus, vel infamatus tandem ſecundum legitimas probationes de eo crimine convictus fuit, aut metu torturæ falſo confeſſus, poteritne licite Judex, vel Princeps eum mortis damnare? Varie Reſp.

31 I. Certiſſimum videtur, quod ipſe Princeps, vel Judex ſupremus non poſſit, ſed teneatur innocentem liberare. *Ratio facilis eſt:* Quia Princips poteſt diſpenſare in lege, qua jubetur debere in judiciis procedi ſecundum allegata, & probata: ergo non habet cauſam damnandi innocentem. Quod ſi ſubeſſet periculum ſcandali, quod reus tantorum ſcelerum non puniatur, facile avertet Princeps: poterit enim palam, etiam ſi opus ſit, cum juramento pronunciare, ac teſtari, ſibi perſpectam eſſe hominis innocentiam: nec erit periculum ſcandali contra Principis imperium; qui etiam certo nocentes ſubinde miſericorditer a morte liberare conſuevit. Quæſtio ergo, & difficultas tota eſt de judice inferiori, qui hac diſpenſandi facultate non gaudet, ſed ex officio procedere debet.

32 II. Certum itidem eſt, quod Judex quoque inferior debeat adhibere omnem poſſibilem induſtriam, omnemque, ut ajunt, movere lapidem, quo impediat hujuſmodi innocentis condemnationem ad mortem: utpote impediendo, ne teſtes contra ipſum deponant, diligentius eos examinando, monendo Principem de innocentia hominis, aut cauſam ad ipſum remittendo: immo & deponendo officium Judicis, ſi abſque gravi damno ſuo poſſit, & denique ſi poſſit, clam aperiendo carcerem, ut innocens reus fugiat &c.

33 III. Tandem ſi hæc omnia nihil proficiant, inſtetque Princeps, ut juſtitia fiat, & juxta allegata, & probata procedendo ſententia feratur, jam Judicem inferiorem licite poſſe, & debere innocentem condemnare, docent ſane graviſſimi DD. S. Thom. 2. 2. *qu. 67. art. 2. Cajet. Bann. Aragonius, Azor. Valent.* aliiſque congeſtis Sanch. *l. 2. conſ. cap. 2. dub.* 17. Ratio tota eſt: quia jura præcipiunt, ut Judex puniat eum, qui ſecundum allegata, & probata reus mortis invenitur. Et bonum publicum expoſcit, ne juris ordo pervertatur, neve Judicibus detur occaſio, ut etiam nocentes liberent, ſub prætextu, quod eos innocentes eſſe privato ſciant. Addunt aliqui hoc non eſſe occidere directe, ſed tantum indirecte; quia nimirum Judicis intentio eſt ſervare ordinem juris, & bonum commune, non autem hominem occidere. Confirmantque exemplis occiſionis indirectæ innocentis, modo ſupra a nobis conceſſis. Fateri cogor, ſententiam eſſe probabilem, ſaltem extrinſece ob auctoritatem tantorum Doctorum: mihi tamen intrinſece nullo modo probatur. Itaque

34 IV. Dico ſimpliciter non licere. *Ita Pet. Nav. Roſella, Angelus, Sa,* aliiſque citt. Leſſ. *l. 2. cap. 29. de juſt. n.* 84. Lugo *to. 2. de juſt. diſp.* 37. *ſect.* 4. Tamb. *l. 6. Decal. c.* 1. §. 4. *n.* 12. Ratio fundamentalis, & ſolidiſſima eſt: quia non licet hominem innocentem occidere per ſe directe, ſecundum omnes: atqui in propoſito veriſſime occidetur innocens per ſe directe, & non indirecte tantum (ut ſupra quidam volunt) cum & ipſa actione externa directe tendatur in mortem hominis innocentis, & non in aliquid aliud (prout in exemplis ſupra admiſſis patuit) & nihil aliud hic directe, & per ſe intendi poſſit. Quid enim? Ipſe ordo juris ſervandus ad bonum commune ſecundum præſcriptum Sacrarum Legum, ajunt. *Contra:* Jura cum præcipiunt, ut Judex procedat, & puniat ſecundum allegata, & probata, ſemper loquuntur de Judice regulariter ſe habente, cui nimirum regulariter non conſtare ſolet de delicto rei, niſi per allegatas probationes: de Judice vero innocentiam rei certo cognoſcente (qui caſus eſt rariſſimus) nunquam agunt ullibi. Certe etiam Leges univerſaliter damnant eum, qui alienum rapuit, non tamen propterea damnant eum, qui per juſtam compenſationem, v. g. alienum accepit: licet enim id Jura non exprimant, ſemper tamen id a jure naturæ exceptum eſſe intelligimus. Et ſimilia ſexcenta in jure reperies. Idem omnino vides eſſe in propoſito.

Sed neque bonum publicum ita diſpoſuit. Juris enim ordinem non pervertit, qui contra jura non agit; atqui nullum eſt jus contra certo innocentem. *Deinde* majus eſt malum, vel ſemel innocentem occidi, quam aliquoties nocentem liberari; illud enim damnum irreparabile eſt: hoc autem a Principe, vel Republica facile reparari poteſt, providendo Judices vere juſtos. *Denique* magis favet publico bono, populum ſcire leges ſemper innocentem undecumque repertum incolumem ſervare, quam ſcire, eas concedere, immo præcipere, ut vel ſemel occidatur homo ab eo, qui ipſum innocentem certo novit.

Cæterum cum agitur de cauſis civilibus, vel pœnis, aut mulctis modici ponderis, omnino concedendum videtur poſſe, & debere Judicem inferiorem ex ſcientia publica ſecundum allegata, & probata damnare eum, quem privata ſcientia ſcit eſſe innocentem, quando nimirum urget jus, nec alia via liberandi ſuppetit, juxta ſupra dicta. Ita enim clare ſtatuitur *c. Paſtoralis, de officio Judicis delegati.* Ubi tamen expreſſe agitur de his cauſis civilibus, Eccleſiaſticis, ut conſtat ex caſu textus; minime vero de cauſa ſanguinis. Ratio diſcriminis magna eſt: quia cauſæ civiles, utpote frequentiſſimæ, alioquin facile turbarent Tribunalia, niſi ſemper ſecundum allegata, & probata procedatur, inſuper habita notitia privata judicis. *Accedit:* quod cives privati in his civilibus cenſeantur cedere juri ſuo propter majus Reipublicæ bonum: qualis ceſſio juris non poteſt præſumi in cauſa ſanguinis, cum agitur de ipſa vita, quippe cujus homo non eſt dominus, ſed cuſtos, & uſurarius tantum. 35

Dubium alterum.

Quid urgente Tyranno.

QUid ſi Tyrannus perſequens civem innocentem intentet perdere totam communitatem, aliquam urbem comburere, cives omnes occidere, &c. niſi mittatur ad ſe caput civis illius innocentis, aut is a civibus occidatur, aut occidendus ſibi extradatur? poteritne Reſpublica illum civem innocentem occidere, aut occidendum Tyranno tradere? 36

Reſolutio Prima. Reſpublica non poteſt illum civem innocentem occidere, nec conſequenter occiſi caput Tyranno mittere. *Communiſſima, contra paucos aliquot.* Ratio clara eſt: quia hoc eſſet directe occidere innocentem, quod intrinſece malum nulla unquam cauſa neceſſitatis excuſari, vel cohoneſtari poteſt. Verum quidem eſt, pro conſervanda vita hominis licere abſcindere membrum, non tantum morbidum, ac noxium (qua ratione etiam licet occidere malefactores Reipublicæ pernicioſos) ſed etiam membrum ſanum: ut ſi incendium, vel naufragii ſubmerſionem aliter evitare non poſſis, niſi abſcindendo manum, vel pedem forte ligatum, licite ſic facies: non tamen eadem ratione licet occidere innocentem civem, ſeu membrum ſanum Reipublicæ ob ipſam totam Rempublicam conſervandam, eſt enim grandis diſparitas inter membra corporis naturalis, & politici: quia corpus naturale, ſeu totum ſuppoſitum hominis habet jus utendi membris ſuis in ſuam utilitatem principaliter, membra enim ſunt principaliter propter corpus, non vice verſa; neque membra ſeorſim ſpectata habent aliquod jus, vel utilitatem ullam per ſe intentam abſque ordine ad corpus totum, & ſuppoſitum, ut ex ſe patet; quare merito, & recta ratione abjicitur membrum, etſi alioquin ſanum pro tuenda ſalute totius corporis. At vero Reſpublica, ſeu corpus politicum non habet jus utendi membris ſuis, nempe civibus in ſuam utilitatem principaliter: hoc enim eſſet jus domini reſpectu mancipii; neque cives principaliter ſunt propter Rempublicam, ſed vice verſa, Reſpublica eſt propter cives, eorumque utilitatem per ſe intentam, & procurandam principaliter: civeſque ſeorſim habent ſuum jus, & utilitatem propriam per ſe intentam: quare neque pro conſervanda tota Communitate licet directe occidere civem innocentem: eſto ad eum finem Reſpublica poſſit, eis etiam invitis, auferre ſua bona temporalia: quia in bona temporalia civium in ordine ad bonum commune conſervandum, Reſpublica habet verum jus, ſeu, ut vocant, dominium actu: nullum vero omnino jus habet in vitam civium innocentum. Vide late optime de Lugo *diſp.* 10. *ſect.* 1. 3

Secunda. Reſpublica eo caſu non tantum poteſt illi civi innocenti præcipere, ut ſeipſum tradat Tyranno (cum is ipſe civis innocens ex lege Charitatis teneatur ſe morti exponere pro avertenda extrema Reipublicæ neceſſitate) ſed etiam poteſt illum civem innocentem Tyranno extradere: ſicque ejus mortem permittere. Ex communi *Leſſ. Laym. Tamb. ll. cc.* Ratio eſt: quia jam hoc non eſt directe occidere innocentem, ſed ad ſummum indirecte: nec eſt poſitive cooperari ad injuſtam occiſionem innocentis, ſed eſt ſolum permittere, graviſſima urgente, & excuſante neceſſitate. Nam actio illa tradendi innocentem Tyranno non eſt ex ſe intrinſece mala, ſed indifferens (poſſet enim etiam fieri ad ali- 38

aliquem finem bonum, & non malum) esto ea actione Tyrannus abusurus sit ad injustam occisionem: quam malitiam non tenetur Respublica impedire cum tanto, & extremo suo incommodo: ergo poterit illum tradere Tyranno, permittendo mortem ejus propter suam necessitatem: quemadmodum propter eamdem necessitatem potest cives suos periculo mortis exponere ad defendendam civitatem, v. g. imperando, ut maneant in statione, ut pugnent, hostem repellant, aggrediantur &c. non enim sic intenditur mors civium, sed justa defensio: esto per accidens, & praeter intentionem sequatur mors eorum.

39 *Tertia*. Quod si denique civis ille innocens nollet obedire Magistratui praecipienti, ut se pro bono communi Tyranno tradat, aut sui traditioni pertinaciter repugnaret: jam juste eum Respublica occideret in poenam inobedientiae in re justa, & gravissima, jam enim vere evaderet, ut nocens, & ut talis, non ut innocens, occideretur, *Communis DD. apud cit.* At quid si is renueret tradi ob hoc ipsum, quia vellet potius a sua Republica interfici aliqua morte miti, gladio, v. g. quam a Tyranno morte crudeli? possetne tunc licite occidi a Republica? Id nobis cogitandum relinquit Tamb. *cit. c.* 1. §. 1. *n.* 13. *in fine*. Relinquo & ego vobis. Cogitarem tamen ego adhuc posse occidi sub hac conditione, si nolit se tradere Tyranno pro re communi, ad quod alias ex Charitate per se teneretur: stante enim hac conditione adhuc occideretur, ut nocens. Sed salvo meliori judicio.

SUBSECTIO.

De irregularitate ex defectu lenitatis in Justitia publica.

SUMMARIUM.

40 *Irregularitas generatim quid, & quotuplex.*

41 42 & 43 *Ex justitia publica in causa sanguinis tantum, scilicet mortis, vel mutilationis effectu secuto.*

44 & 45 *Non alias, vel ex alio actu quocumque judiciali.*

46 & 47 *Irregularitatem ex* defectu lenitatis *incurrit.* I. *Omnis Judex Pontifice inferior, Laicus, Clericus, Princeps, Episcopus &c. Sententiam mortis ferens, vel etiam ferri jubens, aut ei ferendae auctoritatem praestans sua praesentia.* II. *Ejus Assessores, & Consiliarii &* III. *Omnes justitiae ministri, etiam satellites.*

48 *Non vero eam incurrunt* I. *Principes etiam Ecclesiastici, si jurisdictionem hanc temporalem ad causas sanguinis delegant,*

49 II. *At reum, etiam Clericum, ante degradatum, potestati saeculari tradunt.*

50 III. *Nec Doctores, Professores, Concionatores, Confessarii, docentes, vel dicentes, crimen esse morte dignum &c.*

51 IV. *Immo nec etiam quando Confessarius urget Judicem, ut fungatur suo officio: hortatur reum, ut crimen fateatur, justitiae acquiescat. Secus si crimen falso confessum revocare non permittat, vel dissuadeat.*

52 *Quando dictam irregularitatem incurrant accusantes, vel tradentes reum, &c. &*

53 Usque ad n. 60. *Quando, ac quibus casibus non. Item*

60 Usque ad n. 64. *Quando, & quinam testes eam incurrant, & qui non.*

64 Usque ad n. 68. *Quinam ministri processus, & executionis eam incurrant.*

68 Usque ad n. 73. *Traditur* Regula *Antiquorum, quinam censeantur directe, & proxime cooperantes ad infligendam mortem, ideoque irregularitatem incurrere, & quinam remote tantum, ideoque non incurrere.*

73 Usque ad n. 83. *Traditur, & declaratur* Regula *Universalis mitior Recentiorum.*

40 IRregularitas generatim est impedimentum canonicum, & inhabilitas ad Sacros Ordines suscipiendos, & exercendos, seu in susceptis ministrandum. Duplex est, ex *defectu*, & ex *delicto*, de quibus suo loco. Irregularitas ex delicto homicidii incurritur ex omni, & solo homicidio injusto, de hac *cap. seq.* Irregularitas ex defectu *lenitatis* incurritur ex omni homicidio, etiam justo publica auctoritate facto. Dicitur autem irregularitas ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis Christi: cum enim omnes Sacri Ordines ordinentur ad ministerium, & Sacrificium Missae, necesse est, sacris Ordinibus initiatos, & in Sacris ministrantes repraesentare Personam Christi: indecens autem est, ut is, qui voluntarie hominem occidit, seu injuste, repraesentet Personam Christi Agni mansuetissimi, pro nobis Divino Patri oblati: talis enim non tam Christum, ejusque Passionem repraesentat, quam ejus occisores, ut notat *Navar. c.* 29. *n.* 218. & plures rationes assignans Filliucius *Tractat.* 19. *c.* 9. Hic ergo solum agendum de irregularitate ob defectum lenitatis ex justitia publica: de aliis consequenter in sequentibus.

Resolutio Summaria.

41 EX justitia publica in causa sanguinis, scilicet mortis, vel mutilationis, effectu secuto, irregulares fiunt, 1. *Ipse Judex, ejusque assessores, vel consiliarii ad decernendam sententiam.* 2. *Accusator, vel denuntiator.* 3. *Testes.* 4. *Ministri processus.* 5. *Ministri executionis.* 6. *Et universaliter omnes per se directe, & proxime cooperantes ad infligendam, vel notabiliter accelerandam mortem rei, saltem si sint ministri Justitiae, & ex officio agentes.* Totum vere constat ex *cap. aliquantum, dist.* 50. & aliis locis infra allegandis, & communi DD. ut patebit. Percurramus breviter singula. Pro omnibus tamen semel pro semper notandum, quod dictum est, irregularitatem hanc non incurri, nisi

I. *In causa sanguinis, mortis, vel mutilationis*: Nam causa sanguinis ex usu loquendi significat causam mortis quomodolibet infligendae, etiam sine effusione sanguinis. Hinc si feratur sententia de aliquo suspendendo, praefocando, submergendo, veneno, fame, aut aliter sine effusione sanguinis enecando, erit vera causa sanguinis, & inde irregularitas. Idemque dicendum, si Judex aliquem condemnet ad durum carcerem in pane arcto, & aqua brevi, unde consideratis circumstantiis ei mors notabiliter acceleranda sit, ea secuta, erit irregularis Judex, ut cum aliis notat Tamb. *hic tr.* 4. *de Irregularitate cap.* 15. §. 10. *n.* 7. hinc enim carceres humidi, subterranei in Jure prohibentur, & solum conceduntur, quando quis per sententiam justam ad mortem sensim oppetendam condemnatur; ut notat Farinacius *q. crim.* 27. *n.* 95. & 194. 42

II. Ad causam sanguinis irregularitatem inducentem spectat etiam mutilatio alicujus membri alicui a Judice, & justitiae ministris illata, secundum Sacros Canones. Verum de hac mutilatione commodius dicam simul *cap.* 2. Nam quocumque modo aliquis injuste mutilando alterum, vel seipsum, fit irregularis ex delicto, eodem modo etiam Judex, & minister justitiae juste alterum mutilando, reum scilicet, fit irregularis ex defectu lenitatis. 43

III. Seclusa ergo morte, vel mutilatione, nulla erit causa sanguinis, nec ulla incurretur irregularitas ex ulla sententia, vel actu judiciali, etiam in criminalibus, ut si feratur sententia condemnans ad triremes, ad perpetuos carceres, ad fustigationem, seu virgationem, etiam usque ad sanguinem, sine tamen periculo mortis, non erit causa sanguinis, nec inde irregularitas; & a fortiori, nec in aliis poenis sine sanguine inflictis. Additur denique, 44

IV. *Effectu secuto*: Nisi enim certo secuta sit ipsa mors, vel mutilatio rei, nulla erit irregularitas in Judice, vel ullo ministro justitiae, *omnium consensu*. Quod si dubitetur postea, an mors secuta sit, dicam commodius *cap. seq.* cum de irregularitate ex delicto longe frequentiori. Eadem enim ratio erit de hac irregularitate ex defectu lenitatis in justitia publica, in bello justo, &c. Jam breviter lustremus personas. 45

§. I. *Judex, ejusque assessores, vel Consiliarii.*

OMnis Judex Pontifice inferior (excipitur solus summus Pontifex, qui ipsemet supremus Legislator, non est subditus Juri Canonico, quo per Praedecessores Pontifices imponitur irregularitas, cum non habeat imperium par in parem) saecularis, Ecclesiasticus, ordinariam, vel delegatam potestatem habens hic comprehenditur, cum eadem sit ratio de omnibus. Id tamen discriminis est inter Judicem Laicum, & Clericum: quod Laicus solummodo incurrat irregularitatem sibi pro eo statu parum noxiam: caeterum juste damnando bene agit, immo meretur: Clericus autem, Episcopus, v.g. etiam juste damnans praeter irregularitatem sibi multum noxiam quippe impedientem ipsum ab omni officio sacrorum Ordinum, etiam peccat graviter, eo quod graviter prohibeatur, ne se ingerat in causam sanguinis, *cap. saepe* 26. *qu.* 8. *cap. sententia, ut Clerici, vel Monachi*. Adeoque 46

Judex omnis, Laicus, Clericus, Princeps, Episcopus &c. irregularitatem contrahunt, non solum si ipsimet sententiam mortis, vel mutilationis pronuntiant in reum, effectu secuto; sed etiam 1. si Judici suo delegato in particulari, & definite praecipiant, vel demandent, ut iste reus morte, vel mutilatione afficiatur, suspendatur, comburatur &c. *Navarr. Avila, Molina*, alii cum Laym. *lib.* 3. *de just. tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 7. 2. Si propria praesentia auctoritatem sententiae sanguinis ferendae praestarent, *cap. ex litteris de excessibus Praelatorum*, & ibid. *Gloss. Abbas, communis DD.* hac enim ratione assessores, vel consiliarii non solum vota ferentes pro sententia mortis, vel mutilationis, verum etiam solum sua praesentia auctoritatem praestantes, irregularitatem incurrunt, ut habet *communis DD.* Quare Consiliarii Clerici, v.g. Canonici, proposita causa sanguinis, mox abscedere debent, saltem a sessione. 3. Si similiter auctoritatem praestantes Judex, vel Princeps (etiam delitescens sub cortina) sicut, & omnes ministri justitiae, etiam infimi satellites, assistant executioni mortis, in locis sui territorii: quia tunc ipsorum auctoritate mors infertur. Alii autem privati, & famuli domestici ad mera dominorum obsequia domestica deputati, etiamsi cum dominis assistant, immunes sunt ab irregularitate; quia, ut supponimus, nihil conferunt ad sententiam exequendam. Secus esset, si quid auctoritatis conferrent, uti revera conferre videntur stipatores 47

Aulici

Aulici Principum, vel Magnatum, etiam infimi satellites. 4. Idem a fortiori dicendum de Ecclesiasticis; nam ex *cit. cap. ex Litteris, de excess. Præl.* quidam Episcopus pronuntiatur reus irregularitatis, quia interfuit cujusdam furis suspendio in proprio territorio, & ideo, ut auctoritatem afferens executioni capitali. Cæterum si Clerici, quicumque etiam Monachi assistant alio fine curiositatis, sive amicitiæ, sive alterius causæ gratia, ne timeant irregularitatem, immo neque peccatum. Quod si textus aliqui canonici strictius loquantur, ut *c. sententia, ne Clerici, vel Monachi*, certe jam legitime desueverunt. Vide Dianam *par. 4. tract. 2. resol. 35.* Denique qualiter unam, vel plures irregularitates contrahant Judices, si una, vel diversis sententiis plures condemnent mortis, res modici momenti, videri potest apud *citt.* Et strictim Tamb. *cit. §. 10. a num. 15.*

Non ergo hanc irregularitatem incurrunt.

48 I. Princeps etiam Ecclesiasticus, Episcopus, vel Prælatus jurisdictionem simul temporalem habens (quales plerique sunt in Germania) in primis, cum hanc ipsam temporalem jurisdictionem suam in ordine ad causas sanguinis aliis sæcularibus idoneis Judicibus, vel Præfectis delegant, prout certe delegare possunt, & debent. Sic enim definitur in S. Textu, *cap. Episcopi, ne Clerici, vel Monachi in 6.* Nam aliter ipsi ea potestate licite fungi non possunt, quotquot deinde sequatur sententiæ sanguinis. Item si leges pœnales etiam mortis ferant contra malefactores: Judices creant, illis causas sanguinis cognoscendas, & judicandas committunt, delegant etiam in particulari de hoc, vel illo crimine, vel malefactore mandant, & monent, ut justitia fiat, juris ordo servetur, secundum leges judicetur, &c. Ita habetur *cit. cap. ult. Ne Clerici, vel Monachi in 6.* Dummodo ipsi auctoritative non assistant, nec in particulari, & definite hunc aliquem sententiari mandent, ut modo dictum fuit. Cæterum possunt etiam Episcopi, & Ecclesiastici Principes latam Judicis sententiam moderari: ut scilicet dicant; si omnino reus morte condemnandus est, non rota, igne, furca, sed gladio plectatur sine nota irregularitatis: quia sic non exercent actum severitatis, sed misericordiæ, & lenitatis: non enim mortis causa existunt, sed partem supplicii auferunt.

49 II. Non incurrunt Episcopi, & inquisitores, eorumque officiales Ecclesiastici, si reum incorrigibilem, sive laicum, sive clericum ante degradatum, postquam officio suo in proprio tribunali functi fuere, sæculari potestati tradant, etsi certissime morte plectendum: quia ipsi mortis sententiam non pronuntiant, sed sæculari potestati id munus relinquunt, ad quod debite exequendum eos etiam generaliter adhortari possunt. Ex communi *Laym. cit. num. 3.* Quando tamen Clericum degradatum tradunt Judici sæculari, ex juris præscripto; *cap. Novimus, de verb. signif.* intercessionem præmittere debent, ut Judex circa eos sententiam moderetur, quantum fieri potest citra mortem, vel mutilationem: quæ tamen intercessio non videtur necessaria ad evitandam irregularitatem: quando enim Ecclesia tradit reum degradatum Judici laico, directe solum hoc agit, ut eum privet privilegio Clericali, ex quo consequitur jurisdictio sæcularis super illum, ut notat Filliuc. *tractatione 19. cap. 9. quæst. 8.*

50 III. Non incurrunt Doctores, Professores, Concionatores, Confessarii docentes, vel dicentes certum crimen esse dignum morte, etiamsi inde sequantur mortes talium criminosorum: quia hæc est cooperatio nimis remota. Neque etiam incurrunt, si in particulari consulantur, vel interrogentur, an talem reum liceat, deceat, necesse sit occidere, hoc, vel illo supplicio, ipsique absolute respondeant veritatem aperiendo, & jus explicando generaliter, & speculative ex parte intellectus: dummodo in particulari nihil suadeant, vel jubeant, sed liberum totum relinquant Judici, etiamsi prævideant mortis supplicium secuturum: quippe ad quod ipsi directe non moverunt, sed solum rei veritatem aperuerunt, qua cognita, Judex seipsum ad id, quod justum est, permovit. Gloss. *in c. ex litteris, verb. consuluit, de excess. Prael.* Molin. *tr. 3. disp. 74.* Laym. *cit. n. 4.* Vasq. *aliisque citt.* Diana *par. 4. tr. 2. resol. 99.* Et certe non incurrunt ex probabili Regula Recentiorum infra in fine adferenda: quia non agunt, ut ministri justitiæ ex officio: Etsi contra sentiant *Sylv. Henriq. Avila* cum Filliuc. *cit. cap. 9. qu. 7.* Nimirum si in particulari immineat periculum hominis deformandi, non posse Clericum de jure consultum, etiam generalem responsionem dare sine nota irregularitatis. Et saltem, ut periculosum, & aliquando scandalosum, cavendum censeo extra necessitatem, quando sæculares nimirum sufficienter possunt consuli.

51 IV. Plus adhuc sine nota irregularitatis permissum est Confessariis, ut nimirum Judicem alioquin peccaturum mortaliter, non tantum generatim admoneant, & explicent, quid in hac materia debitum, vel indebitum, licitum, vel illicitum sit; sed etiam in particulari urgeant, &, si opus sit, negata absolutione cogant officio suo satisfacere, reum Reipublicæ noxium secundum jura, & justitiam judicare proponant; attamen in his terminis abstrahendo, ut determinate, directeque non moveant ad talem hominem in particulari occidendum, &c. Ex communi *Molin.* & *Laym. citt.* Item hortari possunt reum, ut cum juridice interrogatus respondere tenetur, fateatur veritatem, etiamsi crimen sit morte dignum, & certo plectendum. *Ita cum* Henriq. Avila, *& aliis* Laym. *cit.* Item persuadere possunt reo, ut acquiescat justæ sententiæ, quam non potest differre sine injusta appellatione. Secus, si posset cum justa appellatione, aut si crimen falso confessum, ob quod morte plectendus esset, vellet revocare: tunc enim Confessarius dissuadens appellationem, vel revocationem, morte secuta, sine dubio irregularis fiet ex delicto, quia injuste cooperatur ad mortem rei: potest tamen reo de se nolenti revocare crimen falso confessum ob metum torturæ iterandæ, & malenti mori, acquiescere, cum is non teneatur vitam suam tueri cum tanto incommodo. Sed de hoc infra. *Ratio omnium dictorum est.* Quia non est credibile, Ecclesiam voluisse irregularitatis obicem ponere, quominus Princeps, Doctores, Confessarii, &c. suo munere ad justitiam debito salubriter fungi possint.

§. II. Accusans, Denuntians.

INcurrunt irregularitatem omnes accusantes, denuntiantes, vel tradentes reum actione criminali, ad sumendam vindictam de crimine, morte, vel mutilatione digno, ipso facto, laici quidem sine peccato, Clerici etiam cum peccato contra gravem prohibitionem Ecclesiæ. *Communis DD.* teste Avila *par. 7. disp. 31. sect. 2. dub. 10.* Suarez, *alii* cum Laym. *cit. n. 6.* Esto etiam accusator protestetur se petere, vel intendere criminis vindictam fieri citra mortis, vel mutilationis sententiam: cum enim Judex ab actore postulatus judicare soleat, & debeat secundum leges, protestatio illa actoris accusantis de crimine secundum leges morte, vel mutilatione digno, erit contraria facto, ideoque inutilis ad evitandam irregularitatem. 52

Item incurrunt accusantes, vel denuntiantes etiam actione civili ad compensationem damni, vel injuriæ illatæ, sed in causa civili simul & criminali, morte, vel mutilatione digna (ut furto, rapina) a Judice ex officio secundum legem, & justitiam infligendam: In causa quidem propria, si fiat absque protestatione mox infra ponenda: In causa vero aliena etiam facta, & non obstante quacumque protestatione se criminalem vindictam non intendere: secuto nimirum effectu, si Judex, crimine secundum leges ita exigente, mortis, vel mutilationis sententiam inflixerit. *Communis DD.* Navar. *cap. 27. num. 217. §. 12.* Avila *cit. dub. 11. conclus. 2.* Molina *cit. num. 8.* Laym. *cit. num. 5.* Ratio est: quia Canones mox citandi eam protestationem denuntianti solum in causa, vel injuria propria concesserunt, non item in aliena, contra irregularitatem incurrendam.

Non ergo hanc irregularitatem incurrunt.

I. Accusantes, vel denuntiantes, aut actione mere civili ad jus suum recuperandum, ad compensationem alicujus damni illati, &c. aut actione quidem criminali, sed de crimine morte, vel mutilatione non digno: Esto etiam Judex ex propria sævitia, vel ignorantia, vel alia causa accidentali moveretur ad mortis, vel mutilationis sententiam proferendam: id tamen accusatori nec intendenti, nec prævidenti imputari non poterit ad irregularitatem, seu Laicus, seu Clericus sit. *Communis DD.* Navar. Molin. *aliisque cit.* Laym. *cap. 7. prope finem.* 53

II. Non incurrunt accusantes, vel denuntiantes de crimine patrato pernicioso Reipublicæ, ipsismet, vel aliis, quod alia ratione emendari non potest, nisi per judicialem processum. *Communis apud eundem*, & Diana *part. 4. tract. 2. resol. 33.* Ratio est: quia Canones nunquam infligunt irregularitatis notam propter officium cuivis debitum ex lege naturali Charitatis, vel alterius virtutis: atqui accusare malefactorem, si ita necesse sit ad liberandam Rempublicam, seipsum, vel proximum ab impendente gravi periculo, opus Charitatis est: ergo &c. neque hoc casu opus est protestatione aliqua, cum opus suapte natura ab irregularitate exemptum sit. 54

III. Non incurrunt tum Clerici, tum Laici quicumque in causa propria, qui scilicet injuriam passi sunt, aut in persona, vel in bonis propriis, aut in persona, aut in bonis eorum, qui sunt ipsis commissi, ut domesticorum, pupillorum, Ecclesiæ suæ; aut in persona, & bonis eorum, qui sunt ipsis ita conjuncti, ut velut una persona censeantur; ideoque eorum injuria ad ipsos pertinere, & redundare jure censeatur: ut Parentes, filii, fratres: hi, inquam, non incurrunt irregularitatem accusantes, seu denuntiantes malefactorem, v. g. furem, raptorem, actione tantum civili ad solam compensationem damni, vel injuriæ illatæ; dummodo expresse protestentur, se sanguinis pœnam non postulare, sed solum jus suum: etiamsi ex qualitate criminis certo intelligant fore, ut Judex ex officio, & jure moveatur ad mortis supplicium inferendum. *Communissima apud citt.* Et expresse statuitur in jure *cap. 2. de homicidio in 6.* Ratio red- 55

redditur *ibid.* in jure: Nam *alioquin si Prælati, vel Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona libere deprædandi*. Sic ibi. Licet autem is, qui accusat, vel denuntiat civiliter tantum de crimine, quod scit dignum morte, vel mutilatione, censeatur indirecta voluntate esse causa mortis, ad quam decernendam Judex ex officio suo de jure moveri solet occasione ejusmodi accusationis, vel denuntiationis: talis tamen indirecta voluntas *secundum Canon. Constit.* retractari censetur, eo casu, quo quis suam, vel suorum injuriam prosequitur per prædictam protestationem.

56 Formula autem protestationis necessario adhibenda ad evitandam irregularitatem juxta præscriptum S. Textus, hæc est, tres clausulas continens: *Ego NN.* 1. *accuso, vel denuntio Petrum, v.g. grassatorem de furto mihi illato: ac* 2. *peto, ut damnum mihi reficiatur, & caveatur, ne in futurum simile quid is contra me moliatur; expresse tamen* 3. *protestor, ac dico: me nec petere, nec velle, ut contra Petrum vindicta sanguinis exerceatur*. Si exhibeas duas priores tantum clausulas, omissa tertia, jam nulla erit protestatio, cujus forma tota in illa consistit clausula; ideoque secuta morte, vel mutilatione rei a te accusati, vel denuntiati, irregularitatem non effugies. Est autem hæc protestatio facienda coram eo Judice, ad quem defertur delictum, vel delatum jam fuit, idque vel in primo limine querelæ, vel antequam processus fuerit absolutus, vel saltem ante latam sententiam: sic enim semper adhuc potest impediri Rei deformatio, quantum est ex parte accusatoris. At post sententiam latam, etsi ante ejus executionem inutiliter fieret, quia executio impediri non potest post latam sententiam. Lege Avilam *de cens. par.* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 10. *num.* 9.

57 Cæterum necesse non est, ut ejusmodi protestatio fiat vero animo liberandi reum a deformitate: Unde licet prævideas crimen, quod defers, utpote grave, certo esse morte, vel mutilatione plectendum; immo etiamsi id maxime optes, & intendas, ut reus per Judicis officium morte puniatur, sic ut protestatio tua externa tantum, & omnino ficta sit, nihilominus, secuta morte Rei, non evades irregularis: sicut e contra irregularis evaderes, si eam protestationem omitteres; etsi animo minime intendens mortem accusati. *Ita contra Navar. Sylvestrum, Angelum, & alios Covar. Avila, Henriq. Coninch.* Laym. *cit. num.* 6. §. *Ex quo recte alii* cum Diana *par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 75. Ratio est: quia adhuc satis servas, quod Canon præcipit; licet enim (ut adversarii ajunt) ficta protestatio non sit vera protestatio simpliciter, & in re, præsumitur tamen vera protestatio in foro externo, & idem operatur, quod verum; in foro enim externo, secundum exteriora judicatur, & punitur, non secundum interna. At quid si damnum mihi illatum a grassatore possim alio modo compensare? possumne nihilominus accusare cum dicta protestatione, ut secuta deformitate accusati irregularis non fiam? Resp. Posse. Esto aliquando pecces contra Charitatem. *Ratio est*: Quia hic modus accusationis est absolute a sacris Canonibus concessus, cum agitur de damno proprio, & semper eo juste uti poteris, omisso alio modo recuperandi. Cæterum si tu ex parte una facile possis damnum tuum recuperare, & ex alia parte certo prævideas misellum deformandum, te peccare contra Charitatem, cæcus videat.

58 IV. Consequenter non incurrent, seu Laici, seu Clerici, irregularitatem, qui eo casu talem malefactorem ad eum finem accusandi, vel denuntiandi, cum dicta protestatione capiunt, detinent, Judici tradunt, aut locum, ubi latet, indicant &c. Quia cui finis permissus est, etiam media ad eum finem necessaria permissa censentur, ut notant DD. passim. Item non incurrunt, qui contra aggressorem vitæ, vel bonorum sui, vel proximi, clamorem tollunt, etsi contingat, eum idcirco capi, & a Judice puniri. Quia talis defensio est de jure naturæ, quod Lege positiva Canonum impediri non debet. Ita cum aliis Laym. *cit. cap.* 7. *n.* 6. Quoad clamorem tamen ejusmodi contra furem, vel raptorem excitandum, siquidem agitur de conservatione, vel recuperatione rerum propriarum, distinguendum est: Vel enim fur deprehensus postea Judici tradetur, & juridice occidetur, & sic non est periculum irregularitatis, cum ipsemet etiam læsus furem capere, & Judici tradere potuisset, adhibita protestatione. Excipe tamen, nisi clamans, vel manifestans esset minister justitiæ, vel testis necessarius, vel accusator, aut testis necessarius ad cognitionem causæ, tunc enim incurreret ex supra dictis. Aut ab accurrentibus privata auctoritate occidetur, & clamans id advertit, etiamsi id non intenderet clamando, sed solum, ut suas res recuperaret, & sic incurrit irregularitatem. Communis DD. Sententia. *Innoc. Hostiens.* & Abbas *in cap. significasti* 2. *de homic.* Navar. *cap.*27. *num.*236. Filliuc. *tractatione* 19. *cap.* 9. *quæst.* 10. §. *dices*. Nihilominus alii

59 Dubitant adhuc, & etiam hoc casu non incurri irregularitatem, magis inclinant *Covar. Avila, Laym. cit. Tamb. cit.* Et omnino probabile est; cum hic, nec sit irregularis ex delicto, nec ex defectu lenitatis; nam homo ille clamando, & homines advocando ad res suas liberandas nihil deliquit, & occisio illa facta est omnino, immo contra intentionem clamantis, adeoque illi, tamquam causæ morali adscribenda non est. Et esto occisio illa aliqualiter prævisa clamanti, saltem indirecte voluntaria sit, adhuc tamen non incurret irregularitatem ex defectu lenitatis, ex probabili Regula infra in fine probanda: quia non agit, ut minister Justitiæ ex officio, ut de se patet. Probabilis omnino Sententia, etsi prior ob auctoritatem DD. probabilior, & tutior. Eademque ratione dicendum de clamante contra furem pro conservatione, vel recuperatione rerum proximi, vel alienarum, præsertim non modici momenti, ut cum *Sa*, & aliis probabiliter docet *Laym. loc. cit.* sive a Judice, sive a circumstantibus fur occidendus sit, cum clamans opus Charitatis erga proximum exercuerit, & occisionem nullo modo intenderit, ideoque non debeat idcirco irregularitatis nota affici.

§. III. *Testes*.

60 INcurrunt irregularitatem omnes testes voluntarii in causa criminali sanguinis, secuto effectu. *Communis DD.* cum Suarez *disp.* 47. *sect.* 3. *n.* 2. Ratio est: Quia testes proxime cooperantur & accusatori, & Judici, & eum practice movent ad sententiam criminalem ferendam, consequenter, effectu secuto, irregularitatis participes fiunt: & licet non sit Canon specialis decernens testes irregulares, decernunt tamen Canones, omnes verbo, vel facto ad homicidium cooperantes (quales etiam sunt testes) irregulares esse. *Adde*, quia testes revera sunt ministri justitiæ a Judice assumpti, vel admissi, cum reus damnari non possit, nisi causa per testes probetur. Et recte addunt DD. communiter *apud Molinam, Suar. Laym. cit.* Advocatos, & testes in causa criminali nihil adjuvari per protestationem supra positam pro accusatoribus, si ex eorum allegationibus Judex ad sententiam sanguinis ferendam motus fuit; quia Advocatus, & testis nunquam propriam, sed semper alienam causam prosequuntur. Qua ratione Clerici ad ferendum testimonium in causa criminali compelli non possunt: cum ipsis per Canones prohibitum sit. At quid si testificentur pro eo, qui ipsemet cum tali protestatione accusat suum malefactorem, si Judex ideo reum deformet, vel morti tradat? Tunc incurrere irregularitatem docent *Covarr. & Bonac.* apud Tamb. *lib.* 10. *de Cens. & Irregul. tr.* 4. *de Irreg. cap.* 15. §. 12. *a num.* 11. ob eandem rationem: quia scilicet privilegium illud non incurrendi irregularitatem ob illam protestationem, conceditur accusanti in propria sua, vel suorum causa tantum: at testis semper testificatur in causa aliena, in causa enim propria sua, vel suorum nunquam aliquis admittitur testis.

Contra vero non incurrere æque probabiliter docent *Farinacius, Felinus, alii* apud eundem *ibid.* Ratio est: quia Sacer Canon id concedens accusatori, omnino debuit etiam id concedere testi: alioquin quid juvaret accusatorem accusare, si deinde testes retardarentur ex metu irregularitatis? &c. Ratio omnino probabilis. Dixi: *Testes voluntarii*, scilicet, vel ultro se offerentes, vel rogati ab accusatore, vel a Judice simpliciter vocati absque præcepto obligante in conscientia. *Et in causa criminali sanguinis*: juxta omnia supra dicta de accusante, vel denuntiante *a n.* 52. eadem ratione applicanda Testibus.

Non ergo irregularitatem incurrunt

(REGULA GENERALIS)

ACcusans, vel denuntians, testificans compulsus lege justitiæ, vel Charitatis, aut præcepto Judicis obligante in conscientia, ne scilicet proximus, vel communitas damno afficiatur vere imminente, & aliter non evitabili: ut si scias Petrum parare insidias mortis suo inimico, moliri rebellionem contra Rempublicam, Principem, &c. liber eris ab irregularitate. *Communis DD. apud cit. Tamb.* §. 11. *a num.* 13. Ratio est; quia lex hæc irregularitatis, CHRISTI mansuetudinem referens, non potest fuisse introducta cum damno innocentum, seu Reipublicæ, seu privatæ personæ, obligans contra Præceptum Charitatis, vel justitiæ ad non manifestandos, vel denuntiandos eos, qui mala moliuntur contra proximum, Principem, Rempublicam, ut supra etiam indicatum est: ergo &c. Neque hic necessaria est protestatio sæpe dicta, ut contra *Cajet. Sayr.* & alios, rectius docent Molin. *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 109. *n.* 7. Avila *p.* 7. *de cens. disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 12. Tamb. *cit. n.* 16. Ratio est: Quia hæc protestatio est remedium institutum a sacris Canonibus ad removendam irregularitatem, quæ alias ex tali denuntiatione, vel testificatione erat incurrenda; atqui ex delatione, vel testificatione facta ex obligatione præcepti, nulla unquam incurrenda est irregularitas; ergo &c. 61

Dixi autem rursus: *de damno vere imminente, & aliter non inevitabili*: Nam si damnum etiam vere imminens potest alio modo averti, & impediri, saltem denuntiatione periculi, ac mali impendentis in genere, sine designatione personæ, tu vero alio modo utaris, sine necessitate designes personam, secuta deformatione, irregularis eris, jam enim 62

non

non egisti ex obligatione , etsi forte ex motivo justitiæ , vel Charitatis . Ita Suar. Farinac. Filliuc. *tractatione* 19. *c.* 9. *n.* 249. Aliosque citans Tamb. *cit.* §. 11. *n.* 15.

63 At, quid si quis accuset, vel denuntiet, aut testis testificetur metu compulsus ab extrinseco, sive justo, sive injusto, etiam ab ipso Judice, in causa criminali sanguinis? Resp. Talem adhuc fore irregularem . *Ita Henriq. Suar. Avil. Hurt.* aliosque citans Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 31. Ratio est: quia semper cooperatio directa, & voluntaria ad mortem proximi est causa irregularitatis inducendæ ex sacris Canonibus : Atqui cooperatio testium directa est , & voluntaria, cum metus non tollat voluntarium simpliciter : ergo &c. Supponimus autem ex alia parte non adesse hic obligationem naturalem justitiæ, vel Charitatis. Neque obstat, metum gravem excusare a pœnis, & censuris, cum Ecclesia non intendat obligare Fideles cum tanta difficultate , quantam affert metus gravis. Nam hæc irregularitas ex defectu lenitatis non est pœna , vel censura, quæ contrahatur ex culpa, sed est solum indecentia , & inhabilitas quædam, quæ sine culpa contrahitur ex defectu lenitatis, quæ fuit in CHRISTO Domino. Unde hic obiter adverte: ejusmodi testes, Accusatores, Advocatos ex officio, dum causa adhuc criminaliter pendet , non posse ad SS. Ordines promoveri : quia, si sint victores, reo condemnato, & deformato, erunt irregulares, si victi causa cadant, forte erunt infames ratione calumniæ . Vide Majolum *lib.* 2. *de irreg. cap.* 7. *n.* 4. *&* 5.

§. IV. *Ministri Processus, Executionis &c.*

64 I. INcurrunt irregularitatem omnes Ministri processus ex officio in causa sanguinis, cujusmodi sunt 1. accusatoris , seu actoris advocatus, vel procurator contra reum , secuta morte, vel mutilatione: hic enim valde directe influit in sententiam sanguinis, movendo Judicem ad eam ferendam. 2. Tradentes ex officio reum Judici ad formandum justum processum . 3. Torquentes eundem ad exprimendam confessionem . 4. Judicis in processu Consiliarii & assessores ex officio . 5. Tabellio, Notarii, seu scribæ in processu : Item Commissarii, Sollicitatores, aliique, qui Judicem ad dandam justam sententiam deformationis ex officio adjuvant . Semper intellige, secuta deformatione mortis, vel mutilationis. *Ratio omnium est* . Quia hi omnes directe cooperantur ad deformationem, & quidem ex officio, ut ministri justitiæ, quod semper addo propter infra dicenda N. IV.

65 Non autem incurrunt irregularitatem Advocati Rei contra accusatorem , præcise manentes in terminis justæ defensionis: etiamsi aut reus aliunde convictus deformetur , aut accusator causa cadens , morte , vel mutilatione plectatur: quia primum est citra ejus intentionis culpam, ut supponitur; ad alterum vero non nisi remote, & indirecte concurrit. Incurret autem irregularitatem , si etiam directe agat ad punitionem accusatoris , vel pœnam talionis postulet, secuta deformatione, aut si causam injustam accusati defendat , ut ideo accusator injuste causa cadens , morte, vel mutilatione afficiatur ; quia sic dedit operam rei illicitæ ad injustam pœnam alterius , ideoque incurret irregularitatem ex delicto homicidii, nisi excusaretur a bona fide. Cæterum Advocati, sicut & cæteri officiales curiæ sæcularis in causis sanguinis, nulla secuta morte, vel mutilatione, non sunt irregulares simpliciter, sed tantum secundum quid, ratione muneris durantis , quo deposito , non manent amplius irregulares , sed licite Sacris initiari possunt. *Ex communi* Suar. Fill. *cit. cap.* 9. *q.* 12. *n.* 257.

66 II. Incurrunt omnes ministri executionis ex officio ; utpote, præter Judicem sententiam ferentem, de quo supra seorsim . 1. Qui dictat, scribit, publicat , signat litteras pro vindicta sanguinis . 2. Carnifex, seu quivis executor sententiæ justæ, omnesque ejus cooperatores ex officio, instrumenta portantes, applicantes &c. 3. Ipse comitatus satellitum pro custodia rei a lata sententia tantum, (non autem antea) ad locum supplicii ; omnesque executioni, ne ea impediatur, auctoritative assistentes ; juxta dicta §. 1. *Communissima DD.* Ratio communis omnium est : quia omnes enumerati concurrunt ad deformationem tamquam ministri justitiæ, ex officio. 4. Huc merito revocantur illi, qui juste licet, & sancta intentione occidunt bannitos, vel proscriptos, de quibus occidendis facultatem legitime, & juste dedit princeps, vel Magistratus, quia tunc quilibet de populo constituitur minister justitiæ , paulo honoratior carnifice, ideoque de facto occidens irregularis est secundum omnes, teste Filliucio sæpe cit.

67 Et universaliter *omnes cooperantes* , &c. Præter hactenus enumeratos quinam alii cooperantes ad deformationem Rei ex justitia publica incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis , merito desideras unam Regulam generalem omnes complectentem ; hanc autem aliter tradunt Antiqui , aliter Recentiores Theologi . Utramque permixtim dedi in Resolutione: do hic seorsim distincte cum suis casibus.

Regula Antiquorum.

III. GEneraliter irregularitatem incurrunt omnes per se 68
directe , & proxime cooperantes ad infligendam, vel notabiliter accelerandam mortem.

Non ergo incurrunt indirecte tantum , & remote valde 69
cooperantes. Utpote 1. Opifices, qui furcas, rotas, funes, scalas , carnificios gladios , aliave instrumenta supplicii conficiunt, vendunt, aut etiam donant, etiam immediate ad executionem. Incurrunt autem, qui similia instrumenta (intellige ex officio) ad locum supplicii applicant , aut adferunt ; hi enim censentur causa propinqua mortis , illi remota tantum. *Ita cum aliis* Laym. *cit. c.* 7. *n.* 2. Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 79.

2. Non incurrunt , qui non adeo notabiliter accelerant 70
mortem : v. g. si Confessarius hortetur reum, ut in via procedat, se ad justum supplicium comparet, vel ascendat scalam, exuere juvet, &c. quamvis enim talia, ut indecentia, & irregularitatem sapientia ob aliqualem accelerationem mortis cavenda sint Confessario, & merito a spectatoribus peritis prohibenda, tamen parum pro nihilo reputatur. *Ex Communiori Laym. cit.* Qua ratione Sotus apud Laym. merito ridet scrupulum alicujus Confessarii , qui reum ad supplicium comitatus quod asinum illum vehementem pupugisset, sicque ejus mortem accelerasset, irregularem se existimabat. Similique ratione recte resolvit Dian. *p.* 8. *tr.* 7. *res.* 61. Non fuisse irregularem Confessarium illum, qui, cum carnifex æstimaret reum suspensum jam esse mortuum , clamavit : vivit, adhuc vivit : unde denuo carnifice collum stringente extinctus est . Casus sæpius contigit, & a viris doctis excusatus est, cum sit potius opus misericordiæ, & lenitatis, quam severitatis.

3. Similiter non incurrunt Principes Ecclesiastici, si sus- 71
pendendos , vel cremandos , moderando sententiam , jubeant decollari, etsi non modice inde accelerata morte ; quia exercent actum lenitatis, non severitatis, ad quem per accidens est illa acceleratio. Similiter non incurret, qui impetrat, ne reus per viam publicam cum suo, vel familiæ dedecore ducatur, sed alia via, etsi breviori , ut per accidens contingat mortem accelerari. *Ita Henriq. Avila Laym. l. c.*

Denique non incurrunt etiam Clerici , vel Monachi so- 72
lum spectandi gratia assistentes suppliciis reorum , modo non cum auctoritate præsentiam exhibeant : quia illi nullo modo etiam indirecte concurrunt ad necem Rei. Certe tamen id non decet : & c. *sententiam. Ne Clerici, vel Monachi*, vetatur , ne Clerici in majoribus Ordinibus constituti inter reliquam turbam assistant suppliciis reorum , ne curiositatis vitio notentur . Sed jam vides prohibitionem non esse gravem. Sin vero & ipsi reum consolari velint, vel modum assistendi, ac consolandi ex Sacerdote assistente reo addiscere, tunc se extra turbam, lateri illius adjungere debent, ut observat Laym. *cit. n.* 2. *in fine* . Hæc quidem omnia vera sunt . Verumtamen regula hæc profecto non exhauritur, sed plurimas relinquit difficultates, & casus scrupulosos : videatur ergo breviter

Regula Recentiorum.

IV. GEneraliter irregularitatem hanc ex defectu lenita- 73
tis contrahunt omnes, & soli, qui ad deformationem, seu mortem, ejusve notabilem accelerationem juste, ut ministri justitiæ, ex officio concurrunt : non autem contrahunt alii privati non ut ministri justitiæ ex officio, sed pro libitu sine peccato quomodolibet concurrentes. *Ita DD. Recentiores communiter* . Et ultra triginta recitat Dian. *p.* 11. *tr.* 2. *res.* 63. inter quos Coriphæus *Vasq.* & Card. de Lugo *disp.* 22. *de pœn. n.* 3. Tamb. *cit. c.* 15. §. 13. *a n.* 8. late. Ratio potissima, & efficax est : quia irregularitas, omnium consensu, non incurritur, nisi in casibus jure expressis : atqui irregularitas ex defectu lenitatis solum expressa est in jure contra ministros justitiæ concurrentes ad deformationem , non autem contra alios non ministros : ergo ab illis tantum , non ab his contrahitur. Minor constat inductione omnium textuum sacrorum , quibus nituntur antiqui in probando oppositum, qui textus, si attente legantur, certe aliud non exprimunt. Duo præcipue adferri possunt.

1. Adfertur Innoc. III. cit. *c. sentent. ne Clerici* , *vel Mona-* 74
chi . Ubi textus habet : *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet , aut proferat , sed nec sanguinis vindictam exerceat , aut ubi exercetur , intersit* . (Et paulo post) *Ne quisquam Clericus litteras dictet , aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas : Unde in Curiis Principum hæc solicitudo non Clericis , sed Laicis committatur* . Hæc Pontifex. Sed ubi hic clare exprimitur quæcumque cooperatio ad judicium sanguinis, nisi illa ipsa, quæ est ministri justitiæ ex officio ? Certe id clare ostendunt ea verba : *Exerceat , & in Curiis Principum hæc sollicitudo Laicis committatur* : Nonne hæc significant officium ? Adeoque eo textu , sicut & in aliis, solum prohibetur , ne Clerici sint ex officio ministri Principum in rebus pertinentibus ad causam sanguinis . Et merito : tum , ne commisceantur negotiis sæcularibus : tum maxime propter periculum, ne, secuta executione senten-

tiæ, sint irregulares: sic enim ad deformationem concurrunt vere ut ministri justitiæ.

75 2. Adfertur definitio Clementis IV. apud Abbatem in dictum *cap. Sentent. ne Clerici, vel Monachi*, definientis Clericum quemdam ex jussu sui Principis legentem litteras, quibus monebatur Princeps, ut talem facinorosum in tali loco latentem capi juberet (captus autem, & morte punitus est) esse irregularem. Atqui non constat de hac definitione. Proferatur ejus authentica: auctoritas enim Abbatis non convincit. Certe illum Clericum non fuisse irregularem merito censet Laym. *cit. n.* 2. cum fuerit causa valde remota, & accidentalis ad mortem. Et dato, constet de hac definitione, unde tibi constat Clericum illum legentem non fuisse Ministrum Principis in omnibus obsequiis, etiam criminalibus expediendis, scribendis, legendis? &c. & tunc sine dubio contra SS. Canones: ideoque merito secuta morte irregularis pronuntiatus.

76 Stet ergo hæc Regula, & Sententia vere probabilis, & tuta, tum auctoritate tantorum DD. tum ratione data: tum etiam, quia innumeros scrupulos a Fidelium conscientiis removet, quos quidem scrupulos a sanctissimis Ecclesiæ piæ Matris legibus foveri credendum non est, ait Tambur. *cit. n.* 14. ibidem; *n.* 16. addens rationem convenientiæ: cum Ecclesia, seu Legislator Pontifex solos ministros justitiæ subjiciat dictæ irregularitati, non vero alios; quia nimirum cooperatio ex officio minus videtur habere lenitatis; nam minister justitiæ ex officio obligatus velut ex habitu operatur, semperque paratus est ad illas deformitates patrandas: unde etiam cum semel patraverit, quia tamen patravit ex habitu, minus videtur habere lenitatis, ideoque merito eum ab Altari removendum esse censuit sacer Legislator: alius vero non ex officio, & sine peccato cooperans, uno forte actu, quia non cooperatur ex habitu, eum non ita esse alienum a Christi lenitate, adeoque nec irregularem merito censere potuit Legislator.

77 Dico autem semper, *sine peccato cooperans*: nam si cum peccato, v. g. ex odio mortali, ac vindicta in reum ita cooperentur ad mortem ejus infligendam, vel accelerandam, cum ipsi non sint ministri justitiæ, omnino contrahent irregularitatem ex delicto, & ex defectu lenitatis, ut cum *Turriano* suadet Tamb. *cit. n.* 19.

78 Hac ergo Regula posita, vides clare, vel absque scrupulo liberari ab irregularitate omnes casus positos N. III. *præcedenti* & supra §. III. *&* IV. Omnes enim illi agunt, non ut ministri justitiæ. Et insuper corollarie

79 Resolves. Non incurrere irregularitatem eum, qui I. privatim, & non juridice monet, rogat, urget Judicem, ut juste occidat aliquem nocentem, aut privatim extra judicium instigat procuratores causæ, vel cognatos læsi, ut petant fieri justitiam, etiam pœnam sanguinis juste infligendam lædenti. Ita contra *Bonac. &* alios cum aliis docet *Ver-*

80 *cellus* apud Tamb. *cit. n.* 23. II. Qui privatus ex simplicitate, vel etiam zelo justitiæ, juvaret carnificem in aliquo ad mortem infligendam, vel accelerandam, v. g. instrumenta,

81 ligna apportare, rogum extruere, &c. III. Qui rogaret Judicem, vel carnificem, ut aliquid applicet, quo citius reus moriatur ex misericordia, v. g. ut apponat pulverem sulphureum pectori Rei vivi comburendi. Item qui dat ex simili motione consilium ad mortem breviorem capiendam, ne diutius reus angatur: & his similia. Ibidem *num.* 20. & 24.

82 IV. Medicus, vel chirurgus, si juxta artem suam curet, vel membrum secet, ac proinde præter intentionem eveniat mors, tunc non erit irregularis: Quia irregularitas hæc lata est pro ministris justitiæ, non pro Medicis. Quod si tamen culpabiliter ex incuria, vel negligentia crassa mortes causent, certum est fieri irregulares ex delicto homicidii, saltem indirecte voluntarii, de quo suo loco. Idem dicendum de infirmariis, seu ministrantibus infirmis, si enim eos vertant de latere ad latus, transferant de lecto ad lectum, erigant ad capiendum cibum, &c. si mors inde sequatur præter intentionem, & adhibita debita cautela, non erunt irregulares: nam hi omnes non sunt ministri justitiæ. Sed de his plura, cum de homicidio casuali. Plures casus particulares pulchros, sed rarissimos ex *Navarr. Dian.* & aliis congerit Tamb. *ibid. a n.* 28. quos videre potes, nam exscribere prolixum foret.

SECTIO II.

De homicidio in Bello justo &c.

SUMMARIUM.

83 *Bellum quid & quotuplex.*
84 Usque ad n. 88. *Bellum offensivum ex natura sua licitum est: si fiat* I. auctoritate publica, & legitima. II. causa justa. III. intentione recta, *&* IV. modo debito.
88 Usque ad n. 91. *Auctoritas publica, & legitima indicendi bellum penes quos resideat.*
91 *Qualiter, quomodo, & quando prohibitum sit Clericis propria manu pugnare.* Usque ad n. 96.
96 *Quando, & quæ sit causa justa indicendi bellum.* Usque ad n. 99.
99 *Quænam sit recta, & justa intentio suscipiendi bellum.*
100 *Quid agendum, quando causa belli utrinque est probabilis, vel dubia.* Usque ad n. 103.
103 Usque ad n. 107. *resolvitur pro, & contra, an in bello dubio licite militare possint extranei, & liberi.*
107 *In bello patenter injusto nullus militare potest.*
108 *Sicut etiam nulli Catholico militare licet sub Principe, vel Republica infideli, quando prævidetur inde secutura ruina, vel damnum grave Ecclesiæ, &c.*
109 Debitus modus *exequendi bellum requirit,* I. præviam indictionem, *seu*
110 *Ut pars læsa petita prius, & non nisi negata satisfactione, bellum indicat, & inferat. Et*
111 *Si, conflictu etiam aliquo commisso, pars nocens satisfactionem offerat, a bello cessandum est.*
112 & 113 *Quæ in prosecutione belli a Duce, & militibus licite fieri possint.*
114 II. *Requirit debitus modus* moderatam, & justam pœnam nocentium; *ubi: qua* 1. *quod liceat occidere* 2.
115 *Omnia ferro, & igne vastare.* 3.
116 *Spoliare, &* 4.
117 *Capere, & in servitutem redigere.* Usque ad n. 120.
120 III. *Requirit* debitus modus *etiam* indemnitatem innocentium; *quæ quibus debeatur, seu quibus in bello parcendum, ut innocentibus.* Usque ad n. 124.
124 *Quando, & qualiter in bellando peccent Principes, vel Magistratus.*
125 *Quando, & qualiter peccent belli Duces, & alii Belli Officiales.*
126 *Ad quid sub mortali obligentur milites.*

Bellum dicitur pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, quo differt 1. a seditione, quæ est pugna multitudinis contra multitudinem ejusdem Communitatis: & 2. a rixa, quæ est pugna paucorum contra paucos, & 3. a duello, quod est pugna singularis unius contra unum. Duplex est bellum, *defensivum*, & *offensivum*; Bellum defensivum est, quo vis per injuriam illatam vi repellitur. Et hoc semper cuivis quavis auctoritate publica, ac privata licitum esse certum est omni jure; immo ex visceribus ipsius juris naturalis, quo licet vim vi repellere, & se suaque tueri. Quoad auctoritatem tamen hoc discrimen est, quod auctoritas publica in bello defensivo non teneatur ad moderamen inculpatæ tutelæ sistendo in sola defensione, sed ulterius offensive juste procedit ad vindictam injuriæ illatæ: secus est de bellantibus defensive auctoritate privata, ut mox infra patebit. Bellum offensivum est, quo vis infertur injuriæ vindicandæ gratia, res vastissimæ tractationis: quantum tamen Confessario opus, vel utile est, sub compendio sit 83

ASSERTIO II.

Bellum offensivum ex natura sua licitum est, si adsint debitæ conditiones; hæ potissimum sunt quatuor, *Auctoritas publica, & legitima: Causa justa: Intentio recta: modus exequendi debitus*, scilicet *cum prævia indictione, moderata pœna nocentium, indemnitate innocentium.* Veritas hæc est omnium, saltem Catholicorum. 84

Et sumitur in primis ex ipso jure, & lege naturali, quæ exigit, non tantum omnem injuriam injuste illatam propulsare, dum infertur, sed etiam vindicare, & amovere, postquam illata est; atque impedire, ne inferatur deinceps, ad pacem, securitatemque Reipublicæ tuendam, & conservandam: finis enim omnis belli justi est pax, & securitas, cui, tamquam bono communi maximo, merito postponendum est incommodum privatum cædis, & vastationis hostium. Desumitur 2. ex innumeris locis Sacræ Scripturæ, quibus ipsius Dei jussu, consilio, & auxilio semper miraculose bella offensiva gesta constat. Et late, ac optime probat Div. August. *lib.* 22. *contra Faustum Manichæum cap.* 74. inter alia dicens: *Adversus violentiam resistentium sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo humanarum rerum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire, juste ordo ipse constringit.* Demonstrat autem 1. ex monitis Joannis Baptistæ ad milites Luc. 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris.* Non autem dixit, ut notat S. August. supra: *Arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite: sed quia sciebat, eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros Legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores; Respondit eis, neminem concusseritis &c.* Ex responsione Christi Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari &c. Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessaria militi stipendium præbeatur.* 3. Ex laude a Christo data Centurioni Matth. 28. *Cujus fidem laudavit, non illius militiæ desertionem imperavit.* 4. Addit exemplum alterius Centurionis *Actorum* 10. ob bona opera commendati, nec jussi militiam deserere. *Hæc Augustinus.* 85

Damnandus ergo error est in primis Manichæorum, qui omne prorsus bellum illicitum esse dixerunt, *Teste D. August. loc. cit.* 86

loc. cit. Deinde *Joann. Vviclephi*, *& Oecolampadii*, qui admiserunt bellum justum in veteri Testamento: at in novo Testamento nullum bellum justum admiserunt, his fundamentis. (1.) Isaias 2. Vaticinans de nova Ecclesia, & Lege Christi, ait, *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*. (2.) Matth. 6. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. (3.) *Matth.* 5. præcipit Christus de non resistendo percutientibus. Sed facile

87 *Respondetur ad primum*: Isaiam loqui de tempore adventus Messiæ, quo fuit pax universalis, & diuturna in toto mundo, ita ut gentes ultra, idest, ad longum tempus, non exercerentur ad prælium, ut exponit D. Hieronymus *ibid. Ad secundum*: Prohiberi solum occasionem, vel pugnam propria auctoritate privata factam, quali Petrus volebat percutere. *Ad tertium*: Ibi non esse præceptum, sed consilium perfectionis de non resistendo percutienti &c. supposita ergo veritate Catholica, conditiones belli justi breviter explicandæ sunt.

§. I. Prima conditio: *Auctoritas publica, ac legitima*.

88 Auctoritas publica, & legitima indicendi, & gerendi bellum offensivum, est penes summos tantum Principes, & Respublicas independentes, quæ Superiorem in terris nullum agnoscunt, ut sunt Imperator, Reges, & Principes absoluti, Respublica Veneta, Genuensis, & modo Hollandica. *Omnes* cum D. Thoma 2.2. *q.* 40. *ar.* 1. Et docet Div. August. *supra cap.* 75. relatus in Jure Canonico 23. *q.* 1. Can. *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principem sit &c.* Et ratio est: Quia bellum offensivum est actus quidam extremus, & supremus justitiæ vindicativæ, ac proinde ad solum supremum Judicem ab alio independentem pertinere debet. Deinde oportet, Magistratum, vel Rempublicam quamlibet ita comparatam esse, ut sibi sufficiat ad publicam pacem, & quietem conservandam: quod haberi nequit, nisi externorum injurias, & infestationes vindicare, ac bello persequi liceat, idque propria auctoritate, cum superiorem Judicem, qui eis justitiam vindicativam administret, in politicis non agnoscant.

89 II. Alii ergo non supremi, sed dependentes Principes, & Respublicæ, scilicet Superiorem aliquem in temporalibus, seu politicis agnoscentes, ut Duces, Principes, & Civitates Imperii, etsi habeant jus naturale gerendi bellum defensivum, ut scilicet durante necessitate, ac periculo, vim injuste illatam, ac invasorem iniquum bello repellere possint, non expectata sententia Superioris, Imperatoris v. g. non tamen habent jus indicendi, vel inferendi bellum offensivum, sed cessante periculo, & necessitate ab altera parte mox, & ipsi cessare debent, & injuriæ vindicandæ judicium, sententiam, & executionem, vel executionis potestatem a supremo Principe, vel Magistratu petere, & expectare: sive deinde injuria prætensa illata sit a subditis illius supremi Principis, sive ab exteris: idque tam jure divino naturali, quo ad supremum Principem spectat subditorum curam gerere, quam humano civili. *L. Hostes, ff. de captivis, & postliminio reversis*. Et in *L. Hostes de verb. signific.* prædones, atque latrunculi appellantur, qui in Imperio, sine consensu Imperatoris, & auctoritate bellum offensivum suscipiunt. Interim recte monet *Victoria*, cum Laym. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. Si supremus Princeps, vel Magistratus negligat, vel non audeat injurias illatas vindicare; quod in tali casu necessitas licentiam tribuat subditis bellum inferendi hostibus, eosque pro meritis puniendi, ne improbitas impunita majores animos faciat.

90 Porro auctoritate ejusmodi publica, & justa de causa, declarato, & indicto bello, & ipse Princeps bellaturus, sicut quosvis idoneos subditos ad malitiam cogere, & quosvis extraneos, vel in subsidium invocare, vel stipendio conducere jure potest: ita e contra quivis extraneus, aut sponte in bellum, vel auxilium venire, aut stipendium mereri, omnis liber Laicus militare licite potest. *Omnes*. Quia bellum justum est bonum opus: licet autem cuilibet bono operi cooperari, si aliunde non impediatur, utpote vel proprio superioris justo imperio, vel lege aliqua, ut Clerici. Unde notanter dixi: *Omnis liber Laicus*.

Clerici bellantes.

III. Omnibus Clericis, jure saltem Ecclesiastico, prohi-
91 bitum est propria manu pugnare extra casum urgentis necessitatis. Constat ex jure Canon. variis locis, *c. Clericum, cap. de his Clericis, cap. eos, qui* 20. *q.* 3. *c. quicumque Clericus, c. Clerici c. Quicumque ex Clero* 23. *q.* 8. *per tot.* Ratio est: quia tum indecens est, quod ii, qui se, spirituali militiæ tradiderunt, arma, vel negotia sæcularia tractent. Tum etiam, quia Ordines Clericorum ordinantur ad ministerium Altaris, in quo repræsentatur Passio, & Mors Christi; quare non convenit Clericos alienum sanguinem fundere, quin potius paratos esse ad suum pro Christo sanguinem fundendum: quæ etiam est causa irregularitatis incurrendæ ex defectu lenitatis, quam Laici pugnantes sine peccato, Clerici vero cum peccato contra Præceptum Ecclesiæ incurrunt, ut in fine annotabo.

Dixi autem notanter 1. *Jure saltem Ecclesiastico prohibitum*: Jure enim divino non est eis prohibitum, juxta communem DD. Et in veteri Testamento constat *Exod.* 32. Ubi Levitæ laudantur a Moyse, quod contra Idololatras pugnarint. Etiam in novo Testamento Papa dispensare potest cum Clericis, eisque facultatem concedere manu propria pugnandi in bello justo; qua facultate concessa etiam omne irregularitatis incurrendæ periculum amovere præsumitur, teste Sylvestro, *verbo Homicidium* 3. *quæst.* 6. alii communiter. 92

Dixi 2. *Propria manu pugnare*: Nam *in primis* Clerici, etiam Regulares de consensu expresso, vel rationabiliter præsumpto Prælatorum suorum absque peccato, & irregularitatis periculo, licite bellis intersunt, ut pugnantibus spirituali auxilio, vel consilio adsint in bello justo. *Omnes* cum S. Th. *c. art.* 2. Insuper licitum est eis milites hortari ad pugnandum fortiter pro Patria, justitia, Religione: dummodo non dicant, *occide, macta*, ut monet Navar. *c.* 27. *n.* 215. cum Molin. *cit. disp.* 108. §. *his non obstantibus*. Quinimo etiam generaliter adhortari ad invadendum, occidendum hostes posse, modo in particulari neminem occidi suadeant, docent *Henriq. Avila*, & alii apud Laym. *cit. cap.* 12. *nu.* 19. §. *Quinimo*. Tandem Clerici jurisdictionem temporalem habentes, ut Episcopi Germaniæ cum legitima auctoritate possunt hosti bellum indicere, exercitum conscribere, Duces belli præficere, arma ad pugnandum militibus distribuere &c. ut constat *ex cap. Episcopus, Ne Clerici, vel Monachi &c. in* 6. Ipsi tamen actuales Duces exercitus esse non possunt, sine Pontificis dispensatione, aut extra casum urgentis necessitatis, *cap. sententiam, extra, eod. tit.* uti notabat *Abbas*, & alii. 93

Dixi 3. *Extra casum urgentis necessitatis*: In omni enim bello necessario defensivo, & certis casibus necessitatis, ipsum jus naturale permittit Clericis etiam manu propria pugnare, quos casus enumerant Mol. *cit.* §. *sunt vero aliqui*, alii, & *Laym.* ex iis loco cit. 1. Si id necessarium sit ad defensionem propriæ vitæ. 2. Si necessarium sit ad defensionem proximi innocentis, præsertim qui Reipublicæ valde utilis, aut necessarius sit. 3. Si necessarium sit ad defensionem Patriæ, aut Civitatis contra injustos invasores. *Argum. cap.* 2. *de immun. Eccles.* 4. Si necessarium sit ad consequendam justam victoriam, ex qua salus Ecclesiæ, vel Reipublicæ Christianæ multum dependet, qualis tamen necessitas in bello offensivo raro occurrit, cum plerumque milites laici adhiberi possint. Neque in dictis casibus necessitatis Clerici bellantes, vel occidentes irregularitatem incurrunt, ut patet. 94

IV. Denique ea prohibitione Ecclesiastica non bellandi comprehenduntur solum Clerici in Sacris, seu in majoribus Ordinibus constituti. Clerici autem in minoribus, si beneficium non habent residentiam postulans, & alias suo officio satisfaciunt, etiam extra necessitatem manu propria pugnantes, etsi irregularitatem ex defectu lenitatis incurrant, eos a peccato tamen, saltem mortali, merito excusant cum aliis Laym. *cit. n.* 5?. §. *Ex his quatuor*, & Diana *p.* 6. *tr.* 4. *resol.* 33. Addentes tamen, si tales pugnando irregularitatem incurrant, teneri postea beneficium forte habitum resignare, aut dispensationem impetrare. Cæterum in multis Germaniæ Diæcesibus consuetudo jam obtinuit, ut Clerici non Capitulares interim dimittantur quoquo lubet, etiam ad bellum, pro experimento virtutis. 95

§. II. Secunda conditio: *Causa justa*.

Causa justa belli offensivi indicendi, atque inferendi unica, & universalis est, accepta injuria, seu jus aliquod injuste ablatum, ut pulchre docet D. August. 22. super Josue q. 10. relatus c. Dominus 23. q. 2. *Justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si gens, vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est; vel reddere, quod per injuriam ablatum est &c.* Ratio est; Quia cum Princeps, vel Respublica injurians superiorem non habet Judicem, a quo ad injuriæ satisfactionem, vel damni illati compensationem compellenda sit, ideo alius Princeps, vel Respublica, quæ, vel cujus subditi injuriam passi sunt, naturali, ac gentium jure vindicandæ injuriæ facultatem consequuntur. Quod si vero non ipse Princeps, vel Respublica aliqua auctoritate publica, sed ejus subditi, vel Vassalli privata auctoritate injuriam intulerunt, tunc alius Princeps, vel Respublica injuriam passa, prius alium Principem, vel Rempublicam admonere tenetur, ut subditos suos puniat, atque ad damni compensationem compellat: quod si facere negligant, tunc contra ipsos quoque tamquam injuriæ participes, æque ac contra subditos injuriantes, pars læsa bellum inferendi auctoritatem, & justam causam habet, omnium consensu. 96

Cæterum in particulari, causas justas belli inferendi præcipuas accipe breviculo compendio, saltem curiositatis gratia. I. Ut subditi, vel Vassalli rebelles ad debitam obedientiam redigantur. II. Ut recuperetur Provincia, vel Civitas ablata Principi, vel Reipublicæ jure debita, quam recupe- 97

rari

rari bono Communi multum intersit, III. Ad vindicandam gravem contumeliam Principi, vel Reipublicæ illatam, exemplo David 2. *Reg.* 20. IV. Ad ultionem sumendam de Rege, Principe, gente, qui hosti injusto auxilium præbuere. 2. *Reg.* 8. V. Ad vindicandos eos, qui injuste prohibent, ne nocentes puniantur, exemplo Judicum 10. de bello Israelitarum contra Tribum Benjamin ob injuriam vindicandam, illatam uxori Levitæ. VI. Ad plectendos eos, qui cum Principe, vel Republica initum fœdus violarunt non sine gravi illius damno, injuria, vel dedecore, exemplo 4. *Reg.* VII. Ut impetrentur ea, quæ jure gentium permissa sunt, & per injuriam denegantur v. g. transitus sine mora, & impedimento per unam Regionem in aliam, *cap. ult.* 23. *q.* 2. Quo sensu Cæsar dixit: *arma tenenti omnia dat, qui justa negat:* quod si tamen militi armato negatur transitus præcise ob periculum damnorum, quæ semper timeri possunt, & non in præjudicium militis, non esse causam justam belli inferendi, docent DD. apud Dianam *tract.* 4. *resol.* 5. *par.* 6. VIII. Ut sociis auxilium, immo & confœderatis, justum feratur. *Genes.* 14. Qua ratione Romanis imperium valde amplificatum testatur Victoria *cit. n.* 17. IX. Contra Hæreticos, aut subditos secum alios trahentes, ideoque dissensiones in Provincia excitantes, aut etiam extraneos, qui subditos alterius Principis ad eandem defectionem protrahere conantur: ut docet communis DD. Immo hæreticis ob solam hæresim bellum juste inferri, docet cum Reginaldo Diana *par.* 6. *tr.* 4. *resol.* 10 X. Denique Infidelibus, etsi ob solam infidelitatem bellum inferri non possit, etiam ex licentia Papæ, secundum communem DD. licite tamen infertur probabiliter. 1. Ob ipsam idololatriam, id permittente jure naturali, Dian. *cit. resol.* 16. citans *Sylvestrum*, & alios decem. 2. Ob barbariem, ineptam politiam, tunc enim coactio cedit ad eorum utilitatem. Diana *ibid. res.* 1. & 19. citans Lorcam. 3. Si apud eos sit usus carnium humanarum, immolatio innocentum, & similia, etsi nullus auxilium implorarit, juste debellari posse, docet idem ibid. *cum Mol.* & aliis tribus. 4. Si prædicatores Fidei nolint admittere, persequantur, transitum ad alias Regiones, &c. negent. *Idem.* Sed hæc tantum probabiliter proponuntur.

98 Demum universaliter: Oportet gravem, & magni momenti esse causam, vel injuriam, ob quam publicum bellum instituere fas sit, in quo hominum, & innocentum cædes fiunt, Regiones vastantur, & ipsamet Respublica belligerans periculum adit: nam belli exitus incerti sunt. Quare Princeps, eorumque Consiliarii sine justa, & gravi causa bellum decernentes, & gerentes mortali injuria non solum alienam, sed etiam propriam Rempublicam afficiunt, quam & gravissimo periculo exponunt, & tributis, & exactionibus gravant.

§. III. Tertia conditio: *Recta intentio.*

99 Recta intentio bellum suscepturi, debet esse amor justitiæ, justæ indemnitatis, ac communis boni pacis, & securitatis: non odium, aut vindictæ privatæ cupiditas, libido dominandi. Nam omnis belli justi finis, & terminus debet esse pax, & indemnitas communis Reipublicæ, ut inter alios optime docet Pet. Navar. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 268. Et ante omnes optime D. August. lib. 2. contra Faustum cap. 72. inter alia dicens: *Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate, & conservet in pace. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.* Ad rectam vero voluntatis intentionem bellandi ex parte intellectus necessario requiritur seria sconsultatio, & moraliter, saltem practice, certum judicium de justitia belli, tam ex parte Principis illius bellantis, quam militum, ac sociorum. Nam ante talem consultationem, ac judicium bellum aggredi nulla recta intentione formali cohonestari potest, sed mortalis temeritas, & injustitia est: quin etiam, habita, & subsistente vera, & justa causa, numquam licitum, sed mortaliter illicitum est bellum aggredi, si res aliter discuti, & disponi potest: bellare enim necessitatis, non voluntatis debet esse, ait D. August. *Epist.* 117. Nimirum ob ingentia damna bellum concomitantia, & subsequentia. Sed hic difficilis, & maxime practica exurgit quæstio.

Quid agendum in causa belli utrinque probabili, vel dubia.

100 Resolutio prima: Quando ergo ex utraque parte sunt causæ, & rationes probabiles de jure, vel injuria: ut nimirum facta diligenti discussione, una quidem pars arbitretur certo, & liquido sibi rem debitam esse, aut injuriam sibi illatam; altera autem pars contrarium sibi certo persuadeat, nihil scilicet juris adversario competere: tunc una pars necessario errat: &, si error sit invincibilis, & neutra pars cedere velit, bellum ab utraque parte juste suscipietur. *Communis* DD. & praxis. Ratio est: Quia quilibet in praxi tuto sequitur opinionem sibi vere probabilem visam, ut suo loco dictum, præsertim cum in his moralibus certitudo omnimoda difficulter haberi possit. Deinde etsi implicet bellum ex utraque parte inter bellantes esse justum simpliciter, per se scilicet, & materialiter quoad ipsam rem, & formaliter quoad opinionem, & conscientiam utrinque rectam; dicit enim una pars jus esse suum, altera dicit non esse, quæ simul vera esse simpliciter repugnat: potest tamen bellum ex utraque parte justum esse per accidens, & formaliter tantum, nimirum quoad opiniones utrinque probabiles, & conscientiam saltem practice veram, etsi ex altera parte speculative necessario erroneam, scilicet ex ignorantia, vel errore invincibili, & inculpabili putantem esse jus suum: non item ex ignorantia vincibili, & culpabili, ut dictum suo loco.

Secunda: Quando, facta debita discussione, manet du- 101
bium speculativum juris, vel facti, v. g. de jure, vel proprietate alicujus Provinciæ, tunc melior est conditio possidentis bona fide: quia dubium superveniens non nocet bonæ fidei possessori: neque is cogi potest ad restituendum quidquam, nisi manifestum fiat, fuisse alienum: illa ergo pars, quæ rem dubiam hactenus bona fide possedit, bello juste impeti non potest: & si impetatur, juste se defendere, immo ulterius etiam bello offensivo injuriam illatam vindicare potest, ut recte ex communi docet Laym. *lib.* 2. *tract.* 1. *c.* 5. §. 4. Quamvis quidam moderni oppositum defendant, & in praxi fieri videamus. Quod si possessor dubitet quidem, tamen inclinans probabilius, quod res alieni juris sit; altera autem pars absque pravo affectu certo judicet, rem ad se pertinere, tunc is possessor in conscientia obligatur, quantum sine graviori incommodo fieri potest, ut saltem in transactionem, vel bonorum virorum arbitrium consentiat: sin vero detrectet, bello juste impeti potest. *Ita Molina, Becanus, alii cum Laym. cit.* Intellige, si ille possessor Superiorem non agnoscat: nam si habeat Superiorem, adhuc nihil tenetur restituere, quousque a Judice compellatur, nec juste bello impeti potest, nisi per superiorem Judicem compelli non possit. Denique si neutra pars rem actu, vel non bona fide possideat; tunc una alteram, etiam bello, cogere potest, vel ad transactionem per utriusque partis arbitros constituendo, vel saltem ad divisionem in partes, juxta proportionem dubii juris majoris, vel minoris, quod cuique competere videtur: Vide *Mol. Laym. cit.* Excipe, nisi res dubia vacans sit sui juris, utpote Regnum, vel Provincia aliqua, tunc enim a neutra parte dubitante solum de jure ipsius, bello impeti potest sine injuria, ut latius videre potes apud citat.

Tertia: Stante dubio practico de justitia, vel injustitia 102
belli, num scilicet hic & nunc bellum suscipere liceat, necne, peccant mortaliter omnes, bellum decernentes, indicentes, omnesque cum tali dubio practico cooperantes, & militantes, cum se exponunt periculo gravissimorum peccatorum, & injustorum damnorum, ad quorum restitutionem etiam tenebuntur: nisi interim causam justam belli compererint, ac practice se resolverint: *Omnes.* Verum hic in praxi difficultas est gravissima, qualiter eo casu in tali bello speculative dubio militantes practice se resolvere, atque ita licite militare possint. Hoc certum est apud omnes, subditos, non tantum cives, sed etiam milites conscriptitios, qui jam ante tale bellum excitatum sub tali Principe militabant, practice se resolvendo, posse sententiæ Principis stare, & jussos bellare, etiam debere, quantumvis speculative dubii sint de jure, vel justitia belli, vel ignari, dummodo certo non constet, causam esse injustam. Communis DD. cum Mol. *disp.* 121. & Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. Et docet etiam perspicue D. August. lib. 22. contra Faustum c. 75. dicens: *Vir justus, si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Ratio est: quia ut dicit Glossa in cap. Quid culpatis 23. qu. 1. *in dubio quisque debet obedire Principi, vel Superiori.* Quia tunc possessio juris stat ex parte ipsorum. Qua ratione etiam carnifex mercede conductus ad justitiam ex officio exequendam, latam a Judice sententiam juste exequitur, etsi de ejus justitia dubitet maxime: quandoquidem ad ipsum non spectet discutere.

Quarta: Difficultas tota est de militibus liberis, & extra- 103
neis. Etiam hos in tali bello dubio licite militare posse, concedunt graves Doctores *Suar. Petr. Navar.* aliisque cit. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 7. & Tamb. *lib.* 1. *Decal. c.* 3. §. 7. *verb. Bellum.* Fundamentum est, quia, in dubio est melior conditio possidentis: atqui talis miles est in possessione suæ libertatis volendi libere servire in militia cuivis, dum non constat bellum esse injustum: ergo in bello dubio speculative libere servire potest, deposito semper dubio practico. Addit *Petrus Navar.* Quia in dubio non debeo damnare talem Principem peccati mortalis: ergo bellantem sequi militando adjuvare possum. Sententia non improbabilis, & forte in praxi regulariter vera, ut mox iterum notabo.

Negat autem merito communior sententia *DD. Cajeta*- 104
nus, Sylvest. Vasq. cum Sanch. Molina, aliisque cit. Laym. *lib.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 8. Lugo *disp.* 18. *de just. sect.* 1. & probabiliorem censet ipsemet *Diana loco cit.* Fundamentum est: Quia

Quia tales milites, nulla cogente, & excusante necessitate obediendi, omnino voluntarie se exponunt periculo gravissimæ injuriæ inferendæ, adeoque mortaliter peccant. Quo patet disparitas a subditis: quia subditi justitiam belli a Principe suscepti examinare non tenentur, quamdiu probabilis ratio in contrarium non occurrit; sed eo ipso pro Principe præsumere possunt, & debent: at vero extranei, seu voluntarii milites inquirere debent de justitia belli, cui sponte se dare volunt, & facta inquisitione, saltem probabili, judicium ferre, Principem, cui militaturi sunt, bellum justum gerere.

105 Nec obstat fundamentum oppositæ sententiæ: est enim melior conditio possidentis suam libertatem in dubio. Sed excipe: Nisi obstet alia certa possessio; hic autem obstat certa possessio partis adversæ respectu vitæ, & bonorum suorum, quibus in dubio spoliari non potest. Denique sicut ad damnandum talem Principem peccati mortalis, eo casu requiritur judicium, & præsumptio probabilis aliqua injustitiæ, ita etiam ad licite juvandum illum bellando, requiritur judicium, & præsumptio aliqua justitiæ, seu illum jus agendi habere: negatur ergo consequentia a pari. Atque hæc sententia omnino vera est per se loquendo, & simpliciter.

106 Prior autem sententia etiam sæpe, & forte regulariter vera est per accidens, & præsumptive. Nam ut recte monet Tannerus *to. 3. dis. 2. dub. 3. asser. 3.* etsi causa belli speculative dubia sit, interdum tamen præsumptionem esse probabilem, Principem cum Consiliariis suis, re diligenter examinata bona fide, & probabili ratione, ac opinione, bellum movere: etsi præsumptio talis sit pro utraque parte bellantium, ut bona fide, & opinione practice probabili ad bella procedant, non possunt damnari milites, si de justitia belli dubii, vel ignari pro libitu sive huic, sive illi parti pro stipendio militent. Illud autem apud omnes in confesso est, militem paratum quemcumque sequi ad bellum seu justum, seu injustum, dummodo stipendium solvatur, versari in statu pessimo peccati mortalis, ut nisi propositum mutet, a Confessario absolvi nequeat. *Ratio est evidens.*

107 Deinde nullos milites sive subditos, sive externos scienter, & voluntarie, posse militare in bello patenter injusto, nimis certum est apud omnes, cum non liceat cooperari in malo cognito, & manifesto: Interim tamen, quamdiu ex bello sine gravi incommodo, & periculo recedere nequeunt, aut a Principe subditi in bello manifeste injusto coguntur bellare, excusantur quidem a culpa, & præstare tenentur, quæ juste præstari possunt: ut vigilias servare, stationem tenere, fodere &c. abstinere autem debent, quantum sine periculo æquali possunt, ab omni injusto damno ex injustitia belli proveniente, v. g. occisione, incendio, spoliatione, explodendo in aera, ita nimirum, ut totam partem defensivam sui Principis teneant, non offensivam. Hic consulendo cauti sint Confessarii. Sed vide supra dicta *c. 1. sect. 3.* de cooperatione ad malum: & quæ rursus notabo *sect. seq.* §. 1. *in fine.*

108 Denique certum omnino est: sicut nulli catholico Regi, vel Principi licet auxilio esse infidelibus, vel hæreticis; aut infideles, vel hæreticos sibi in auxilium belli vocare, & conducere: ita nulli militi Catholico licet bellare sub infideli, vel hæretico Principe, aut Republica, si inde certo consequatur, & in futurum consecutura prævideatur, aut in communi, ruina, vel grave damnum Ecclesiæ, veræ Fidei, & Religionis: aut in particulari certo subsit grave periculum subversionis personæ in fide, & moribus, aliorumq; peccatorum. *Ratio clara est*: quia & omnis Princeps, & Magistratus catholicus tenetur, quantum potest, non cooperari directe, vel indirecte ad ruinam Ecclesiæ, vel veræ Fidei, sed potius pro viribus impedire: neque enim sunt facienda mala tam gravia, ut eveniant bona inania, quæ sperantur: & nullus privatus potest se tantis, sane gravissimis in tali bello occurrentibus, & nimis manifestis, periculis sponte exponere. Nam teste Eccl. c. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Nec valet profana excusatio politicorum nostri temporis, quod Princeps, vel miles catholicus non intendat ea pericula, damna, & ruinam, Ecclesiæ, vel veræ Fidei, morum &c. sed solum per accidens sequatur ad suum intentum (v. g. propagandi imperium, amissa recuperandi &c.) ac proinde a statu politico non attendi debere, sed permitti posse. Quomodo enim intentio operis, & voluntas, abstrahi potest ab eo, quod intellectus prævidet certo, & infallibiliter eventurum ad tale opus? at sane prævident ex sua cooperatione, vincentibus hæreticis, infallibiliter eventuram ruinam, & gravissima, heu! nimis nota damna Ecclesiæ, ergo cooperari non possunt ad talia bella, nisi e medio tollant omne voluntarium indirectum. Vide nostrum Marchant. *p. 2. tr. 6. t. 3. q. 1.* §. 3. *dub.* 4. per tot.

§. IV. Quarta conditio: *Modus exequendi debitus.*

109 TRia requirit: *præviam indictionem; moderatam, & justam pœnam nocentium: ac indemnitatem possibilem innocentium.* Percurro singula breviter.

Prævia indictio, prosecutio.

I. PErspecta etiam justa causa belli, eam pars læsa debet parti adversæ indicare, & proponere per nuntios, debitam satisfactionem, vel restitutionem petere, eaque præstita, pacem offerre, & non nisi negata satisfactione, atque injuria confirmata, bellum indicere, & inferre, adeo ut bellum semper debeat esse ultimum remedium injuriæ vindicandæ, vel juris recuperandi, idque naturali, & gentium jure, cum, ut ait *D. Augustinus supra*, bella debeant esse necessitatis, non voluntatis ob gravissima damna, quæ secum vehunt. Et ipse Deus præcipit Deut. 20. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.* Et *Judic.* 20. Filii Israel miserunt ad filios Benjamin, ut traderent viros, qui erant in Gabaa ad satisfaciendum injuriæ, priusquam bellum inferrent. Numquam ergo ullo casu potest inferri bellum alteri parti, si ea ante inchoatum bellum condignam satisfactionem offerat. 110

II. Etiam post inchoatum bellum, mutuam aggressionem, & conflictum, cum jam ceciderunt aliqui ex parte juste bellantis, si adversaria pars nocens condignam satisfactionem offerat, & præstare possit, tenetur juste bellans admittere, & a bello cessare, etiam ex justitia: idque saltem fieri potest, quando agitur de recuperatione juris, vel possessionis ablatæ, ut cum aliis notat Diana *part. 6. tract.* 4. *resol.* 8. At vero quando agitur de vindicanda injuria illata, fere impossibile est offerri satisfactionem condignam: nam eo ipso, quo pars nocens justum bellum gerenti se injuste armis opposuit, deberet totus exercitus ad necem tradi ad condignam satisfactionem, in quod numquam consentient: ideo negant DD. plerique apud *Laym. Molin. Dian. cit.* bello actualiter cœpto Principem juste pugnantem obligari ex justitia, ut oblatam satisfactionem acceptet, & bello abstineat, pacemque faciat. Ex Charitate tamen plerumque tenebitur acceptare oblatam satisfactionem, quam moraliter præstare possunt, & debent: ut nimirum injuste ablata restituant, æstimationem periculi, & injuriæ, ac expensas belli refundant, auctores etiam injuriæ, ac specialiter morte dignos tradant &c. *juxta communem DD. apud cit.* 111

III. *Quoad prosecutionem belli*: In primis auctoritate Ducis belli, licet ei omnia facere, quæ ad debitum finem justi belli, utpote ad consequendam justam victoriam, recuperationem rei injuste ablatæ, ad vindicandam juste injuriam &c. necessaria, & utilia sunt: atque ex mandato, & expressa, vel tacita voluntate Principis, vel Ducis belli, omnes in tali bello justo bellantes licite procedunt ad cædes, vastationes, spoliationes, &c. adversæ partis. *Omnes.* Cum omnes milites sint velut executores justæ sententiæ, & vindictæ a supremo Domino, vel Republica, vel Principe in hostes decreta. Hinc omnis potestas, quam miles in hostes exercet, a supremo Duce per subordinatos belli ductores in milites derivari debet: qua data, licite procedunt, & non data, vel prohibita, peccant damna hosti inferendo, atque ad restitutionem tenebuntur, si Princeps ideo prohibeat, quod hosti consulto parcere velit, ut bene notat Laym. *cit. n.* 9. Secus est, si belli Duces, vel officiales majores prohibeant spoliationes militi gregario, non ut hosti parcatur, sed ut ipsi sibi spolia cumulent, ut modo moris est. 112

IV. Porro ea omnia præstare in bello justo, non tantum palam, & aperto marte, sed etiam clam per insidias, & strategemata dissimulando, vel occultando consilia sua, per se licitum, & laudabile est. Omnes cum S. Thoma 2. 2. *q.* 40. *a.* 3. & & docet D. August. *lib. 9. Josue q.* 10. *in c.* 8. ubi narratur strategema Josue in insidiis contra civitatem Hai, dicens, *cum justum quis bellum susceperit, utrum aperta pugna, an insidiis vincat, nihil ad justitiam interest.* Ratio est; cum enim in bello justo fas sit hostibus nocere in bonis vitæ, & fortunæ: fas etiam erit occultando ipsi consilia, efficere, ut decepti nocumentum incurrant: dummodo absit semper formale mendacium, & positiva simulatio falsitatis. Attamen ea mendacia, & simulationes falsæ, quæ passim in strategematibus bellicis committuntur, & commendantur, quatenus præcise applicantur ad justam invasionem hostis, etsi culpa non careant (cum omne mendacium sit intrinsece malum) sunt tamen solum mendacia officiosa, adeoque levia, & venialia. At vero in promissionibus, & pactis initis cum hoste aliquid falsum simulare, dicere, vel facere, aliquid in animo gerendo, esset mendacium injuriosum, ac perniciosum ex genere suo mortale, ideoque numquam licitum, ut late docent Becanus, alii cum Laym. *lib. 2. tract. 3. c. 12. n.* 13. 113

Moderata, & justa pœna nocentium.

I. IN particulari, in bello justo licet occidere hostiles exercitus, omnes milites conscriptos, omnes, qui causa antecedens, concomitans, subsequens sunt, idque in, vel extra conflictum. In ipso conflictu, vel impugnatione licet occidere omnes contra bellantes, vel in armis existentes, cujuscumque conditionis, status, sexus sint: etiam innocentes, & inermes, si aliter justa victoria obtineri nequeat; 114

queat: etiam post conflictum, & obtenta victoria, licet captos, vel deditos, nocentes, qui scilicet culpabiliter antea pugnando mortem meruerunt, omnes interficere in rigore justitiæ, etiamsi ad discretionem se dedissent; nisi ante deditionem de salva vita pacti sint; tunc enim fides servanda, quantumvis nocentibus; æquitas tamen, & lex Charitatis clementiam postulat, ut multitudini parcatur, & captis, vel deditis saltem vita condonetur. Nullo autem modo tunc licet amplius occidere ullos innocentes: immo neque Clericos nocentes: cum Princeps sæcularis non sit Judex Clericorum, adeoque nihil potest in eos extra actualem pugnam, ut cum aliis docet Diana *p.9. tract.9. resol.9.* Immo neque obsides in bello datos, etiamsi hostes fidem non servent (nisi & ipsi alias nocentes sint) fas est occidere, ut contra *Filliucium* melius docent *Mol.* aliique cum Diana *p.6. tract. 4. resolut.* 20. nam semper innocentes extra pugnam occidere simpliciter non licet.

115 II. Licet ferro, & igne vastare terras hostiles, oppida, agros, occupare hostium bona immobilia, bonisque suis spoliare quosvis nocentes, & etiam innocentes, cum sint pars Reipublicæ nocentis, de quo inferius: idque non solum durante bello, cum altera pars in injuria durat, sed etiam obtenta victoria, servato tamen modo justitiæ vindicativæ, ut injuriæ quantitatem pœnæ non excedant; ut scilicet tantum occupet, vel vastet juste bellans, quantum requiritur ad recuperationem juris & possessionis ablatæ ad refundendos sumptus belli, æstimatis etiam periculis, laboribus &c. Et insuper aliquid proportionatum pro pœna, vel vindicta injuriæ, quæ omnia simul eousque interdum excrescere possunt, ut si bellum juste, & licite cœptum hostibus resistentibus, & satisfacere recusantibus diu continuetur, quamvis non adeo gravi injuria cœperit, liceat totam hostium Provinciam vastare, vel occupare. Adeoque, si Galli, v. g. jussu Regis sui unum pagum in Hispania incendissent, & satisfacere recusarent, non ideo liceret Hispanis totam Galliam occupare, vel vastare, sed quatenus æstimatis prædictis justitia, & æquitas permittit, *Victoria*, alii cum Laym. *cit. n.9. in fine*.

116 III. Licet non tantum nocentes repertis bonis suis propriis spoliare, sed etiam quandoque bonis mobilibus, quæ ipsi ab aliis, etiam amicis, abstulerunt: hæc enim jure cæsareo capientium fiunt, si tamen jam sint ad loca tuta deportata, vel per viginti quatuor horas (moderna praxi vix sex horas) possessa. Insuper si culpæ, & injuriæ quantitas exigit, licet totam urbem deprædandam militi tradere: communis doctrina, & praxis. Victoria *de jure belli n.92.* Molin. *disp.* 122. Laym. *cit. num.* 13. Diana *ibid. resolut.* 27. Qui recte addunt, gravissime obligari tunc belli Ducem impedire gravissima scelera, & mala cum tali direptione plerumque conjuncta, utpote cædem, & tormenta innocentium, Virginum, & Matronarum stuprationes, templorum spoliationes &c. & cum ordinarie talia vix prohiberi possint, peccare graviter Duces, saltem per accidens, ejusmodi direptiones absque justa causa permittentes: justæ autem causæ esse possunt, enormis nimis injuria, maxime rebellionis, pertinacia nimia hostium sic pœnitus frangenda, ad militum fractos diuturno bello animos excitandos.

117 IV. Licet jure gentium captivos etiam in servitutem redigere, & etiam num valet apud infideles; apud Christianos tamen respectu Christianorum diuturna consuetudine, vim legis obtinente, jus illud exolevit, ut bello capti non fiant servi, vel mancipia, sed pretio redimantur, vel si ita meriti, occidantur.

118 Cæterum captivi in bello etiam justo ex parte capientium, si scandalum, & specialis permanendi promissio absit, licite possunt fugere ad suos; uti contra D. Antoninum, Navar. Molin. & alios docet communior sententia DD. apud Laym. *cit.* Diana *p.6. tr.4. resol.* 14. Nam jure gentium introductum videtur, ut capti juste ab hostibus, si fugiendo ad suos pervenerint, libertatem consequantur: hoc est, jus Postliminii, *L. in bello ff. de captivis*.

119 Nec obstat, quod tales fugitivi ex fuga, priusquam ad suos perveniant, retracti puniri soleant; nam etiam damnati ad mortem fugientes, & deprehensi graviter puniuntur: licet secundum probabilissimam DD. sententiam nihil peccarint, uti dicemus *cap. seq.* At vero capti in bello injusto ex parte capientium v. g. apud Turcas, Hæreticos, non tantum licite fugere possunt, seclusa speciali permanendi promissione juramento firmata, sed etiam in compensationem injuriæ, damni, & vexationis illatæ, aut in mercedem servitiorum plerumque durissimorum præstitorum, ex illorum bonis, quantum æquitas compensationis postulat, & permittit, propria auctoritate, auferre possunt *Molina cum Laym. cit.* Quia cum nemo debitam justitiam administraturus adest, potest quilibet per se ipsum clam, vel palam accipere, quæ sibi jure, & liquido debentur.

Indemnitas Innocentium.

120 I. TAles censentur jure naturali quidem infantes etiam infidelium, Turcarum, hæreticorum &c. impuberes ad bella inepti, fœminæ, rustici, & simplices plebeji ad bellum, vel belli causa nihil cooperantes, peregrini mercatores, extranei; jure humano positivo utroque, Ecclesiastici, Clerici, Religiosi, *c. Innovamus de pace*. Tales omnes secundum juris præsumptionem censentur innocentes, donec contrarium de illis ostendatur, vel nocentes esse constet. Et hinc

II. Innocentes per se, ac ex intentione occidere in 121 bello numquam licitum est, id prohibente ipso jure naturali, quo potestas gladii tradita est Magistratui adversus eos, qui male agunt, non contra innocentes; per accidens tamen, communi bono ita urgente, quandoque licitum fieri potest, ut *Sect. præced.* §. 4. *sub fine* exemplificatum habes.

III. Etiam innocentes, qui non sunt pars Reipublicæ 122 hostilis nocentis, quales sunt peregrini, Clerici, Religiosi, per se bonis suis spoliare numquam licet, sed solum per accidens, si nimirum alia ratione finis justi belli, scilicet victoria, & pax obtineri non possit. Qua ratione fas est talibus innocentibus auferre naves, arma, commeatum, pecunias, equos, devastare agros, si probabilis timor sit, quod injusti hostes iis ad resistendum usuri sint. Transacto tamen bello, nisi ea, bona fide in ipsum usum justi belli absumpta sint, omni jure ablata illa restitui debent innocentibus istis, scilicet Ecclesiasticis, peregrinisque. Jura sunt certissima, sed praxis inaudita. Innocentes autem, qui & quatenus sunt partes Reipublicæ hostilis nocentis, contra quam justum bellum geritur, etiam per se spoliare bonis suis nunquam restituendis fas est, cum enim tota Respublica deliquit, utpote major, vel potior pars, quæ alioquin ad decernendum aliquid Communitati sufficeret, fas erit per se, atque ex intentione omnia ejus membra punire in bonis fortunæ, v. g. bonorum spoliatione, imposito generaliter tributo, ac ductis in captivitatem etiam mulieribus, infantibus &c. Idque maxime, si delictum valde enorme sit, ut proditio, rebellio, defectio a Fide, propter ejusmodi delicta a parentibus commissa, cum etiam filii puniri soleant, multo magis puniri poterunt similis nocentis Communitatis membra etiam innocentia, bonorum, vel libertatis spoliatione. Insuper quod si solus ipse Princeps aliquid deliquit, vel injuriam intulit, adhuc juste contra illum bellans, licite & sine peccato ejus scienter innocentes subditos affligit spoliatione bonorum, vastatione agrorum &c. quantum opus est ad justam victoriam, & vindictam obtinendam: quia scilicet tali modo vires partis adversæ diminuendæ sunt, aut quia alio modo justa vindicta sumi, & debita satisfactio obtineri non potest a Principe nocente, in cujus odium affliguntur subditi. Attamen in tali casu Princeps ille nocens, qui causam damni inferendi subditis dedit, ipsi ad omnium compensationem in conscientia obligatur omni jure. Sed quando præstabit?

IV. Belli quædam species sunt repressalia, quibus Prin- 123 ceps, vel Respublica gentibus, vel subditis suis damnum injustum passis potestatem facit invadendi terram nocentium, & vastandi, vel occupandi bona eorum, etiam innocentium, donec justa compensatio fiat. Et licita sunt hæc repressalia iisdem conditionibus, sicut ipsum bellum. 1. Ut nimirum fiant auctoritate publica Principis, vel Reipublicæ, cujus subditi damnum passi sunt. 2. Ut certo constet incolas alterius Provinciæ tale damnum intulisse. 3. Ut alter Princeps, vel Respublica de hoc moniti satisfacere culpabiliter recusent, vel negligant. 4. Ut non inferatur plus damni, quam requiratur ad justam satisfactionem. *Ita communis DD.* & singulariter Victoria *de jure belli nu.* 41. dicens; si Galli fecerunt prædas in terra Hispanorum, & Rex Francorum nolit eos cogere ad restitutionem, cum possit, possunt Hispani auctoritate Principis spoliare Mercatores Gallos, aut agricolas, quantumcumque innocentes, quia licet forte a principio Respublica, aut Princeps Gallorum non fuerit in culpa, jam est in culpa, quia negligit vindicare. Denique ne repressalia fiant in personas Ecclesiasticas, & bona eorum, gravissime prohibitum est sub pœna excommunicationis ipso jure latæ in singulas personas, & interdicti in totam Communitatem id attentantem; nisi talem licentiam intra mensem a die concessionis revocet *c.... de injuriis in 6.* Hæc summo compendio insinuasse sufficiat, si curiosus es, late videre potes *apud Molin. Victoriam, Lessium*, & alios passim.

COROLLARIUM.

Et reductio omnium peccatorum belligerantium contra justitiam, & speciatim Quintum Præceptum.

I. Principes.

PEccant mortaliter. I. Principes, vel Magistratus Superio- 124 rem agnoscentes absque legitima auctoritate Superioris, etsi alioquin justa subsistente causa, atque etiam Princeps supremus, & Magistratus superiorem non agnoscens, & absque justa causa bellum decernendo, indicendo, inferendo, omnesque Consiliarii inducentes, omnes socii, adjuvantes, omnesque sub eo scienter, & voluntarie militantes, atque obligantur ad restitutionem omnium damnorum tam propriæ, quam alienæ Reipublicæ subditis illatorum. Constat ex dictis §. 1. II. Omnes Principes modum debitum exce-

exequendi bellum notabiliter excedentes, sive in punitione nocentium, sive in damnificatione innocentium, peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur, ex dictis §. 4. III. Mortaliter, & gravissime peccant, si justa stipendia militibus non provideant culpabiliter; unde iis ad injustas rapinas, aliave damna innocentibus inferenda inducuntur, immo compelluntur, ad quorum omnium damnorum restitutionem ipsi Principes, vel belli Duces obligantur in conscientia, *secundum omnes*. At vero necessitate compulsus ad bellum defensivum contra incursus hostium maxime infidelium, aliquando excusabitur Princeps, vel Dux belli, si sumptibus omni studio quæsitis non sufficientibus, stipendia tardius, aut tenuius præbeantur: quo casu tam ipsos milites, quam incolas Provinciæ, boni communis causa, aliqua incommoda tolerare necesse est. Uti cum aliis notant Laym. *cit. c.* 12. *n.* 18. Diana *cit. resol.* 10. IV. Peccant mortaliter, si disciplinam militarem servare intermittant, milites ab injustis incensionibus, rapinis, prædis, stupris &c. propositis, inflictisque pœnis non coerceant: & inde obligationem restitutionis contrahunt, cum ex justitia obligati sint ad ejusmodi damna impedienda, quatenus tamen possunt: contingere enim potest, ut Princeps, vel belli Dux disciplinam militarem servare, etsi maxime cupiat, non tamen possit: quia nimirum milites defectionem ad hostem, vel desertionem necessarii belli aperte cogitant, si supplicii severitate a prædis omnino prohibeantur: tunc enim ejusmodi minora mala permitti posse, & ab incolis æquanimiter ferri debere, ut graviora mala evitentur, recte monet *Laym. ibid.*

II. Duces subordinati, & alii Officiales belli.

125 PEccant mortaliter I. Si, nulla cogente necessitate, milites temere exponant certæ internecioni: aut in locis palustribus, vel insalubribus castrametentur cum periculo morbi, vel contagionis. II. Si pecunias accipientes pro militibus, saltem notabilem partem sibi arrogent: aut accipientes pecunias pro majori militum numero, eum tamen non compleant, cum ingenti sæpe Reipublicæ damno; aut dimissis veteranis exercitatis, in eorum locum novos inexpertos pro minori stipendio substituant: aut omnino subtracto, vel minori stipendio permittant milites a rusticis, aliisque innocentibus, quæ sibi necessaria sunt, extorquere, unde occasio etiam non necessariarum spoliationum, prædationum, vexationum. III. Si commeatum, vel victualia debite non administrent, aut negligendo curam victualium advehendorum, & hujusmodi; aut præbendo minori quantitate, quam necesse, vel præscriptum sit; aut minori pretio, quam scribatur, aut victualia corrupta ministrando, unde morbi, vel alia pericula, sive ejusmodi faciant ex neglientia, sive potius avaritia, inde procurrando lucrum suum. IV. Si, dum per Provinciam exercitum ducunt, a pagis, Civitatibus pecuniam accipiunt ad redimendas guardias, ut scilicet non ad ipsos, sed ad alios plus æquo gravando, divertatur: similiter si a privatis dominis, vel domibus pecunias accipiant, ne eo milites imponant, unde alii incolæ plus graventur, quam necesse est; aut e contra uni militi plura dant chirographa ad diversas domos. Vide Mol. *t.* 1. *tr.* 2. *disp.* 117. Pet. Navar. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 285. Dian. *p.* 6. *tr.* 4. *Resolul.* 28. Vere hic nostro tempore est universitas iniquitatis, atque in conscientia verissima obligatio restitutionis omnium damnorum inde tam ipsis militibus, quam incolis provenientium. Væ illis, & in æternum væ!

III. Milites gregarii.

126 OMnes milites stipendium merentes ex officio suo, & justitia sub mortali obligantur: I. Ut Ducibus, & Præfectis suis in omnibus licitis ad administrationem belli spectantibus obediant. II. Ut in pugna consistant, nec, nisi palam desperata victoria, fugiant, aliisque timorem incutiant, *L. omne delictum ff. de re militari*, stationem servent, arcem sibi commissam defendant, etiam cum periculo certo vitæ, quamdiu spes defendendi superest: alioquin capite plectendi, *L.* 2. *ff. ad L. Juliam. Majest.* III. Ut sine Ducis consensu, vel licentia exercitum non deserant: Quia tali pacto a belli Duce conducti censentur milites, ut illi quidem liberum sit cum voluerit, eos soluto stipendio dimittere: iis vero liberum non sit, cum voluerint, discedere: nisi negato injuste stipendio, ut gravem necessitatem pati cogerentur, tunc enim in foro conscientiæ a peccato excusantur ejusmodi fugitivi; at in foro externo puniuntur, & pro tali delicto capite plectuntur; ut decernitur in jure *L. cit. omne delictum ff. de re milit.* IV. Milites stipendiis suis contenti esse debent juxta præceptum *Joann. Baptistæ. Lucæ* 3. ideoque homines innocentes in terris non hostilibus spoliationibus, vel indebitis exactionibus non gravare. Et licet etiam in solutione stipendii injustam diminutionem, vel dilationem patiantur, non ideo licebit incolas innocentes bonis suis spoliare: Quia bona aliena non sunt copignorata militibus pro stipendio, ait Cajetanus. V. *Bellum, prope finem*. Neque eos excusat auctoritas, vel dissimulatio Ducis, nisi id fiat aut necessitate urgente ad necessarium victum, & vestitum; quæ deficiente stipendio, etiam ab innocentibus milites licite auferunt, cum alimenta sint juris naturalis, intra tamen exigentiam necessitatis (quo casu Princeps, vel belli Dux, si injusta detentione stipendiorum causa fuit damnorum innocentium, in conscientia obligatur ad compensationem, quatenus moraliter potest, alioquin excusabit impotentia:) *aut* in pœnam juste infligendam nocentibus, juxta supra dicta; *aut* consuetudine ita obtinente, ut hospites militibus tectum, lectum, paleas &c. præbeant; tunc enim per accidens, & quasi fortuito evenit, ut una pars Provinciæ præ alia gravetur. Plura vide apud *cit.*

Hæc summo compendio de bello omnia, omni jure verissima, at de facto moderno tempore omnia perversissima, ut merito modernus aliquis Doctor moderna bella appellet mera latrocinia.

SUBSECTIO.

De Irregularitate ex bello justo, & injusto.

SUMMARIUM.

128 *Irregularitatem non incurrunt militantes, & occidentes in bello injusto* defensivo tantum.

129 *In bello vero justo* offensivo *incurrunt omnes propria manu pugnantes, occidentes, mutilantes, vel quomodolibet* directe, & proxime *ad occisionem hominis cooperantes.*

130 *In bello autem injusto incurrunt omnes quomodolibet cooperantes, secuta occisione, vel mutilatione, etiam unius tantum hominis, licet ipsimet nullum occidant, vel mutilent; cujusmodi etiam sunt conducentes milites, custodientes sarcinas, afferentes commeatum, &c.*

131 *Clerici vero in omni bello, etiam justo, sanguinem fundentes irregularitatem incurrunt ex defectu lenitatis.*

RESOLUTIO.

I*Rregularitatem non incurrunt militantes, & occidentes in bello defensivo tantum: incurrunt autem solum propria manu pugnantes, & sanguinem fundentes in bello justo offensivo, & omnes militantes, & quomodolibet cooperantes, etiam propria manu non occidentes in bello injusto, in quo fiunt homicidia.* Communissima DD. ut patebit de singulis. 127

I. Non incurrunt militantes, & occidentes in bello justo 128
defensivo tantum; *Omnes*. Ratio est: quia justa defensio est de jure naturæ: cui lex positiva Ecclesiæ inducta irregularitate præjudicare non debet, nec potest. Deinde si in rixa vel pugna privata ad defensionem vitæ propriæ, vel proximi innocentis, aut bonorum temporalium &c. impune, & sine nota irregularitatis occiditur injustus invasor, ut mox videbimus, quanto magis in bello justo defensivo publico ad defensionem patriæ, Reipublicæ, ac boni communis? cum defensio patriæ præferenda sit ad conservationem propriæ vitæ: idque etiam in Clerico locum habere, mox dicam. Intelligendum tamen semper: Dummodo bellantes *in bello justo defensivo* non excedant limites necessariæ defensionis, seu moderamen inculpatæ tutelæ, alioquin si excedant, & etiam juste ad vindictam procedant, jam eatenus evadet bellum offensivum, ideoque propria manu occidentes, jam erunt irregulares ex defectu lenitatis: si excedant injuste occidendo, vel mutilando aliquem, jam erunt irregulares ex delicto.

II. In bello justo *offensivo solum* incurrunt irregularitatem 129
propria manu pugnantes, occidentes, vel mutilantes, ut directe, vel proxime ad occisionem hominis cooperantes, utpote jubendo hunc mactari, arma ad actualem cædem præbendo, tormenta onerando, pulveres supponendo, etiam ab alio postea incendendos &c. idque ex defectu lenitatis. *Omnes*. Ratio est; quia tunc occidunt, ut ministri publica auctoritate exercentes justam vindictam contra hostes: at vero si propriis manibus neminem occidant, vel mutilent, non fiunt irregulares, etsi ad aliorum occisiones indirecte vel generaliter cooperentur, aut ipsi vulnerent tantum. Communissima cum Navarro *c.* 27. *n.* 215. Sylvest. *V. bellum* 3. *q.* 3. Suarez, Filliucius *Tractatione* 19. *cap.* 10. *n.* 269. Laym. *cit.* Ratio est: quia sacri Canones non conjunxerunt irregularitatem ex defectu lenitatis militibus, nisi illis, qui propria manu occidunt, vel vindictam deformationis per se exequuntur: ut constat *ex cap. petitio tua, de homicid.* Ubi solum is, qui in simul pugna alium occidit, jubetur abstinere ab usu Ordinum sacrorum. Et debet hoc censeri speciale juris privilegium ideo concessum, ne homines ob metum irregularitatis a juste bellando se abstineant, ut notant *Mol. apud Laym. cit.* Qui autem dubitat, an in tali bello occiderit, vel ex inflicto a se vulnere hostis mortuus fuerit, an debeat censeri irregularis, videbimus *cap. sequenti circa finem*.

III. Irregularitatem incurrunt omnes bellantes, vel quomodolibet cooperantes in bello injusto, secuta occisione, vel 130
mutilatione, etiam unius tantum hominis, licet ipsimet nullum occidant, vel mutilent, cujusmodi etiam sunt conducentes milites, custodientes sarcinas, afferentes commeatum &c. omnes enim juvant ad occasiones: etsi ipsi arma non tractent. Constat *ex c. sicut dignum* §. *ult. de homic.* Docetque com-

communis DD. Navar. *c.27.n.216.* & *214.* Sylvest. *cit.* Suarez *disp.47. Sect. 5. n. 1.* Filliucius *cit. n.263.* Ratio est: quia cum plures conjuncto consilio, vel auxilio concurrunt ad aliquod homicidium, vel aliud delictum, censentur omnes una causa moralis totalis, ut notant DD. in *cap. significasti de homicid.* adeoque hæc irregularitas contracta in bello injusto est ex delicto homicidii, seu ex injusta deformatione, & non ex defectu lenitatis, qualis contrahitur in bello justo. Non ergo erunt irregulares militantes in bello etiam injusto, si nulla sequatur occisio, vel mutilatio. Addunt *Coninch.* & *Diana*, etsi sequatur una, vel altera occisio, si tamen bellantes essent nimis multi, v. g. supra centum milla, tunc non viderentur omnes cooperari ad occisionem. Sed tutum non videtur mihi, quia singulare est. Attamen Clerici hoc ipso, quod sumpserint arma, & bellum injustum, incurrunt suspensionem a Judice ferendam, *ex cap. Clerici 23. q.8.* Suarez *cit. n.4.* & *5.* & Filliuc. *cit. n.264.*

131 IV. Clerici denique in omni bello, etiam justo, sanguinem fundentes, irregularitatem incurrunt ex defectu lenitatis: quia tunc & ipsi occidunt, ut ministri justitiæ, seu ut ministri Principis, dantis valide omnibus pugnare volentibus auctoritatem, ut juste occidant; esto Clericus peccet acceptando talem auctoritatem, pugnando, occidendo, contra SS. Canones, peccato inobedientiæ tantum, non vero etiam injustitiæ; ideoque non ex delicto (ut quidam volunt apud Tamb. *lib. 10. de cens. & irregul. Tract. 4. cap. 15. §. 14. n. 7.*) sed ex defectu lenitatis tantum irregulares erunt.

132 At vero non incurrunt irregularitatem ullam: I. Si solum militantibus auxilio speciali adsint, etiamsi hortentur ad fortiter pugnandum, ut initio notatum est: immo etiamsi bellandi animo arma sumant, percutiant, dummodo neminem occidant, vel mutilent. Navar. Filliucius *cit. n. 276.* II. Quando justa necessitate bellare coguntur, utpote ad necessariam defensionem propriæ vitæ, vel proximi innocentis, & maxime patriæ, & civitatis; aut ad consequendam justam victoriam, a qua Ecclesiæ, vel Reipublicæ salus multum dependet. III. Quando militant ex licentia summi Pontificis, quia, ipsa licentia militandi data, censetur amovere periculum irregularitatis, ut etiam initio *ex Mol. Laym. cit. n.19.* & *Diana*, notatum est. IV. Quod vero in jure *cap. Petitio de homicidio*, judicetur Clericus irregularis, si in bello contra hostes Fidei Christianæ aliquem occidat intelligi debet *communiter*, & *extra urgentem necessitatem*: cum communiter nec necesse, nec decens sit, Clericos in publico bello, etiam defensivo, pugnare, cum communiter per alios, laicos nimirum, vis repelli possit. Secus dicendum, si certo casu sit inevitabilis necessitas, quia scilicet Ecclesia, vel Patria aliter ab iniquis invasoribus liberari nequit, ut cum Abb. Sylv. notat Laym. *ibid.* Unde Lugo *lib. 2. resp. Mor. dub. 9.* censet irregularem fuisse illum Parochum, qui verbis, ærisque campanæ pulsato signo, incitabat suos Parochianos, ut se egregie defenderent ab incursione hostium, qui oppidum devastare aggrediebantur, ex quibus Parochiani multos occiderunt. Sed certe æque, vel magis probabiliter negat Lezana *conf. 23.* apud Tamb. *cit. §. 15. n. 5.* Tum quia ad defensionem innocentis Patriæ pugnatum fuit, Tum quia Parochus neminem propria manu occidit.

SECTIO III.

De homicidio per defensionem inculpatæ tutelæ.

SUMMARIUM.

133 *Defendere se cum moderamine inculpatæ tutelæ, seu talis defensio quid, & quæ ejus conditiones, ut talis sit.*

134 Usque ad nu. 137. *Actualem aggressorem injustum vitæ propriæ,*

137 Usq; ad n. 142. *Quemcumque etiam proprium parentem, filium, consanguineum, superiorem, Dominum, Principem, personam publicam quamcumque, etiam in mortali existentem, vel furiosum, amentem, ebrium &c.*

142 & 143 *Quicumque licite occidere potest:*

144 *Immo per se, & cæteris paribus, tenetur.*

145 *Opposita tamen Sententia est valde probabilis,*

146 *Præsertim si interveniat notabilis inæqualitas.*

147 Usq; ad n. 150. *Quid sit, aut quando quis dicatur servare moderamen inculpatæ tutelæ.*

150 *Actualem insidiatorem* certo, & proxime *occisurum fas est occidendo prævenire,*

151 *Non vero minitantem solum.*

152 *Eum, qui actis quidem, non tamen ita* proxime, *sed* remote *tantum adhuc parat occidere.* 153. *non licet præveniendo occidere.*

154 Usque ad n. 159. *An, quando, & pro quibus bonis* temporalibus *conservandis liceat occidere furem, raptorem, &c. Item*

159 Usq; ad n. 165. *An etiam aliquando ob proprium honorem, vel famam conservandam, liceat occidere injustum, & contumeliosum aggressorem.*

165 *Ad pudicitiam propriam, alio modo non conservandam, licet occidere violentum aggressorem.*

166 *Non tamen est obligatio, sed secluso fortiter consensu, vim patiens, mere passive se habendo, ex Charitate occisionem omittere potest.*

167 & 168. *Juvenis, puella, Virgo, vel Matrona honesta tactus impudicos laudabilissime verbis, & verberibus repellit, &c.*

169 Usq; ad n. 175. *An, & quando liceat occidere, vel mutilare, ad conservandam vitam, bona, vel pudicitiam proximi, ei succurrendo.*

Defensio inculpatæ tutelæ, seu cum moderamine inculpatæ tutelæ dicitur, qua vis injuste illata vi repellitur, 133 quantum necessitas postulat. Ut quis vim illatam aliter avertere, quam vim inferendo, etiam occidendo, moraliter non posse, censeatur, consideratis circumstantiis loci, temporis, personarum, quod quidem in particulari boni viri arbitrio dijudicandum relinqui debere, *ex Abbate*, & aliis, recte monet *Laym. infra cit.* Generaliter autem tres requiruntur conditiones: I. Ut sit vera aggressio per violentiam, sive aperta vi, sive occulta per insidias intentatas. Jus enim naturale concedit tantum ut vis vi repellatur. II. Ut sit vera, & necessaria defensio, facta scilicet in ipso actu aggressionis, aut cum certum est alterum esse aggressurum: non item ante aggressionem, vel cessante jam omnino aggressione. III. Ut defensio non excedat modum necessitatis, aut regulas prudentiæ, si enim aggressus possit fugere, clamare cum spe auxilii, aut tantum verberando, vel vulnerando se liberare, non licebit occidere: quia tunc non erit inculpata tutela, cum id non sit necessarium ad se defendendum: ut ex communi docet *Filliucius*.

Ante omnia fatendum est in hac re singularem esse D. Aug. Epist. ad Publicolam 154. *De occidendis* (inquit) *hominibus, ne quis ab eis occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruat personæ.* Et lib. 1. de libero arbitr. c.5. *Non ergo lex justa est* (inquit) *quæ dat potestatem, vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuipiam viro, vel fœminæ, ut violenter stupratorem sibi irruentem ante illatum stuprum, si possit, interimat.* Infra. *Quapropter Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Rursum: *Quomodo enim apud DEUM sunt isti a peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Hæc, & plura ibi. Sed respondendum: aut opinionem D. Augustini consilium tantum continere, non præceptum; aut rationi naturali, majorique auctoritati postponendam esse. Sit ergo

ASSERTIO III.

Actualem aggressorem injustum vitæ propriæ quemcumque 134 *quicumque licite occidere potest: immo per se, cæteris paribus, tenetur: servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ: etiam præveniendo actu, & proxime insidiantem. Extendendum suo modo etiam ad necessariam defensionem bonorum temporalium alicujus momenti, honoris necessarii, ac pudicitiæ, respectu sui ipsius, ac proximi.* Est tota fere communis, ut patebit explicando particulatim.

§. I. *Licite occidere potest.*

Communissima DD. cum S.Th. 2.2. *q.64. art.7.* Sot. Nav. 135 uterque, Lessius, Mol. aliique congestis Laym. *lib.3. de just. tr.3. p.3. c.3. n.1.* Diana *p. 8. tr. 7. resol. 41.* Habetur in utroque Jure, in Canon. *c. jus naturale dist.* 1. & c. *Significasti* 2. *de homic.* Et Civili, *L.3. ff. de just. & jur.* ubi dicitur: *Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.* Et *cit. cap. significasti* dicitur, *vim vi repellere omnia jura, omnesque Leges permittunt.* Ratio sumitur ex ipsis visceribus Legis naturalis, & ordine Charitatis, quibus quisque propriam vitam præferre potest alienæ; adeoque injustam vim vitæ propriæ illatam, si aliter avertere nequeat, æquali vi relata repellere. Et insuper jus Gentium, & Civile talia homicida permittens impune fieri, censetur auctoritate publica quemlibet constituere executorem defensionis suæ necessariæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut injustum suæ vitæ aggressorem, si opus sit, interficiat.

Unde ulterius, non tantum indirecte, vel per accidens 136 (ut quidam volunt ex S. Thoma supra) sed omnino directe, & per se fas est talem aggressorem occidere, nimirum directe intendendo actione externa necem ejus, tamquam medium necessarium hic, & nunc ad sui justam defensionem, cum jura permittant repellere vim vi, & exercere actum externum, qui directe terminatur ad necem, quatenus scilicet necessarius est ad justam sui defensionem. Communis DD. apud Laym. *cit. c. 3. n. 1.* & Dian. *cit. resol. 48.* *D. Thom. cit.* oppositum dicens, sed solum videtur velle, non posse invasum intendere mortem invasoris per se absolute, & tamquam finem, hoc enim ad justitiam publicam spectat; sed solum per accidens, quatenus hic, & nunc necessarium est ad justam defensionem, quod utique verum est. Addimus generaliter

Quem-

Quemcumque.

137 CUjuscumque conditionis, status, conjunctionis &c. occide, ne occidaris, nec timeas bullam excommunicationis, irregularitatis, vel impietatis notam; quia jus intimum naturæ defendendi vitam suam hæc omnia excludit: ergo.

138 I. Etiam quemcumque consanguineum, etiam proprium parentem, multo magis filium: ut contra alios multis citatis verius docet Dian. *p.* 8. *tr.* 7. *res.* 41. *&* 42. Ratio dicta est: quia jus intimum tuendi vitam suam merito præponderat legi pietatis in parentem, etiam actu tam impium: & a fortiori in quoscumque alios.

139 II. Etiam quemcumque Superiorem, Dominum, Principem, personam publicam quamcumque, ob eandem rationem. Quod si tamen a tali persona publica multum dependeret bonum commune, ita ut ex ejus morte grave damnum Reipublicæ sequeretur, tunc quidem invasum ex Charitate teneri non occidere, sed suam mortem permittere boni communis causa, docent graves DD. *Sotus*, *Molina*, alii *cum Laym. cit.* Sed adhuc non teneri, & occidere posse, æque probabiliter docent *Sylv. Azorius*, *Filliucius*, alii cum Diana *cit. Resolut.* 42. Ratio est: quia licet bonum commune præferendum sit privato per se, & in necessitate communi, non tamen tunc, quando damnum eventurum sit ex mera malitia alterius, & quidem ipsiusmet, cujus est curare bonum commune, & damnum commune impedire.

140 III. Quemcumque etiam existentem in peccato mortali (ut sane existunt plerumq; aggressores injusti) non obstante ejus æterna damnatione. *Communissima*. Ratio est: quia etsi tenear ordine charitatis vitam meam corporalem postponere vitæ spirituali, & æternæ proximi; quando proximus est in extrema necessitate, ut non sit alia via procurandi ejus salutem, nisi permittendo mortem meam: at in proposito proximus injustus aggressor vitæ meæ, minime est in extrema necessitate, sed in mera & libera malitia, cum habeat aliam expeditam viam salutis: desistat, & salvus erit: si secus, pereat, & sibi imputet: est enim extrema malitia.

141 IV. Quemcumque, etiamsi aggressor sit furiosus, amens, plene ebrius &c. & sic formaliter non peccet me invadendo: adhuc enim infert injuriam materialem gravissime damnosam, quam jure repellere possum. Adde, a nulla recta ratione posse innocentem constringi, ut se permittat occidi ab aliquo, quacumque bona fide procedente: ut si quis vellet te occidere invincibiliter putans, te esse bannitum, legitime proscriptum, cum non sis: an non juste te defenderes? Denique etiamsi injustus aggressor vitæ tuæ non possit occidi, nisi cum periculo, & occisione alterius innocentis forte defendentis, seu obstantis, adhuc posse occidi aggressorem, indirecte simul occidendo, vel potius permittendo mortem innocentis, jam supra dictum *sect.* 1. §. 4.

Quicumque.

142 CUjuscumque similiter status, conditionis, conjunctionis, ut supra, laicus, Clericus, subditus, conjunctus &c. quomodolibet correlative ad prædicta. Item non tantum innocens, & citra omnem culpam suam invasus, v. gr. viator a latrone, verum etiam nocens, qui dedit operam rei illicitæ, & culpabiliter causam, vel occasionem præbuit suæ aggressionis, adhuc juste occidit injustum aggressorem vitæ suæ. Exempla sunto.

143 Adulter cum uxore deprehensus a marito, ideoque invasus, & occidendus ab illo, si aliter evadere nequeat, cum moderamine inculpatæ tutelæ illum occidere potest licite in foro conscientiæ, quidquid futurum sit in foro externo. Ratio est: quia hic per adulterium non amittit jus naturale defensionis vitæ suæ, sicut e contra maritus ex hoc non acquirit jus adulterum occidendi privata auctoritate: ideoque adhuc injuste aggreditur in foro conscientiæ, ut supra ostensum; ergo adhuc juste invasor ab invaso occiditur. *Filliuc.* Diana *p.* 5. *tr.* 7. *resol.* 2. Tamb. *lib.* 6. *Decalogi cap.* 1. *nu.* 7. Item miles in bello injusto scienter, & culpabiliter militans, militem adversæ partis se aggredientem licite occidit, ne occidatur ab illo: dummodo ipse ab occidendo jam cessarit, & militem adversæ partis de hac sua cessatione admonuerit. Ratio est: quia injustitia belli ex parte Principis non tollit jus defendendi propriam vitam ab injusto aggressore: atqui facta illa cessatione ab occidendo, miles ille privatus vere injuste invaderetur, & occideretur a milite adversæ partis: ergo ille juste se defendere potest; & hic illum amplius juste occidere non potest. Cæterum bannitum, seu proscriptum legitime non posse pro tuenda vita sua occidere aggressorem, cum hic auctoritate publica, veluti minister justitiæ constitutus juste aggrediatur, ex communi jam dixi supra *sect.* 1. §. 3. *dub.* 1. Etsi contrarium doceant *Julius Clarus*; aliique apud Tamb. *cit. n.* 8. eo quod etiam statutum proscriptionis non possit præjudicare juri naturali defendendi vitam propriam. Quod in proposito negandum est.

§. II. *Immo per se, cæteris paribus, tenetur*

INvasus occidere injustum aggressorem suæ vitæ. Communis DD. Molin. *Tract.* 3. *disp.* 12. Laym. *hic tr.* 3. *c.* 3. 144
Dian. *p.* 8. *tr.* 7. *resol.* 41. Tamb. *cit. n.* 5. alii apud ipsos universaliter (nam quando invasus esset persona publica Reipublicæ multum necessaria, vel utilis, omnes consentiunt) Ratio est: quia per se loquendo, & sistendo in lege, & ordine Charitatis, quilibet vitam suam propriam alienæ præferre tenetur, juxta commune ab omnibus receptum axioma: *Primo charitas incipit a seipso.* Deinde: Quia homo non est dominus vitæ suæ, sed custos strictissime obligatus eam conservare per media opportuna, non nimium difficilia: atqui tale medium est me defendere, etiam cum occisione alterius, quæ mihi horrori non est, cum mihi vitam servet, ut experientia constat. Hæc Sententia mihi probabilior. Attamen

Fatendum est, valde probabilem, piam, & in praxi tutam esse sententiam oppositam negativam æque communem *DD. Toleti*, *Lessii*, *Sa*, *aliorum* apud Dianam, & 145
Tamb. *cit. n.* 5. Neminem scilicet ad hoc obligari ex opposito fundamento: Quia nimirum cum laude, & virtute Charitatis in æquali necessitate possum præferre vitam proximi vitæ meæ. Et, quia nemo tenetur horrido illo medio; scilicet morte proximi, vitam suam servare: sicut nemo tenetur medio alio difficili, v. g. abscissione brachii, vel tibiæ eandem vitam tueri. Saltem certum videtur in praxi rarissime condemnandum fore mortalis culpæ eum, qui bona fide, vel pietate motus, neglecta sui defensione extrema, mortem sibi inferri permitteret ab injusto aggressore. Insuper notanter in nostra sententia

Dixi: *per se loquendo*, *cæteris paribus*. Sistendo nimirum in solo ordine Charitatis inter communes proximos 146
æqualiter se habentes; quod si enim adsit notabilis inæqualitas, & accedat motivum excellentioris Charitatis, vel alterius virtutis, utique non tenebor me defendere cum occisione proximi, sed possum permittere me occidi cum laude, & merito; utpote 1. Si aggressor injustus sit persona publica, Reipublicæ multum necessaria, vel utilis, sic ut ejus mors magnum detrimentum afferret, mea vero modicum, vel nullum: permittam me occidi, cum laude ex motivo excellentioris Charitatis, Patriæ, ac boni communis. 2. Si aggressor sit pater, avus &c. similiter permittam ex motivo pietatis: qua ratione communissime concedunt DD. ad salvandum patrem ex naufragio v. g. me posse ipsi relinquere trabem, vel tabulam a me forte apprehensam, immo ipsi tradere, mortem meam permittendo. 3. Si bona fide putem, me esse in statu gratiæ, aggressorem vero in statu peccati mortalis (prout vere semper est injustus aggressor) ideoque si occidatur, æternum damnandus, non teneor, ut me defendam, ipsum occidere, sed me occidi sancte permittere possum ex motivo misericordiæ, & excellentissimæ Charitatis, ac zelo salutis proximi. 4. Ejusdem supremæ divinæ Charitatis motivo SS. Martyres, etsi sæpe potuissent, noluerunt tamen se defendere a persecutoribus, etiam privata auctoritate sævientibus, propter Fidem CHRISTI. Atque de his, & similibus tantum (non autem absolute, & cæteris paribus) intelligendum est illud CHRISTI apud S. Joan. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* De hoc ex professo aliqua de ordine Charitatis *supra tr.* 3. *c.* 6. *sect.* 4. & plura infra *c. seq.* de occisione sui ipsius.

§. III. *Servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.*

UT nimirum se defendens non plus agat, quam opus ad defensionem vitæ suæ; utpote si vitam tuam satis tueri potes solis verbis, minis, clamore cum spe auxilii &c. ne verberes quidem: si verberando tantum, retundendo, arma, & hujusmodi excutiendo, vel extorquendo &c. ne vulneres, vel mutiles: si vulnerando, vel mutilando tantum, ne occidas, vel mactes: si nullo alio modo, nisi occidendo, jam occides: jam enim erit defensio necessaria cum moderamine inculpatæ tutelæ: alioquin vero, si aliter potens vitam tueri, occidas, non erit defensio necessaria, sed vera occisio, ut initio præmonitum. Quisquis ergo occidit aggressorem vitæ suæ absque moderamine inculpatæ tutelæ, nimirum voluntarie, & deliberate notabiliter excedens moderamen illud, cum scilicet alio modo posset vitam suam tueri, utique peccabit mortaliter contra justitiam vero peccato homicidii. Quid de obligatione restituendi, & irregularitate, dicam in Subsectione. 147

Quin etiam ut servetur moderamen inculpatæ tutelæ omnino obligaris fugere aggressorem injustum vitæ tuæ, quoties fugere potes cum spe evadendi: quando nimirum fuga non esset æque periculosa, ac aggressio: aut quando fuga tuæ personæ, vel statui non est valde ignominiosa, vel dedecorosa: aut ratione ipsius personæ invasæ, utpote quia plebejus, vel infimæ sortis ex ejusmodi fuga parvam honoris jacturam incurrere potes: aut si Clericus sit, vel Religiosus, quorum laus non in usu armorum, sed in exercitio virtutis, Charitatis, humilitatis, patientiæ &c. consistit, ut ex Covar. Abb. & aliis notat Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. 148

c. 3.

c. 3. *n.* 2. Aut ratione personæ invadentis, quæ vel est publica, Rex, Princeps, Dominus tuus, vel sanguine major, Pater, Avus, frater &c. posse enim in tali casu fugere, nulli etiam nobilissimo, probro ducitur, sed pietati. Similiter amentes, & ebrios, cum quis fugere potest, non licet occidere, quisquis sit invasus: quia horum fuga non censetur ignominiosa. Tenetur, inquam, talis fugere, & non fugiendo, peccabit mortaliter occidendo: tunc enim defensio non erit inculpata, quia non necessaria, *juxta communem DD. apud cit.* An vero talis non fugiendo peccet contra justitiam, uti cum multis vult Lugo *tom.* 1. *de just. disp.* 10. *sect.* 8. *n.* 170. an vero contra Charitatem tantum, ut cum aliis volunt Julius Clarus *verb. homicidium n.* 22. Less. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 8. *n.* 64. in praxi perinde est: consentiunt enim Doctores, quemlibet, sive Clericum, sive laicum, si injustum aggressorem actualem mutilet, vel occidat non fugiendo, si posset, ad nullam damni compensationem in neutro foro obligari. Ratio est: quia is non fugiendo aggressori injuriam, & damnum proprie non infert: quippe ultro se ad tale periculum offerenti, & quantum est in se, invaso potestatem facienti.

149 Contra vero non teneris fugere, sed stare poteris, & cum invasore congredi, quoties fuga esset æque periculosa, ac aggressio; aut ignominiosa graviter fugienti: ut si sis vir nobilis, eques, miles &c. cui magno vertitur dedecori, & infamiæ se in pedes dare, & fugere. Communis DD. *Nav. Sotus, Lessius, alii cum Laym. Lugo cit.* Diana *p.* 9. *tr.* 8. *resol.* 46. Ratio est: quia jam adest moralis necessitas se defendendi, quantum opus est pro tuenda vita: adeoque defensio censebitur moraliter necessaria, & consequenter inculpata.

§. IV. *Etiam præveniendo actu, & proxime insidiantem.*

150 Nimirum insidiatorem actualem certum vitæ, qui actu, & proxime me parat occidere; seu quem scio me certo aggressurum, & occisurum, nisi præveniam: aut de facto insidias struxisse, quas aliter evadere nequeam; fas mihi erit eum occidendo prævenire. Communis DD. Navar. *c.* 15. *num.* 3. Less. *cit. dub.* 8. Laym. Lugo *supra*, alii apud ipsos. Ratio est: quia illa tanta propinquitas periculi est moraliter actualis aggressio. Exempla sunto. 1. Advertis latronem, vel hostem tuum a longe ex insidiis sclopum parantem, & intentantem contra te; licite eum occidendo prævenis: multo magis, quando latro de facto jam aggreditur, & ictum intentat, nullo dato effugiendi spatio, non teneberis priorem ictum expectare, sed licite prævenis: quia aggressio jam vere est actualis. 2. Uxor scit maritum sibi venenum parasse, pugionem sub lecto occultasse ad ipsam in somno occidendam, aut ad eum finem sicarium domum adduxisse &c. si alia via evadere nesciat, præveniendo licite ipsum maritum, vel sicarium occidit. 3. Si sciam mihi a te venenum lethale paratum, nec possum illud evitare nisi alio artificio, vel actu tibi ipsi propinem; propinare tibi utique potero, ut incidas in foveam, quam mihi parasti. 4. Presente, & jubente domino, tentat me famulus occidere; si aliter evadere mortem nequeo, possum ipsum dominum e medio tollere, dum interim famulus arma expedit: similiter, si quis eat, & paret solvere canem ferocem, vel leonem, ut me evadere non valentem, dilaceret, possum eum ante occidere, quam canis solvatur &c. Hec & similia, si solo necessariæ defensionis intuitu fiant, ideo licita sunt, quia adest jam præsens, & moraliter actualis aggressio. Qua ratione intelligendus est Molina *t.* 4. *tr.* 3. *disp.* 7. docens latronem, qui publicas vias occupat, posse a quocumque interfici in suam, vel aliorum defensionem: tunc nimirum, quando is actu, & proxime parat mortem, vel damna viatoribus.

151 Cæterum certum est apud omnes, non licere occidere eum, qui solum minatus est mihi mortem inferre; nisi certo constet, jam parasse vim, vel insidias, quas aliter evadere non possim, nisi præveniendo.

152 Dubium autem, & difficultas salebrosa est, an etiam liceat præveniendo occidere eum, qui actu quidem, non tamen ita proxime (ut in præcedentibus casibus) sed remote tantum adhuc parat me e medio tollere. Exempla adferuntur; 1. scio certo, quod Titius inimicus meus quærat opportunitatem me occidendi; antequam illam inveniat, & me circumveniat, ego prior nactus occasionem, possumne illum occidere? aut scio, quod præceperit suis famulis, ut me circumventum e medio tollant: possumne similiter, præveniendo illos famulos vel ipsum Dominum occidere? 2. Rursus: inimicus meus calumniose agit apud Judicem, nec desistere vult, tentans falsis testibus mihi falsum crimen imponere, vel omnino occultum propalare, ut ego injusta morte plectar: si aliam viam evadendi non habeam, possumne præveniendo occidere ipsum adversarium calumniatorem? aut falsos illos testes? aut denique ipsum Judicem etiam, quando certo mihi constat, eum injustam contra me sententiam laturum? 3. Idemque quæritur, si per similem calumniatorem, vel falsos testes deberem amittere magnam summam pecuniæ, ampla bona temporalia, famam, vel honorem meum. 4. Itemque si quis falsis, vel injustis detractionibus famam meam graviter denigrare tentaret, nec ego aliter impedire possem; nam etiam in his injustum aggressorem actualem licere occidere, docent mox infra citandi: an similiter licebit occidere præveniendo? Ita sane concedunt Bannes 2. 3. *quæst.* 46. *art.* 7. *dub.* 4. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 36. & alii nonnulli omnia prædicta. Et quoad accusatorem, & testes falsos, ne noceant in vita, vel bonis alicujus momenti, etiam meus Sanchez *l.* 2. *moral. cap.* 39. *num.* 7.

Verum licet hæc speculative probabilia sint, practice tamen, seu in praxi nullo modo concedenda sunt. Ita communis DD. Sotus *l.* 5. *qu.* 1. *ar.* 8. Less. *l.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *nu.* 64. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 3. *nu.* 1. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *ref.* 97. *&* *p.* 5. *tr.* 4. *ref.* 6. 7. *&* 10. Tamb. *l.* 6. *Dec. c.* 1. §..... *n.* 16. *&* 17. Ratio sufficiens est: quia quando aggressio ita est remota, ut in dictis, & similibus casibus, nunquam moraliter deerit alius modus evasionis, seu defensionis: ergo præveniendo occidere, non necessarium, & consequenter illicitum est. *Deinde*: Quia sic facile turbabitur Respublica, dum aperitur ostium ad plura homicidia occulta patranda. *Denique*: Calumniam patiens apud Judicem (qui casus videtur magis urgere) aut potest suam innocentiam ostendere, aut non potest? si potest: omnino non deerunt alia media se a calumnia liberandi: si non potest, & tunc res erit majoris periculi proprii, plena scandali, & pessimi exempli, si innotescet (innotescet autem utique) hominem de calumnia non convictum, occulte, & per insidias occidisse calumniatorem. Adde denique oppositam sententiam esse damnatam sub Alexandro VII. Ann. 1666. 17. *Est licitum Religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Item 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Et sub Innocentio XI. damnatur etiam hæc propositio. 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitare nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* 153

§. V. Extensio prima: *ab bona temporalia.*

I. Certum apud omnes, pro tuendis bonis temporalibus, ad conservationem vitæ valde necessariis, sine quibus scilicet vita corporalis commode conservari non potest, licere furem, vel raptorem, seu invasorem iniquum occidere, si aliter servari, vel recuperari non possint. Ratio clara est: quia jus defendendi vitam suam extendi debet ad ea tuenda, sine quibus vita commode servari non potest: ut si auferrentur Nobili bona sua, sine quibus cogeretur mendicare, vel ignominiose vivere, aut servire; indigenti in necessitate victualia, aut vestes, rigore sæviente; aut militi eunti per hostes, vel peregrinanti per latrones &c. arma sua &c. Et hinc valde probabilis, & pia, immo modo ferme certa est sententia Sylvest. *verb. homicidium qu.* 4. & aliorum apud Filliuc. *cit. q.* 6. pro bonis ad conservandam vitam minime necessariis, & sine quibus vita commode servari possit, non licere invasorem occidere, eo quod ordine Charitatis vita proximi bonis temporalibus propriis non necessariis præferenda videatur. Docetque aperte D. August. ab initio allegatus ult. loco: *Quomodo enim apud DEUM sunt isti a peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde corrupti sunt?* Idque maxime verum est, modo post sententias damnatas ab INNOCENTIO XI. quando bona illa non necessaria parvi quoque momenti sunt, v. g. unius, vel alterius aurei respectu divitis, ut mox dicemus. 154

II. Etiam pro quibusvis bonis temporalibus alicujus momenti, si aliter servari, vel recuperari non possint, licitum esse occidere injustum invasorem, raptorem, furem, communiter docent Sylvest. Cajetanus, Sotus, Navarr. Molin. Lessius, aliique cit. Laym. *supra n.* 4. Tamb. *l.* 6. *Decal. t.* 1. *c.* 2. *n.* 1. addentes, id non tantum in laicis sæcularibus, sed etiam in Clericis, & Religiosis locum habere *Argumentum cap. de sent. excommunic. in* 6. Sumitur in primis ex ipso jure naturæ, quo licet vim vi repellere, quantum opus est ad se, suaque tuenda. 2. Exprese id permittunt Leges civiles, quia alias daretur occasio bonos, & innocentes spoliandi. *L. si furem ff. ad Leg. Cornelium de sicariis.* Et L. 4. *ff. ad Leg. Aquiliam c. interfecisti.* 3. *de homic.* Consentit jus Canonicum *c. dilecto, & c.* 3. *de homicid.* 4. Accedit consuetudo Orbis jure Gentium inducta, qua bella geruntur solorum bonorum temporalium causa, cum hominum occisione. *Ratio autem generalis est*: quia hoc non est contra legem Charitatis; quia Charitas tantum obligat ad præponendam vitam proximi propriis bonis temporalibus non ita necessariis, quando proximus est in necessitate constitutus, & minime quando se sponte per malitiam in talem statum ponit, quem semper deserere potest, & debet. Neque est contra justitiam, quia nulli sua vis, vel fraus jure patrocinari potest: at in proposito invasus habet jus defendendi se, & sua bona, vim vi repellendo: & per accidens est, quod invasori gravius damnum, scilicet mortis, eveniat, quod sibi imputare debet, 155

qui

qui contra fas, & justitiam vult bona ab alio auferre. Quod autem jura dicant *L.4. ff. ad leg. Aquil.* & alibi; furem nocturnum quidem impune interfici; non item diurnum, nisi forte se defendat, ex *c.22. Exodi*. Hoc interest discrimen, quod fur diurnus, si inermis sit, plerumque sine læsione, vel abigi, vel capi, vel res ablatæ recuperari possint; alioquin & ipsum occidere fas erit, si alias repelli, vel, res ab eo servari, vel recuperari non possint, ut eadem jura permittunt. In fure nocturno autem plerumque discerni non potest, utrum occidendi, an solum furandi animo accesserit; ideoque periculi avertendi gratia, si homines clamore acciri nequeant, impune occiditur, secundum Leges: alioquin neque furem nocturnum, quantumvis armatum, occidere licet, si alias repelli, vel capi, vel periculum averti possit, ut explicant P. Navarr. *l.2.c.3.n.404.aliisque cit.* Laym. *cit.c.3.nu.4. in fine.*

156 III. Non solum actualem violentum aggressorem, vel raptorem bonorum, si res suas liberare conanti vi, vel armis resistat, occidere licet: sed etiam jam fugientem cum rebus tuis, pecuniis, equo &c. insequi, jaculando, explodendo impetere, & occidere potes, si spes nulla supersit alia via ablata recuperandi; idque maxime (quod certe Charitas suadet) si clamando eum præmonuisti, quod nisi rem dimittat sclopum v.g. in ipsum explodas. Less. *l.2.c.9.dub.11.* Sanch. *l.2. de Matr. disp.22. n.17.* Laym. *cit. n.3. Tamb.cit.* Ratio est eadem, quæ supra. Id tamen solum durante actuali fuga quamdiu scilicet res censetur adhuc moraliter auferri, nondum ablata penitus: tamdiu enim censetur moraliter durare actualis aggressio: non autem postea ex intervallo, postquam fur rem tuam jam domi suæ pacifice habet: tunc enim non poteris amplius occidere, quia esset mera vindicta, non defensio; cum alia via res tuas recuperare possis, & debeas. Quod si tamen spes nulla sit per viam justitiæ ablata recuperandi, aut non nisi cum magna difficultate, vel periculo, adhuc poteris invadere locum, ubi res tua in individuo reposita est, eamque tibi vindicare, & si raptor resistat, vim vi repellere, quantum opus est, usque ad occisionem: quia tunc raptor injuste resistit, & moraliter æquivalenter adhuc te aggreditur, tibique in re violenter retenta vim injustam infert, quam vi repellere fas erit. *Navar. Molina*, *Less. Laym. cit. Vasq. & alii cum* Diana *p.8.tr.7.res.47.*

157 IV. Semper autem supponitur, bona, pro quorum defensione liceat injustum invasorem occidere, debere esse alicujus, nec levis, vel exigui, sed respective saltem, vere magni momenti, quod omnino ex circumstantiis expendendum erit; unus enim vel alter aureus jam erit magni momenti respectu inopis operarii &c. cujus tota fere substantia in eo residet; e contra vero decem, vel viginti aurei erunt exigui momenti respectu valde opulenti, ut pro iis invasor occidi jam non possit, ac debeat: absolute autem certa Regula tradi non potest, sed prudentis arbitrio relinquendum. Certum videtur requiri longe majorem quantitatem, quam quæ sufficiat ad furtum mortale. Molin. *tom.4.tr.3.disp.16.* censet, non sufficere valorem trium, quatuor, vel quinque ducatorum, respectu mediocriter divitis: ibidem tamen nu.7. concedit, quod licet res esset unius aurei, si quis eam resistente domino vellet auferre, posse interfici, si aliter repelli nequeat: quia non solum injustus, & raptor, sed etiam contumeliosus graviter est contra præsentem Dominum. Denique hoc certissimum apud omnes, pro re quavis minima, vel valde exigua raptorem occidere non licere: non enim est Christianæ Charitatis pro uno, vel altero floreno sibi non multum necessario vitam proximi posthabere, immo perdere, adeo ut merito ab Innocentio XI. damnata sit hæc propositio 31. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. Gravissime ergo peccavit alicubi quidam custos vineæ, qui pauperculum uvas aliquas carpentem, cum clamore monitus non mox cessaret, sclopeto trajectum occidit: item alibi custos raparum agri, qui puerum rapas extrahentem, securi jacta, gravissime læsit in femore cum periculo mortis.

158 ¶ Nota hic per omnem modum, & alias duas propositiones damnatas ab eodem Pontifice 32. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus: sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. Et 33. *Licitum est tam hæredi, quam Legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.*

§. IV. Extensio secunda: *ad honorem proprium.*

159 I. Etiam ad honorem necessarium tuendum viro honorato licere occidere injustum, ac contumeliosum aggressorem, docent DD. communiter fere omnes; & sine dubio verissimum est in hac suppositione, quod vir honoratus in aliquo casu aliter ignominiam, vel contumeliam repellere, honoremque sibi auferendum aliter tueri non possit, nisi occidendo aggressorem contumeliosum. Quod si enim ob defensionem bonorum temporalium invasorem occidere, mutilare, ac repellere fas est, quantum opus est, cum moderamine inculpatæ tutelæ; multo magis fas erit, si necesse sit ad defendendum honorem, seu avertendam contumeliam: cum bonum honoris, ac famæ plus valeat, quam bonum fortunæ: & injuria personæ gravior sit quam injuria in bonis fortunæ: quamvis aliter sentiant Tannerus *tom.3. disp.4. dub.4. Sylvius*, & alii nonnulli apud Dianam *p.5.tr.4.resol.9.* Et fatendum est, rarum esse in praxi casum, quo honor aliter, quam occidendo, defendi nequeat. Exempla tamen, & casus adferuntur: Si quis viro honorato alapam, fustem, vel scuticam intentet, aut simili facto, vel verbo contumelioso atrocem ignominiam irrogare attentet, isque ignominiam aliter avertere nequeat. 2. Tamb. *tr. de irregularitate c.15. §.15. n.6.* a peccato, & irregularitate liberat eum Sacerdotem, qui occidit hominem, a quo arrepta barba trahebatur, & illum a se aliter extrahere non potuit, nisi occidendo, eo quod gravissima esset injuria contra personam, & honorem Sacerdotalem. 3. Casus verus, & urgentior dabitur *Sect.3.* de provocato ad duellum, & revera aliter honorem suum tueri non valente. Item alius mox infra §. 8. de marito deprehendente uxorem adulterium machinantem, & aliter ignominiam suam impedire non valente. Et singularis casus inductus est *Sect.1.§.5.* ante dubium primum de Rege, vel Principe deprehendente adulterum cum uxore Regina, & occidente illam, quia aliter dedecus familiæ Regiæ impedire non potest.

II. Insuper virum honoratum, accepta jam alapa, vel simili gravi contumelia, posse in continenti repercutere, atque etiam, si injuriæ enormitas ratione personarum ita exigat, occidere, si alio modo læsum honorem recuperare nequeat, docent sane DD. gravissimi, & non pauci. *Nav. uterque*, *Henriquez*, *Fernandez*, aliisque cit. Diana *supra res.11. & p.2.tr.15. Miscel. resol.15.* testans itaque docuisse viros pios, & doctissimos. Et saltem ut speculative probabilem docent Less. *l.2.c.9. dub.12. n.87.* Laym. *lib.3. tract.3. p.3.c.3.nu.3.* Tamb. *cit.l.6. Decal.c.1.§.3.n.3.* alii apud ipsos; fatentes tamen hanc sententiam, ut practice minus probabilem, in praxi non esse consulendam: aut certe raro practicari posse: tum quia, vix potest contingere casus, in quo ignominia aliter averti, honorque defendi nequeat, nisi occidendo: tum, propter maxima inconvenientia, quæ inde in Republica sequerentur. 160

Contrarium autem, id minime licere, absolute docent communiter DD. alii *Sotus*, *Bannes*, *Mol. Vasq. Turrianus*, aliisque cit. Lugo *tom.1. de justit. tract.1. disp.10. sect.10. num. 190.* testans merito dixisse *Vasquez* contrariam sententiam sapere gentilitatem, & a Christiana lege alienam esse. Rationem a priori ibidem doctissime prosequitur *Lugo*. Cape compendio. Occisio, vel percussio privata nunquam licet, nisi ob defensionem rei, quam aliter conservare non potes; nam alioquin non erit defensio inculpata, sed vindicta, semper illicita privato: atqui in casu proposito percussio, vel occisio non conducit ad conservationem, vel defensionem honoris (nam accepta alapa, vel contumelia honor jam amissus est) sed solum deservit ad acquirendum alium novum honorem: atqui ulterius, hoc prescindi non potest a vindicta; neque enim aliter conducit ad honorem novum recuperandum, nisi quatenus apud homines mundanos honorificum est, egregie, & generose vindicare ignominiam acceptam. Declaratur exemplo. Fur tibi abstulit centum aureos, & jam in flumen abjecit: nunc si tu furem occideres, posses ab alio accipere alios centum aureos: an ideo licebit tibi occidere sine crimine vindictæ? Non utique. Atqui simillimum est in proposito, ut applicanti patet: ergo neque hoc licebit. Hæc sententia mihi omnino vera videtur, & omnino convincunt propositiones damnatæ mox n.158. allegatæ. Nihilominus pœnitenti oppositam sententiam saltem extrinsece non omnino improbabilem bona fide secuto, vel sequi volenti acquiescere poterit Confessarius, *saltem quoad percussionem*. Interim tamen si contumeliosus tentaret iterare alapas, utique locus erit defensioni, quantum opus est, non tam honoris, quam corporis tui. Similiter si per crebra convicia, vel contumelias molestiam creat, qua se aliter liberare non posset honoratus, nisi armis aggrediendo, utique licebit, cum debito autem moderamine, ut bene notat *Laym. loc. cit.* 161

III. Minus ergo in praxi recipiendum est, quod consequenter docent iidem Doctores prioris Sententiæ: nimirum etiam post ejusmodi contumeliam verbo, vel facto illatam, v.g. post acceptam alapam, vel convicium atrox, si contumeliosus jam cessavit, vel aufugit, & vir honoratus, strenuus, nobilis, miles, contumeliam, & dedecus aliter avertere nequeat, licere ei fugientem insequi, & tantum verberum infligere, quantum satis sit ad injuriam depellendam, & honorem recuperandum, quem velut secum aufert contumeliosus aufugiens (quemadmodum etiam furem licere insequi pro re ablata recuperanda, jam supra dictum est.) Non est, inquam, omnino recipiendum in praxi: ita Doctores nostræ secundæ Sententiæ. *Ratio est eadem*: Nam etiam in praxi vix fingi potest casus, quo honor aliter recuperari nequeat, seclusis vanissimis hominum persuasionibus: idque vere, prudentum omnium judicio, vel maxime non defensio, sed vera vindicta censetur, privato semper illicita: ut etiam Jura significant c. significasti, 2. de homicid. *Vim vi repellere omnia jura, legesque permittunt &c. non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam*. Hæc ibi. Nec est simile de fure: licet equidem 162

dem furem fugientem insequi pro recuperanda re tua ablata, & si resistat, vi extorquere, quantum opus est, etiam verberando, ac tandem occidendo (si res magna sit) quia res tua ut supponitur, adhuc in individuo eadem numero apud furem existit, ideoque tunc percussio, vel occisio est medium utile, immo necessarium, ut ipsam rem tuam a raptore extorqueas, & recipias: at vero in nostro casu honor tuus jam ablatus periit, ideoque insecutio, percussio, vel occisio non est ullo modo utilis, ut honorem tuum ipsum, quippe jam perditum, a contumelioso extorqueas, & recipias, immo nec ejus satisfactionem (ipse enim a te percussus, vel occisus utique te non honorabit, vel pro contumelia satisfaciet) sed solum utilis esset ad hoc, ut alii te propter hoc honorent de novo, ratione vindictæ fortiter sumptæ in vana hominum apprehensione; ergo sic insequendo, percutiendo, occidendo non vim repellis, nec recipis honorem ablatum a contumelioso, sed meram vindictam exerces, & ratione ejus injustæ vindictæ; velut in præmium, novum, & vanissimum honorem ab aliis captas.

163 *Instas*: Si res mea oblata non amplius existat apud raptorem, nonne possum compensare ex bonis ipsius, si aliter satisfactionem non possum habere? Ita potes. Quia nimirum sic accipis rem ipsius; non quatenus id ei malum est, sed quatenus tibi bonum debitum est: at vero in nostro casu nihil prorsus accipis a contumelioso, sed eligeres percussionem, & occisionem ipsius præcise, quatenus id ei malum affert, in meram vindictam: neque enim alio modo bona, vel utilis est ad honorem tuum, nisi quatenus id ei malum, & punitivum est adversario; ergo nulla paritas. Vide latius *Lugo l. c.*

164 IV. Denique ad famam etiam tuendam: ut si viro honorato, & bonæ famæ, calumniator coram aliis objiciat graves calumnias, enormia scelera, seu falsa, seu vera omnino occulta, posse in continenti occidere calumniatorem (quidquid speculentur moderni quidam DD.) practice omnium minime concedendum est; nimium enim speculativa, & metaphysica est suppositio: *Si quis non possit aliter famam tueri, vel recuperare:* semper enim aliter famam tuam tueri poteris contra calumniatorem, quippe cui incumbet probatio; ut *ex Azorio, Lessio, & aliis*, recte monet Tamb. *cit.* §.3. *n.6.* Et jam legisti propositionem 30. damnatam. Adverte tamen, sicut in præcedentibus, ita maxime in hoc ultimo casu sæpissime posse excusare indeliberationem, & præcipitantiam actus ex vehementissima commotione, & passione iræ, doloris, indignationis, non tantum in foro conscientiæ a peccato, restitutione, irregularitate, vel censura, sed etiam in foro externo a pœna homicidii, si de hoc legitime constet, de quo nemo dubitat. Cæterum ex communi *Laym. & Tamb. cit.* merito censent, tolerabile esse, & a peccato excusatum, si calumnia, vel verbo injurioso impetitus injuriam repellas dicendo: mentiris, aut sis ipse talis, quousque de me probes. Non enim vindictam sumis, sed solum, cum alio modo hic, & nunc non possis, illatam injuriam avertis. Profanum autem illud est, quod Germani dicere, & subinde facere solent: *mendacium sibi factum, juste esse alapa plectendum:* sic enim injuria infertur, alio modo facile tale mendacium avertetur: ergo non defensio, sed vindicta est, privato illicita: iis exceptis, quibus ex officio incumbit suorum mendacia corrigere, & si opus sit, etiam tali modo punire.

§. VII. Extensio tertia: *ad pudicitiam propriam.*

165 I. Sine controversia licitum est Virgini tam masculo, quam fœminæ, aut matronæ honestæ violentum aggressorem, stupratorem, oppressorem, si nulla alia ratione vim impedire, vel declinare valeat, cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, ipso jure naturæ, eadem immo longe majori, ratione, qua licet occidere furem: seu invasorem bonorum temporalium, cum integritas virginalis, & Castitas censeatur inæstimabilis pretii. Et licet neutrum liceret ex natura præcise, cum vita per se, & ex natura sua præferatur bono temporali, & integritati corporali; tamen ex communi interpretatione ob bonum commune jus gentium, & potestas civilis utrumque permittit, & potestatem hanc largitur, ut supra dictum; adeo ut eo casu occidens furem, vel stupratorem violentum non tam privata, quam publica auctoritate facere censeatur. Communissima DD. *apud Less. & Laym. cit.* Diana *p.2. tr.15. ref.16.*

166 II. Omnes tamen consentiunt, talem virginem, vel matronam ad id non obligari, sed rectius, & Charitati conformius facere, si secluso fortiter consensu, omnique consensus periculo, cæteris omnibus frustra tentatis, vim patiens mere passive se habendo, non occidat: cum ordine Charitatis vita proximi etiam integritati virginali, secluso peccato, recte præferatur. Accedit hic plerumque etiam damnatio æterna occidendi. Et hoc saltem probat auctoritas *D. Augustini* initio *Sect.* allata. Unde recte Bonacina *tom.2. disp.2. de just. in partic. qu. ult. sect.1. propos.10. n.12.* ait: posse invasum condonare vitam invasori patiendo violationem sui, quando non est periculum consensus: nam teste S.Lucia: *Non coinquinatur corpus, nisi de consensu mentis, & si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam;* Sic ille, & vere. Si intelligatur de condonatione negativa, seu non occisione præcise: periculose vero, si intelligatur de condonatione positiva, cum difficile sit in tanta occasione non adesse periculum consensus in opus turpe.

III. Insuper juvenis, puella virgo, vel matrona honesta, 167
dum solicitatur ad turpia, impudice tangitur, osculum libidinosum violenter suscipit, licite, immo cum laude, potest non tantum verbis asperioribus, sed etiam alapis, pugnis, immo & fuste moderate percutiendo impudicum repellere; ut cum aliis docent Lugo *t.1. de just. disp.10. sect. 10. n.196.* Tamb. *cit. n.7.* Hoc enim non est vindictam sumere, sed puritatem animi, & constantem dissensum demonstrare, ac pudicitiam suam ab illa, & ulteriori invasione defendere, invasoremque impudicum absterrere; idque etiamsi osculum impudicum, vel tactus turpis factus jam sit: nam alioquin impudicus non credens te serio dissentire, non cessaret, sed facile rediret, ac instaret, idque maxime verum, si diuturna, & iterata sæpius esset solicitatio ad turpia, juxta laudabile exemplum S. Bernardini Senensis nostri.

IV. Denique generaliter, sicut omnes consentiunt, pro 168
defensione bonorum, honoris, vel pudicitiæ (secluso consensus periculo) te non teneri occidere injustum invasorem, sed illa vitæ proximi ordine Charitatis laudabiliter postponere posse; ita e contra, ut invasus in his repellere possit licite invasorem, requiritur, ut spes sit evadendi ipsum, salva vita: cum vitam propriam, utpote bonum altioris ordinis, nunquam liceat exponere certo periculo pro conservando minori bono; quale est bonum temporale, honor humanus, aut integritas castitatis: sicut e contra major est jactura vitæ, quam bonorum temporalium, pudicitiæ, secluso peccato, ac honoris, seu ignominiæ, vel dedecoris, non ex delicto, sed ex humana æstimatione provenientis. Vide latius Pet. Nav. *lib.2. c.4. n.17.* Et ex eo Laym. *sæpe cit. c.3. n.3.*

§. VIII. Extensio quarta: *ad vitam, bona, pudicitiam proximi.*

I. Quandocumque quis jus habet per defensionem incul- 169
patæ tutelæ occidere injustum aggressorem suæ vitæ, bonorum, pudicitiæ, etiam aliis fas erit ipsi ad hoc cooperari, & auxilium ferre: adeoque cuivis etiam pro defensione vitæ, bonorum, pudicitiæ proximi, licet occidere, vel mutilare injustum aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, quantum scilicet necesse est ad ejus defensionem, ac liberationem. Communissima DD. *Nav. Molina, Lessius, alii cit. Laym. supra*, Lugo *disp.10. sect.11.* Ratio est: quia lege Charitatis licet pro alio facere, quod pro se ipso quoque potest: at licet cuique occidere, vel mutilare injustum aggressorem propriæ vitæ, bonorum, vel pudicitiæ, ergo idem licet ex Charitate facere pro proximo: nec tantum præsente, ut in defensione vitæ a latrone; verum etiam absente, ut si vicini tui absentis facultates injuste diripiendæ, domus incendenda, uxor violenter opprimenda sit &c. nec id aliter impedire possis, nisi occidendo invasorem; occide in nomine Domini: ut eadem ratione recte esse ostendunt DD. cit. Studio non facio mentionem honoris proximi, nam defensio honoris censetur omnino personalis ipsius invasi, ut vix sit speculari casum, in quo sit necesse pro defensione honoris proximi occidere contumeliosum, nisi forte hunc: si videas tuum Patrem, vel Dominum, Principem iteratis contumeliis pertinaciter impeti, & aliter eum liberare nequeas, nisi occidendo: sed quando hæc erunt? Nobis non vacat metaphysica speculari.

II. Nemo tamen privatus, per se loquendo, obligatur 170
graviter occidere invasorem pro defensione vitæ proximi privati, multo minus pro defensione bonorum, vel pudicitiæ. Sic contra alios, cum aliis Lugo *cit. nu.108.* Tamb. *lib.6. c.1. §.1. n.11.* Ratio est: quia tota hæc obligatio respectu privatorum tantum est ex Charitate, qua tenemur, cum possumus, proximum diligere, ejus bonum procurare, & mala impedire: atqui in proposito uterque est meus proximus, invasus, & invasor, & damnum utrivis inferendum æquale; & ideo Charitas quasi æqualiter, & cum non magno excessu inclinat tam pro vita invasoris, etsi nocentis, quam pro vita invasi innocentis, immo magis urgere potest pro vita invasoris ratione ejus majoris mali imminentis, utpote certæ æternæ damnationis; aut ratione pietatis, ut si invasor esset mihi conjunctus, vel amicus: quis enim dicat pro tuenda vita proximi me teneri occidere meum patrem, filium, fratrem &c. Immo nec licere tunc occidere, docet communis DD. quia excusat, immo prohibet tanta conjunctio. Dixi autem: *Nemo privatus* (secus est de Magistratibus, & iis, qui ex officio, & justitia; ideoque graviter obligantur defendere vitam, & bona aliorum) Et *per se loquendo*. Nam per accidens obligaberis etiam graviter occidere aggressorem vitæ proximi ex virtute pietatis, utpote si invasus sit persona conjuncta, pater, mater, filius, frater, filia, uxor, soror, aut persona publica ad bonum commune necessaria, Princeps, Magistratus &c. ut omnes consentiunt.

III. Etiam invaso nolente defendi, & occidi aggressore 171
vitæ suæ, adeoque in mortem suam consentiente, adhuc alteri licet eum defendere, & si opus sit, aggressorem occidere. Ex communi Less. *supra cit. c.9. dub.13. n.88.* Lugo *sect.11.*

sect. II. *n.*202. Ratio est: quia cum nemo sit dominus vitæ suæ, invasus non potest cedere juri defendendi vitam suam; & cum sit meus proximus Charitatis nexu, & natura mihi conjunctus, adhuc ejus damnum ad me pertinet. Quinimo (saltem per accidens ex pietate, juxta modo dicta) adhuc obligaberis occidere invasorem: cum invasi defensio, vel repugnantia respectu tui perinde sit, ac si nulla esset. Excipe tamen: nisi invasus justa ex causa consentiens in necem suam nollet defendi, utpote ob excellentioris virtutis actum, v.g. ob Martyrium in causa Fidei, ob pietatem erga invadentem personam conjunctam, & publicam, ex misericordia, ne invasor injustus occisus damnetur, juxta dicta supra: tunc enim, etsi adhuc licite possis occidere aggressorem, non tamen teneberis, sed ex similis virtutis motivo, defensionem omittere poteris; ex communi observat Tamb. *cit.* §.2.*n.*8.

172 VI. Quoad defensionem pudicitiæ proximi nolentis defendi, distinguendum est. Si enim persona invasa solum negative, & passive se habeat, volens permittere sui violationem, & nolens ob id occidi invasorem absque consensu in opus turpe, adhuc licite poteris, & juxta dicta debebis defendere, etiam si opus sit, occidendo: quia adhuc illa injuriam patitur a violento oppressore. Quod si vero persona invasa positive consentiat in opus turpe, & ideo nolit occidi stupratorem; nam eo ipso invadens cessat esse injustus aggressor respectu ipsius, & ideo eo titulo amplius occidi non poterit.

173 *Excipe*: Nisi alia ratione esset adhuc aggressor respectu tui: utpote si persona oppressa pertineret ad te: maritus enim licite adhuc occideret adulterum adulterium machinantem cum uxore; itemque cum filia, sorore &c. quantumvis consentiente: si is aliter ab injuria repelli nequeat: nam licet tunc non respectu uxoris jam consentientis, at respectu tui, & ratione rei tuæ injuste violandæ, adhuc est injustus aggressor. Insuper eo casu etiam licite occideret uxorem ipsam in adulterium consentientem, si maritus non posset aliter impedire adulterium jam patratum: non jam quidem ad tuendum corpus uxoris, & rem suam; hanc enim utique non defendit, sed perimit, sed ad tuendum honorem suum proprium, quem vult uxor injuste lædere, & prostituere, ut recte notat *Lugo cit. num.* 204. Etsi contrarium doceat *Lessius cit.* & certe regulariter verum est: quia communiter necesse non est occidere uxorem ad impediendum adulterium secuturum; sed alia media suppetunt; nisi forte in casu, quo adulter jam volens cessare ab uxore nequam violenter detineretur: sicut quando ad hoc non est necesse, neque adulterum licet occidere; quia deest necessitas, & moderamen inculpatæ tutelæ in defendente: quemadmodum ob præteritum, & patratum jam adulterium, neutrum, nec adulterium, nec uxorem licet occidere, saltem in foro conscientiæ; quia non esset defensio, sed vindicta.

174 Denique quoad defensionem bonorum temporalium proximi nolentis defendi, in rigore eodem modo distinguendum est, sicut modo distinctum est de impudicitia. Regulariter tamen tunc non licet occidere invasorem: cum enim invasus pro bonis suis defendi non vult, regulariter censetur consentire, & renuntiare suo juri pro hoc casu: atqui valide, & licite cedit juri suo respectu bonorum temporalium, quorum simpliciter est dominus: ideoque titulo defensionis, ejus invasor amplius occidi non poterit. Excipe rursus: Nisi res invasæ etiam ad te pertinerent: ut si bona auferenda essent tibi debita, vel obligata: tunc enim tibi adhuc vis inferretur, quam, quoad opus est, vi repellere poteris, usque ad occisionem cum sæpe dicto moderamine inculpatæ tutelæ.

SUBSECTIO.

De irregularitate ex homicidio ob defensionem facto.

SUMMARIUM.

175 & 176 *Ex homicidio cum moderamine inculpatæ tutelæ facto ad defensionem vitæ propriæ, vel proximi innocentis nec a Clerico, nec a Laico ulla incurritur irregularitas.*

177 *Bene autem, si talis occisio fiat ob solam defensionem bonorum temporalium, itemque pudicitiæ, vel honoris.*

178 *Contrarium tamen etiam docent alii.*

179 *Ut evitetur irregularitas in occisione injusti invasoris vitæ propriæ, vel proximi innocentis, debet necessario servari moderamen inculpatæ tutelæ, ut quis scilicet servare non possit, nisi occidendo, vel mutilando.*

180 & 181 *Quod si quis quidem fugere possit non tamen sine dedecore, & infamia gravi, & sic non fugiens occidat, an fiat irregularis, nec ne, duplex est sententia.*

182 *Quod si nullo modo fugere potens occidat, distinguendum est.*

RESOLUTIO.

175 *Nulla incurritur irregularitas ex homicidio facto ob defensionem vitæ propriæ, vel proximi innocentis cum moderamine inculpatæ tutelæ: secus dicendum in defensione bonorum, honoris, vel pudicitiæ. Saltem tutius, & probabilius.* Item communis, ut patebit.

I. Neque Clericum, neque Laicum incurrere irregularitatem, si ob necessariam defensionem propriæ vitæ occidat, vel mutilet injustum invasorem, olim quidem controversum fuit, at modo constat liquido jure c. si furios. Clement. unic. de homicid. *Si furiosus, aut infans, seu homo dormiens hominem occidat, vel mutilet, nullam ex hoc irregularitatem incurrunt. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Ratio supra indicata est §.1. Quia lex positiva non potuit præjudicare juri intimo naturali defendendi propriam vitam: eadem autem debet esse ratio de Clerico, & Laico, qui ob necessariam defensionem hominis innocentis, vel Reipublicæ; aut in bello mere defensivo, meræ, & necessariæ defensionis gratia occidit injustum invasorem, vel hostem. *Communissima*. Ratio omnium est. In primis: Quia incredibile, & irrationabile est, Ecclesiæ mentem esse irregularitatis maculam incurri ab homine, ideo quod legem divinam naturalem servarit: atqui vitam propriam, vel proximi innocentis, aut Rempublicam defendere contra injustum aggressorem, etiam occidendo, vel mutilando, si aliter resisti nequeat, est de lege naturali, & divina, Charitatis, & pietatis, ut supra ostensum: ergo in tali casu non incurritur. *Deinde* irregularitas non incurritur nisi ex homicidio omnino voluntario, ac spontaneo, nullo cogente facto; idque ob defectum perfectæ lenitatis: sed tale homicidium non fit omnino voluntarie, ac sponte, sed cogente legis necessitate: quando enim Charitas, pietas, & justitia per se, & simpliciter obligant ad occidendum aggressorem proximi innocentis, aut Reipublicæ, non potest dici defectus mansuetudinis, vel lenitatis, ne unam virtutem cum alia pugnantem fateri cogamur: ergo. Aliud est de Judice, carnifice &c. qui quidem obligantur ex justitia ad inferendam mortem reo: at non per se, & simpliciter (sicut in nostro casu) sed solum ex hypothesi, seu suppositione talis muneris ab eis sponte assumpti; atque eo ipso se ita sponte obligantes ad inferendam mortem data occasione, etiamsi semel tantum inferant, deficiunt a perfecta lenitate, & mansuetudine CHRISTI, ut *sect. præced.* sub finem notatum est. Id ergo omnino certum est, cum quis ad defensionem obligatur, aut generaliter ex Charitate, aut specialiter ex pietate, ut pro defensione parentum, Majorum Reipublicæ, aut Magistratus, &c. Ac etiam probabile est, non incurri, in casu, quo quis non quidem ex obligatione tamen licite defendendo proximum cum moderamine inculpatæ tutelæ occideret injustum invasorem: cum in tali casu nulla ei irregularitas statuatur in Jure, ut docet Filliuc. *tractatione* 20. *cap.*5. *qu.*10. *n.*160. qui tamen fatetur periculosum esse, & valde dubium, adeoque in praxi eo casu pro securitate dispensationem petendam, propter plures DD. Adversarios.

II. Ob solam defensionem bonorum temporalium, itemque pudicitiæ, vel honoris, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, ac licite occidens injustum invasorem, fit irregularis. Ita communis Canonist. & Theolog. apud Laym. *l.*3. *de justit. tr.*3. *p.*3. *cap.*9. *num.*3. *Sylvest. Armilla, Henriq. Avila*. Nav. *c.*27. *nu.*27. & *c.*19. *nu.*4. ubi addit, id ipsum observare stylum Curiæ Romanæ, qui jus facit. Ratio indicatur in jure c. suscepimus, de homicid. *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus, & transitoriis rebus tam acriter in alios excandescere.* Ita Gloss. in cap. 2. de homicidio. *Irregularis factus est, quia potius debuit dimittere sua, quam interficere.* Quia scilicet, licet non sit defectus culpæ, est tamen in homine Christiano defectus lenitatis, & mansuetudinis magnus ob res temporales, humanum honorem, vel etiam integritatem corporis, alteri vitam eripere: ac pro conservando minori bono auferre alteri longe majus bonum vitæ: atqui ob defectum lenitatis in occidendo semper incurritur irregularitas, præterquam in casibus jure expressis: excipitur autem sola conversatio vitæ, nimirum, ut habet Clement. cit. *Si mortem aliter evitare non valeat &c.* ergo si mortem fuga possit declinare, irregularis evadit. 177

Contrarium tamen rursus docent noster *Alphonsus a Castro, Covar. Pet. Navar.* & tredecim citans Diana *p.*4. *tr.*2. *resol.*4. Tamb. *l.*6. *Decal. c.*1. §.1. *nu.*1. & *tr. de irregul. c.*15. §.15. *a nu.*2. Ubi etiam habet casum barbatum supra allatum: nimirum non esse irregularem, qui injustum invasorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut propria, vel proximi bona magni momenti, pudicitiam, vel honorem tueatur, non enim ex delicto, ut supponitur: nec ex defectu lenitatis quia nulla talis in jure statuitur: licet expresse sola defensio vitæ excipiatur. Saltem concedenda est hæc Sententia, quando ob conservationem bonorum, vel honoris est necessaria ad conservandam ipsam vitam, suam, vel suorum, aliudque bonum consequendum, vel conservandum, ut notat *Laym. cit. in fine*. 178

III. Ut evitetur irregularitas in occisione injusti invasoris vitæ propriæ, vel proximi innocentis necessario debet servari moderamen inculpatæ tutelæ, ut si quis scilicet aliter vitam suam, vel proximi servare non possit, vel 179

vim repellere, nisi occidendo, vel mutilando. Quod si desit, vel deficiat moderamen inculpatæ tutelæ, utpote si alia via vel ratione quis possit evadere, vim avertere, vel invasorem repellere absque occisione, vel mutilatione, v. g. fugiendo sine æquali periculo, clamando cum spe certa auxilii, invasori arma extorquendo, vel excutiendo, aut solum verberando, vulnerando &c. talis eo casu occidens omnium consensu est irregularis ex delicto. *Ratio est evidens:* Quia jus *in Clement. supra cit.* ab irregularitate incurrenda solum excipit casus, in quibus non potest evitari mors: at in proposito invasus aliter potest evadere mortem, utpote fugiendo, clamando &c. ergo non excusatur ab irregularitate. Et quia in tali casu absque morali necessitate occidens hominem, vere peccat coram Deo contra justitiam, ideo incurrit pœnas homicidio voluntario, & illicito debitas; talis pena est etiam irregularitas: ergo.

180 IV. At, quid si talis non possit fugere absque dedecore, & ignominia gravi personæ, aut status sui, ut si sit Nobilis, miles (hoc casu licite non fugiendo posse occidere invasorem, ex communi jam supra diximus) sic occidens incurretne irregularitatem? Affirmant multi, sine dubio tutius cum Laym. *cit. n.3.* Ratio est, quia ad irregularitatem incurrendam ex defectu lenitatis non requiritur culpa, sed sufficit voluntarius accessus ad occidendum, vel mutilandum, præterquam in casibus a jure exceptis: atqui jus citatum excipit solum casum, *cum quis mortem aliter vitare non potest.* Talis autem vere aliter mortem vitare potest, scilicet fugiendo, etsi cum aliquo dedecore, vel ignominia honoris, ideoque occidendo vere deficit a perfecta lenitate, & consequenter etiam irregularis fit.

181 Negant autem DD. Suar. Fill. aliisque congestis Diana *p.4. tr.2. resol.3.* Eo quod id, quod sine dedecore, vel ignominia fieri nequit, moraliter censeatur non posse fieri: ideoque talis adhuc comprehendatur in exceptione Juris. Omnino melius, & probabilius. Utriusque tamen sententiæ DD. in hoc consentiunt, talem incurrere irregularitatem, si ipsummet sponte, & sua culpa in illam se necessitatem conjecit; utpote injuria immediate præcedente, ex qua prævidit, vel prævidere debuit, alterum se aggressurum: tunc si ipsum, cum posset fugere, etiam cum aliquo dedecore, vel detrimento honoris, non fugiendo occidat, irregularis erit. Ratio est, quia talis injurians, ac prævidens alterum se ideo aggressurum, censetur ipse moralis aggressor, ideoque si, cum possit, non fugiat, sed occidat, defensio erit culpabilis, & immoderata, consequenter irregularitati obnoxia. Unde adulterum a marito deprehensum, & invasum, si, cum possit fugere, non fugiat etiam cum dedecore, sed occidat maritum invadentem, incurrere irregularitatem, certum est apud omnes: Quia ipse causam aggressionis culpabiliter dedit, ideoque & defensor est culpabilis.

182 At, quid si miser ille nullo modo possit fugere, sed occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, & sine peccato, etiamne incurrit irregularitatem? Affirmant absolute Nav. *c.27. n.238. S. Antoninus, alii apud Lay.* mox citatus. Negant vero absolute *Sotus, Henriq. Avila, Less.* alii. Sed rectius conciliant, & distinguunt Suar. *c.20. q.4. Filliuc.* alii apud Laym. *cit. n.2.* Quod si adulter temere, & sine periculo præviso, vel prævideri debito excitandæ pugnæ, ad peccandum cum aliena uxore accessit, postea sic occidendo maritum aggredientem irregularis fiet; quia indirecte saltem voluntarie causam præbuit secuti homicidii ob defensionem, quod vitare poterat, & debebat abstinendo a tam gravi injuria, & sic vera est Sententia affirmativa. Quod si vero adhibita debita cautela, juxta illud, *si non caste, saltem caute*, plane casu, & præter omnem opinionem maritus superveniens invadat adulterum, tunc is aliter evadere non potens, sed cum moderamine inculpatæ tutelæ invasorem occidens, ab irregularitate immunis erit, cum hic desit omnis voluntarius influxus adulterii in homicidium, juxta prædicta, & sic vera erit sententia negativa. At tandem quid si maritus postea primum cognito adulterio, occidit uxorem, eritne adulter irregularis, tamquam causam præbens tali homicidio? Affirmant rursus *Navar.* & alii nonnulli; negant vero DD. communius. Sed recte eadem ratione, & distinctione resolvendum esse censet *Laym. cit.* Plures similes casus resolvemus *c. seq. de homicid. casuali.*

SECTIO IV.

De homicidio in Duello, saltem aliquando licito.

SUMMARIUM.

183 Usq; ad n.190. *Duellum proprie est pugna singularis duorum ad invicem pugnantium ad mortem, vel mutilationem ex condicto, ad certum locum, & tempus.*

190 *Ordinarie, etiam auctoritate publica, per se semper illicitum est.*

191 *Nisi quandoque per accidens.* 1. *ad demonstrandam veritatem*, usque ad nu.193.

193 II. *Ad determinandam litem*, usque ad nu.196.

196 III. *Ad finiendum bellum*, usque ad nu.198.

198 *Auctoritate autem privata semper illicitum est indicere, vel acceptare duellum.*

199 *Excepto unico casu, quo licet occidere injustum aggressorem, quales recensentur quatuor* usque ad n.205.

205 *Estque peccatum gravissimum:*

206 *Et merito excommunicatione, aliisque penis ab Ecclesia prohibitum*, usque ad 208.

208 Usque ad n.213. *Quinam in contingentia duelli excommunicationem incurrant.*

213 *Recensentur aliæ pœnæ.*

ASSERTIO IV.

Duellum proprie dictum, auctoritate publica ordinarie, (exceptis certis, & raris casibus) auctoritate vero privata semper illicitum est: Excepto solo unico casu, quo licet occidere injustum aggressorem. Est peccatum gravissimum, merito excommunicationis, aliisque pœnis ab Ecclesia prohibitum. Tota communissima. Explico per partes. 183

§. I. *Duellum proprie dictum.*

Duellum vi vocis idem est, ac duorum bellum, Grece *monomachia*, id est, pugna singularis, seu unius cum uno. Et sic late sumptum, duellum dicitur quæcumque rixa, concertatio, vel pugna duorum inter se, sive cum, sive sine periculo mortis: sive ex condicto, sive casu, ex occasione facta. At proprie, prout in jure, & SS. Canonibus severissime prohibentibus accipitur; Sic definitur. *Duellum est pugna singularis duorum adversus invicem pugnantium ad mortem, vel mutilationem alterutri inferendam ex condicto ad certum locum, & tempus.* Sic DD. passim. Dicitur 184

I. *Pugna singularis duorum;* seu unius contra unum: quando enim plures promiscue contra plures pugnant, rixa est, non duellum: nisi etiam inter ipsos servetur æqualitas certo numero, ut singuli determinati contra singulos determinatos pugnent: aut principales duo duellantes, socios sibi adsciscant, ut vocant *secundantes*, ut sicut principales contra se invicem pugnant, ita secundus unius, contra secundum alterius dimicet. Unde duplex est ejusmodi diabolicum duellum: Unum *publicum, & solemne*, quod fit cum certis cæremoniis, determinato loco, & tempore cum electione certorum armorum, adhibitis patrinis, seu secundis, & testibus, seu assistentibus &c. quæ diabolus ad solemnem interitum animarum insanis duellistis suggerit, & succurrit. Alterum *simpliciter, & privatim tantum*, quod sine ejusmodi cæremoniis fit, tamen ex condicto, certo loco, & tempore. 185

II. *Ad mortem, vel mutilationem alterutri inferendam.* Omnis enim pugna fit cum periculo mortis, vel mutilationis, unde qui, etiam ex condicto, sed sine armis aptis ad occidendum, vel vulnerandum, v. g. pugnis, baculis levibus &c. pugnant, quamvis ad vindictam: item, qui digladiantur ludo hastarum, & similium instrumentorum non ad mortem, vel ad mutilationem inferendam, sed ad exercitium artis, vel virium corporis, non committunt duellum: ac etiam secuta morte, vel mutilatione alterius, etsi non sine peccato, non incurrunt penas duellantibus decretas. 186

III. *Ex condicto &c.* Cum scilicet duellantes prius pugnam condicunt, postea ineundam ad certum locum, & tempus. Quando enim ex accidenti sibi invicem occurrentes pugnant, etsi unus alterum prius quæsierit, aut pugnam vel mortem minatus fuerit, non erit proprie dictum duellum, nec secuta morte locum habebunt pœnæ Ecclesiasticæ; ut omnes observant. 187

IV. *Ad certum locum, & tempus.* Ubi in primis ly, *&* copulative sumendum est, sic ut & certus locus, & certum tempus simul condicatur ad pugnam: adeo ut si condicatur, vel locus tantum, vel tempus tantum, non erit duellum stricte sumptum in prohibitione Pontificum, quæ cum sit odiosa, & gravis valde, stricte interpretanda est de rigoroso duello. *Sic Bonacina*, aliisque cit. Diana *p.5. tr.13. res.59.* Tamb. *l.6. Decal. c.1.* §.3. *n.8.* Et hinc 188

Duellum proprie, & stricte sumptum quatenus ab Ecclesia sub excommunicatione, aliisque pœnis gravissimis prohibetur (quamvis alioquin peccatum mortale gravissimum) non erit. I. Universaliter: quando aliqui se provocant ad pugnam nullo determinato tempore, vel loco. Item, si quis dicat alteri, pugnabo tecum, vel, invito te ad pugnam, quandocumque extra hunc locum occurreris; quia non est assignatio determinati loci, & temporis: immo, etsi quis dicat, pugnabo tecum prima vice, qua per hanc urbem, vel extra hanc urbem tibi occurrero &c. quia tota urbs, vel extra urbem, non est locus satis certus. Et prima vice, &c. non est tempus certum; ut contra *Bonacinam*, & alios, cum aliis probabilius putat *Tamb. cit.* II. Si qui rixantes in templo, aula Principis, domo, navi, cursu &c. ob reverentiam, & periculum, vel angustias loci, dicant invicem: exeamus, vel prodi mecum, &c. & eodem impetu exeant, & pugnent, quia non est condictio certi loci, & temporis. Vide Dianam cum aliis *p.2. tr.16. res.53. & p.3. tr.6.* 189

tr.6. res.1. III. Si qui orta repente rixa in aliquo loco subito se provocent ad duellum, etiam ad certum locum, & mox eodem tempore, & impetu caloris eo concurrentes dimicent: quia non est assignatio certi temporis: & esto intercedat aliquod spatium temporis; dummodo judicio prudentis censeatur durare idem calor iracundiæ. Ita *cit.* Eadem est ratio, si duobus contendentibus verbis, vel pugnis, alter, vel uterque domum petant, & arma capientes mox redeant, & pugnent: quia non est ex condicto. IV. Si quis alteri domi manenti dicat: exi, hic te expecto ad pugnam: aut si duobus contendentibus, alter condicens locum, dicat; hic me expecta, donec redeam &c. sumptisque armis redeat, & pugnet, adhuc non est duellum stricte sumptum, ut cum Diana cit. censet Tamb. *ib. n.*12. Quia licet sit condictio loci, non tamen est condictio determinati, & moraliter distincti temporis, imo cum condictio, & pugna fiant durante eodem passionis calore, censentur moraliter una actio, non duæ distinctæ, prout requirere videntur prohibitiones Pontificiæ, quæ in materia odiosa stricte interpretandæ sunt. Sed hæc dicta sunt in ordine ad prohibitiones, pœnasque Ecclesiasticas tantum §. 4. referendas. Nam quoad jus naturæ, & peccatum mortale perinde est, quomodocumque fiat duellum illicitum.

§. II. *Auctoritate publica.*

190 ORdinarie etiam auctoritate publica illicitum est indicere, vel inire duellum, exceptis certis raris casibus fere ad ipsam defensionem inculpatæ tutelæ reducendis, *Communissima*. Et patebit adducendo causas, ob quas publica auctoritate duella induci, aut permitti solent, vel possunt. Et potissimum sunt tres: 1. *ad demonstrandam veritatem.* 2. *ad terminandam litem.* 3. *ad finiendum bellum.*

I. *Ad demonstrandam veritatem.*

191 ETiam auctoritate publica semper illicitum est per se loquendo instituere duellum ad demonstrandam veritatem, vel innocentiam probandam. Qua ratione duellum numeratur inter pugnationes vulgares, & damnatur *in c. Monomachiam 2.q.5. & c.1. & 2. de purgat.vulgari.* Et docent omnes cum S.Thom. 2.2. *q.*95. *ar.*8. *ad* 3. Ratio est: quia medium illud, præterquam quod sit valde difficile, atque a natura humana abhorrens, etiam ex se, & natura sua prorsus non est idoneum ad talem finem, scilicet veritatis demonstrandæ, vel innocentiæ probandæ, cum ex natura æque contingere possit, & de facto sæpius contingat, illum, qui pro veritate stat, vel innocens est, in duello succumbere: adeoque hoc modo veritatis, vel innocentiæ demonstratio, vel signum inquiritur non ex natura actionis, sed aliunde: ergo vel a DEO, & sic erit tentatio DEI, secluso tamen speciali DEI instinctu, quemadmodum refertur de fabro illo Cambronensi, qui Judæum violatorem Imaginis B. VIRGINIS duello est aggressus, ut ejus perfidam malitiam demonstraret: *vel* per modum sortis a fortuna, & casu, & tunc erit sortilegium, quo uti ad aliquid contingens determinandum ex justitia, semper est peccatum mortale; cum enim sortibus de se fallibilibus non possit adhiberi certa fides futuri eventus, una pars necessario exponitur periculo injustitiæ, & in duello, insuper mortis: *aut* denique ab ipso dæmone, & tunc spectat ad superstitionem divinationis ex pacto cum dæmone, peccatum gravissimum: ergo ad eum finem licitum nulla ratione est duellum.

192 At, quid si iniquus Judex alicui innocenti mortis supplicium minetur (res iniquissima, & damnatissima omni jure, & tamen nostris temporibus nonnumquam practicata) nisi duello se purget? licebitne innocenti duellum acceptare? Negant quidem *S. Antoninus*, *Abulensis*, *Sylv. & Armilla*, *verb. duello*. Sed merito affirmant DD. communiter. Toletus *l.*5. *c.*6. *in fine*. Cajetanus 2. 2. *q.* 85. *art.*8. *causa* 4. Filliuc. *tract.*29. *c.*8. *q.*10. Laym. *cit.c.*5. *a n.*1. Ratio sumitur ex communi jure naturæ, quo innocenti licet tueri vitam suam contra injustum invasorem: adeoque hoc casu omnino requiritur, ut alter, contra quem duellandum est, sit nocens, & iniqui Judicis velut minister; ideoque censeri debeat injustus invasor, contra quem locum habeat jus naturale necessariæ, & inculpatæ defensionis. Quid si ergo etiam alter innocens sit, posito casu duos falso venisse in criminis suspicionem, nullumque ex ipsis esse reum, iisque optionem dari, ut vel mortem subeant, vel duello congrediantur: Recte resolvit Laym. *l. cit.* neutrum duellum inire posse, cum per se intrinsece malum sit innocentis occisionem aggredi. Quod si tamen, alter accepta conditione iniquissima, duellum aggrediatur, eo ipso fiet nocens, & injustus invasor, contra quem alteri innocenti uti licebit jure naturali defensionis. Quid si denique a Principe, vel Duce belli, duobus certo nocentibus ac capitis supplicium meritis, duellum indicatur? Resp. Licet hoc speculative, & jure naturæ non videatur illicitum, cum nihil aliud sit, quam utrumque reum in alterutrum constituere ministrum justitiæ, cum conditione, ut ei, qui alterum executione sententiæ prævenerit, vita condonetur: practice tamen ob circumstantias, periculum animæ, & speciem quandam crudelitatis, nec expediens est, nec licitum saltem post *Conc. Trid.* duella tam stricte prohibens. Certum autem videtur, reos tunc posse duellum acceptare, solo affectu publicæ justitiæ, & propriæ vitæ salvandæ causa, secluso affectu privati odii, vel vindictæ, *Azorius*, *Filliuc. Laym. cit.* alii apud ipsos.

II. *Ad terminandam litem.*

ETiam publica auctoritate per se semper illicitum est duellum instituere ad terminandam litem, vel controversiam aliquam. *Communissima DD. supra.* Ratio clara est: vel enim instituitur duellum ad terminandam litem, ut per eventum duelli constet de justitia, vel injustitia causæ litigantium: & sic duellum æque erit medium inidoneum ad hoc, ac ad demonstrandam veritatem, vel innocentiam probandam; & sic redibit totum argumentum supra. Vel instituitur solum ad hoc, ut facto duello partes cessent a lite: & tunc insana, & diabolica malitia est, velle duello congredi cum certo periculo vitæ, ut desistant a lite, a qua sponte, & secura vita, desistere possunt. At, quid si alicui innocenti certum, vel probabiliter cognitum sit, se per accusatoris calumniam injuste judicio opprimendum cum certa jactura vitæ, vel honoris, vel bonorum magni momenti, nec ullum aliud supersit medium evadendi tantam jacturam, nisi duellum? licebitne tunc duellum offerre, vel oblatum acceptare, etiam propria auctoritate? Negant universim *Abulensis*, *Salon & alii apud Dianam mox citandum*. Affirmant universim Pet. Navarr. *lib.* 2. *c.*3. *dub.* 13. *n.*289. Sanch. *l.*2. *moral. cap.*39. *n.*5. Hurtad. aliisque cit. Diana *p.*5. *tract.*4. *res.*7. Tu distincte breviter sic resolve. 193

Licitum est, eo casu duello congredi, tam provocando quam acceptando, cum calumniatore ad liberandam ipsam vitam a moraliter certo periculo. *Communis DD. Nav. citat. c.*11. *n.*39. Filliucius, Laym. cit. supra. Ratio est: quia cuilibet naturali jure permissa est defensio contra injustum aggressorem: atqui calumniator ille, ut vere injustus invasor injustam tibi necem machinatur; non enim interest, proprio ne gladio, an alieno Judicis te impetat, ait *Cajetanus* 2.2. *quæst.*95. *art.*8. ergo si aliud medium non suppetat, poteris te duello defendere; idque maxime accedente consensu Principis, vel Judicis, quem ad hoc necessarium esse, affirmat *Cajet. ibidem*. Sed melius negant alii communiter; cum defensionem propriæ vitæ ipsum jus naturale concedat. 194

Quamvis, speculative loquendo, idem dicendum sit pro defensione temporalium bonorum, vel honoris ab injusto calumniatore in judicio, supposito nimirum, non esse aliud medium te liberandi: practice tamen vix videtur possibilis casus, in quo liceat ob defensionem bonorum, vel honoris in judicio, duello congredi. *Ita contra Petr. Navarr. Sanch. & Dianam cit. communis DD. apud modo cit.* Ratio est: vel enim talis accusatus calumniam passus, innocentiam demonstrare potest in judicio, vel non potest. Si potest, nulla erit necessitas duelli: si non potest, etiamsi duello certet, & vincat, non ideo probabitur innocens: sed novo homicidii dedecore famam maculabit: Unde merito supra practice reprobavimus sententiam *Pet. Navar. Sanchez*, & aliorum, licere calumniatorem, aut falsum testem, immo, & ipsum Judicem iniquum e medio tollere, ne noceat in vita, vel bonis alicujus momenti, etiam eodem argumento usi. 195

III. *Ad finiendum bellum.*

ETiam publica auctoritate per se illicitum est instituere duellum ad finiendum bellum offensivum, & defensivum. *Communis DD. apud Cajet. Sanch. Filliucium, Laym. cit.* Ratio est, quia bellum gerens sive offensivum ad injuriam vindicandam, sive defensivum ad injustam vim repellendam, debet se habere velut agens respectu partis adversæ, agens autem debet esse fortius passivo, ut penes ipsum quasi spes certæ victoriæ existat: atqui non contingit hoc in duello, quia vel par est utriusque conditio, vel multa accidere possunt, ut etiam is, qui videtur esse valentior viribus, succumbat: ergo per se loquendo, non licet bella finire duello. Per accidens tamen ita licebit in certis casibus. I. Si hostis ipse exercitui duellum offerat, quod ab aliquo acceptari ad ignominiam avertendam, animos hostium frangendos, & suorum confirmandos multum expediens videatur. Exemplum habemus 1.*Reg.*17. *de David, & Philistæo.* II. Quando ad experiendos, vel debilitandos adversariorum militum animos, vel ad finem belli, victoriamque facilius consequendam, Duci expediens videtur privata duella suorum militum contra hostes indicere. III. Quando ad bonum Reipublicæ, bellique exitum imminente conflictu, magis expedire Ducibus videtur totum bellum ad duellum, vel certamen paucorum revocare, & hosti offerre, vel ab hoste oblatum acceptare. *Omnia ex communi DD. apud Sanchez, Filliuc. Laym. cit.* 196

Cæterum in ejusmodi duellis communi utriusque exercitus consensu institutis, semper annexum debet esse pactum, ut neutri parti succumbenti succurratur, idque etiam a juste bellantibus hosti injusto servandum est, cum bonum 197

bonum commune postulet, ut hosti fides servetur, maxime in rebus ad bellum spectantibus, teste S. Aug. *Ep.* 207. *relat. cap. noli* 23. *qu.* 1. Secus est de duellis privatis, quæ si ex utraque parte injusta sint, circumstantes ex charitate dirimere tenentur, quoad commode possunt. Si vero ex una tantum parte injustum esset bellum, v.g. ex parte injusti calumniatoris, tunc alteri innocenti succumbenti astantes succurrere possunt, & debent, etsi conditio posita fuisset, ut neutri parti succurratur. Quia conditio illa ex parte innocentis, ob necessariam sui defensionem contra calumniatorem pugnantis, iniqua est.

§. III. *Auctoritate vero privata*

198 SEmper illicitum est duellum indicere, provocare, acceptare, & inire, excepto solo unico casu necessariæ defensionis, quo licet injustum aggressorem occidere. In his terminis fere consentiunt omnes, & recte exprimit noster March. *par.* 2. *tr.* 6. *tit.* 3. *qu.* 1. §. 5. *dub.* 2. Ratio manifesta est ex terminis. Duellum enim est pugna privata, & spontanea duorum ad mortem alterutri inferendam; quia scilicet cum periculo propriæ vitæ intenditur, & attentatur mors alterius. atqui simpliciter nullo unquam casu licet privata auctoritate, ac spontanea voluntate hominem occidere, etiam quantumvis nocentem: excepto solo unico casu illo necessariæ defensionis inculpatæ tutelæ, contra actualem injustum aggressorem: quando nimirum quis non voluntarie se exponendo periculo vitæ, sed necessitate cogente, & instanti periculo vitæ jam expositus, duellum init. Alia causa fingi non potest, cum omnis alia causa excogitabilis infinitis aliis modis transfugi possit, ut mox patebit in casu principaliter controverso.

I. *Casus certus.*

199 INimicus armatus occurrit tibi inermi, & mortem minatur, nisi mox arreptis armis secum duello certes: sine dubio poteris. Sed tunc non erit stricte duellum, sed rixa potius. Dicat ergo inimicus: tecum pugnabo in condicto loco, & tempore, nisi acceptes, hic te confodiam &c. acceptare poteris sine dubio, immo etiam inire postea duellum, si aliter detrectare, & evadere nescias, est enim ipsissima defensio vitæ. Idemque dicendum, si hostis divitis domum ingressus dicat: Hæc omnia pretiosa auferam, destruam, domum incendam &c. nisi duello mecum certes hac hora extra portam hanc &c. & aliter sua tueri nesciat, esset enim ipsa defensio bonorum. Lege Dianam *par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 27. & alios apud ipsum.

II. *Casus certus.*

200 JUdex iniquus innocenti delato minatur mortis supplicium, nisi duello contra adversarium nocentem se purget. Licere ex communi DD. jam habes §. 2. casu primo: revera enim tunc non publica auctoritate, quæ ad injusta non urget, sed privata Judicis, & nocentis calumniatoris malitia ad defensionem vitæ cogeris. Idemque dicendum, si eo casu iniquus Judex minaretur aliud supplicium grave, grandem mulctam pecuniariam &c. quam aliter evitare non possis.

III. *Casus tutus.*

201 TItius a calumniatore in judicio injuste opprimendus esset cum certo periculo vitæ. Hoc casu tam indicere, quam acceptare duellum, etiam privata auctoritate licere etiam habet *ib.* casu secundo. Et recte aliqui apud *Dian.* supra extendunt universaliter, licere provocare ad duellum, idque inire, quoties non est alia via, qua quis vitam suam servet. In hac enim suppositione non est provocatio mera, sed justa defensio. Sed casus, præter jam jam dictos, erit rarissimus.

IV. *Casus principalis controversus, & tandem permissus.*

202 UTrum liceat duellum ab alio oblatum acceptare, & inire ob eam causam, quod si duellum detrectes, censeatur apud viros prudentes, nobiles Principes, &c. diminutus honor tuus, ipseque ignaviæ, & timiditatis notatus, vel infamis habearis in statu militiæ, vel nobilitatis, non amplius æstimaberis, nihil fies, non promoveberis &c. Affirmant aliqui apud Dianam *par.* 5. *tract.* 13. *resol.* 25. id licere, saltem cum hac limitatione: si provocatus judicabitur duellum detrectare, non propter conscientiam, & legem Dei, quippe quam alias non observat, sed propter timiditatem, & ignaviam: idque acceptet non aggrediendo, sed solum animo se defendendi, si ab altero impetatur. Ratio est: quia pro honore defendendo licet occidere injustum aggressorem. Verum hæc Sententia est expresse damnata novissime ab Alexandro VII. Anno 1665. ordin. 2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

203 Quare omnino verissima, & in praxi omnimodis suadenda est opposita Sententia negativa. *Communis DD. Sotus, Navar. uterque, Rodriquez, Molina, Less. Sanch. Fill. alii passim* apud Laym. *sæpe cit. par.* 3. *tract.* 3. *c.* 3. *March. supra.* Ratio est evidens: quia id præcise liceret ob defensionem honoris, & vitandum dedecus, vel infamiam: atqui revera sicut nulla est infamia nullum dedecus, sed merus, & solidus honor, ita nemo prudentum, atque proborum, vitio, vel infamiæ vertere jure potest, quod quis Legem Dei, & Naturæ observet, & sui ipsius, vel proximi occidendi periculum absque justa necessitatis causa non adeat: minime vero in re adeo gravi attendenda sunt hominum vanorum, & imprudentum judicia, maxime in hoc perditissimo sæculo, quo res eo usque devenit, ut ob quamvis leviculam causam ex mera diabolica libertate, ac vanitate duella inducuntur, & ea respuentes sinistre judicantur, &c. Aliud est de fuga in actuali aggressione, quæ homini Nobili, & militari ex natura rei, omnium judicio, ignominiosa dicitur; ad duellum autem provocatus, & recusans, non censetur fugere, sed Legem Dei, & Naturæ observare: & pro honore servando, & ignominia avertenda sufficit dicere: defendam me, quandocumque aggressus fuero. Vel sic: ego, tua condictione ista non opus habeo ad me, meaque tuenda, quocumque loco, vel tempore paratus hoc gladio defendere, &c. Facta autem postea aggressione locus erit justæ defensioni.

Quod si tamen in raro casu eo loco res sit, ut si duellum 204 respuas, miles in exercitu, vel Nobilis in Aula Principis debeat cedere armis, officio, dignitate: aut excidere Ducis, vel Principis favore, & gratia ob ignaviæ suspicionem; adeo ut tunc sub titulo honoris, ipsius vitæ, vel familiæ conservatio periclitetur, omnino fatendum est cum *Navar. Laym. citat. aliisque communiter*, licere tunc duellum acceptare, & meræ defensionis gratia provocanti se sistere: quia tunc esset vera, & mere justa defensio contra injustum aggressorem, scilicet provocantem, qui sua provocatione de facto, vel actu aggreditur meum honorem, officium, dignitatem: adeoque conservationem vitæ, vel familiæ meæ, ut mihi illa violenter eripiat. Proinde Lege naturæ eadem vi defendere possum, ac debeo, cum absque eorum amissione retrocedere nequeam. Et hic ergo sit quartus casus rationabiliter permissus. Denique excusari possunt ex simili rationabili causa, etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam, &c. Vide Dianam *p.* 1. *tr.* 16. *resol.* 52. Et multo magis si ex condicto occulte certo promittant, quod impediendi sint ab omni damno, etsi descenderint ad locum pugnę, gladios strinxerint, ictus aliquot sine aliquo periculo contorserint &c. uti observat Bassæus *v. Duellum n.* 9. Tamb. *lib.* 7. *Decal. cap.* 1. *§.* 3. *in fine*, alii apud ipsos.

§. IV. *Peccatum gravissimum.*

OMne nimirum duellum indirectum, acceptatum, initum, perpetratum absque legitima auctoritate publica in certis casibus, maxime belli §. 2. (excepto solo casu necessariæ, ac justæ defensionis contra injustum aggressorem) §. 3. est peccatum mortale gravissimum, contra quintum præceptum divinum naturale, *non occides*. Idque duplex homicidium: dum duellans, & proximi vitam aggreditur, & suam periculo necis exponit absque legitima, & justa causa. Neque raro evenit utrumque cadere: neque id alia indiget probatione; attamen ob diabolicam crudelitatem, qua sub colore honoris vani, ac futilis, infandam carnificinam tam animarum, quam corporum, dæmon excogitarit, quam omnibus modis tollere oportet in jure Canonico tam veteri, quam novo, merito 205

Gravissimis pœnis prohibitum ab Ecclesia.

ORdo prohibitionis hic est. In primis Constitutiones 206 Julii II. Leonis X. Clementis VIII. & Concilii Trident. *Sess.* 25. *cap.* 19. de reform. easque confirmans Pius IV. sub excommunicatione latæ sententiæ, aliisque pœnis prohibent duella solemnia. Deinde Gregorius XIII. sub excommunicatione summo Pontifici reservata, & novis aliis pœnis prohibet duella omnia, etiam privata, omnemque eorum cooperationem. Denique Clemens VIII. prædicta omnia confirmat, additque aliqua magis explicata sub excommunicatione, aliisque pœnis jam jam enumerandis, & explicandis.

Prima pœna

ESt excommunicatio latæ Sententiæ ipso facto incurrenda, & licet non in Trident. tamen in Bullis Gregorii XIII. & Clementis VIII. soli Pontifici reservata, præterquam in mortis articulo. Hanc incurrunt sequentes. 207

I. Principes, Magistratus, Duces militiæ, &c. duella 208 præcipientes, vel permittentes, &c. extra casum necessitatis, boni communis, ut in bello supra dictum; aut etiam in casu particulari, si ad vitanda majora mala duellum permittere cogantur: *Sanchez, Laym. citati*, & alii cum Diana *par.* 6. *tract.* 6. *resol.* 20.

II. Ipsi-

209 II. Ipsimet certantes in duello illicito: *ex Trident.* quidem in solo duello solemni, vel publico; ex Bullis autem Pontificum etiam in duello privato sine cæremoniis, tam vero, & proprie dicto duello ex condicto prius certo loco, & tempore. Unde non incurrunt omnes enumerati. §. I. post N. IV. pugnantes quidem pugna singulari, sed non proprie dicto duello, cum prohibitiones illæ, utpote odiosæ, stricte interpretari, & intelligi debeant de duello stricte, & proprie sumpto.

210 III. Incurrunt ipso facto provocantes ad duellum serio animo pugnandi: itemque litteras provocatorias scribentes, deferentes scienter, aut provocationem oretenus denunciantes, etiam effectu pugnæ non secuto, saltem ex bulla Clementis VIII. licet non clare ex Bulla Gregorii XIII. ex Trident. ut late ostendit Filliuc. *tr.29. c.8. q.15.* Non ergo incurrunt provocantes absque animo pugnandi, effectu non secuto: v.g. si quis offensus ab alio, vel contumelia gravi affectus, ad reparandum honorem læsum coram aliis illum provocat ad duellum, certo sciens, pugnam ab amicis impediendam fore etiamsi uterque venisset ad locum designatum, gladium stringeret, neuter incurret. *Diana, Filliuc.* An vero incurrant provocantes ad duellum serio, & animo pugnandi quidem, sed effectu aliunde non secuto, vel impedito ab amicis, aut altero non comparente: negat quidem Hurtadus apud Dianam *p.5. tr. 14. ref.120.* dicentem, an hæc Sententia Mendozæ sit probabilis, alii judicent. Affirmat autem verius Filliuc. *tr.29. c.8. qu.19. n.170.* Tamb. *cit. lib.6. cap.1.* §.3. *n.15.* idque ex Bulla Clementis VIII. §.7. qui §.6. in fine de instigantibus dixerat, *etiamsi pugna aliqua non secuta fuerit:* quæ clausula omnino etiam videtur subintelligenda in §. *sequenti de provocantibus*, & sane mirum esset hominem mere instigantem ad duellum incurrere excommunicationem reservatam, etiam non secuta pugna, & ipsum principalem provocantem, etiam non secuta pugna, non incurrere. Unde Confessarius privilegiatus eo casu pœnitentem, qui ita serio provocarat, etsi pugna impedita fuerit, omnino debebit absolvere ab excommunicatione, saltem pro majori securitate, & addito illo: *si quam incurristi.*

211 IV. Incurrunt duellantium auxiliatores, & ejusmodi, & quomodolibet, auxilio vel consilio proxime cooperantes ad duellum, sive ut explicate loquitur Clemens VIII. in Bulla §.5. *quicumque ad provocandum aliquem ad pugnam auxilium, consilium, operam, vel favorem præstiterint, etiam effectu pugnæ non secuto.* Non ergo incurrunt remote tantum cooperantes, v.g. 1. Qui aliquid dicit, vel narrat, unde prævidet posse oriri duellum, nisi id intendat, & eo fine narret, ut ad duellum incitet. 2. Neque qui duellaturo subministrat arma, sine quibus tamen armis aliunde petitis, nihilominus pugnaret: neque qui solum legit scripturam ad duellum provocatoriam absque intentione maligna, vel alia cooperatione. Ratio ejusmodi exceptionum est: Quia leges pœnales tam onerosæ stricte sunt interpretandæ. 3. Neque is, qui postquam consilium, vel auxilium ad duellum dederat, serio conatus est revocare, vel impedire, etsi nihilominus pugna sequatur: quia moraliter cessavit ejus cooperatio per revocationem. 4. Neque is, qui solum ratam habet, vel approbat provocationem, vel pugnam suo nomine jam factam: quia pœna decreta in delictum committentes, non extenditur ad illud ratum habentes, nisi in jure exprimatur, prout exprimitur de ratam habente occisionem, vel percussionem Clerici suo nomine factam.

212 V. Incurrunt omnes spectatores duellantium, qui vel condicto, vel composito cum duellantibus accedunt ad spectandum: *ex Trid. citato, & Bulla Gregorii XIII.* vel tanquam socii comitantur duellatores, id tamen effectu secuto tantum, alias non, nisi accedat alia cooperatio. Non ergo incurrunt. 1. Qui tantum per accidens intervenienda spectant, seclusa omni compositione cum duellantibus, omnique periculo præviso promovendi duellum: tunc enim eo ipso fieret compositio tacita cum duellantibus: & quia revera sola præsentia dat hoc periculum promovendi duellum, ideo tales morosi spectatores sub conditione absolvendi sunt a Censura. 2. Minus incurrunt, qui tantum obiter, & in transitu spectant, aut ex occulto, ut videri nequeant, quia sic nullum est periculum promovendi duellum. Filliuc. *t.2. tr.29. cap.8.* pluresque citans Dian. *p.5. tr. 14. ref. 100.* Ab hac tamen excommunicatione occulta (saltem extra Italiam) absolvunt Episcopi, & ex privilegiis Regulares mendicantes, non obstante Bulla Clementis VII. ut docet *communis Doctorum apud Bonac. Dian. Laym.* qui recte monet, eam Bullam quoad duella privata, cum ex condicto, & certo loco, & tempore ad pugnam sine aliis ceremoniis accedunt, apud Germanos non esse in tanto rigore receptam, saltem quoad reservationem excommunicationis.

Pœnæ reliquæ.

213 Secunda pœna est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ illius, qui duello occubuit, & ante mortem absolutus non fuit, unde licet talis ante mortem signa contritionis, seu pœnitentiæ dederit, Confessarium petierit, non tamen confiteri, & absolvi potuit ob defectum Sacerdotis, adhuc sepultura Ecclesiastica privatur; nisi ad eum finem ipsius cadaver absolvatur auctoritate Ordinarii, possunt tamen pro tali defuncto fieri suffragia Ecclesiæ, & orationes in Missa, quia licet mortuus fuerit excommunicatus, tamen non fuit denunciatus, & non toleratus: soli autem excommunicati denunciati, & non tolerati, aut notorii percussores Clericorum, & tales mortui privantur suffragiis Ecclesiæ; uti cum Navar. & aliis docet Diana *p. 5. tract.4. ref.192.* sed neque sepultura Ecclesiastica privandus erit, qui accepto vulnere in duello etsi lethali e loco duelli discesserit, & alibi mortuus fuit: quia verba Trid. *si in tali conflictu decesserint*, cum sint legis pœnalis, non sunt ultra rigorem litteræ extendenda. *Sanch. Laym. Diana*, alii citati. *Tertia.* Pena est interdictum in locis, in quibus, scientibus, & permittentibus locorum illorum Dominis, duella injusta commissa sunt. *Quarta.* Privatio dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, si duellans fuerit Clericus. *Quinta.* Inhabilitas ad illa, seu Clericus, seu Laicus fuerit: & tandem *Sexta* Est irregularitas: nimis enim notum est, occidentem, vel mutilantem, in duello incurrere irregularitatem ex delicto; de qua *cap. seq.* si autem occidat in duello licito, sive ex auctoritate publica, sive ob necessariam sui, sive suorum defensionem, nullam incurrere irregularitatem, jam ex dictis liquere debet. Decernuntur etiam pœnæ temporales confiscationis bonorum, & aliæ; sed hæ non sunt nostri fori.

CAPUT III.

De Homicidiis illicitis.

Homicidium illicitum aliud est voluntarium; idque directe, vel indirecte tantum, in se, vel in causa; 1
aliud involuntarium simpliciter, & mere casuale: homicidium formaliter in se, & directe voluntarium est, cum quis directa voluntate intendit occidere hominem; idque rursus duplex, unum physice patratum, quo quis per se ipsum instrumento materiali, vel causa physica proxime applicata, ut gladio, sclopo, veneno, &c. directa voluntate occidit hominem: aliud moraliter causatum, quo quis etiam directa voluntate intendit hominem occidere: at non per se, vel instrumentum materiale a se applicatum, sed per alium hominem, ut agens morale voluntarium cum jussione, consilio, vel alio quovis modo ad occidendum hominem inducendo, adjuvando &c. Homicidium voluntarium directe, & in sua causa dicitur, quo quis directa voluntate quidem non intendit occidere hominem, attamen aliquid agit, vel omittit, ex quo prævidet vel prævidere deberet secuturum homicidium. Unde etiam duplex, ex causa positiva, & ex causa negativa, ut latius explicabitur suis locis: & hoc etiam dicitur homicidium casuale mixtum. Homicidium denique involuntarium simpliciter, & mere casuale dicitur, quod sequitur ex actione, vel omissione hominis præter omnem ejus directam, vel indirectam intentionem, vel advertentiam, cum scilicet illud nec intenderit, nec prævideril, nec prævidere debuerit, aut potuerit. De his ordine agemus sex sectionibus. Prima de occisione, vel mutilatione sui ipsius. Secunda de homicidio voluntario proximi physice patrato, & sua irregularitate. Tertia de homicidio proximi moraliter causato, vel cooperatione ad illud, cum sua irregularitate. Quarta de homicidiis indirecte tantum voluntariis, seu casualibus, mixtis, & sua irregularitate. Quinta de homicidiis simpliciter, & mere casualibus involuntariis, casibusque ambiguis. Sexta denique de restitutione ex homicidio debita & dispensatione super irregularitatibus prædictis.

SECTIO I.

De Sui ipsius occisione directa, indirectaque, ac mutilatione.

SUMMARIUM.

3 & 4 *Se ipsum directe, & voluntarie occidere nunquam licet,*
5 *Nullo casu, vel causa.*
6 & 7 *Nullaque auctoritate humana, quantumvis publica:*
8 & 9 *Excepto solo casu, quo Deus ipse juberet.*
10 *Immo nec indirecte licet seipsum occidere,*
11 *Ad mortem suam proxime cooperando,*
12 *Se certo mortis periculo exponendo;*
13 *Aut mortem suam permittendo, v. g. in gravi morbo, si remedia ordinaria haberi possint.*
14 *Ad remedia tamen extraordinaria infirmus non obligatur.*
15 *Potest tamen quis quandoque per accidens admittere propriam mortem ob justam causam Charitatis, vel justitiæ.*
16 Usque ad nu.21. *Quando, & quibus casibus ex Charitate erga Deum, &*
21 Usque ad n.26. *Quando, & quibus casibus ex Charitate erga proximum.*

26 *Quinam, & quando obligentur ex justitia legali, & commutativa vitam exponere periculo mortis.*
27 Usque ad num.32. *Qualiter, & quantum ad mortem damnatus, possit indirecte ad eam cooperari.*
32 *Non licet se mutilare aliquo membro per se loquendo.*
33 Usque ad num.37. *Nec etiam castrare ob commodum vocis conservandæ.*
37 *Nisi quando conservatio vitæ propriæ, & totius suppositi mutilationem alicujus membri admittit, vel requirit.*
38 Usque ad nu.44. *Referuntur pœnæ se occidentium, &c.*
44 *Irregularitas ex mutilatione sui ipsius.*

ASSERTIO I.

2 *NUnquam licet occidere voluntarie seipsum directe, nullo casu, vel causa nulla, auctoritate humana, excepto casu solo, quo Deus ipse juberet: neque indirecte ad mortem suam proxime cooperando, sese certo periculo mortis exponendo, aut occisionem sui permittendo, nisi ob justam causam Charitatis, vel justitiæ. Nec denique se mutilare aliquo membro, nec castrare ob vocis commoda, nisi ob vitæ propriæ, seu totius suppositi conservationem.* Hæc, paucis exceptis controversis casibus, est tota communissima, ut patebit explicatione per partes.

§.I. *Nunquam licet occidere seipsum directe, & voluntarie.*

3 CErtissimum est apud Orthodoxos, SS. PP. Doctores omnes, & ex professo late docet D. Aug. *lib.1. de Civ. Dei, c.16. usque ad 28.* & rursus hæresi *69. contra hæreticos Donatistas*, Circumcelliones dictos, qui id licitum, opus magni meriti, & genus martyrii esse dicebant, & ideo seipsos igne, aqua, præcipitio &c. necabant, aliosque ut se interficerent, cogebant. Concilia, & Patres recitatos videre potes apud DD. prolixum nimis esset exscribere. Probatur nunc

I. Generaliter *non licere*.

4 EX præcepto Divino naturali *non occides*: ubi notat D. Aug. *cit. c.20.* Deum generaliter, & simpliciter dixisse: *non occides*, nihil addendo, v.g. dicendo, non occides proximum tuum, nihil excipiendo, *quia nullus, nec ipse utique, cui præcipitur, intelligitur exceptus: restat igitur, ut de homine intelligamus, quod dictum est: non occides, non alterum ergo nec te; neque enim, qui occidit alium, quam hominem occidit.* Et ibid. c.19. ita argumentatur S. Doctor, *aut innocens est, qui mortem sibi machinatur, aut nocens, innocentem nullo casu ex proposito occidere licet, prohibente DEO. Exod.23. Insontem, & justum non interficies: nocentem autem Judex interficere debet; nemo autem sui ipsius Judex esse potest, aut justæ sententiæ executor. Hæc Aug.* Ratio autem naturalis, inter varias a variis laboriose assignatas, videndas apud Lug. *disp.10. de just. sect.1.* potissima videtur hæc: quia destructio rei est actus proprius Domini rei, qui pro libitu de re sua potest disponere, ac per hoc, qui non est Dominus rei, sed tantum administrator & custos, non potest destruere, sed debet eam debito modo administrare, & conservare, alioquin delinquet contra justitiam adversus Dominum rei: atqui homo non est Dominus suæ vitæ, sed tantum administrator, & custos sub dominio solius Dei: ergo non potest illam pro libitu destruere, sed debet eam debito modo conservare: ergo ulterius occidens seipsum, delinquit gravissime contra justitiam, non quidem respectu sui ipsius, sed respectu ipsius Dei, cui gravem infert injuriam, usurpando actum Dominii divini sine ejus facultate: respectu vero sui, seu contra seipsum peccat tantum contra Charitatem; ejusdem enim ad se ipsum non est justitia, sed Charitas tantum. Vide latius *Lugo cit.*

II. Nullo Casu, vel Causa.

5 OB nullam scilicet causam, ullo unquam casu licet occidere seipsum. *Ratio est*, quia id liceret, vel ad avertendas miserias naturæ, fortunæ, vel famæ, vel ad vitandum peccatum alienum, vel ad vitandum peccatum proprium, v.gr. in periculo luxuriæ, vel stupri. Non primum: cum mors sit majus malum incomparabiliter omni alia corporali miseria fortunæ, vel famæ, ideoque ordine Charitatis omnibus malis corporalibus fortunæ, vel famæ postponendum: neque secundum, vel tertium, quia peccatum, & alienum, & proprium pendet a libera voluntate alterius, vel tua: ergo nulla est necessitas excusans, ut ad ea evitanda liceat sibi mortem inferre, uti pulcherrime, & late docet D. August. eod. l.1. de Civ. c.26. *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata; ne hoc ipso incipiat habere gravissimum peccatum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter sua peccata præterita: propter quæ magis hac vita opus est, ut possit pœnitendo sanari. Neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur: quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.* Verum est, licere sibi mortem optare ob similem causam, ut infra notabitur. Pessime autem inferes ob similem causam licere sibi mortem inferre. Disparitas grandis est: quia actus inefficax desiderii sumit sibi suam specificationem a solo motivo per intellectum proposito, quod hic bonum esse supponitur: bonum quippe est velle vitare mala naturæ, & culpæ maxime: at vero actus efficaces sumunt specificationem ab ipso objecto seu actu externo toto, ut a parte rei faciendo: hoc autem in proposito malum est. Desiderare ergo mortem ob honestam causam, ut debito modo, Deo disponente, eveniat, nihil malum est: at vero inferre mortem, magnum malum est; siquidem tunc homo usurpat potestatem in vitam suam, quam nullus habet, nisi solus Deus. Et nimis notum est multa optari, & desiderari posse, ut debito, vel licito modo fiant, quæ per se non licet facere. Licite optas ut hic grassator pessimus morte plectatur ob bonum commune: at non potes ipsi mortem inferre, immo ob bonum finem v.g. sanitatis, vel tentationis sedandæ gratia, licite optas, ut pollutio naturaliter eveniat in somnis v.g. sed ipse procurare licite nunquam potes &c.

III. Nulla Auctoritate humana

QUantumvis publica, licet seipsum occidere. *Ratio est*: quia solus Deus habet claves vitæ, & mortis, & est Dominus utriusque. Sapient.16. *Tu es, Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* Deut.32. *ego occidam, & ego vivere faciam.* Et antiquum Sapientum Axioma est, non esse sine jussu Dei a statione vitæ decedendum, similitudine sumpta a militibus, quibus non licet sine licentia Ducis a statione decedere. Unde etiamsi homini aliarum omnium rerum dominium Deus permisit, Psalm. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus &c.* dominium tamen vitæ sibi reservavit, juxta receptissimum, etiam Ethnicorum Sapientum, axioma præfatum. Et licet Divina ordinatione, & auctoritate gladius mortis datus sit Principibus, & Magistratibus in malefactores, ut nocenti mors per alium inferatur, non tamen concessit Deus ut quis justitia publica jubente possit sibi manus injicere, & mortem inferre: quod vel inde patet, quod, quacumque lege jubente, vel quocumque Judice mortem in reum nocentem juste decernente, possit etiam sceleratissimus, qua potest via, alias licita, sibi consulere, & effugere absque peccato, ex ipso naturæ, & dilectionis naturalis fundamento, qua quisque vitam suam diligit; ideoque nefandissima censetur crudelitas sui ipsius occisio, quam ab hominibus omni modo avertere voluit Deus. Judex autem divina ordinatione institutus est minister Justitiæ, non autem crudelitatis, ait noster March. *cit. tom.2. tr.6. tit.3. q.1. §.1. dub.2.* Et hinc quamvis justa morte damnatus non tantum non teneatur seipsum interficere, ut omnes consentiunt, ob dictam rationem, nimis enim crudele est, hominem sui ipsius esse carnificem, ideoque nulla potestate humana imperabile, sed neque licite poterit tunc seipsum directe occidere, v.g. venenum per se sumere, sibi venam incidere, se gladio, vel sclopo trajicere, aut suspendendus illaqueato jam collo se a scalis dejicere, &c. aut ulla simili actione, quæ per ministrum justitiæ fieri potest, directe ad suam mortem cooperari: juxta communem DD. sententiam Less. *lib.3. dub.6. num.36.* Lugo *cit. disp.10. sect.1. n.12.* est enim hæc crudelis actio directe pugnans contra rationem, & inclinationem naturalem communis naturæ: nulla enim res ullo casu seipsam perimere intendit; ideoque nulla naturali, vel humana auctoritate cohonestabilis. 6

Contrarium tamen non improbabiliter docent *Victoria Cordub. & Arag.* apud Lugo *cit. n.12.* & Tamb. *lib.6. Dec. c.2. §.1. n.5.* Less. *cit. l.2. c.9. dub.6. n.20.* Ratio est: quod talis non puniat se ut Judex (quod utique fieri nequit, cum punitio actus justitiæ vindicativæ necessario debeat esse ad alterum) sed ut minister Judicis punientis auctoritate publica constitutus, quod in aliis pœnis v.g. exilio, mulcta pecuniaria fieri posse palam est. Fatentur tamen semper, neminem ad hoc teneri, neque posse facere licite sponte, Judice non jubente, neque posse Tyranno, vel alio Judice injuste jubente, quia sicut tunc non potest alteri committi executio mortis, ita multo minus sibi ipsi. Fateor cum *Less. cit.* hanc sententiam mihi videri probabilem eo casu, quo jubente judice reo permitteretur mors facilis veneno v.g. vel vena incisa in balneo, alioquin juste subituro mortem acerbissimam, v.g. igne, rota, certe multo minus natura horret sibi ipsi inferre mortem levissimam, quam ab alio perpeti dirissimam. 7

IV. *Excepto solo casu, quo DEUS ipse juberet.* Restat ergo sola Auctoritas Divina, cujus solius expresso mandato, vel jussione, aut certe comperto instinctu, licet homini se ipsum interficere, & de facto se ipsos occidisse supponendum est, quotquot Sancti, vel Sanctæ in SS. Scripturis, vel Historiis commendantur: ut Sampson Judicum 16, Eleazarus sub Elephante, 1. Machab.6. v.45. Razias 2. Machab. c.14. &c. S. Apollonia sponte in ignem insiliens, S. Pelagia, Sophronia, & aliæ SS. fœminæ, ne stuprum paterentur, seipsas occidentes, vel in flumen præcipitantes, & sic de cæteris similibus, ut late docet S. Aug. præsertim lib.1. de Civit. cap.21. dicens. *Nec Sampson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Et idem ib. c.26. *Sed quædam, inquiunt, sanctæ fœminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum,* 8

atque necaturum se flumen projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio: & fieri potest, ut ita sit, quod si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ, nec errantes, sed obedientes, sicut de Sampsone aliud nobis fas non est credere: cum autem DEUS jubeat, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Hæc Aug. Quod si vero alia ejusmodi in sacris, vel in profanis historiis referantur, & commendentur, maxime apud Gentiles, ut de Lucretia, Catone, quæ divino mandato vel instinctui attribui nequeant, tamen excusari poterunt per conscientiam erroneam inculpatam ex ignorantia invincibili, & bona fide. Sane valde persuasa olim fuit opinio apud Christianos, licere seipsum occidere pro tuenda castitate a violento aggressore, cui sententiæ etiam aperte adhæsisse videtur D. Hieron. in c. 1. Jonæ relat. c. 23. q. 5. *in persecutionibus non licet propria perire manu absque eo, ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere.* Certe torva nimis, & torta videtur expositio Gloss. ibid. *Ly, absque eo,* ibi sumi non exclusive, sed inclusive, ut sensus sit etiam ubi castitas periclitatur, ut in illo Cant. 4. *tota pulchra es*, absque eo, quod intrinsecus latet. Si placet, ita responde: si secus, errorem pie excusabilem agnosce.

9 *Quæres* hic incidenter, qua ratione liceat sibi ipsi mortem optare, desiderare, &c. Resp. Non solum sanctum, & laudabile est, mortem sibi optare ob majus bonum spirituale consequendum, scil. æternæ beatitudinis, aut ad majus malum spirituale evitandum, scil. malum culpæ, & pœnæ æternæ, & periculum damnationis: nota sunt illa suspiria sancta. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* verum etiam per se licitum est, mortem sibi optare ad evadendum malum temporale pœnæ, utpote miserias, & ærumnas hujus vitæ, cruciatus morborum, infamias, captivitates durissimas. *Per se*, inquam, seclusa impatientia, aliove vitio. Ita *Navar. Vasquez, Sa, Turrian. Bonac. aliique* citatis Tambur. *lib. 5. Decal. cap. 1. §. 3. num.* 84. Ratio est, quia talis adhuc vere optat mortem, non ut malum, sed ut bonum sibi, neque ut male, sed ut debito modo, nimirum Deo disponente, & natura agente eveniat. *Scotus* cum suis contrarius solum videtur loqui de volitione efficaci, & electione mortis ut medii ad evitandum malum temporale pœnæ, quod utique esset illicitum, & desperationem sapit, adeoque in praxi audire non possumus: quis enim peccati mortalis damnet ægrum diuturno morbo gravissime cruciatum, optare sibi mortem, dolorum finem a Deo imponi? &c. Unde *Tamb. cit.* recte monet Confessarios, ut pœnitentes, dum se tanquam de mortali accusant, sibi mortem optasse, ut incommoda hujus vitæ effugiant, ab hac conscientia erronea liberent, cum ad id teneantur ex officio pastoris, medici, & Doctoris spiritualis, seclusa semper impatientia, indignatione, murmure, maxime contra DEUM.

§. II. *Sed neque indirecte &c. licet seipsum occidere.*

10 Certum apud omnes: *Ratio, & Regula manifesta generalis est.* Quandocumque aliquod opus directe facere illicitum est, etiam per se illicitum erit illud indirecte facere, scilicet aliquid agendo, vel omittendo voluntarie, unde illud sequatur, nisi justa causa ita agendi, vel omittendi excuset, ac morale voluntarium ad illud opus tollat: uti docetur in materia de actibus humanis de voluntario indirecto: atqui seipsum directe occidere semper illicitum est ex dictis: ergo per se, & nisi justa causa excuset, jam illicitum erit seipsum occidere indirecte, nimirum aliquid agendo, vel omittendo, unde mors sua secutura sit. Et in specie in Assertione expressum est.

I. *Ad mortem suam proxime cooperando.*

11 Qua ratione peccant mortaliter, qui gravi, & periculoso morbo laborantes, noxia, ac vetita sumentes, mortem sibi causant, vel notabiliter accelerant: item qui intemperanter viventes, cum certo prævisio, vel a peritis Medicis prædicto periculo mortis notabiliter, ac vitiose accelerandæ. Dico autem *notabiliter*, ac *vitiose*: alias non. Unde Diana *p. 1. tr. 2. resol. 29.* a mortali excusat eum, qui non abstinet a potu, glacie, vel nive refrigerato, etsi prævideatur citius inde moriturus, quia levis admodum censetur cooperatio ad mortem. Item eum, qui vinum moderate bibere pergit, etsi dicat peritus Medicus, eum a vino abstinendo, posse vitam protrahere, v. g. decem annos: sicut e contra, si idem dicat Medicus, te similiter posse protrahere vitam vinum bibendo, vel carnes comedendo, cum alias non soleas, non obligaberis ad hoc; quia cooperatio nec certa est, nec vitiosa. *Diana* ibi, Fagundez *lib. 5. Decal. c. 11. n. 18.* alii apud ipsos. Qua ratione excusantur, immo laudantur Carthusiani, qui ex vi Professionis, ac voti sui, omnem esum, & usum carnis excludunt, etiam in quocumque morbo, quantumvis spes sit, ejusdem esu vitam posse protrahi diutius: quia ob tam sanctum finem perpetuæ mortificationis, sancte aliquantulam accelerationem mortis suæ permittunt: tales enim non intendunt suam mortem, sed carnis mortificationem, & vitam spiritus meliorem: quin & S. Hilarius, & S. Paulus, & S. Antonius in austeritatibus summis, & jejuniis, vitam ad 100. & alii ultra, annos produxerunt. Discretione tamen opus est. Nullus ergo scrupulus movendus est iis, qui laboribus, pœnitentiis, jejuniis, vigiliis, austeritatibus ad obsequium DEI, & carnis mortificationem vacantes, juxta exemplum Apostoli 1. ad Corinth. 9. *Ego castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, vitam sibi abbreviare videntur, infra tamen regulas prudentiæ, & discretionis, est enim cooperatio ad mortem valde remota, & levis, quæ sancto illo fine omnino cohonestatur: dummodo non sit excessus irrationabilis, & enormis cum notabili virium, & vitæ detrimento: qui enim supra vires suas sese macerando, vitam suam manifeste breviorem redderet, utique peccati homicidii reus esset, quia sicut alium v. g. infantem non potes occidere ob bonum finem citius eum mittendi ad gloriam, ita nec teipsum. Communis Doctorum *Victoria, Navarrus, Lessius*, cum Laym. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 1. num.* 4.

II. *Se certo mortis periculo exponendo.*

Qua ratione peccant mortaliter imperiti funambuli, agitatores taurorum, gladiatores, torneatores, duellantes seu quovis simili ludo equestri se exercentes cum certo periculo occisionis suæ; secus si in arte illa, vel ludo peritis certum periculum non immineat: qua ratione, non peccant, saltem graviter, illi, qui venenum sumunt, a vipera se sinunt morderi, graviter se vulnerant, vel adurunt &c. ad experiendam virtutem tyriaci, dummodo prius in bruto sumpta experientia, ut ostendat efficaciam remedii sui, quod mox adhibent, quia tunc censetur cessare periculum mortis. Ita ex *Navar. Rodriq.* & aliis Diana *p. 5. tractat. 4. resol.* 38. Plures casus excusantes habebis mox per extensum §. sequenti. 12

III. *Aut mortem suam permittendo.*

Quando nimirum commode, & rationabiliter impediri potest: qua ratione peccant mortaliter, qui in gravi periculoso aut lethali morbo nolunt adhibere remedia ordinaria, & commode parabilia, iisque neglectis mortem permittunt; cum enim non simus domini, sed custodes tantum vitæ nostræ, tenemur vitam nostram conservare mediis ordinariis, & per se ordinatis ad vitam conservandam tantum: non item mediis extraordinariis insolitis, multumque difficilibus, aut ob cruciatum, v. g. adscissione membri, brachii, vel tibiæ, aut ob pretium v. gr. medicina nimium sumptuosa comparatione sui status: uti habet communis sensus DD. Lessius *lib. 2. c. 9. dub. 13. n. 97.* Laym. *cit. nu. 4. fin.* & alii. Ratio est: quia præceptum servandi vitam affirmativum est, ideoque non pro semper, sed certo tantum tempore, & modo obligat. Et hinc 13

IV. *Ad servandum vitam, vel in morbo salutem recuperandam non obligaris*

I. Uti medicamento extraordinario, nimium difficili, & sumptuoso, ut modo dictum. 2. Nec locum habitationis solitæ mutare: est enim medium extraordinarium, & incertum, maxime Religiosis vitandum. 3. Nec uti cibis, vel potu extraordinario cum difficultate, vel sumptu. 4. Nec uxorem ducere, alias non ductus: est enim, & hoc extraordinarium medium sanitatis. Quinimo puellam honestam, ac pudicam posse medicinam, ac Medicum repellere, vel fugere, suique morbi curationem omittere, ne videatur, & tangatur in partibus verecundis, cum nemo teneatur admittere curationem, a qua non minus abhorret, quam ab ipso morbo, ex Bonacina jam alibi notavi: & scio eum casum non semel contigisse tempore pestis, & a viris doctis excusatum esse. Quid autem liceat in injusta aggressione vitæ suæ, jam explicatum habes supra suo loco. Hic jam insuper pro plurimorum casuum resolutione sequitur generalis exceptio in Assertione. 14

§. III. *Nisi ob justam Causam Charitatis, vel justitiæ.*

Ratio, & Regula generalis a DD. assignari solet hæc: quoties adest causa justa, & gravis aliquid agendi, vel omittendi, quamvis inde per accidens sequatur mors, si ego mortem tamen non intendam, sed intendo tantum bonum finem, toties me licite gero, istud ago, vel omitto, sicque periculo mortis me expono, vel mortem meam permitto. *Ratio* regulæ modo supra indicata est: quia præceptum affirmativum servandi vitam non obligat semper, & omni tempore, & omni casu, sed tantum, quando moraliter servari potest: atque cum occurrit talis justa, & gravis causa aliquid agendi, vel omittendi, ex quo per 15

accidens mors sequatur, jam vita moraliter servari non potest: ergo servare non teneor, sed licite permitto. Casus particulares plerique commode revocari possunt ad dicta duo capita Charitatis, & justitiæ.

I. Charitas erga Deum.

16 HAc de morte sua triumphant Martyres. Martyrium enim est actus Virtutis Religionis, quo quis pro testimonio Christi mortem patienter oppetit ex Charitate; inde enim dicitur Martyr græce, latine, testis: idque non tantum fit propter Evangelicæ veritatis, ac Christianæ Fidei Confessionem, vel prædicationem, sed etiam propter quodcumque bonum committendum, vel malum omittendum, secundum Evangelica Doctrinam, & Fidem Christi: circa quæ tamen ita discernendum est.

17 I. Quod malum, quod est jure divino naturali, vel positivo prohibitum, ut fidem negare, fornicari, mentiri &c. quilibet invasus debet mortem oppetere, & Martyrium subire, si Charitas adsit, potius quam ullum tale opus committere, v. g. fidem negare, fornicari, immo etiam stuprum tolerare cum periculo consensus: quo tamen periculo secluso passive se habendo, non tenetur mortem subire, secundum Communem DD. Excipitur: nisi in contemptum Fidei, vel Religionis id attentaretur ab Infideli, vel hæretico, maxime in persona Religiosa, vel sacra.

18 II. Quoad opus bonum positivum faciendum secundum Fidem, & Religionem Christianam, ut sunt prædicatio Evangelii, professio fidei, Sacrificium, jejunium, abstinentia a carnibus, quandoquidem cedant ad fidei majorem gloriam, utilitatem Ecclesiæ, salutem spiritualem proximi, cui merito minus malum propriæ mortis postponatur, tunc pro tali opere periculo mortis se exponere, mortemque patienter oppetere licitum, & proprie dictum Martyrium est, sed consilio tantum perfectionis.

19 III. Insuper in præcepto obligationis erit in casu necessitatis, eoque duplici: si nimirum honor Dei, Ecclesiæ, aut proximi salus detrimentum patiatur, si ob metum mortis abstineas a Confessione, vel prædicatione Fidei, Sacrificio, Sacramentorum administratione, abstinentia a carnibus in certo casu, quando earum usus in signum falsæ Sectæ proponeretur, aut contra si talia exerceas, maximum honoris divini, Ecclesiæ, ac salutis proximorum augmentum secuturum putetur, ut lex Charitatis censeatur obligare, mortem oppetere pro tanto bono secuturo. Communis DD. cum D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art. nu.* 4. pluribusque cit. Sanchez. *l.* 2. *moral. c.* 4. & alii passim.

20 IV. At vero, seclusa talis necessitatis vel utilitatis ratione, talia exercere, Fidem docere, vel profiteri, sacrificare, &c. apud infideles, vel hæreticos in periculo mortis, non erit actus Charitatis, & fortitudinis, minus martyrium, sed potius actus temeritatis, & scandali contra Charitatem sine justa causa infidelibus occasionem peccandi præbendo, scilicet sæviendi, occidendi: unde in Conc. Elibert. can. 10. legimus, *si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Evangelio non est scriptum, neque invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit in numerum Martyrum non recipi*. Lege D. Aug. *serm. 6. de verbis Domini c.* 11. Sed de his latius egi in primo præcepto de Confessione Fidei.

II. Charitas erga proximum.

21 HAc item excusante, immo etiam quandoque urgente, licet seipsum mortis periculo exponere, aut mortem suam permittere, maxime in communi Reipublicæ, aut spirituali proximi necessitate. Huc ergo referenda sunt omnia dicta *tr. 3. c. 6. sect.* 4. de Ordine Charitatis, quando quis possit, & debeat vitam corporalem suam postponere bono communi, aut saluti spirituali proximi in necessitate extrema laborantis. Item dicta *cap. præced. sect.* 3. §. 4. qualiter injuste invasus possit permittere sui occisionem, omissa defensione, ex Charitate, pietate, vel misericordia erga aggressorem præsertim alioquin amandum. Aliquot tamen casus breviter adnota.

22 I. Potest quis invisere, servire, Sacramenta administrare &c. peste infectis, vel simili morbo contagioso laborantibus, quamvis timeatur, & reipsa subsit periculum propriæ infectionis, & mortis: multo magis uxor (vel e contra maritus) cum suo probabili vitæ periculo laudabiliter assistet marito peste infecto: idque non tantum ad necessarium obsequium, sed etiam solum ad solatium, vel amorem demonstrandum licere, pie admittit *Joan. Sanch.* apud Tamb. *cit. lib. 6. Decal. cap.* 2. §. 2. *n.* 7.

23 II. Potest quis se objicere telo ad conservandam vitam Principis, vel parentis, pietatis, & boni communis causa: Immo etiam in probabili magnorum Doctorum Sententia, licet etiam propriam vitam pro vita corporali proximi amici exponere, alioquin injuste occidendi, ut si Titius esset injuste damnatus ad mortem, probabiliter poteris tu amicus ejus, te offerre ad occidendum, ut amicum serves. Dicunt tamen *injuste*: si enim juste damnatus sit, non poteris; quia tunc Judicem volentem non nisi juste reum occidere, induceres ad occidendum te injuste. Ita cum aliis Lessius *l.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6.

III. Idem *Lessius* ibidem cum *Victoria*, *Toleto*, & aliis concedit universaliter posse te in extrema necessitate communi, v. gr. famis, cedere amico panem unicum, quo utens vitam tuam adhuc servare posses, aut in naufragio tabulam forte apprehensam, qua ipse enatare sperares, & sic mortem tuam permittere: quod quidem respectu parentis, aut alterius personæ conjunctæ, vel publicæ, & nos fassi sumus *cap. præced. sect.* 3. 24

IV. Etiam ex Charitate erga seipsum licite quis poterit se periculo mortis exponere, quoties nimirum quis non potest vitare mortem acerbiorem, nisi se in periculum aliud mortis minus acerbæ conjiciat, poterit se in illud immittere, v. gr. grassante incendio: itemque imminente feroci leone, Tyranno, vel latrone crudeliter necaturo, si non suppetat alia via tam horrendæ mortis evadendæ, poteris te etiam e sublimi loco per fenestram demittere, aut ardente navi in mare, vel flumen projicere &c. etiam certo vitæ periculo; non enim intendis te occidere, nec directe te occidis; sed ut dirum illud tormentum evadas, in aliud periculum mortis te conjicis: quin etiam bruta animantia instinctu naturæ talibus modis se servare nituntur, inquit *Less. cit. in fine*: atque ibidem *n.* 32. hac ipsa ratione excusat milites navales, qui igne pulveri tormentario injecto, se in mare injiciunt, ne, navi occupata ab hostibus, acerbiorem ab ipsis mortem patiantur, vel ipsa morte diriorem captivitatem, neque enim hoc est se occidere, sed ob urgentissimam causam periculo mortis levioris se committere, mortemque suam permittere. Sed de his mox inferius. Eademque ratione ad evadenda gravia tormenta torturæ (qualis certe etiam est tortura Germanica) potest quis verum crimen omnino fateri: immo in communi vera sententia etiam falsum cum æquivocatione congrua, & secluso damno tertii. Sed de hoc ex professo in octavo præcepto. Tandem certum apud omnes est, non licere seipsum directe occidere ad atrociorem mortem injustam evadendam. Damnabilis ergo mos est Japponensium, qui, ut atrocem mortem, v. g. lenti ignis evadere possint, discisso ventre necando se liberant. 25

III. Justitia Communis.

EX Justitia communi legali gubernativa, ac commutativa non solum licite possunt, sed obligantur vitam suam periculo mortis exponere. I. Pastores spirituales tempore pestis, & persecutionis. II. Magistratus etiam temporales, quibus Reipublicæ cura commissa est. III. Duces, & milites in bello justo, quantum necessitas exigit ad tuendum bonum commune: miles enim potest, & tenetur non deserere stationem &c. etsi certus sit, se occidendum: & hi omnes ex Justitia commutativa, & vi pacti, & muneris sui. IV. Saltem ex Charitate boni communis, licite potest quis scalas applicare mœnibus, ascendere turrim vel mœnia suffodere, ignem pulveri tormentario ad evertendam turrim, vel munitionem hostilem injicere &c. etsi prævideat se mox occidendum, simul cum hostibus obruendum, igne dissipandum &c. Ratio semper est: quia hoc non est directe seipsum occidere, sed ob justissimam causam boni communis periculo mortis se exponere, mortemque suam permittere, bonum privatum vitæ tuæ laudabiliter postponendo bono communi reipublicæ. Atque hac ratione, etiam secluso speciali instinctu divino, quidam excusant factum Sampsonis, quod publico Reipublicæ bono Hebræorum se morti exposuerit, non directe, sed consequenter, ut cladem illam maximam inferret hostibus: ut dicitur Jud. c. 16. *multoque plures interfecit moriens, quam ante vivens occiderat*. Item factum Eleazari, qui ut Elephantem regium cum præsidio imposito sterneret, hostique cladem inferret, sub ipsa bellua stans occidit, sciens certo se mole ejus opprimendum, prout evenit. Eademque ratione *Less. cit.* Marchant. *dub. 6. cit.* & alii apud Dianam *p. 3. tr. 6. ref.* 48. immo jam communis Theologorum Hispanorum, & Italorum excusat a peccato milites in mari bellantes, cum pulveri tormentario ignem injiciunt dissipandis, & suis, & hostium navibus, quando id faciunt pro bono communi Reipublicæ, vel Ecclesiæ, ne scilicet hostes præda maxima potiti, Rempublicam, vel Ecclesiam amplius impugnent, quin potius justam cladem patiantur: nam ut supra jam innui, proprie se non occidunt, sed pro Regis, vel Reipublicæ bono, communi periculo mortis se exponere censentur, fide militari, & auctoritate publica vel Regia potius, quam privata. 26

IV. Justitia Vindicativa.

DAmnatus juste ad mortem, etsi non possit juste occidere seipsum, aut ad mortem suam cooperari directe aliqua actione, quæ per ministros justitiæ fieri potest, ut §. 1. dictum. Attamen 27

I. Potest, & debet cooperari ad mortem suam indirecte, quando ad illas actiones, quæ a ministris justitiæ fieri, vel suppleri non possunt, & ideo a ministris saltem implicite præcipiuntur, utpote ad locum supplicii se conferre, scalas 28

las ascendere, collum ad ictum securis protendere, aperire os ad sumendum venenum a ministro propinatum, & cætera: quia talis censetur coactus potius, quam voluntarie facere, immo potius passive, quam active se habere.

29 II. Damnatus ad mortem fame subeundam potest a cibis clanculum oblatis abstinere, quia talis ad mortem suam active non concurrit, sed passive tantum se habens, justitiæ amore eam fortiter perfert, uti cum *Soto*, *Toleto*, *Sayro*, & aliis docet Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 8. Ad id tamen non tenetur, sed cibos clam oblatos acceptare potest ipso jure naturæ, quo quis vitam suam tueri, quantum valet, licite potest: quinimo si talis esset injuste damnatus, per se loquendo teneretur comedere, sicut & in casu sequenti fugere, quia tunc justa causa non esset, vitam prodigendi, excepta causa Martyrii, ut bene notat Tamb. sæpe cit. *lib.* 6. *Decal. c.* 2. §. 2. *n.* 6.

30 III. Damnatus, vel damnandus ad mortem, etsi via fugæ pateat, potest non fugere, & amore justitiæ, sententiæ Judicis se conformare, juxta communem DD. apud citatos: quinimo talis mortem meritus ultro se Judici, & Justitiæ exercendæ occasionem offerre non prohibetur, ut recte docent Less. cit. *dub.* 6. Petrus Navar. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 74. alii cum Laym. cit. *c.* 15. *in fine*. At certe ad neutrum tenetur; sed licite fugere potest, non tantum ante Judicis latam Sententiam, nisi promiserit, vel juraverit se permansurum, sed etiam post latam a Judice sententiam mortis propriæ, gravissimi periculi declinandi causa. Communis DD. cum S. Thoma 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Laym. *aliique modo citati*.

31 IV. Quin etiam ad eum finem fugæ licite potest vincula, & carcerem perfringere in foro conscientiæ: cui enim concessus est finis, etiam media ad illum finem necessaria concessa esse debent, uti docent *Navar. Sotus*, *Less.* & *alii* apud Laym. cit. *lib.* 1. *tractat.* 4. *c.* 15. *n.* 10. Insuper in tali casu fugituro etiam alii consilium, vel instrumentum administrare licite possunt; quia ordinarie licet alteri opem ferre ad id, quod ab illo licite fieri potest: interdum vero obstat lex specialis id prohibens, itemque specialis obligatio ratione officii prohibet ipsos Judices, custodes, aliosque ministros justitiæ, ne in hoc reum adjuvare possint: & in hoc valde caute se gerere debent Confessarii. Nullis autem aliis licet fugituro cooperari ad violandam ipsam custodiam principalem, seu ad effringendum carcerem; quia publicam custodiam effringere, & violare per se est res gravissima, ac in foro externo crimen læsæ Majestatis, adeoque in foro conscientiæ solum ipsi reo ratione gravissimæ necessitatis suæ propriæ declinandæ concessa, non autem aliis ut causis principalibus cooperantibus. Famulum autem, vel filium jussu parentis, vel heri captivi parietem fodientem in foro conscientiæ excusat Laym. *cit. c.* 15. *n.* 10. *fin.* Vide alios ab ipso citatos.

§. IV. *Nec denique se mutilare aliquo membro &c. licet*.

32 Est item communissima DD. & SS. PP. D. Aug. *l.* 1. *de Civit. Dei c.* 20. & S. Th. *q.* 64. *art.* 5. apud Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Ratio est: quia homo, sicut vitæ, ita & membrorum suorum non est Dominus, sed custos tantum: solus autem Deus vitæ, ac membrorum Conditor, & Conservator, eorumque Dominus absolutus est; ergo injuriam Deo infert, qui extra casum necessitatis, & non facta sibi potestate a Deo, membrum abscindit, vel mutilat, uti indicatur Can. Ap. 21. *si quis se ipsum mutilavit, ne sit Clericus, est enim sui homicida, & Dei opificii hostis*. Deinde decreta specialia Ecclesiæ data sunt (ut in Conc. Nicæno *c.* 1. *Can.* 1. & aliis allegatis in Decreto dist. 55.) adversus insanos sui mutilatores, & castratores ex falso, & nimis physico intellectu verborum Christi Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te*, &c. & c. 19. *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum &c.* Quæ omnia non simpliciter, & physice, sed moraliter intelligenda sunt, scilicet de abscissione omnis occasionis peccati: etiamsi alias ita necessaria esset, sicut manus, pes, vel oculus. Item de voluntario firmo castitatis proposito, vel voto: quare SS. PP. graviter reprehendunt Origenem, quod se ipsum castraverit ob vitandam incontinentiam, maxime eo quod versaretur inter puellas Amanuenses: quasi incontinentiam superaret membrorum mutilatio, & non magis fortis, & constans voluntas, quæ etiam brutaliter sæviente carne fidam, firmamque in Deo stationem tenere potest, cum nemo cogatur consentire. Et hinc ulterius additum.

I. Nec castrare quidem ob vocis commodum.

33 I. Celebris quæstio est, an saltem ob vocis suavitatem conservandam, indeque lucrum, vel necessariam sustentationem acquirendam liceat pueros (adeoque a parentibus, præsertim pauperibus filios) castrare, eosque volentes, & consentientes Eunuchos facere, idque periti Physici manu absque ullo periculo mortis. Nam cum periculo mortis numquam licere ex se constat, & nolentes non posse cogi ad hoc a parentibus, vel dominis, omnes consentiunt, cum ii non sint domini membrorum filii, vel servi.

II. Affirmant Salonius 2.2. *q.* 65. *art.* 1. *Controv.* 1. Pasqualigus *dec.* 408. Tamb. *lib.* 6. *Decal. c.* 2. *n.* 4. & non improbabile censent *Tannerus*, & *Diana mox cit.* Ratio potissima est, quod hæc videatur justa causa non deficere in Republica, immo in Ecclesia hos sonoros cantores ad Divinas laudes modulandas: & ista abscissio non notabiliter noceat ipsi individuo, quin compensari possit cum emolumento vocis, & lucro inde sperato. Accedit praxis saltem tolerata, præsertim in Italia. 34

III. Communis autem, & vera est Sententia nostra negativa, non licere sub mortali. Ita Tannerus *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 5. *n.* 101. Laym. *cit. lib.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. *nu.* 2. aliisque citatis Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 38. & *p.* 6. *tr.* 8. *resol.* 36. Ratio universalis est, quia non licet homini aliquo membro se mutilare, nisi ob vitam conservandam, & non ob aliam causam minus necessariam, qualis in proposito assignatur: alioquin sequerentur multa inconvenientia. Quid si enim Rex, vel Princeps vellet meros habere eunuchos in aula sua, ut olim fuit, maxime apud Persas? Quid si vellet habere meros famulos elingues? an ob lucrum licebit se castrare, vel linguam sibi amputare? 35

IV. Accedit maxime, quod id sæpissime conjunctum sit cum periculo peccati, & salutis, cum enim etiam castrati, & quidem gravissime titillentur, & incalescant, sicque remedio conjugii privati versentur in magno peccati, & salutis periculo. Nec est paritas de voventibus perpetuam castitatem: hi enim operi meritorio incumbentes, gratia Divina adjuti facilius resistunt; & si omnino in periculo incontinentiæ versentur ejusmodi sæculares, remedio dispensationis juvari possunt etiam ab Episcopo, cum non est facilis accessus Romam, non item Eunuchi: maneat ergo sola exceptio nostra, 36

II. Nisi ob vitæ propriæ, & totius suppositi conservationem.

Hac sola causa licet se mutilare membro aliquo. Communissima DD. Toletus *lib.* 5. *c.* 6. Sa *v. homicidium nu.* 24. Less. *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 14. Laym. *cit. nu.* 2. aliisque citatis Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 32. Ratio est: quia licet homo non sit dominus vitæ, & membrorum suorum, est tamen custos; atqui prudens custodia vitæ, & ipse ordo Charitatis requirit, ut pro conservatione vitæ, & totius hominis, ne scilicet totus homo intereat, vel majus malum incurrat, exponatur, vel resecetur membrum aliquod, sive id proveniat a morbo intrinseco, v. gr. cancro: sive a violentia extrinseca, ut si alioquin a tyranno occidendus sis, nisi amputes tibi membrum, aut conclusus brachio, vel pede, comburendus, ab equo discerpendus, vel proterendus, nisi amputes illud membrum. Addit recte Diana *cit. resol.* 32. iis casibus perinde esse, sive quis ipse sibi membrum resecet, sive alius de ejus consensu. 37

Insuper quando Medici ita necessarium judicant, & absque intenso dolore fieri potest, etiam obligabitur quis curationem sectionis admittere: id enim omnino exigere videtur obligatio naturalis conservandi vitam suam per media non multum difficilia, ut ex communi notat Lugo *disp.* 10. *de Justit. sect.* 1. *n.* 31. Omnes autem consentiunt, neminem ad id teneri, quando intensus dolor futurus esset maxima ei incommoditas, ut si crus amputandum esset; cum nemo teneatur media extraordinaria, & difficilia adeo adhibere ad vitæ conservationem. Excipiunt tamen communiter, nisi vita tua Reipublicæ, vel bono communi valde sit necessaria. Sed practice non urget; quia regulariter potest prudenter existimare alterum non minus aptum sibi successurum. Excipiunt etiam nonnulli Religiosum, qui obedire debet Prælato jubenti, ut hujusmodi sectionem membri necessariam, etsi dolorosam, sustineat. Sed probabilius negant alii cum *Lessio sæpe cit.* quia res adeo difficilis censetur merito esse extra res contentas in Regula, in quibus Religiosi tenentur obedire, nisi forte Religiosus omnino necessarius esset Communitati, & medium illud omnino certum, & securum. 38

III. Pœnæ se ipsos occidentium.

Occisoribus sui ipsius præter pœnam fori divini, scilicet æternæ damnationis, etiam jure humano Canonico gravissimæ decernuntur pœnæ: nimirum privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, & omnium suffragiorum Ecclesiæ, ut nec Missæ, nec Vigiliæ, immo nec commemoratio in Missa pro ipsis dicatur *c. placuit* 23. *qu.* 5. Ex Concilio Bracarensi 1. c. 34. *Placuit, ut qui sibi ipsis voluntarie inferunt mortem per venenum, suspendium, præcipitium, &c. nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis in sepulturam eorum cadavera deducantur*. Similia habentur *cap. quibus* 13. *qu.* 2. Ubi tamen graviter observandum cum Laym. *cit. num.* 8. 39

I. Illos dumtaxat, qui voluntarie, & deliberate se ipsos occiderunt, Ecclesiastica sepultura, & suffragiis privandos. Non ergo illos, qui ex amentia, furore, excessu melancholiæ 40

accidens mors sequatur, jam vita moraliter servari non potest: ergo servare non teneor, sed licite permitto. Casus particulares plerique commode revocari possunt ad dicta duo capita Charitatis, & justitiæ.

I. Charitas erga Deum.

16 HAc de morte sua triumphant Martyres. Martyrium enim est actus Virtutis Religionis, quo quis pro testimonio Christi mortem patienter oppetit ex Charitate; inde enim dicitur Martyr græce, latine, testis: idque non tantum fit propter Evangelicæ veritatis, ac Christianæ Fidei Confessionem, vel prædicationem, sed etiam propter quodcumque bonum committendum, vel malum omittendum, secundum Evangelica Doctrinam, & Fidem Christi: circa quæ tamen ita discernendum est.

17 I. Quod malum, quod est jure divino naturali, vel positivo prohibitum, ut fidem negare, fornicari, mentiri &c. quilibet invasus debet mortem oppetere, & Martyrium subire, si Charitas adsit, potius quam ullum tale opus committere, v. g. fidem negare, fornicari, immo etiam stuprum tolerare cum periculo consensus: quo tamen periculo secluso passive se habendo, non tenetur mortem subire, secundum Communem DD. Excipitur: nisi in contemptum Fidei, vel Religionis id attentaretur ab Infideli, vel hæretico, maxime in persona Religiosa, vel sacra.

18 II. Quoad opus bonum positivum faciendum secundum Fidem, & Religionem Christianam, ut sunt prædicatio Evangelii, professio fidei, Sacrificium, jejunium, abstinentia a carnibus, quandoquidem cedant ad fidei majorem gloriam, utilitatem Ecclesiæ, salutem spiritualem proximi, cui merito minus malum propriæ mortis postponatur, tunc pro tali opere periculo mortis se exponere, mortemque patienter oppetere licitum, & proprie dictum Martyrium est, sed consilio tantum perfectionis.

19 III. Insuper in præcepto obligationis erit in casu necessitatis, eoque duplici: si nimirum honor Dei, Ecclesiæ, aut proximi salus detrimentum patiatur, si ob metum mortis abstineas a Confessione, vel prædicatione Fidei, Sacrificio, Sacramentorum administratione, abstinentia a carnibus in certo casu, quando earum usus in signum falsæ Sectæ proponeretur, aut contra si talia exerceas, maximum honoris divini, Ecclesiæ, ac salutis proximorum augmentum secuturum putetur, ut lex Charitatis censeatur obligare, mortem oppetere pro tanto bono secuturo. Communis DD. cum D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art. nu.* 4. pluribusque cit. Sanchez. *l.* 2. *moral. c.* 4. & alii passim.

20 IV. At vero, seclusa talis necessitatis vel utilitatis ratione, talia exercere, Fidem docere, vel profiteri, sacrificare, &c. apud infideles, vel hæreticos in periculo mortis, non erit actus Charitatis, & fortitudinis, minus martyrium, sed potius actus temeritatis, & scandali contra Charitatem sine justa causa infidelibus occasionem peccandi præbendo, scilicet sæviendi, occidendi: unde in Conc. Elibert. can. 10. legimus, *si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Evangelio non est scriptum, neque invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit in numerum Martyrum non recipi*. Lege D. Aug. *serm. 6. de verbis Domini c.* 11. Sed de his latius egi in primo præcepto de Confessione Fidei.

II. Charitas erga proximum.

21 HAc item excusante, immo etiam quandoque urgente, licet seipsum mortis periculo exponere, aut mortem suam permittere, maxime in communi Reipublicæ, aut spirituali proximi necessitate. Huc ergo referenda sunt omnia dicta *tr. 3. c. 6. sect.* 4. de Ordine Charitatis, quando quis possit, & debeat vitam corporalem suam postponere bono communi, aut saluti spirituali proximi in necessitate extrema laborantis. Item dicta *cap. præced. sect.* 3. §. 4. qualiter injuste invasus possit permittere sui occisionem, omissa defensione, ex Charitate, pietate, vel misericordia erga aggressorem præsertim alioquin amandum. Aliquot tamen casus breviter adnota.

22 I. Potest quis invisere, servire, Sacramenta administrare &c. peste infectis, vel simili morbo contagioso laborantibus, quamvis timeatur, & reipsa subsit periculum propriæ infectionis, & mortis: multo magis uxor (vel e contra maritus) cum suo probabili vitæ periculo laudabiliter assistet marito peste infecto: idque non tantum ad necessarium obsequium, sed etiam solum ad solatium, vel amorem demonstrandum licere, pie admittit *Joan. Sanch.* apud Tamb. *cit. lib. 6. Decal. cap.* 2. §. 2. *n.* 7.

23 II. Potest quis se objicere telo ad conservandam vitam Principis, vel parentis, pietatis, & boni communis causa: Immo etiam in probabili magnorum Doctorum Sententia, licet etiam propriam vitam pro vita corporali proximi amici exponere, alioquin injuste occidendi, ut si Titius esset injuste damnatus ad mortem, probabiliter poteris tu amicus ejus, te offerre ad occidendum, ut amicum serves. Dicunt tamen *injuste*: si enim juste damnatus sit, non poteris; quia tunc Judicem volentem non nisi juste reum occidere, induceres ad occidendum te injuste. Ita cum aliis Lessius *l.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6.

III. Idem *Lessius* ibidem cum *Victoria*, *Toleto*, & aliis 24
concedit universaliter posse te in extrema necessitate communi, v. gr. famis, cedere amico panem unicum, quo utens vitam tuam adhuc servare posses, aut in naufragio tabulam forte apprehensam, qua ipse enatare sperares, & sic mortem tuam permittere: quod quidem respectu parentis, aut alterius personæ conjunctæ, vel publicæ, & nos fassi sumus *cap. præced. sect.* 3.

IV. Etiam ex Charitate erga seipsum licite quis poterit se 25
periculo mortis exponere, quoties nimirum quis non potest vitare mortem acerbiorem, nisi se in periculum aliud mortis minus acerbæ conjiciat, poterit se in illud immittere, v. gr. grassante incendio: itemque imminente feroci leone, Tyranno, vel latrone crudeliter necaturo, si non suppetat alia via tam horrendæ mortis evadendæ, poteris te etiam e sublimi loco per fenestram demittere, aut ardente navi in mare, vel flumen projicere &c. etiam certo vitæ periculo; non enim intendis te occidere, nec directe te occidis; sed ut dirum illud tormentum evadas, in aliud periculum mortis te conjicis: quin etiam bruta animantia instinctu naturæ talibus modis se servare nituntur, inquit *Less. cit. in fine*: atque ibidem *n.*32. hac ipsa ratione excusat milites navales, qui igne pulveri tormentario injecto, se in mare injiciunt, ne, navi occupata ab hostibus, acerbiorem ab ipsis mortem patiantur, vel ipsa morte diriorem captivitatem; neque enim hoc est se occidere, sed ob urgentissimam causam periculo mortis levioris se committere, mortemque suam permittere. Sed de his mox inferius. Eademque ratione ad evadenda gravia tormenta torturæ (qualis certe etiam est tortura Germanica) potest quis verum crimen omnino fateri: immo in communi vera sententia etiam falsum cum æquivocatione congrua, & secluso damno tertii. Sed de hoc ex professo in octavo præcepto. Tandem certum apud omnes est, non licere seipsum directe occidere ad atrociorem mortem injustam evadendam. Damnabilis ergo mos est Japponensium, qui, ut atrocem mortem, v. g. lenti ignis evadere possint, discisso ventre necando se liberant.

III. Justitia Communis.

EX Justitia communi legali gubernativa, ac commutativa non solum licite possunt, sed obligantur vitam suam periculo mortis exponere. I. Pastores spirituales tempore pestis, & persecutionis. II. Magistratus etiam temporales, quibus Reipublicæ cura commissa est. III. Duces, & milites in bello justo, quantum necessitas exigit ad tuendum bonum commune: miles enim potest, & tenetur non deserere stationem &c. etsi certus sit, se occidendum: & hi omnes ex Justitia commutativa, & vi pacti, & muneris sui. IV. Saltem ex Charitate boni communis, licite potest quis scalas applicare mœnibus, ascendere turrim vel mœnia suffodere, ignem pulveri tormentario ad evertendam turrim, vel munitionem hostilem injicere &c. etsi prævideat se mox occidendum, simul cum hostibus obruendum, igne dissipandum &c. Ratio semper est: quia hoc non est directe seipsum occidere, sed ob justissimam causam boni communis periculo mortis se exponere, mortemque suam permittere, bonum privatum vitæ tuæ laudabiliter postponendo bono communi reipublicæ. Atque hac ratione, etiam secluso speciali instinctu divino, quidam excusant factum Sampsonis, quod publico Reipublicæ bono Hebræorum se morti exposuerit, non directe, sed consequenter, ut cladem illam maximam inferret hostibus: ut dicitur Jud. c. 16. *multoque plures interfecit moriens, quam ante vivens occiderat*. Item factum Eleazari, qui ut Elephantem regium cum præsidio imposito sterneret, hostique cladem inferret, sub ipsa bellua stans occidit, sciens certo se mole ejus opprimendum, prout evenit. Eademque ratione *Less. cit.* Marchant. *dub.* 6. *cit.* & alii apud Dianam *p.* 3. *tr.* 6. *res.* 48. immo jam communis Theologorum Hispanorum, & Italorum excusat a peccato milites in mari bellantes, cum pulveri tormentario ignem injiciunt dissipandis, & suis, & hostium navibus, quando id faciunt pro bono communi Reipublicæ, vel Ecclesiæ, ne scilicet hostes præda maxima potiti, Rempublicam, vel Ecclesiam amplius impugnent, quin potius justam cladem patiantur: nam ut supra jam innui, proprie se non occidunt, sed pro Regis, vel Reipublicæ bono, communi periculo mortis se exponere censentur, fide militari, & auctoritate publica vel Regia potius, quam privata. 26

IV. Justitia Vindicativa.

DAmnatus juste ad mortem, etsi non possit juste occidere seipsum, aut ad mortem suam cooperari directe aliqua actione, quæ per ministros justitiæ fieri potest, ut §. 1. dictum. Attamen 27

I. Potest, & debet cooperari ad mortem suam indirecte, 28
quando ad illas actiones, quæ a ministris justitiæ fieri, vel suppleri non possunt, & ideo a ministris saltem implicite præcipiuntur, utpote ad locum supplicii se conferre, scalas

las ascendere, collum ad ictum securis protendere, aperire os ad sumendum venenum a ministro propinatum, & cætera: quia talis censetur coactus potius, quam voluntarie facere, immo potius passive, quam active se habere.

29 II. Damnatus ad mortem fame subeundam potest a cibis clanculum oblatis abstinere, quia talis ad mortem suam active non concurrit, sed passive tantum se habens, justitiæ amore eam fortiter perfert, uti cum *Soto*, *Toleto*, *Sayro*, & aliis docet Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 8. Ad id tamen non tenetur, sed cibos clam oblatos acceptare potest ipso jure naturæ, quo quis vitam suam tueri, quantum valet, licite potest: quinimo si talis esset injuste damnatus, per se loquendo teneretur comedere, sicut & in casu sequenti fugere, quia tunc justa causa non esset, vitam prodigendi, excepta causa Martyrii, ut bene notat Tamb. sæpe cit. *lib.* 6. *Decal. c.* 2. §. 2. *n.* 6.

30 III. Damnatus, vel damnandus ad mortem, etsi via fugæ pateat, potest non fugere, & amore justitiæ, sententiæ Judicis se conformare, juxta communem DD. apud citatos: quinimo talis mortem meritus ultro se Judici, & Justitiæ exercendæ occasionem offerre non prohibetur, ut recte docent Less. cit. *dub.* 6. Petrus Navar. *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 74. alii cum Laym. cit. *c.* 15. *in fine*. At certe ad neutrum tenetur; sed licite fugere potest, non tantum ante Judicis latam Sententiam, nisi promiserit, vel juraverit se permansurum, sed etiam post latam a Judice sententiam mortis propriæ, gravissimi periculi declinandi causa. Communis DD. cum S. Thoma 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. Laym. *aliique modo citati*.

31 IV. Quin etiam ad eum finem fugæ licite potest vincula, & carcerem perfringere in foro conscientiæ: cui enim concessus est finis, etiam media ad illum finem necessaria concessa esse debent, uti docent *Navar. Sotus*, *Less. & alii* apud Laym. cit. *lib.* 1. *tractat.* 4. *c.* 15. *n.* 10. Insuper in tali casu fugituro etiam alii consilium, vel instrumentum administrare licite possunt; quia ordinarie licet alteri opem ferre ad id, quod ab illo licite fieri potest: interdum vero obstat lex specialis id prohibens, itemque specialis obligatio ratione officii prohibet ipsos Judices, custodes, aliosque ministros justitiæ, ne in hoc reum adjuvare possint: & in hoc valde caute se gerere debent Confessarii. Nullis autem aliis licet fugituro cooperari ad violandam ipsam custodiam principalem, seu ad effringendum carcerem; quia publicam custodiam effringere, & violare per se est res gravissima, ac in foro externo crimen læsæ Majestatis, adeoque in foro conscientiæ solum ipsi reo ratione gravissimæ necessitatis suæ propriæ declinandæ concessa, non autem aliis ut causis principalibus cooperantibus. Famulum autem, vel filium jussu parentis, vel heri captivi parietem fodientem in foro conscientiæ excusat Laym. *cit. c.* 15. *n.* 10. *fin.* Vide alios ab ipso citatos.

§. IV. *Nec denique se mutilare aliquo membro &c. licet.*

32 Est item communissima DD. & SS. PP. D. Aug. *l.* 1. *de Civit. Dei c.* 20. & S. Th. *q.* 64. *art.* 5. apud Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 1. Ratio est: quia homo, sicut vitæ, ita & membrorum suorum non est Dominus, sed custos tantum: solus autem Deus vitæ, ac membrorum Conditor, & Conservator, eorumque Dominus absolutus est; ergo injuriam Deo infert, qui extra casum necessitatis, & non facta sibi potestate a Deo, membrum abscindit, vel mutilat, uti indicatur Can. Ap. 21. *si quis se ipsum mutilavit, ne sit Clericus, est enim sui homicida, & Dei opificii hostis*. Deinde decreta specialia Ecclesiæ data sunt (ut in Conc. Nicæno *c.* 1. *Can.* 1. & aliis allegatis in Decreto dist. 55.) adversus insanos sui mutilatores, & castratores ex falso, & nimis physico intellectu verborum Christi Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te*, &c. & c. 19. *sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum &c.* Quæ omnia non simpliciter, & physice, sed moraliter intelligenda sunt, scilicet de abscissione omnis occasionis peccati: etiamsi alias ita necessaria esset, sicut manus, pes, vel oculus. Item de voluntario firmo castitatis proposito, vel voto: quare SS. PP. graviter reprehendunt Origenem, quod se ipsum castraverit ob vitandam incontinentiam, maxime eo quod versaretur inter puellas Amanuenses: quasi incontinentiam superaret membrorum mutilatio, & non magis fortis, & constans voluntas, quæ etiam brutaliter sæviente carne fidam, firmamque in Deo stationem tenere potest, cum nemo cogatur consentire. Et hinc ulterius additum.

I. Nec castrare quidem ob vocis commodum.

33 I. Celebris quæstio est, an saltem ob vocis suavitatem conservandam, indeque lucrum, vel necessariam sustentationem acquirendam liceat pueros (adeoque a parentibus, præsertim pauperibus filios) castrare, eosque volentes, & consentientes Eunuchos facere, idque periti Physici manu absque ullo periculo mortis. Nam cum periculo mortis numquam licere ex se constat, & nolentes non posse cogi ad hoc a parentibus, vel dominis, omnes consentiunt, cum ii non sint domini membrorum filii, vel servi.

II. Affirmant Salonius 2. 2. *q.* 65. *art.* 1. *Controv.* 1. Pasqualigus *dec.* 408. Tamb. *lib.* 6. *Decal. c.* 2. *n.* 4. & non improbabile censent *Tannerus*, & *Diana mox cit.* Ratio potissima est, quod hæc videatur justa causa non deficere in Republica, immo in Ecclesia hos sonoros cantores ad Divinas laudes modulandas: & ista abscissio non notabiliter noceat ipsi individuo, quin compensari possit cum emolumento vocis, & lucro inde sperato. Accedit praxis saltem tolerata, præsertim in Italia. 34

III. Communis autem, & vera est Sententia nostra negativa, non licere sub mortali. Ita Tannerus *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 5. *n.* 101. Laym. *cit. lib.* 3. *tr.* 3. *c.* 1. *nu.* 2. aliisque citatis Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 38. & *p.* 6. *tr.* 8. *resol.* 36. Ratio universalis est, quia non licet homini aliquo membro se mutilare, nisi ob vitam conservandam, & non ob aliam causam minus necessariam, qualis in proposito assignatur: alioquin sequerentur multa inconvenientia. Quid si enim Rex, vel Princeps vellet meros habere eunuchos in aula sua, ut olim fuit, maxime apud Persas? Quid si vellet habere meros famulos elingues? an ob lucrum licebit se castrare, vel linguam sibi amputare? 35

IV. Accedit maxime, quod id sæpissime conjunctum sit cum periculo peccati, & salutis, cum enim etiam castrati, & quidem gravissime titillentur, & incalescant, sicque remedio conjugii privati versentur in magno peccati, & salutis periculo. Nec est paritas de voventibus perpetuam castitatem: hi enim operi meritorio incumbentes, gratia Divina adjuti facilius resistunt; & si omnino in periculo incontinentiæ versentur ejusmodi sæculares, remedio dispensationis juvari possunt etiam ab Episcopo, cum non est facilis accessus Romam, non item Eunuchi: maneat ergo sola exceptio nostra, 36

II. Nisi ob vitæ propriæ, & totius suppositi conservationem.

Hac sola causa licet se mutilare membro aliquo. Communissima DD. Toletus *lib.* 5. *c.* 6. Sa *v. homicidium nu.* 24. Less. *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 14. Laym. *cit. nu.* 2. aliisque citatis Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 32. Ratio est: quia licet homo non sit dominus vitæ, & membrorum suorum, est tamen custos; atqui prudens custodia vitæ, & ipse ordo Charitatis requirit, ut pro conservatione vitæ, & totius hominis, ne scilicet totus homo intereat, vel majus malum incurrat, exponatur, vel resecetur membrum aliquod, sive id proveniat a morbo intrinseco, v. gr. cancro: sive a violentia extrinseca, ut si alioquin a tyranno occidendus sis, nisi amputes tibi membrum, aut conclusus brachio, vel pede, comburendus, ab equo discerpendus, vel proterendus, nisi amputes illud membrum. Addit recte Diana *cit. resol.* 32. iis casibus perinde esse, sive quis ipse sibi membrum resecet, sive alius de ejus consensu. 37

Insuper quando Medici ita necessarium judicant, & absque intenso dolore fieri potest, etiam obligabitur quis curationem sectionis admittere: id enim omnino exigere videtur obligatio naturalis conservandi vitam suam per media non multum difficilia, ut ex communi notat Lugo *disp.* 10. *de Justit. sect.* 1. *n.* 31. Omnes autem consentiunt, neminem ad id teneri, quando intensus dolor futurus esset maxima ei incommoditas, ut si crus amputandum esset; cum nemo teneatur media extraordinaria, & difficilia adeo adhibere ad vitæ conservationem. Excipiunt tamen communiter, nisi vita tua Reipublicæ, vel bono communi valde sit necessaria. Sed practice non urget; quia regulariter potest prudenter existimare alterum non minus aptum sibi successurum. Excipiunt etiam nonnulli Religiosum, qui obedire debet Prælato jubenti, ut hujusmodi sectionem membri necessariam, etsi dolorosam, sustineat. Sed probabilius negant alii cum *Lessio sæpe cit.* quia res adeo difficilis censetur merito esse extra res contentas in Regula, in quibus Religiosi tenentur obedire, nisi forte Religiosus omnino necessarius esset Communitati, & medium illud omnino certum, & securum. 38

III. Pœnæ se ipsos occidentium.

Occisoribus sui ipsius præter pœnam fori divini, scilicet æternæ damnationis, etiam jure humano Canonico gravissimæ decernuntur pœnæ: nimirum privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, & omnium suffragiorum Ecclesiæ, ut nec Missæ, nec Vigiliæ, immo nec commemoratio in Missa pro ipsis dicatur *c. placuit* 23. *qu.* 5. Ex Concilio Bracarensi 1. c. 34. *Placuit, ut qui sibi ipsis voluntarie inferunt mortem per venenum, suspendium, præcipitium, &c. nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis in sepulturam eorum cadavera deducantur*. Similia habentur *cap. quibus* 13. *qu.* 2. Ubi tamen graviter observandum cum Laym. *cit. num.* 8. 39

I. Illos dumtaxat, qui voluntarie, & deliberate se ipsos occiderunt, Ecclesiastica sepultura, & suffragiis privandos. Non ergo illos, qui ex amentia, furore, excessu melancholiæ 40

choliæ hypocondriacæ seipsos occidunt: contingere enim solet, ut ejusmodi vehementissimæ passiones furoris, tristitiæ, ita animum, & phantasiam hominis occupent, & usum rationis adimant, & hominem omnino insanum, amentem, & consequenter peccati, & pœnæ illi peccato decretæ incapacem constituant. Addit recte Dian. *p.* 5. *tr.* 4. *res.* 30. neque eos, qui ex ignorantia invincibili, & bona fide (quam in hoc casu dari posse supra notatum est) se ipsos occidunt in certo casu: adeoque sepultura Ecclesiastica privandam non esse puellam Virginem, quæ ad servandam pudicitiam se ipsam occidit, quia præsumi debet ex tali ignorantia invincibili, & bona fide fecisse.

41 II. Quando tamen constat, quod sibi ipsi mortem intulerit, dubitatur autem, an deliberate, an vero ex amentia, vel errore invincibili sit factum, jura significant, & Ecclesia observat, quod talis sepultura, & Ecclesiasticis suffragiis privatus sit; quia sicut in aliis criminibus, ita etiam in hoc inspicitur factum externum per se malum, censeturque voluntarie admissum, & pœna statuta dignum, nisi in contrarium adsit præsumptio, vel probatio; qualis præsumptio in contrarium esset, si homo probatæ vitæ, religionis, probitatis, ac scientiæ fuerat, quem nullo modo credibile, si tam horrendum facinus ab hominis natura, ratione, & maxime fide Christiana adeo abhorrens, deliberate admittere, vel in animum inducere potuisse. Item si ob antecedentem melancholiæ morbum hominem amentiæ, vel furori obnoxium, vel vicinum fuisse viri prudentes testentur.

42 III. Quando vero non constat, utrum aliquis se ipsum occiderit, an vero ab alio occisus, vel casu præcipitatus, oppressus, submersus fuerit: ut si aliquis in puteo mortuus reperiatur, censeri non debet seipsum culpabiliter occidisse, vel præcipitasse, nisi magna, & evidentia ejus rei indicia vel conjecturæ antecessissent: quia non probat hoc esse, quod quandoque contingit adesse: ajunt Juristæ in *L. neque natales C. de probat.*

43 IV. Etiamsi aliquis voluntarie sibi ipsi mortem conscivisset: si tamen vera signa contritionis dedit, antequam expiravit, jam in loco cum consuetis suffragiis sepeliri posse, & si confessus, & absolutus fuit, etiam debere, communis Doctrina, & praxis est Ecclesiæ, teste *Laym. l. c.* Quamvis in foro judiciali sæculari propter talem pœnitentiam non remittatur pœna legibus decreta, v. g. confiscationes bonorum, si reus delatus, metu futuræ sententiæ sibi mortem conscivit, ut videre est *L.* 1. & 2. *C. de bonis eorum, qui sibi mortem consciverunt:* Ubi Antonius Imperator distinguit inter eos; *qui conscientia delati, admissique criminis, metuque futuræ sententiæ, manus sibi intulerunt, & eos, qui dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, vel insania vitam finierunt: illorum bona* (ait) *a fisco vindicanda esse; horum non item, sed hæredibus relinquenda.*

IV. Irregularitas ex mutilatione sui.

44 Quocumque casu aliquis fit irregularis ex mutilatione alterius juxta mox dicenda *Sect. seq.* etiam simili modo fit irregularis ex mutilatione sui ipsius; immo ad hoc minor pars sufficit, quam ad illud; dato etiam non esse irregularem, qui alteri digitum, vel nasum amputat, vel alium castrat inique: certum tamen est apud omnes fieri irregularem, qui sibi ipsi inique v. gr. ex ira, impatientia digitum, vel nasum abscindit, vel se ipsum castrat, maxime prætextu castitatis tuendæ, quia est Zelus iniquus, & non secundum scientiam, ut habetur *c. qui parte, c. qui abscindi dist.* 55. & communis DD. *Sylv. Nav.* Molin. *disp.* 7. *n.* 17. ubi contra Hostiens. recte monet eam irregularitatem incurri, etiam si factum occultum sit, & maneat. Insuper etiam incurrere eum, qui ad vocem conservandam se castrat, docet communis. *Sayr. Suar. Mol.* alii cum Dian. *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 11. Non autem incurrere probabile censet *Castro-Pal.* cum Tamb. cit. *l.* 6. *Dec. c.* 2. *§.* 3. *n.* 5. Ratio est: quia hic non facit ex indignatione, vel prætextu tuendæ castitatis, prout ad hanc irregularitatem incurrendam requirunt SS. Canones. Denique omnium consensu nullam incurrit irregularitatem, qui sibi vel alteri membrum amputat, exigente necessitate ad conservandam vitam: quia hic nullum est delictum, ut supra patuit, nec est defectus lenitatis, cum non fiat voluntarie, sed necessitate urgente. Attamen talis mutilatus irregularis evadere potest ex alio capite, scilicet ex defectu corporis, ut si manus, vel pes, immo & nasus totus amputatus sit.

SECTIO II.

De Homicidiis voluntariis illicitis proximi, maxime physice patratis, & sua irregularitate.

SUMMARIUM.

46 *Homicidium simplex, & qualificatum quid.*

47 *Homicidia qualificata, seu speciales malitias habentia, sunt I. parricidium (ad quod reducuntur mariticidium, uxoricidium, fratricidium, sororicidium, aliorumque occisio usque ad quartum gradum, & regicidium &c.*

48 *II. Sacrilegium, seu occisio vel etiam mutilatio, & percussio Personæ Sacræ.*

49 *III. Latrocinium, assassinium, & proditorium, ac*

50 *IV. Veneficium,* naturale *quo quis veneno, &* magicum, *quo quis arte magica, & ope dæmonis occiditur.*

51 *Horum malitia specialis in confessione necessario est explicanda.*

52 Usque ad n. 55. *remissive, & strictim explicatur homicidium in bello, seditione, rixa, duello.*

55 Usq; ad n. 61. *traditur, & explicatur modus examinandi in confessionali homicidam, & pœnitentiam injungendi.*

61 Usque ad n. 66. *Enumerantur peccata reductoria ad homicidium sub quinto Præcepto prohibita, & examinanda; scilicet ad occisionem cooperativa, inductiva, dispositiva, concomitantia, subsequentia &c.*

ASSERTIO II.

Homicidium illicitum proximi, omnis nimirum voluntaria directa occisio, seu causatio, vel procuratio mortis proximi innocentis; immo & nocentis privata auctoritate facta, extra casum necessariæ defensionis inculpatæ tutelæ, citra controversiam est peccatum mortale gravissimum, contra universale naturæ, & Decalogi præceptum, non occides, *contra Justitiam cum obligatione restitutionis damnorum secutorum: irregularitate omnium gravissima, & quandoque excommunicationis pœna ipso facto incurrenda: unde aliud simplex, aliud qualificatum; ut parricidium, sacrilegium, latrocinium, veneficium, ad quæ referuntur proditorium, & abortivum (accidentaliter tantum) qualificatum in bello, seditione, rixa, duello, accurate explicandum, & examinandum in confessione, magnaque prudentia pœnitentia injungenda a Confessario.* Hæc tota certissima partim jam constat ex late dictis, partim constabit ex dicendis: pro nunc solum indiget explicatione terminorum. 45

§. I. Homicidium simplex, & qualificatum.

Homicidium simplex est occisio hominis communis, quæ neque ex parte hominis occisi, nec ex parte modi occidendi peculiarem deformitatem continet. Homicidium qualificatum est occisio hominis, cum circumstantia speciem mutante, quæ scilicet vel ex parte hominis occisi, vel ex parte modi occidendi, peculiarem aliquam deformitatem, & malitiam continet; ex parte hominis occisi qualificatur, & specificatur parricidium, & sacrilegium: ex parte modi occidendi latrocinium, & veneficium &c. quæ breviter explico. 46

I. Parricidium.

Est voluntaria cædes ascendentium, & descendentium. *L. un. C. de his, qui parentes, vel liberos occiderunt:* ad quod reducuntur mariticidium, uxoricidium, fratricidium, sororicidium, aliorumque occisio usque ad quartum gradum: item ad parricidium reducitur regicidium, seu occisio Regis &c. qui Patres populi, & Reipublicæ reputantur. Hoc homicidium qualificatur, & specificatur speciali malitia, vel deformitate contra virtutem pietatis, & observantiæ, adeoque duplicem malitiam in Confessione necessario explicandam continet: eoque majorem, vel minorem pro majori, vel minori conjunctione, vel eminentia personæ occisæ: atque in foro externo cæteris omnibus gravius punitur; de quibus videre potes aliis citatis Molin. *tr.* 3. *disp.* 26. *n.* 33. *c. latronem c. quicumque, & c. interfectores.* De parricidio, matricidio, & fratricidio vide pulchra apud Gratianum. 47

II. Sacrilegio.

Est occisio (etiam mutilatio, vel percussio &c.) voluntaria personæ Deo consecratæ in Clericatu, vel in Religione approbata Professæ v. g. qualificatur, & specificatur speciali malitia contra virtutem Religionis, eoque graviori, quo altioris dignitatis Ecclesiasticæ persona occisa fuit: quod si enim fuit Prælatus Ecclesiasticus, Regularis, ejus occisio insuper tertiam induit speciem, ac malitiam parricidii contra virtutem observantiæ Prælatis debitæ. Porro omnis occisor (sicut & mutilator) Clerici, etiam in prima tonsura constituti, etiam Laici, & Novitii in Religione approbata, ipso facto incurrit excommunicationem latæ sententiæ Can. *si quis suadente.* Ad homicidium sacrilegum reducitur occisio, omnis mutilatio, omnisque effusio sanguinis in Ecclesia, vel aliis sacris locis, quo etiam ipsa Ecclesia polluitur. Item homicidium illicitum factum a Clerico, cui pœna depositionis decernitur in jure; non tamen ipso facto amittit officium, vel beneficium, sed per sententiam Judicis eo privandus est; ut notat Filliucius *tr.* 29. *cap.* 6. *q.* 7. 48

III. *La-*

III. *Latrocinium, & Proditorium.*

49 LAtrocinium est homicidium factum prædandi causa, & ex proposito: qualificatur, & aggravatur tantum ex speciali deformitate contra Charitatem, & Justitiam, quod quis ob res temporales alterius injuste comparandas, proximo vitam auferat, pro qua conservanda etiam proprias res suas temporales exponere deberet. Quo revocatur assassinatus, cum quis pretio conducit ad occidendum alterum, vel præmio conductus alterum occidit. Utrique ob specialem, & gravem deformitatem graves pœnæ decernuntur in Jure Civili *L. Cicero ff. de pœnis*, & in Jure Canonico *c. 1. de homicid. in 6.* decernitur pœna excommunicationis a conducto quidem ipso facto incurrenda; a conducente autem, vel mandante incurrenda, etiam ipso facto vel homicidio non secuto, quod plane singulare est, & valde notandum. Ratio gravitatis, & pœnæ criminis est, quia magis ignoscitur illi, qui ira, & inimicitia instigante hominem occidit, quam qui pecuniæ cupiditate in alterius gratiam: & invasus plerumque imparatus est contra talem assassinum, quem nulla antecedente inimicitia suspectum non habet. Unde huc etiam revocatur homicidium proditorium, cum quis hominem occidit ex insidiis, ut cavere sibi non possit: adimitur enim illi jus naturale se defendendi, ideoque specialem habet malitiam contra Justitiam ex parte modi occidendi, quia nimirum ita vult occidere, ut etiam facultatem defendendi alteri adimat, graviterque punitur in jure Civili *L. ultim. Cod. qui accusari non possunt*. Et etiam Jure Canonico proditorie occidens privatur jure asyli in loco sacro: si tamen homicidium sit stricte proditorium, factum scilicet non solum ex insidiis, sed sub specie amicitiæ fallendo occidendum, quemadmodum Joab occidit Abner, & Amasam *in lib. 2. Regum*, ut late, & optime probat Alexander Sperellus *decisionum fori Ecclesiastici, decisione* 23.

IV. *Veneficium.*

50 DUplex est: unum *naturale*, quo homo inscius, veneno propinato, vel ministrato inficitur, & occiditur: & hoc solum qualificatur prædicta speciali deformitate homicidii proditorii, & utroque jure specialibus pœnis punitur: plus enim est hominem interficere veneno, quam extinguere gladio. *L. 1. C. de malefic.* Alterum *magicum*, quo arte magica, & ope dæmonis ex pacto expresso, vel tacito homo intoxicatur, & occiditur, de quo nimis nota, & horrenda docuit experientia. Et hoc insuper tertiam, & gravissimam malitiam, ac speciem induit, scilicet superstitionis, & commercii cum dæmone contra Religionis virtutem, & contra primum Præceptum Decalogi, de quo ibidem suo loco jam dictum. Ad prædicta reducitur etiam procuratio abortus fœtus animati: spectat enim quoad malitiam specialem aliquo modo ad homicidium proditorium, & quandoque specialiter ad parricidium, cum fit ab ipsis parentibus: non item ad sacrilegium, cum fit a persona sacra prægnante: mater enim tantum, non item fœtus, persona sacra est.

51 Homicidium ergo qualificatur specifice prædictis modis tanquam per circumstantias speciem mutantes, & necessario in Confessione explicandas: qualificatur enim, & diversificatur ex parte voluntarii tanquam per circumstantias notabiliter aggravantes, vel diminuentes malitiam homicidii, ideoque plerumque, consulto saltem, explicandas in Confessione. Unde aliud dicitur homicidium ex dolo, vel proposito malo, cum quis directa voluntate, præmeditato, & mere libero, & malo voluntatis proposito occidit, ut in subita seditione, rixa, duello, de quibus mox: Aliud dicitur homicidium ex culpa, & indirecte tantum voluntarium, cum quis, etsi directe non volens occidere, causam tamen ponit, vel non aufert, unde prævidet homicidium secuturum; idque non ordinaria homicidii pœna, sed arbitraria, Judicis arbitrio secundum proportionem culpæ, seu negligentiæ punitur: aliud enim dicitur homicidium ex casu, & omnino involuntarium, quod sicut culpa vacat, ita nullam pœnam meretur: de quibus omnibus infra seorsim.

§. II. *Homicidium in Bello, seditione, rixa, duello.* Remissive.

52 B*Ellum* est pugna multitudinis contra multitudinem externam publica auctoritate instituta: aliud est justum, quod legitima auctoritate suscipitur, & geritur, aut defensive ad necessariam defensionem contra injustum invasorem; aut offensive ad justam vindictam injuriæ Reipublicæ, vel Principi illatæ: in hoc licita sunt homicidia necessaria ad dictos fines: illicita autem, & mortalia sunt homicidia etiam nocentium, dictos fines excedentia, ac innocentium omnium extra actualem pugnam, quæ late explicata habes *cap. 1. sect. 2.* Aliud est bellum injustum, quod nec necessaria defensio, nec justa vindicta exigit, sed sola habendi, vel sæviendi libido. Et in hoc omnia prorsus homicidia extra casum inculpatæ tutelæ sunt illicita, mortalia, & vera latrocinia: nec de his aliud dicendum superest.

Seditio est pugna multitudinis contra multitudinem ejusdem Reipublicæ, vel Communitatis; definitur in Jure *tumultus populi concitati ad pugnam*; quo differt a bello, & rixa, quæ actualem pugnam significant; illud multitudinis contra multitudinem extraneam, hæc paucorum contra paucos. Seditio autem non tantum ipsam pugnam, sed etiam concitationem, & præparationem animorum ad pugnam civilem significat. Raro potest esse justa scilicet ob necessariam defensionem, vel justam vindictam: quia cum utraque pars sit ejusdem Reipublicæ, lites eorum publica Justitia definiri debent, non privata pugna. Quod si tamen in raro casu ex defectu Justitiæ publicæ justa esset seditio, homicidia in ea facta licita, vel illicita erunt eadem ratione, sicut in bello justo. Ordinarie autem est injusta, ob dictam rationem; & sic omnia homicidia in ea facta illicita, & mortalia, simplicia, vel qualificata juxta dicta. 53

Rixa est pugna paucorum, vel singulorum contra paucos, vel singulos, definitur a S. Th. 2. 2. *qu.41. art.* 1. verborum contradictio orta plerumque ex ira, & procedens usque ad verbera juxta illud Prov. 17. *vir iracundus provocat rixas*: est ergo privatum quoddam bellum semper illicitum, & mortale ex genere suo: unde ab Apostolo ad Galat. 5. numeratur inter peccata utique mortalia, quæ a regno cœlorum excludunt: quia nimirum directe contrariatur Charitati, & Paci, & in effectu etiam Justitiæ. Excusatur tamen, & veniale fit, vel ob imperfectionem actus, vel ob passionis vehementiam, animi indeliberationem, ac præcipitationem, vel ob parvitatem materiæ, ut cum leviter, maxime pueri, vel fœminæ, aut rustici inter se rixantur, ut ex communi notat Laym. *lib. 2. tract. 3. c. 12. nu.* 1. In rixa ergo cordis iracundia, odia, rancores, oris contentiones, convicia, maledictiones operis, verberationes, vulnerationes secundum rationem materiæ erunt peccata mortalia, vel venialia juxta dicta *tr. 2. c. 6. sect.* 4. At vero ipsa homicidia deliberate facta extra casum necessariæ defensionis semper sunt mortalia, simplicia, vel qualificata juxta supra dicta pro ratione personarum occisarum, vel modum occidendi. *Duellum* denique jam explicatum habes *cap. præced. sect.* 4. 54

§. III. *Modus examinandi homicidium, & pœnitentiam injungendi.*

POEnitens simpliciter confitens homicidium a se voluntarie commissum, nec aliter se explicans, ut peccati species, vel gravitas dignosci possit, accurate a Confessario examinandus est de circumstantiis, præsertim sequentibus (quod hic vides, in exemplo homicidii, si sapis, facile applicabis in aliis peccatis, v. gr. carnis, generaliter tantum confessis:) 55

I. *Qui?* seu persona occidentis.

AN sæcularis, an Clericus, Sacerdos, Religiosus? ut nimirum cognoscatur, an casus sit reservatus in Religioso? an irregularitatem contraxerit Clericus? an in irregularitate Sacerdos celebrarit? Clericus in Sacris ministrarit? quoties &c. tunc enim (seclusa justa causa excusante) semper novum peccatum mortale est, cum pœna suspensionis ipso facto incursa: immo si Clericus Clerici occisor, vel percussor, excommunicatus celebravit, vel communicavit, insuper nova irregularitas ex delicto violationis censuræ. 56

II. *Quid?* personæ occisæ circumstantia.

AUt ratione conjunctionis, an pater, mater, filius, uxor &c. tunc enim est speciale peccatum parricidii contra pietatem: aut ratione status, an Clericus, vel Monachus? tunc enim est speciale peccatum sacrilegii contra virtutem Religionis, cum excommunicatione Canonis: aut ratione dignitatis, ut si Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, Cardinalis occisus sit: tunc enim est adjuncta specialis excommunicatio Bullæ Cœnæ. 57

III. *Quibus auxiliis? Quomodo?*

NImirum quibus, & quot sociis assumptis ad homicidium: tot enim erunt distincta peccata scandali. Item an veneno, maleficio, ex insidiis, proditorie? tunc enim erunt homicidia qualificata jam supra ostensa. Item pro genere necis, an cum extraordinaria crudelitate? &c. erit enim hæc circumstantia notabiliter aggravans malitiam homicidii. 58

IV. *Ubi? Quando? Cur?*

AN in loco sacro? tunc enim erit sacrilegium locale, cum pollutione Ecclesiæ: an subita occasione ex improviso? an ex proposito, & præmeditato multo tempore? hoc enim sine dubio multo gravius peccatum est, & sæpe nu- 59

pe numero multiplicatum: si nimirum malignum occidendi propositum sæpius moraliter interruptum sit, ut docetur in materia de peccatis: quo spectat occisio in duello ex condicto, cui annexa est excommunicatio, sicut & in abortu. Denique ad quem finem, an ad præstandum, adulterandum, potiendum uxore occisi? &c. tunc enim accedent diversæ species peccati ex fine.

Exemplar pœnitentiæ Homicidæ injungendæ.

60 PAulus Comitolus in responsis moralibus *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 8. de hac re ita scribit: *Homicidæ pœnitentia salutaris esset, veniam petere a propinquis occisi: iisdem omnia damna resarcire: pro animam defuncti per annum tria præstare, singulis hebdomadis curare unam Missam celebrari; aliquam eleemosynam juxta homicidæ facultatem pauperibus erogare; Litanias, vel Rosarium B. Virginis percurrere: præterea per eundem annum semel per hebdomadam confiteri: semel in mense communicare; & semper tota vita quotidie unum Pater, & Ave flexis genibus pro eadem anima occisi recitare.* Hæc Comitolus apud Tamb. cit. *c.* 3. §. 3. Sed hoc per modum exemplaris Confessariis proposuisse satis sit, ut ipsi in casu particulari pro sua prudentia addant, vel minuant juxta conditionem personæ pœnitentis, aliasque circumstantias: regulam enim universalem pro omnibus tradere impossibile est, sed prudentis Confessarii judicio relinquitur. De Restitutione in hoc casu dicam seorsim *Sect. ult.*

§. IV. *Peccata reductoria ad homicidium sub quinto præcepto prohibita, & examinanda.*

61 QUinto Præcepto: *Non occides*, principaliter prohibetur quidem omnis injusta occisio hominis, secundario vero, & accessorie etiam prohibita intelliguntur omnia voluntaria ad injustam hominis occisionem cooperativa, inductiva, dispositiva, post ipsum homicidium patratum hoc ordine examinanda in praxi.

62 I. Omnis ad injustam hominis occisionem voluntaria mortis cooperatio positiva, negativa, directa, indirecta, utpote jussio, consilium, auxilium, permissio, aut ad ipsum homicidium directe, aut ad aliquid aliud, ad quod prævidet sequi homicidium: de quibus late *Sect. seq.*

63 II. Omnia ad homicidium inductiva, & dispositiva proxime & ipso opere, quæ scilicet homicidium proxime antecedere, & concomitari solent. Utpote omnis proximi injusta percussio, vulneratio, mutilatio, tortura, præparatio insidiarum, armorum, veneni, &c. sive dein talis actu intendat mortem, vel grave vitæ nocumentum proximi, sive non: dummodo advertat, vel advertere debuerit, inde secuturum periculum mortis, vel gravis nocumenti, semper est peccatum mortale contra quintum Præceptum; sumitque speciem peccati a termino, seu ipso homicidio, quod inde sequitur, vel sequi poterat, v. gr. percussio, vulneratio, vel quævis violentia in patrem, matrem, Clericum &c. & induit rationem, & speciem parricidii, matricidii, & sacrilegii &c. & sic de aliis. Ratio est: quia media adhibita ad finem sumunt suam speciem a fine, ad quem sive ex natura sua, sive ex intentione operantis ordinantur.

64 III. Omnia ad homicidium inductiva, & dispositiva propinque, & ore, utpote clamor, omnis contentio, rixæ, comminationes, irrisiones, detractiones, maledictiones, imprecationes, omnis contumelia, quæ proprie est exprobratio malorum culpæ, ut si quis dicatur fur, adulter &c. & convicium, quod proprie est exprobratio malorum pœnæ, vel naturæ, ut si quis dicatur stultus, idiota, spurius: quæ quidem omnia secundum se absolute peccata sunt, aut generaliter contra Charitatem, aut specialiter etiam contra Justitiam prohibita octavo Præcepto; quatenus nimirum iis fama, vel honor proximi injuste læditur: at vero quatenus fiunt ab eo, qui intendit, vel advertit periculum, quod inde sequatur percussio, vulneratio, occisio, specialiter erunt peccata mortalia contra quintum Præceptum Decalogi, reducenda scilicet ad homicidium, juxta speciem suam, modo jam dicto de percussionibus, & consequenter in iis explicanda erit circumstantia intenti, vel prævisi periculi occisionis, vulnerationis &c. etiamsi exinde secuta non sint, secundum omnes.

65 IV. Omnia etiam inductiva, & dispositiva ad homicidium remote, & corde, utpote omne odium, ira, vindicta, omnisque actus internus consilii, vel voluntatis pravæ ad occidendum hominem, est peccatum mortale contra hoc quintum Præceptum Decalogi, prout declarat ipse Christus Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides, &c. Ego autem dico vobis, omnis, qui irascitur fratri suo &c.* Ratio est: quia consentire in id, quod est peccatum mortale, utique mortale est. Hic tamen nota per omnem modum, quando prædicta ad homicidium dispositiva, cordis, oris, & operis concurrunt ad actuale homicidium, tunc (nisi aliquam specialem deformitatem contineant, ut contumelia, detractiones &c.) unum tantum moraliter constituunt peccatum cum ipso homicidio, ut sufficiat confiteri ipsum homicidium commissum: reliqua enim dispositiva Confessarius facile intelligit: at vero quando ejusmodi seorsim exercentur homicidio, vel non præviso, vel non secuto, aut impedito, tunc manent peccata seorsim, sicque seorsim confitenda erunt; juxta communem Doctrinam in materia de peccatis, eorumque distinctione numerica, & specifica.

SUBSECTIO.

De irregularitate ex homicidio voluntario, & mutilatione.

SUMMARIUM.

66 *Ut irregularitas incurratur, debet homicidium esse.* I. voluntarium, &
68 II. Liberum.
69 III. *Et quidem voluntarium* directe, ac
70 Usque ad n. 74. IV. Consummatum *effectu secuto.*
74 *Quæ mutilatio inducat irregularitatem.*
75 Usque ad n. 82. *Quodnam sit, aut censeatur proprie esse membrum, cujus abscissio inducat irregularitatem.*

CErtum nimis est ex jure Canonico *toto titulo de homicidio*, irregularitatem omnium gravissimam ex delicto soli summo Pontifici dispensabilem, incurri ex omni homicidio illicito directe voluntario, libero, consummato: dico autem notanter 66

I. Ex omni homicidio illicito *voluntario*, id est plene deliberato: non enim tam gravi pœnæ, seu oneri subjiciendus est homo, nisi ob actum illicitum perfecte voluntarium: hinc infans, seu puer ante plenum usum rationis, dormiens, amens, furiosus, plene ebrius, &c. si occidat tempore carentiæ rationis (idemque est de occidente ex motu primo vehementissimæ passionis, iracundiæ, terroris, usum rationis evertente) non erit irregularis, ut expresse habetur *c. furiosus. Clement. un. de homici.* neque ejusmodi ulla indigent dispensatione, quando postea usum rationis resumunt. Insuper etiam pueros impuberes, quamvis usu rationis pollentes sive majores, sive minores septennio, nulla censura, nullaque pœna (qualis etiam est hæc irregularitas ex delicto) ab Ecclesia affici, generaliter docent graves DD. & in specie generaliter ex delicto *Jo. Sanch. Castro-Palaus aliisque citatis* Diana *p.* 3. *tr.* 6. *res.* 88. & *p.* 11. *tr.* 2. *res.* 58. Tamb. *hic p.* 2. *lib.* 10. *tr.* 4. *c.* 4. §. 3. *in fin.* 67

II. Ex homicidio *libero*: exclusa scilicet vi, vel metu gravi extrinseco: occidens enim ex metu gravi cadente in constantem virum ab extrinseco incusso v. g. propriæ mortis, vel damni gravis: etsi adhuc graviter peccet contra legem Dei, adhuc enim voluntarie occidit, cum metus voluntarium non tollat; non tamen incurrit irregularitatem ex delicto, sicut nec excommunicationem, vel aliam censuram, forte pro tali casu latam: ut cum Leandro, & aliis docet Tamb. cit. *lib.* 10. *tract.* 1. *de excomm. cap.* 2. *num.* 2. & 7. Ratio est: quia præceptum Ecclesiasticum non obligat cum tanti mali periculo, ut latius docetur in materia de Legibus. Qua ratione etiam vidi liberari ab irregularitate ex defectu lenitatis militem Cæsareum, qui neminem occiderat ex hostibus, nisi in uno conflictu, alioquin ipse occidendus a commilitonibus. 68

III. Voluntario *directe*: homicidium enim voluntarium simpliciter inducens irregularitatem illam ex delicto gravissimam Episcopo non dispensabilem, debet esse directe, & in se voluntarium, volendo illud immediate in se, aut saltem in causa proxima applicata: ut si etiam sine expresso animo occidendi ictum sclopi, vel gladii in adversarii pectus conjicias, qui enim causam tuam proximam mortis vult, nisi amens sit, vult etiam ipsam mortem. Quod si tamen supponas aliquem vere coram Deo, sive propter ignorantiam, sive stultitiam, vel aliam causam non advertisse ad mortem secuturam, nec de illa ullo modo dubitasse, certe coram Deo, & in foro conscientiæ nec homicida, nec irregularis erit: attamen in foro externo talis omnino pronuntiabitur & voluntarius homicida, & irregularis, ut cum aliis bene observat citatus Tamb. *tr.* 4. *c.* 15. §. 7. *n.* 1. Quotiescumque ergo quis directe nullo modo intendit, & vult homicidium, seu aliud opus tantum, ex quo sequitur homicidium, jam non erit homicidium simpliciter voluntarium inducens hanc gravissimam irregularitatem, sed dicetur homicidium casuale mixtum, leviorem irregularitatem inducens, ab Episcopo dispensabilem. 69

IV. Ex homicidio *consummato*, *seu effectu secuto*, non enim incurritur irregularitas ulla, si quis solum vulneret, aut quomodolibet occidere intendat, & intentet, si mors non sequatur (idemque est de mutilatione.) Ratio est: quia pœna decreta in jure ipso facto incurrenda, non incurritur, nisi propter delictum consummatum, & non attentatum tantum. Communis DD. cum Filliucio *tr.* 20. *cap.* 1. *qu.* 3. Etsi contra sentiant singulariter Hugolinus, & Majolus, eo quod in gravissimis delictis attentatio eandem pœnam sortiatur *L. Divus, ff. de sicariis.* Sed hoc solum verum est de pœnis corporalibus & civilibus, non item de pœnis spiritualibus, & Ecclesiasticis, qualis est irregularitas; de qua 70

specia-

speciatim habetur in jure, quod non incurratur, nisi in casibus ipso jure expressis: exprimitur autem homicidium consummatum tantum, & non attentatum solum.

71 At, quid si quis ante mortem secutam jam pœnituit? v. g. venenum propinavi meo adversario, vel illum lethaliter vulneravi; sed antequam is moreretur valida contritione me pœnituit facti: immo media diligentissime adhibui, ne moreretur, mortuus est tamen, sumne irregularis? Resp. es sine dubio: quia ejusmodi pœnitentia coram Deo tuam delevit culpam, non autem abstulit dispositionem Ecclesiæ volentis homicidas ab Altari repellere. Lege Suar. *de censf. disp.* 44. *sect.* 3. Coninch. *disp.* 8. *dub.* 8. *Fill. cit. & alios passim.*

72 At rursus inquis: Occidi omnino voluntarie hominem, sed plane invincibiliter ignoravi, ideo incurri irregularitatem, sumne tamen irregularis? Resp. Omnino es. Ita (contra aliquos RR.) communis DD. *Suarez*, *Sanch.* aliisque citatis Bonacina *de censur. disp.* 7. *qu.* 1. *prop.* 3. *num.* 4. Tamb. *cit. c.* 4. §. 5. *num.* 13. Ratio est: quia irregularitas hæc ex delicto, maxime homicidii, non est tantum pœna (sicut excommunicatio, aliæque censuræ, ideo secundum communem non incurrendæ ab ignorantibus illas) sed etiam est indecentia, inhabilitas, & impedimentum Canonicum, quo affectus non potest licite Sacros Ordines suscipere, vel in susceptis ministrare: atqui impedimentum Canonicum, etiam in pœnam institutum, incurritur, etiamsi nesciatur; ut manifestum est in impedimentis dirimentibus Matrimonii, v. g. impedimentum affinitatis ex copula fornicaria cum consanguinea sponsi in primo, vel secundo gradu ante Matrimonium contractum, licet constitutum sit in pœnam delicti fornicationis illius, quia tamen simul est indecentia, ideoque impedimentum perpetuum omnino incurritur, etiamsi sponsus ignoraverit, aut ignorantia facti, illam esse consanguineam suæ sponsæ, aut ignorantia juris, nimirum ex illo debito oriri impedimentum dirimens ab Ecclesia annexum, ut apud omnes in confesso est.

II. *Irregularitas ex mutilatione.*

73 Homicidio voluntario quoad irregularitatem contrahendam æquiparatur mutilatio ipso jure *c.* 1. *de Clericis pugnantib. in duello*, *&c. ult. de homic. in* 6. adeo ut sicut ex homicidio injusto voluntario, seu casuali incurritur irregularitas ex delicto, sic ex simili injusta voluntaria, vel casuali mutilatione, & sicut ex homicidio justo a ministro justitiæ incurritur irregularitas ex defectu lenitatis, ita ex eadem simili mutilatione justa. Quare omnia dicta, & dicenda de irregularitate secuta ex morte pariter intelligenda sunt de irregularitate ex simili mutilatione; nam propterea sæpius utramque comprehendimus sub nomine *deformationis*. Unum tamen, & alterum discrimen est inter irregularitatem ex homicidio, & ex mutilatione quoad dispensationem, ut patebit suo loco in fine capitis. Duo tantum hic breviter explicanda sunt.

I. *Quid est mutilatio inducens Irregularitatem?*

74 Resp. Mutilatio est sola abscissio, seu realis separatio membri proprie dicti a corpore viventis; adeo ut nec mutilatio proprie dicatur, nec hanc irregularitatem incurrat, qui solum vulnerat, secundum omnes; aut membrum aliquod frangit, aridum, vel inutile reddit, etiam totaliter, v. gr. manum, pedem &c. contundendo, qui visum, vel auditum, immo rationis usum alicui tollit: dummodo membrum nullum amputet, vel physice separet, quamvis gravissime peccet. Ita Communis DD. apud mox infra citandos. Ratio solida est: quia nulla est adstruenda, vel inducenda irregularitas, nisi in jure exprimatur, seu adsit expresse jus ita decernens: atqui jura irregularitati solum subjiciunt physicam, ac realem mutilationem, abscissionem, amputationem, detruncationem membri; nullibi autem solam debilitationem, seu moralem æquivalentem tantum amputationem: ubi enim illud jus, Canon, vel textus? ergo.

75 Non ergo audiendus *Majolus* simpliciter contrarium tenens, & Suarez *disp.* 44. *de censf. sect.* 2. cum limitatione: si nimirum membrum omnino arefactum, nihil amplius juvat in corpore: eo quod tunc moraliter, & æquivalenter censeatur moralis amputatio, & paria sint, aliquid non esse, atque omnino inutile esse: ideoque pari pœna plectenda ubicumque: ac idem reputetur in jure Civili uxorem non habere maritum, & habere inutilem: & in jure Canonico *c.* 2. *de translat. Episcop.* Prælatum Ecclesiæ inutilem, & nullum esse. Hoc quidem verum est speciali fictione juris, idque quoad aliquos effectus, certe non omnes; at vero pro irregularitate nullibi simile aliquid jura finxerunt; ergo nec fingendum a nobis, cum omnis irregularitas debeat esse in jure expressa, ut dictum.

76 *Dices*. Qui ita debilitat, ac inutile reddit alterius membrum, v. g. manum, pedem, brachium, oculos &c. ipsum alterum irregularem reddit ex defectu corporis: atqui alterum irregularem reddens, & ipse irregularis fit: ergo. Falsissimum est assumptum: nam qui filium spurium generat, illum irregularem reddit: & judex condemnans reum de infamia, ipsum irregularem reddit: illi tamen irregulares minime fiunt, secundum omnes: falsum est ergo, omnes irregulares fieri, qui alios irregulares reddunt.

II. *Quid membrum proprie, cujus abscissio irregularitatem inducit?*

Membrum proprie est pars corporis viventis aliqua principalis peculiarem in homine functionem vitalem obtinens, seu proprium distinctum munus gerens in corpore tamquam instrumentum propriæ, & distinctæ operationis; ut manus tangendi, pes ambulandi, oculus videndi &c. juxta illud Apostoli ad Rom. 14. *in corpore multa membra habemus, non autem omnia membra eundem actum habent*. Et hinc breviter resolves. 77

I. Certum est apud omnes, oculos, aures, nares, nimirum totum instrumentum visus, auditus, & olfactus, linguam, manus, pedes, membrum maritale, esse membra proprie dicta, atque ejusmodi membra detruncantem contrahere irregularitatem, quia hæc patenter actum, & operationem distinctam habent. His (*contra Dian. & alios*) *Suarez cit. Sayrus*, *Valentia*, & alii merito addunt mammillas mulieris; quia secundum Aristotilem, Galenum, & communem sententiam, in iis sanguis convertitur in lac ad nutriendam prolem, quæ operatio distincta magni momenti est: mammillas autem viri non habere operationem distinctam omnes videmus: ideoque qui illas in se, & in alio (sicut, & aliam partem carnis in genis, brachio, crure, tibia) amputaret irregularem non fore, omnes fere consentiunt. 78

II. Certum est, capillos, barbam, dentes, labia, supercilia, digitos, nervos, & testiculos seorsim, non esse membra distincta, ideoque ejusmodi aliquod amputantem, vel evellentem, non contrahere irregularitatem. *Communis DD.* mox citandorum. Ratio est: quia hæc nullam propriam distinctam operationem habent, sed vel sunt ad solum hominis ornatum, vel ad actum secundario coadjuvant, vel insunt ad aliqua munia communia, vel secundaria, ut intuenti patet. Dixi autem *digitos*, *& testiculos seorsim*; nam omnes digitos unius manus amputans, de quo mox iterum, vel utrumque testem inique resecans, irregularitatem non effugit: nam uno solo deficiente non tollitur generandi usus; tollitur autem deficiente utroque. Sed de hoc vide dicta supra *c. præc. sub finem*. 79

III. Insuper auriculam externam, seu cartilaginem externam, non aurem, id est, totum audiendi membrum, item nasum externum, non nares, id est, totum olfaciendi organum, non esse membrum proprie, ideoque eorum amputationem non inducere irregularitatem, docet satis communis DD. cum Navar. *c.* 27. *n.* 206. *Molina*, *Avila*, *Filliuc.* aliisque congestis Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resp.* 16. & Tamb. *hic c.* 15. §. 16. *n.* 18. Ratio est: quia auricula externa colligendo aliqualiter sonos, & nasus colligendo, & stipando odores, secundario solum, & minus principaliter adjuvant ad audiendum, & olfaciendum, non omnino necessario; cum etiam sine illis audire possis, & olfacere, etsi difficilius. Sententia omnino probabilis, & tuta in praxi. Attamen *Sotus*, *Suarez*, *Laym. citt.* merito censent sententiam oppositam affirmativam esse conformiorem SS. Canonibus, nimirum etiam amputantem inique nasum, auriculam, immo unum digitum, vel testiculum, fieri irregularem: cum SS. Canones absolute mutilationem appellare videantur abscissionem cujuscumque partis organicæ, ob quam corpus humanum absolute sua integritate privetur; & imperfectum, seu mutilum reddatur; ac proinde eo casu saltem pro securitate consultum sit petere dispensationem. 80

IV. Quid ergo de amputante solum aliquam partem membri proprie dicti, eritne semper ab irregularitate immunis? Placet hic Regula tradita a Tamburino proxime citato *n.* 21. quando tanta, & tam notabilis est mutilatio partis membri, ut ratione ejus amputationis id, quod remanet, absolute non possit dici amplius membrum, aut simpliciter, & physice non possit habere illum usum, ad quem a natura institutum est, ut si cui omnes quinque digiti a manu amputentur, aut tres digiti, cum dimidia manu, toties erit amputatio membri afferens irregularitatem: si secus, non erit. *Ratio regulæ est*; quia tantæ partis amputatio est vera, & absoluta amputatio membri, cum resecetur id, quod principaliter facit ad usum membri; at talis non est amputatio digiti, auriculæ, nasi &c. At certe talis esset, si quis alterius pollicem simul, & indicem detruncaret: ex hoc enim manus nimis notabiliter, & fere in toto fit inepta ad munus suum exercendum. Idemque est de eo, qui tres digitos minores una cum parte manus correspondente abscinderet: qui alicui omnes dentes excuteret &c. Tamb. *ibid. num.* 23. At quid de eo, qui alicui non habenti amplius manum, vel pedem abscindat brachium, aut tibiam? Certe talem non fore irregularem, docent aliqui apud eundem *num.* 9. eo quod non videantur habere peculiarem usum: id tamen recte rejicit ipse: cum brachium, tibia, crus, sint magna pars membri serviens ad eum usum. Sed de his utique satis. 81

SECTIO III.

De homicidiis voluntariis moraliter causatis per mandatum, consilium, cooperationem quamcumque: & sua irregularitate.

SUMMARIUM.

83 & 84 *Quis dicatur mandans, & quis consulens homicidium.*

85 *Differunt hi in hoc I. quod* mandans *alicui homicidium, eo facto, nihilominus incurrat irregularitatem, etsi alter sine ejus mandato tamen certo occidisset; non sic* consulens, &

86 *II. Quod e contra* mandans *mandato suo sufficienter revocato, a reatu homicidii, & irregularitatis securus sit, etsi nihilominus alter homicidium exequatur; non sic* consulens, *revocato suo consilio: tamen*

87 *Et hic quoque, consilio suo sufficienter revocato, æque probabiliter & ab irregularitate, & ab onere restitutionis immunis erit, si homicidium nihilominus sequatur.*

88 Usque ad n. 92. *resolvuntur dubia specialia de* mandante *homicidium, quoad irregularitatem.*

92 Usque ad n. 97. *pariter circa eandem irregularitatem resolvuntur varia, & specialia* de consulente *homicidium.*

97 *Peccatum homicidii contra justitiam, cum onere restitutionis, & irregularitatem incurrit* omnis, & solus ille consentiens, *qui consentit in homicidium* suo nomine, & intuitu patrandum tantum, *effectu secuto.*

98 *Non vero, quicumque consentit in homicidium sine ullo suo intuitu patrandum, aut etiam suo intuitu jam patratum, approbando &c.*

99 *Omnis etiam* auxilians positive *quomodolibet, sive propriis manibus percutiat, vulneret &c. sive alio modo juvet, præter peccatum homicidii insuper obligationem restitutionis, & irregularitatem incurrit.*

100 Usque ad num. 105. *resolvuntur varii casus, quando plures sive simul, sive successive eundem vulnerarunt, postea mortuum &c.*

105 Usque ad num. 109. *Quando fiant, vel non fiant irregulares, qui occisuro dant, vel vendunt arma, pharmaca, venenum &c.*

109 *Quid de eo, qui se associat, assistit, vel comitatur occidentem, &*

110 *Quid de illo, qui occisuro indicat, vel prodit occidendum.*

111 Usque ad num. 116. *Obligati ex Charitate tantum impedire homicidium, & quacumque de causa, etiam ex odio, vel vindicta, non impedientes tantum, mere negative se habendo, solum permittendo, nec obligationem restitutionis, nec irregularitatem, nec alias pœnas incurrunt.*

116 & 117 *Bene vero obligati ex justitia impedire, si non impediant.*

118 *Qui omnes præter homicidii, & restitutionis reatum, probabilius etiam irregularitatem incurrunt.*

119 *Regula probabilis Recentiorum.*

120 Usque ad num. 124. *afferuntur exempla varia puræ omissionis.*

124 Usque ad num. 128. *afferuntur exempla alia omissionis non puræ.*

82 COoperationes ad homicidium injustum voluntarium, seu directe volitum, & intentum, quemadmodum ad quodvis aliud damnum injustum proximi, vulgo numerantur novem, vulgatis versibus comprehensæ: *Jussio, Consilium &c.* ex professo late explicatæ in materia de restitutione *tr. 4. c. 3. sect. 1. per totum*, sed hic necessario percurrendæ, & ad casus particulares, maxime quoad irregularitatem incurrendam, applicandæ sunt: sit

ASSERTIO IV.

83 *OMnis alteri ad occisionem hominis voluntarie directe quovis modo positive, vel negative cooperans, etiam non secuto effectu, absque controversia peccat mortaliter contra Justitiam, vel saltem contra Charitatem: at effectu secuto, semper contra Justitiam, cum obligatione restitutionis, & irregularitate contracta. Mandans, mandato ante effectum non revocato. Consulens alioquin non facturo, probabilius etiam consilio revocato. Consentiens in homicidium suo nomine patrandum tantum, non aliter. Auxilians positive quovis modo. Etiam non impediens, cum ex Justitia teneretur, secus est, si ex Charitate tantum, dummodo omissio pura sit.* Hæc Assertio, quoad rationem peccati mortalis generatim nimis manifesta est generali doctrina de scandalo, & cooperatione ad peccatum alterius, de quo fuse jam *supra c. 1.* Quoad peccatum contra Justitiam, & restitutionem, patet ex aliis dictis generalibus *de Restitutione*. Utrumque tamen hic semper comprehendam sub nomine *homicidæ, & irregularis*; quocumque enim casu in homicidio peccatur contra Justitiam, cum obligatione restitutionis, etiam incurritur irregularitas, & e contra: excepto uno, & altero raro casu, quos suis locis diligenter narrabo. Quoad irregularitatem autem incurrendam a vere cooperantibus ad homicidium constat claro Jure toto *capit. sicut dignum de homicid.* De hac ergo potissimum specialia explicanda sunt.

§. I. *Mandans &c. Consulens &c.*

MAndans dicitur, qui jussu, & auctoritate movet, & impellit ad homicidium sui ipsius mandantis nomine, & intuitu patrandum. Consulens vero dicitur, qui suasu, vel rationibus alterum movet ad homicidium sui ipsius, cui consulitur, intuitu, & commodo patrandum: eoque differunt mandatum, & consilium, quod mandatum fiat in gratiam mandantis, consilium vero fiat in gratiam, & commodum alterius, cui consulitur, ut optime declarat Bartholus in L. *non solum ff. de Jejuniis*, ab omnibus receptus, dicens: *Mandator dicitur ille, qui mandat delictum committi propter se ipsum mandantem, & ad satisfaciendum voluntati suæ. Persuasor dicitur ille, qui persuadet alicui propter ipsum, cui fit persuasio, & idoneo non curo, quibus verbis utatur, sive dicat, mando, sive rogo, sive quibuscumque verbis.* Hæc ille. Et hinc licet generaliter certissimum sit, & mandantem, & consulentem, seu suadentem, malitiose homicidium, effectu secuto, esse vere homicidam, & irregularem, ex claro textu cit. item censuras, & pœnas alias tali homicidio decretas incurrere, v. gr. excommunicationem, si occisio sit Clerici, fœtus animati, aut facta in duello, duplex tamen est differentia *in Assert.* expressa. 84

I. *Differentia.*

SI alicui mandes, ut hominem occidat, & ille accepto mandato in gratiam tui ipsum occidat, licet is jam antea concepto occidendi proposito, etiamsi tu nihil mandasses, nihilominus certo hominem occidisset, tu tamen irregularitatem non effugies. *Ratio est*: quia mandato tuo effecisti, ut jam in tuo nomine homicidium patratum sit, tibique ut causæ imputetur, quod alias alieno libitu factum fuisset. Quod si vero alicui suadeas homicidium, jam antea ad occidendum omnino resoluto, & determinato per se ipsum, ut nihil omnino tuo consilio in proposito confirmatus fuerit, tu ab irregularitate immunis eris, & solus alter occidens incurret; quia nimirum tuo consilio facto non in tui, sed alterius gratiam, jam alias certo occisuri, nihil omnino effecisti, neque ad occisionem effective concurristi: ut communiter notant DD. Quod si tamen ille antea propositum non omnino determinatum concepisset, quod tu maligno consilio tuo magis confirmasti, certe irregularitatem non effugies, quia jam causa fuisti, ut homicidium fieret, alioquin forte non futurum. Si dubites, an tuo consilio ipsum permoveris, nec ne, secuto homicidio, te irregularem fore, non dubites, ut dicam in *Subsectione*. At ais, fateor ex meo mandato, consilio, suasu, Titius occidit Cajum inimicum: at si ego non consuluissem, vel mandassem, certo consuluisset, vel mandasset alius: sum ne tamen homicida, & irregularis? Ita, ne dubites: sicut esset alius, loco tui consulens, vel mandans, quia nunc tu de facto moraliter ad occisionem concurristi, & sicut, si tu aliquem physice occideres, quem tamen, te non occidente, certe occideret alius, non ideo vitares notam homicidæ, & irregularis, ita etiam, si moraliter mandato, vel consilio occidisti. 85

II. *Differentia.*

E Contra vero, qui mandatum alteri datum, ante ejus executionem serio revocat, expresse, vel tacite, dummodo revocatio ad notitiam mandatarii pervenerit, a reatu homicidii, & irregularitatis securus est, etsi nihilominus alter homicidium exequatur, quia nimirum mandato in ipsius mandati gratiam facto, serio revocato, si alter nihilominus occidat, non potest amplius censeri executio mandati, vel mandantis nomine factum homicidium, sed alterius malitiosi proprio nomine, & motu commissum; revocatione enim tui mandati alteri cognita, nihil tui consensus in ipso remanet. Idque verum censet Tambur. hic sæpe cit. *l. 10. de cens. tr. 4. cap. 15. num. 9.* etiamsi ficte solis verbis, tamen sufficienter significantibus, revocaveris. Quando enim tua fictio (ut supponimus) mandatario non est cognita, ipsa verba externa sunt sufficientia ad extinguendum in ipso tuum mandatum. Cæterum si revocatio tui mandati non pervenit ad mandatarium, isque occidat, te fore irregularem, non est dubium; quia tunc tuum mandatum, adhuc remanens in mandatario, revera est causa mortis alterius, ut in simili, & alia plura mox dicam in specialibus mandatis. At vero, qui alteri maligno consilio persuasit, ut hominem occidat, solum movendo voluntatem, hortando, instigando, sive etiam movendo intellectum rationibus propositis, v. gr. indecorum esse non vindicare talem injuriam &c. etiamsi postea serio revocet consilium, & rationes suas refutet, alter autem sibi amplius persuaderi 86

non

non sinat, sed homicidium consummet, suasor etiamnum irregularitatem incurret: quia nimirum consilium factum est in gratiam occisuri, velut motu ipsi impresso per adhortationes, & rationes propositas, ut in sui commodum occidat, alias non occisurus, adeoque quantumvis postea revoces nihilominus causa homicidii secuti censeberis: neque enim in tua potestate est, motum illum maligni consilii alteri impressum in sui commodum revocare, nisi alter acquiescere velit. Quemadmodum, qui jam sagittam emisit, lapidem projecit, venenum propinavit occidendi causa, quantumvis interim ante occisionem revocet, & pœniteat, atque a peccato absolvatur, nihilominus secuto homicidio irregularitatem, immo & excommunicationem, & alias pœnas incurrit. Ita communius, & tutius docent graves DD. Nav. *c.* 27. *n.* 33. Tolet. *l.* 1. *c.* 85. Less. *l.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 17. Mol. *tom.* 3. *tr.* 2. *disp.* 731. & probabiliorem censet Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 7.

87 Nihilominus æque probabilis, & tuta videtur opposita sententia, etiam multorum, & gravium DD. Innocent. *in cap. ad audientiam S. Antonin. Sylvest.* alii cum Petro Navar. *lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 27. Fill. *tract.* 20. *capit.* 2. *quæst.* 3. & probabilem putant *Lessius cit. & Diana p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 84. *& par.* 2. *tract.* 2. *resol.* 14. Et valde probabilem censet *ipse Laym. modo cit.* nimirum talem consulentem, postquam consilium suum serio revocavit, & nihil prætermisit, quæ ad dissuadendum, & impediendum homicidium necessaria videbantur, &, si alterum videat perseverare in eadem voluntate, alium neci destinatum moneat, ut sibi caveat, quod certe tenetur (saltem ex Charitate) postea nihilominus secuto homicidio, immunem esse ab irregularitate, & consequenter etiam ab onere restitutionis (& secundum communissimam etiam ab excommunicatione in casu, quo incurrenda esset.) *Ratio est*, quia talis fecit, quantum potuit, ut malum suum consilium everteret, & destrueret, adeoque executor tunc non debet censeri ejus consilio fuisse impulsus, sed potius sua malitia, & pertinacia. Alia longe est ratio de sagitta, lapide, veneno, in exemplis allatis, quia hæc sunt causæ naturales, quæ scilicet applicatæ, naturaliter, & necessario operantur, quantum possunt, quas proinde impedire non est omnino in nostra potestate. At vero alieno consilio persuasus ad occidendum, vel quodvis aliud malum patrandum, est causa moralis & libera, quæ contrariis rationibus potest a concepta semel sententia dimoveri, & in malis debet; quare si dissuadens faciat, quod potest, alter vero dissuasionem non recipiat, effectus secutus illius malitiæ, non suasoris adscribi debet. Ego huic sententiæ in foro conscientiæ omnino acquiesco.

Specialia de mandante homicidium.

88 I. Mandans homicidium irregularitatem contrahit, quoties ex vi mandati sui homicidium ab ipso intentum, saltem quoad substantiam secutum fuit, etiamsi mandatarius modum ab ipso præscriptum non servet, v. g. mandasti Titio occidere inimicum tuum, tali loco, tali die, tali medio, cum sclopeto, ipse autem occidit alio loco, alio die, alio medio, v. g. veneno, &c. certe irregularis es, quia tua jussio substantiam posuit mortis: Contra: tu mandasti Titio, ut occideret Petrum, ipse vero per errorem occidit Paulum; certe irregularis non es, quia ad occisionem Pauli tu nullum consensum posuisti, illudque homicidium minime a te fuit intentum, immo nec prævisum; atque ita declaratum fuisse in S. Congregatione Cardinalium refert *Farinacius* apud Tamb. §. 8. *n.* 19. *cit.* & habetur in novissima editione Conc. Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Reformat.*

89 II. Certum est ex dictis, te non fore irregularem, nec homicidam, quando certo constat, mandatarium ex tuo mandato nec fuisse omnino motum ad occisionem patrandam, nec factum esse animosiorem, vel severiorem ad occidendum, sed prorsus eodem modo & motu occidit, ac si tu non mandasses. At vero, si de hoc non constet, sed dubium sit, te fore irregularem constabit ex dicendis in subsect. At rursus: quid si ignores, an mandatarius hoc tuum mandatum acceperit, seu acceptaverit, vel non, an vero recusaverit, occidit enim nullo signo dato mandati tui repulsi, unde tu nescis, an ex tuo mandato, an vero ex alterius, vel propria voluntate, v. g. ob acceptam injuriam is hominem occiderit, erisne adhuc irregularis? Resp. quod sic. Navar. *c.* 17. *n.* 23. Joan. Præp. *q.* 5. *de irreg. dub.* 8. *n.* 63. & alii cum Tamb. *cit.* §. 8. *n.* 12. Ratio est: quia dum mandasti homicidium, jam cogitasti, vel saltem suspicatus es, illud patrandum a mandatario, & tamen illud non cavisti revocando mandatum, ut debuisti: ergo adhuc teneris ex mandato, semper enim quis tenetur ex mandato, quando illud, re integra, expresse, vel tacite non revocat; aliud est, si mandatarius post longum tempus, postquam novit te in amicitiam rediisse cum illo inimico, aut ex nova causa, seu propria inimicitia illum occideret: tunc enim non censetur occisio fieri ex tuo mandato.

90 III. Quod si mandatarius ab initio quidem respuat tuum mandatum, de occidendo homine, deinde vero te nesciente, mutato animo, illud acceptans, hominem occidat, erisne tunc homicida, & irregularis? Resp. cum dist. 1. Si enim tu audita prima repulsa mandatum tuum sufficienter revocasti, dicens v. g. placet tua conscientia, ne ergo te in hoc negotio immisceas, nihil attentes, &c. jam ex hac sufficienti revocatione liber es a mandato, & irregularitate. 2. Si vero tunc sufficienter non revocasti, v. g. dicendo: video te nullius animi esse, inveniam bene alium: relinque, si non placet mihi gratificari in hoc &c. jam altero adhuc occidente, reus eris mandati homicidii, & irregularitatis, quia mandatum tuum sufficienter non revocatum, adhuc operatum fuit. 3. Si denique nihil dixisti, nec dedisti signum, quod repulsam illam acceptes, adhuc irregularis eris, secuto homicidio: quia ex illo tuo silentio non censetur sufficienter revocatum esse mandatum, sed remanet adhuc impressum mandatario, vi cujus postea fit occisio. Ita ex Suar. *de cens. d.* 44. *sect.* 3. *n.* 9. *& aliis.* Tamb. *cit.* §. 8. *n.* 14. 15. *&* 16.

IV. Quid si tu quidem ex parte tua mandatum occidendi sufficienter expresse, & serio revocasti, at vero 1. Mandatarius non percepit revocationem ob distractionem mentis, v. g. inter ludendo, fabulando &c. 2. Mandatarius non putavit revocantem te serio loqui, & ex animo, sicque adhuc occidit ex vi mandati, quod in te perseverare putat. 3. Mandatarius percepit, & acceptavit quidem tuam revocationem, sed deinde mandati tui memor, & revocationis oblitus oblata occasione adhuc occidit. 4. Denique tu pœnitens mandati tui, non potes quidem revocare, vel admonere mandatarium de tua revocatione, potes tamen (tuncque ex justitia deberes) admonere occidendum, ut sibi caveat; & tamen non admones, sicque adhuc vi mandati tui occiditur. Quid Juris in his casibus? In his quatuor casibus mandantem esse vere homicidam, & contrahere obligationem restitutionis, merito docet Lugo *disp.* 19. *de Justit. sect.* 2. *a n.* 25. Et consequenter ego cum Tamb. *cit. num.* 24. infero etiam incurrere irregularitatem. Ratio clara est: quia in omnibus istis casibus, si attente considerès, occisio a tuo tandem mandato efficaciter consequitur. Secus dicendum videtur in casu quando tu mandatum tuum de occidendo inimico, serio, & expresse revocasti apud mandatarium, isque persistens in pertinacia sua, adhuc occidit, te sciente, at non consentiente; sed tamen, cum sine gravi tui incommodo posses, saltem per alium, non præmonente occidendum, ut sibi caveat, hoc casu, etsi irregularitatis reum te faciant *Suar. Turr. Hurt. Cornejus apud Diana mox cit.* eo, quod adhuc ex vi mandati tui videatur occidi alius, probabilius tamen ab irregularitate te liberant *Henriquez, Sayrus, Avila*, alii cum Less. *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 18. Dian. *par.* 4. *tr.* 2. *res.* 14. Tamb. *cit. n.* 23. Ratio est, quia tunc non teneris admonere occidendum ex Justitia, jam enim mandatum tuum ex parte tua sufficienter revocasti, ut proinde occisio re ipsa non sequatur ex vi mandati tui, sed ex mera pertinacia, & mala voluntate mandatarii, ut supra dictum est. Teneris ergo tunc solum ex Charitate admonere occidendum: adeoque non admonendo solum peccasti contra Charitatem, non contra Justitiam, ideoque sicut nullam restitutionis obligationem, ita neque irregularitatem incurristi; ut patebit ex generalibus dicendis §. 4. 91

Specialia de consulente homicidium.

Dicta modo de mandante, pleraque etiam applicanda sunt consulenti, & de utroque pro certo habendum, tam mandantem, quam consulentem homicidium, mandato, vel consilio non revocato, quacumque de causa effectu secuto irregularem fieri, quamtumvis ipsum interea pœnituerit mandati, vel consilii sui mali. E. g. Jussi, vel consului occidi Petrum, sed re integra me valde pœnituit consilii, vel jussionis meæ, facta etiam confessione Sacramentali, quia tamen non potui revocare, & admonere alterum, forte nimium distantem, interea ipse ex vi consilii, vel mandati mei homicidium patravit, sine dubio sum irregularis, sicut & restitutioni obnoxius: quia hic non attenditur status tuus præsens peccati, vel gratiæ, sed causa homicidii, quam dedisti: at hic per tuum mandatum, vel consilium non retractatum, etsi sine præsenti culpa tua, jam dedisti causam, ex qua secutum est homicidium: ut jam semel notavi, & infra de homicidio casuali indirecte voluntario iterum notabo. Jam quoad specialia. 92

I. Consulens etiam irregularitatem incurrit, quandocumque ex vi consilii sui sequitur homicidium determinatum quoad substantiam, sicut modo de mandante explicatum, quibuscumque deinde verbis utaris, sive voluntatem moventibus, hortando, instigando, palpando, reprehendendo, ejus ignaviam; sive intellectum instruendo, rationes, motiva, media proponendo, vel docendo: verbi gratia, si Titio injuria affecto, dicas: vere leges Nobilium statuunt, imminui existimationem viri, nisi ultione, vel duello deleatur injuria: si fœminæ a te, vel alio impregnatæ dicas: hoc vel illud pharmacum expellit fœtum animatum: si Titio meditanti occisionem sui inimici, tu suggeras modum, quo possit adversarius imparatus occulte, vel per insidias occidi; & similia sexcenta: secuta occisione vi verborum 93

borum tuorum omnino homicidii, & irregularitatis notam incurres: prædictis enim, & similibus loquendi modis vera materialis causa homicidii fuisti, ut observant DD. passim.

94 II. Tibi jam resoluto occidere Titium, suadeo, ut occidas alio modo, quam volebas: v. g. volebas eum occidere gladio, vel sclopeto; consulo, ut potius occidas veneno, isque secutus consilium sic occidit, sumne ego homicidii, & irregularitatis reus? Resp. cum distinct. si modus occidendi a te propositus fuit, ut celerius, audacius, vel securius ego occiderem, irregularitatem non effugies, quia concurristi ad substantiam occisionis, vel ejus accelerationem. Si autem suasio tua non fecit occisionem deteriorem, vel occidentem animosiorem, vel securiorem, merito ab irregularitate liberat te Tamb. *cit.* §. 8. *nu.* 29. quia jam non concurris ad substantiam occisionis, alioquin certo fiendæ, sed præcise ad modum: hinc a fortiori, si tibi suadeam, ut occidas cras, quem volebas occidere adhuc hodie, dummodo cras forte data occasione meliori, non animosius, vel securius occidas, quam occideres hodie, non ero irregularis; quia sic potius conservo vitam alterius, quam auferam. Vide Diana *p.* 11. *tr.* 8. *ref.* 42.

95 III. At quid si suadeam, ut occidas meliori morte, quæ tamen sit celerior? v. g. volebas occidere maleficio gravia, & diuturna tormenta afferente, ego suasi, ut gladio occideres statim; volebas diu excruciare, conscindere paulatim singula membra, suasi ut occidas unico vulnere per præcordia, vel caput: Resp. Cum dist. si motus Charitate, & misericordia erga occidendum ita facias, reum irregularitatis rursus te non facio, cum Tamb. *c.* 15. §. 8. *n.* 31. quia pia Mater Ecclesia non videtur velle, tam gravi pœna punire eum consulentem minus malum, ut evitetur majus, quod certe malum non est, ut videbimus suo loco: nam ob eamdem rationem Doctores passim asserunt, non incurrere excommunicationem, nec irregularitatem eum, qui volenti Clericum occidere, suadet, ut potius solum verberet, vel mutilet. Quod si vero ita suadeas malo fine: v. g. quia vis quantocius illum hominem tibi inique extingui, aut ocius hæreditate potiri, aut etiam ne occidens in manus Judicum deveniat, & jam te irregularem pronuntio, cum eodem ibid. *n.* 32. & 33. quia tunc non potest præsumi intentio modo dicta piæ Matris Ecclesiæ.

96 IV. Quidam damnatus ad mortem volebat ad Superiorem Judicem appellare, dissuasi, ne appellaret, unde ejus mors saltem longe citius, quam si appellasset, secuta est, sum ne irregularis? affirmat sane DD. communis, & nos indicavimus *c. præc. n.* 51. *de Irreg. ex defectu lenitatis* (eo non spectat casus iste.) Verum juxta probabilem Regulam Recentiorum ibidem in fine Sect. declaratam, ita distinguendum est: si enim ipse Judex, Advocatus, vel minister Justitiæ, ex officio agens ita dissuadet, certum est incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis. At vero, si privata persona, Theologus, Confessarius, aut etiam ipse Judex, ut privata persona agens, ita dissuadeat ex bono motivo; utpote quia appellatio esset injusta, frivola, inutilis, vel etiam perniciosa futura, nullam incurrit irregularitatem; non ex delicto, quia non peccat; non ex defectu lenitatis, quia hi non agunt, ut Ministri Justitiæ: si tamen temere, & sine ratione appellationem dissuadeant, & impediant, utique peccant, & secuta, vel accelerata morte, rei consequenter irregularitatis erunt: & hoc sensu ita a nobis supra concessum est ex communi DD.

§. II. *Consentiens in homicidium suo nomine patrandum, non aliter.*

97 Quamvis rursus certum sit, omnem consensum, ac ratihabitionem homicidii patrandi, vel jam patrati (quo etiam spectat *palpans*, id est, laudans, blandiens, vel gratulans de tali facto) esse peccatum mortale, saltem contra Charitatem, ut initio generaliter prædixi. Speciale tamen homicidii peccatum contra Justitiam, cum obligatione restitutionis, & irregularitatem incurrit *omnis*, & *solus consentiens in homicidium suo nomine patrandum tantum*, *secuto effectu*: talis enim censetur saltem virtualiter, & æquivalenter mandans, ut §. præcedentis initio notavi: immo etiamsi tacite solum consentias, v. g. si affirmanti in tui gratiam se hominem necaturum, credas, ab ipso futurum esse, neque contradicas, & impedias, cum possis. *Arg. cap. constitutis* 1. *de Testibus L. in delict. ff. de noxialibus action.* Molin. aliisque cit. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 3. *c.* 4. *n.* 5. Item si te rixante cum alio, amicus adveniens alterum in tui gratiam occidat, te, cum facile possis, non prohibente. *Argum. cap. Petrus de homicid. & ibid. Abbas, & DD. communiter cum Laym. cit.* Ratio est: quia talis consensus, sive expressus, sive tacitus, censetur moralis cooperatio ad homicidium, & causa illius per modum mandati, consequenter irregularitatem inducet, nisi contradicatur saltem exterius, ut in simili superius notavi.

98 Non ergo homicida erit, neque obligationem restitutionis, neque irregularitatem contrahet, sed neque excommunicationem (in casu, quo homicida alias incurrere deberet) incurret: In primis nude consentiens in homicidium patrandum ab alio absque ullo sui intuitu, neque ullo modo sui nomine, vel commodo patrandum, absque ulla alia positiva cooperatione, & seclusa obligatione Justitiæ homicidium illud impediendi. *Ratio est:* quia, ut supponitur, talis consensus nullo modo influit in homicidium: quippe quod æque fieret sine illo consensu mere per accidens, & concomitanter adveniente: neque ad talem consensum ullo Jure facta est extensio irregularitatis, excommunicationis, vel alterius pœnæ homicidio decretæ. 2. Multo minus ergo incurrit, qui homicidium non suo nomine, vel sui intuitu factum ab alio, solum consensu subsequenti approbat, laudat, palpat, & velut ratum habet, ob eamdem rationem; immo tunc non potest ratificare, quia ut dicitur in Jure cap. cum quis, de sent. excomm. *Nemo ratificare potest, quod suo nomine gestum non est.* Sed neque 3. Eam irregularitatem incurrit, aut excommunicationem (excepta sola excommunicatione ob occisionem, vel percussionem Clerici) incurrit, qui homicidium, etiam suo nomine, suique causa jam patratum ab alio, postea solum ratum habet, commendat, approbat: uti contra *Nav. Sylv. Mol. & alios*, docet communior, & verior DD. sent. Gloss. *in cap. si quis viduam d.* 50. *Covar. Avila, Hurt.* alii cum Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *n.* 6. Lugo *disp.* 10. *de Justit. sect.* 2. *n.* 34. Diana *par.* 4. *tr.* 2. *ref.* 13. Ratio est: quia irregularitas, sicut & obligatio restitutionis, solum imponitur ob delictum commissum, vel cooperationem ad illud: sed is, qui solum ratum habet homicidium jam antea commissum, nec potest censeri illud commisisse, nec ad illud cooperatus esse: ergo non incurrit illas pœnas. Et universaliter, pœna decreta in aliquod delictum non comprehendit ratihabitionem illius, nisi in casibus a jure expressis, non autem extenditur irregularitas ad ratihabentes in ullo Jure, licet extendatur excommunicatio in ratihabentes percussionem, vel occisionem Clerici suo nomine factam: *cap. cum quis, de Sentent. Excomm. in* 6. ergo &c. Quod vero dicitur Regula Juris 10. *in eodem* 6. *ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium æquiparari;* verum est universaliter in favorabilibus tantum: ut quando agitur de valore contractuum, in negotiis utiliter gestis pro altero; non item in odiosis, & pœnalibus, nisi quatenus talis æquiparatio facta est ab ipso Jure: facta autem solum est in ordine ad incurrendam excommunicationem ex percussione Clerici: nullibi autem facta est in ordine ad contrahendam irregularitatem, aut alias excommunicationes, aut pœnas, ut recte respondent DD. citati.

§. III. *Auxilians positive quovis modo.*

Quicumque actu, & positive cooperantur ad homicidium, quomodocumque, sive propriis manibus percutiant, sive non; sive solum defendant ipsum homicidam, sive alium impediant, ne se defendat, sive solum animent homicidam, aut solum assistant in ejus favorem, sive homicidæ arma præbeant, sive hæc auferant occidendo &c. his enim, & similibus omnibus modis fit vera, vel physica, vel moralis cooperatio, & auxiliatio ad homicidium: ideoque præter peccatum mortale talis incurrit irregularitatem, sicut & obligationem restitutionis pro rata, immo in solidum in defectum aliorum, & excommunicationem in casu, quo decreta est: constat *ex cit. cap. sicut dignum*, §. *illi de homic.* his verbis est: *Constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt:* & consequenter etiam immunes non erunt a pœnis homicidæ decretis. Quando ergo plures ita actu, & positive proxime cooperantur ad homicidium, secuto effectu, omnes sunt irregulares, etiamsi unus tantum lethaliter vulnerasset, cæteri non lethaliter, vel nullo modo vulnerassent, immo etiamsi nullus omnino vulnerasset lethaliter, dummodo ratione istorum vulnerum mors postea sequatur, omnes tamen cæteri, tamquam auxiliantes, & cooperantes fiunt irregulares, ut ex communi notat Fill. *tr.* 20. *cap.* 4. *q.* 7. Sed claritatis causa percurro aliquos casus in particulari, qui quidem plerique spectant ad homicidium physice patratum potius, quam moraliter causatum: hic tamen aptum locum habent. 99

I. Plures eumdem vulnerantes postea mortuum.

I. Titius, Cajus, Sempronius, & ego, communi consilio, & consensu promiscue graviter, vel leviter vulneravimus Antonium, uno vel altero lethali vulnere inflicto; siquidem non appareat, quisnam inflixerit, & omnes de eo dubitent, omnes esse irregulares, non est dubium ex dictis. At ego certus sum, me non inflixisse lethale vulnus, vulneravi enim solum in brachio, in crure posteriori: sumne tamen irregularis? Certe es, si, ut suppositum est, communi consilio, & communi pacto cum aliis aggressio facta est: quandoquidem audacior ex comitatu tuo factus est, qui lethale inflixit: & regulariter in pluries vulnerato mors sequi solet ex communi coactione omnium vulnerum. Si autem nihil horum adsit, & certus sis, te nullo modo concurrisse ad mortem tuo levi, non lethali vulnere, non erit caput, unde fias irregularis. 100

II. Plu-

101 II. Plures similiter vulneravimus Titium, sed singuli leviter nullo prorsus extante vulnere lethali: nihilominus Titius ob multum sanguinem ex illis tot levibus vulneribus effusum, aut ob febriculam ex illis vulneribus provenientem, brevi mortuus est: omnesne sumus irregulares? Estis omnes: quia certum est, omnes vulnerasse, & certum est ex illis vulneribus, tamque multis concausis, velut agmine facto Titium fuisse interemptum. Cæterum, si vulneri levi a te inflicto superveniat alia mortis causa non prævisa, spectabit ad homicidium casuale, de quo suo loco inferius. Sed interim audi adhuc unum, aut alterum casum.

102 III. Ego leviter Petrum vulneravi, v.g. in dextero brachio, vel pede, sed is postea a superveniente alio inimico, vel eo, quod meo vulnere debilitatus, se defendere, vel fugere non potuerit, graviter vulneratus, ideoque mortuus fuit: sumne irregularis ego? *Resp.* cum dist. si nullum consilium, etiam commune, cum altero inimico Petri habuisti de eo vulnerando, nec de illo inimico superventuro cogitasti, dubitasti, vel suspicatus es, reus irregularitatis, & restitutionis non eris: quia omnino præter opinionem, consensumque tuum homicidium factum est. At vero si communicato consilio egisti, aut etiam non communicato consilio, periculum prævidisti, & non cavisti, omnino reus eris homicidii, & irregularitatis; jam enim homicidium directe, vel indirecte voluntarium etiam tibi imputabitur. Ulterius hic applicare potes distinctionem mox dandam casu sequenti. Audi ergo difficilius confitentem reum.

103 IV. Ego heri lethaliter vulneravi Paulum, probabilius, immo certo intra duos, vel tres dies inde moriturum: sed ecce nullo communicato consilio, ex improviso superveniens alius inimicus Pauli, novo lethali vulnere confodit, trajecit, occidit (casus frequens in bello post conflictum) sumne irregularis? Ita esse, absolute pronuntiat Covar. *in Clement. si furiosus par.* 2. §. 2. hac ratione: ille, qui reus est homicidii Jure Civili, est etiam irregularis Jure Canonico: at percutiens aliquem vulnere lethali, ex quo scilicet percussus certo est moriturus, tenetur reus homicidii Jure Civili, sic enim habet textus L. ita vulneratus ff. ad L.Aquiliam. *Lege teneri æstimati sunt non solum, qui ita vulnerassent, ut confestim vita privarent; sed etiam hi, quorum ex vulnere certum est, aliquem vita excessurum.* Sic ibi; ergo talis etiam Jure Canonico tenebitur irregularitatis reus. Sic fere discurrit iste Doctor. Sed quidquid sit de minori, & sensu illius Legis; certe major universaliter vera non est, nam si quis a te lethaliter vulneratus, per miraculum sanaretur, jure civili erit plectendus, ut homicida; at Jure Canonico irregularis non erit, quia vulneratio actu mortem non attulit. Contra dubius de facto homicidii jure Canonico irregularis est, ut mox videbimus in *Subsect.* nunquam vero plectendus est ut homicida. Idemque est de Judice torquente reum, modum torturæ excedente, unde reus moriatur: Jure enim Canonico clare irregularis est, at Jure civili non punietur pœna homicidæ; sed alia longe mitiori.

Resp. ergo cum dist. vel enim secundus percussor statim occidit, seu ita percussit, transfodit, trajecit, ut is statim mortuus sit: & tunc tu primus percussor liberaris ab irregularitate, eamque solus secundus percussor contrahet. *Ratio clara est*; quia tunc mors nullo modo ex vulnere a te inflicto secuta est, quippe quo vulneratus Paulus adhuc uno, aut altero die vixisset, & forte, saltem miraculose, sanari potuisset: at vero, si Paulus non statim ex secundo vulnere, sed post utrumque vulnus acceptum ex intervallo, v.g. uno, vel medio die postea mortuus sit, ambo vos percussores irregulares eritis. *Ratio est:* quia tunc revera mors non sequitur ex solo secundo vulnere, sed etiam ex primo a te inflicto: ambo enim vulnere communi actione lethali concurrunt ad mortem inferendam, vel certe accelerandam. Ita meo Judicio sapienter Tamb. *cit. cap.* 15. §.7. *n.6.* attamen *n.* 7. excipiens, nisi in raro casu certus esses, mortem a secundo vulnere solo causatam esse: tunc enim rursus non tu, sed secundus tantum percussor omnium reus erit. Sed quando id certo constabit?

II. *Dans, vel vendens arma occisuro.*

104 Ego velut amicus gratis præbui, velut mercator vendidi arma, pharmaca, venenum, vel quid simile Titio, quibus iste hominem occidit: sumne ego homicidii reus, & irregularis? Hic graviter distinguendum est: aut enim (1) ipse intendisti, vel homicidium voluisti: aut (2) saltem prævidisti: aut (3) nec intendisti, nec prævidisti, aut (4) etiam coactus es dare, vel vendere. Jam cape breves Resolutiones.

105 I. Si talia dedisti ad finem occidendi injuste ex intentione, vel consensu in homicidium, effectu secuto, sine dubitatione homicida, & irregularis es; adde etiam, si sine illis armis a te datis alter nihilominus iturus fuisset ad occidendum illum hominem; immo, etiamsi illis armis usus non esset, sed tamen ex illis audacior factus, & promptior ad occidendum: in his enim semper es causa homicidii voluntaria. Idemque dicendum si solum dedisses arma defensiva, loricam, galeam, Clypeum &c. nam etiam ex his semper fit homo audacior, & securior ad occidendum: idque etiam, si tunc homicidium non intenderes, sed prævideres tamen. Ita *Bonac.* aliisque citt. Dian. *p.* 4 *tr.* 2. *ref.* 11. Tamb. *cit. cap.* 15. §. 7. *n.* 18.

II. Si ejusmodi dedisti, vel vendidisti, non quidem ad finem homicidii, illud intendens, vel volens, attamen, vel certo sciens, vel rationabiliter suspicans, talem a te petere, vel emere arma, gladium, venenum, vel pharmacum cum voluntate aliquem determinate occidendi, v.g. hunc inimicum suum, hanc uxorem deprehensam in adulterio, ad procurandum abortum hujus ancillæ impregnatæ &c. certe homicidii, & irregularitatis reus erit, secuto effectu. Ita cum aliis Sayr. *l.* 7. *Thesaur. cap.* 4. Tamb. *cit. cap.* 21. Ratio est, quia sic dando, vel vendendo occisuro determinate aliquem, proxime cooperaris ad homicidium, ideoque contra Justitiam peccas, non contra Charitatem tantum, quidquid excuset *Hurt.* At vero si solum prævideas, suspiceris talem petere a te ejusmodi arma ad occidendum indeterminate v. g. si iturus sit ad bellum injustum, vel quia cum variis inimicitias gerit: Jam non videris esse causa proxima occisionis forte secuturæ; in illa enim tanta indeterminatione occisionis potes tibi probabiliter persuadere gladio a te tradito, vel vendito v. g. nullum fuisse occisum. Sed plura supra de scandalo, & cooperatione ad peccatum alterius. 106

III. Si dans, vel vendens arma, vel alia ejusmodi nihil mali intendas, nec scias, vel prævideas, aut suspiceris de occisione futura, nullo modo homicida, vel irregularis eris, quotquot deinde occisi fuerint, quia sic moraliter, & voluntarie nullo modo concurris ad occisionem. Idemque dicendum, si arma, vel quæcumque alia data, nihil prorsus juvent, vel concurrant ad occisionem, neque alterum animosiorem reddant ad occidendum, etsi tu aliquid prævideris, vel suspicatus sis; sic enim nullum erit caput, cur debeas irregularitate puniri. Communis apud citt. 107

IV. Si vi, vel metu gravi, cadente in constantem virum, v.g. mortis propriæ, mutilationis, vel alterius gravis mali, etiam cogeris dare, vel vendere arma, vel quid simile ad occidendum hominem, inimicum, uxorem &c. etiamsi id certo scias, vel prævideas, attamen sicut tunc excusaris a peccato cooperationis homicidii ab altero patrandi, ita ab irregularitate ex delicto, & totus concursus mortis, seu tota moralis causa occisionis, & consequenter irregularitas refundit in cogentem te, nihil vero in te: at vero si metus levis tantum, & levis mali esset, tu quoque non effugeres notam homicidii, & irregularitatis: cum levis metus non excuset a peccato cooperationis ad tantum malum, nec consequenter ab irregularitate ex delicto, ut in simili etiam supra notavi. 108

III. *Associans se occidenti, eique assistens.*

Auxilium præbui, astiti, comitatus sum eum, qui inimicum interfecit: sumne irregularis? Resp. cum distinctione jam sæpius inculcata: si tuum auxilium quodcumque, assistentia, associatio tua, fuit causa efficax, & propinqua occisionis, & vere in eam influxit, ut si homicida sine tuo auxilio, vel assistentia, comitatu, vel revera non occidisset, vel non tam celeriter, vel non tam audacter, ne dubites, te irregularem esse, ex sæpe dictis sicut & excommunicatum, si occisio sit Clerici, vel facta in duello ex condicto. At vero si tua assistentia, vel comitatus non fuit causa efficax, & propinqua occisionis, nec eam ullo modo promovit, sed perinde fuit, ac si non adfuisses; irregularitatem ne metuas. Hinc si adsis amico tuo rixanti cum suo inimico, & id nesciat amicus, cum tua præsentia nihil prorsus adferat ad occisionem, nihil de irregularitate, vel alia homicidii pœna tibi timendum erit, si ille suum adversarium interficiat. Contra vero, si te ostendas, unde aliquid animi addatur amico irascenti, quis te tunc secuto homicidio ab irregularitate liberabit? Vide *Sayrum loc. cit.* Id vero minime probandum videtur, quod docent *Henriq. Avila*, *Navar.* apud Dian. *par.* 4. *tr.* 2. *ref.* 17. si pater assistat filio rixanti cum inimico, eo fine, ne filius periclitetur, non fore patrem irregularem, si filius inimicum occideret, eo quod pater det operam rei licitæ. Hoc, inquam, minime probandum videtur: cum enim filius rixans videt præsentem patrem sanum, ac valentem, non potest ex ejus præsentia non audacior fieri ad occidendum, & consequenter eo ipso hæc assistentia patris fiet illicita contra Justitiam: ideoque secuta occisione sequitur irregularitas in utroque, nisi forte pater esset adeo senex, vel debilis, ut clare appareat associationem istam nihil promovere posse occisionem. Tamb. *cit. num.* 28. 109

IV. *Indicans, prodens occidendum occisuris.*

De hoc ita loquitur Lugo apud Tamb. c.4.§.4.n.4. *si scias Petrum quærere inimicum ad occidendum, & aperias illi, ubi sit, testificaris plane verum, sciens tamen Petrum illa notitia abusurum ad occidendum ex sua malitia, non eris vere liber a peccato injustitiæ, & particeps homicidii, saltem si nul-* 110

si nulla cogente necessitate cooperatus es. Hæc Lugo, consequenter significans talem etiam incurrere obligationem restitutionis, & irregularitatis. Quid si ergo metu mortis, vel alterius gravis mali tu cogaris a sicariis ostendere domum vel latibulum Petri ad occidendum eum, eisque occidatur, homicidii, & restitutionis (consequenter & irregularitatis) te damnat Comitolus apud Dian. *p.* 5. *tr.* 4. *res.* 63. ipse tamen cum Rodriquez inclinat ad liberandum te, favet etiam Lugo cit. ultimo verbo: *saltem si nulla cogente necessitate cooperatus es*. Ego vero non dubitarem te ab homicidii restitutionis & irregularitatis reatu liberum pronuntiare, quia non fuisti causa moralis damni, seu homicidii illius, quippe in tanta necessitate propria, & actione de se indifferenti omnino excusatus a peccato, cooperaris ad dictum homicidium, ut in simili modo supra dixi num. 108.

§. IV. *Etiam non impediens &c.*

Regula Communis.

111 NOn *impedientes tantum, seu mere negative se habendo solum permittentes homicidium fieri, nullum incurrunt reatum homicidii contra justitiam, nec restitutionis obligationem, nec irregularitatem, neque excommunicationem, aut alias pœnas tali homicidæ decretas, nisi ex Justitia obligati sint impedire*. Communissima DD. apud mox citt. Ratio dabitur statim. N. J.

Obligati ex Charitate tantum impedire.

112 OBligatur autem ex Charitate impedire homicidium proximi, sicut quodlibet aliud ejus grave damnum, omnis homo, qui hoc moraliter, & commode potest absque æquali, vel gravi suo incommodo, aut periculo juxta communem omnium doctrinam in materia de Charitate: talis ergo culpabiliter omittens, cum facile posset impedire, peccat quidem mortaliter contra Charitatem; at non proprie peccato homicidii, nec consequenter incurrit prædictas obligationes, & pœnas homicidio annexas. Communissima. Navar. *c.* 24. *n.* 22. & *c.* 27. *n.* 231. *Mol. Less.* Laym. *cit. n.* 7. & pluribus cit. Lug. *disp.* 19. *sect.* 3. *num.* 99. Ratio est: quia peccatum homicidii, ut tale, adversatur virtuti Justitiæ: ergo quandocumque non peccatur contra Justitiam, non potest esse proprie homicidium, nec consequenter secum trahere pœnas homicidii ex justitia debitas, ut est obligatio restitutionis, nec irregularitatem, vel alias pœnas homicidio decretas per Sacras Leges: hæ enim cum sint odiosæ, rigorose accipiendæ, & intelligendæ sunt solum improprie proprie dicto, & injusto homicidio.

113 II. Insuper hoc verum est, etiamsi talis ex Charitate tantum obligatus non impediat malitiose, ex odio, vindicta, maligno affectu, volens, consentiens, intendens, ut tale homicidium fiat, dummodo aliter positive, & externe non cooperetur, vel influat in homicidium. Ita contra nostrum Angelum *v. furtum n.* 16. & paucos alios Communis DD. Molin. *disp.* 735. Less. *c.* 13. *dub.* 3. Vasq. *de restit. c.* 9. §. 3. *dub.* 1. Lugo *disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 100. Ratio est: quia affectus solus internus quantumvis malignus nullo modo influit in homicidium: non realiter, ut ex se patet; neque imputative, cum nullum adsit debitum ex justitia impediendi illud homicidium: ergo moraliter nullo modo est causa injusta illius homicidii. Secus est, si ex justitia obligatus non impedias, tunc enim es causa moralis homicidii non quidem realiter, sed imputative: tunc enim propter debitum Justitiæ neglectum, imputatur tibi, ac si influeres, etsi realiter non influas: cum ergo tota ratio imputandi sit debitum Justitiæ, & tota ratio non influendi sit imputatio; consequenter, cessante debito Justitiæ ex officio, vel contractu, cessat imputatio, & influxus, ideoque solus affectus internus nocendi non facit vere causam homicidii, etiam imputative tantum, in ordine ad restitutionem, & pœnas homicidio annexas, ut optime explicat *Lugo loco cit.*

114 III. Dixi notanter: *mere negative se habendo*: & dummodo positive, & externe non cooperetur; si enim non impedias, non mere negative te habendo, sed positive, & externe aliquo modo cooperando, influendo, vel promovendo homicidium, utpote ex composito, vel pacto cum occisuro (forte etiam pretio accepto, ne impedias) unde is animosior reddatur ad occidendum, qui alias, vel omnino non occideret, vel non tam audacter, celeriter, hac vice &c. certe te homicidii, restitutionis, atque irregularitatis reum facit communis DD. apud cit. quidquid in oppositum probabile censeat Tamb. sup. *de Rest. cit.* Ratio est: quia jam voluntate tua non impediendi exterius manifestata in favorem occisuri, moraliter vere, & externe influis in homicidium, atque hac ratione intelligendus Alexander Papa III. cap. sicut dignum, de homic. dicens: *qui potuit hominem liberare a morte, & non liberat, occidit*, & sequitur immediate: *Constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare*. Sic Pontifex manifeste loquens de præsumpto favore, & cooperatione non impedientis; *Less.* tamen *cit.* respondet; accipi ibi occisionem late, prout solum est contra Charitatem, quemadmodum accipitur illud D. Ambrosii cap. pasce dist. 89. *pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti*: in suo loco explicatum.

IV. Quod si alium similiter ex Charitate obligatum, & de facto volentem impedire injustam occisionem proximi, tu maligna dissuasione ab hoc opere Charitatis revoces, siquidem ita faciens per vim, vel fraudem, vel ex dissuasione tua intendens promovere occisionem, vel cooperari ad illam, homicidii, restitutionis, & irregularitatis reum omnes te facient: peccas enim contra Justitiam. Quamvis enim occidendus non habeat jus, ut alius ipsum defendat, vel liberet, habet tamen verum Jus, ne alius sui defensionem maligne per vim, vel fraudem impediat. Quod si tamen ita facias sine vi, vel fraude, & maligna intentione promovendi occisionem, te non fore homicidam restitutioni obnoxium, docent Molina *disp.* 735. Laym. *l.* 3. *de just. tr.* 3. *p.* 3. *c.* 4. *citt.* Avila *p.* 7. *disp.* 6. *sect.* 2. *dub.* 7. *concl.* 2. §. *ex dictis*, aliisque *citt.* Lugo *eadem disp.* 19. *sect.* 3. *n.* 101. Ratio est: quia sic non peccas contra Justitiam, sed solum contra Charitatem: quoad irregularitatem autem oppositum cum Suar. & aliis asseremus. Cæterum fatendum est, qui mortem alterius, cum facile posset, non impedivit, præsertim maligno affectu, vel ab alio impediri impedivit, in foro externo subire præsumptionem consensisse, vel conspirasse in cædem: sic enim habetur in Jure modo *cit. cap. sicut dignum, &c. quanta, de sentent. excomm.* ubi Innocent. III. dicit *eos, qui consentiunt, injicientibus violentas manus in Clericos, & eos, qui injiciunt, condemnari pari pœna ab Ecclesia*; scilicet excommunicatione. Quamvis hic locus etiam recte intelligatur communiter de obligatis ex Justitia impedire. Insuper si quis sciens conspirationem, perduellionem, vel tractationem cædis in Principem, & non detegit, capitis supplicio afficitur, sicut ipsi conspirantes. *L. quisquis. Cod. ad L. Juliam Majestatis*; attamen in foro conscientiæ, præsumptio cedit veritati. 115

Obligati ex Justitia.

HOmicidii, & restitutionis rei (an etiam irregularitatis dicam mox seorsim) sunt omnes ex Justitia, vel quasi Justitia: nimirum ex officio, vel contractu obligati impedire homicidium, si scienter, voluntarie, & culpabiliter impedire omittant, negligant, ac innocentes occidi, vel mori sinant. Communissima apud omnes citt. Ratio est jam supra indicata, quia tales propter debitum Justitiæ neglectum, & vere peccant contra Justitiam, & licet non realiter, tamen imputative sunt causa injusta homicidiorum; quæ propter debitum Justitiæ, & Jux alterius violatum imputantur eis, ac si influerent, licet vere non influant. 116

Hujusmodi autem sunt. I. Reges, Magistratus, Judices, si sinant innocentes occidi, de quibus iterum *sect. seq.* §. 4. aliquid. II. Medici, & Chirurgi ex officio, pacto vel pretio conducti, si gravi sua culpa, vel negligentia patientes ex morbo, vel vulnere mori sinant. Quibus adde Advocatos, si sua gravi culpa, vel injuria innocens ad mortem condemnetur. Item Nautæ culpabiliter permittentes naufragia, cum facile impedire potuissent, omnes homicidii rei sunt, restitutioni obnoxii, secundum omnes, atque irregulares in communi sententia. Navar. *c.* 54. *n.* 18. *Avil. Henriq. Rodriq.* & alii cum Laym. *cit. c.* 4. *fin.* III. Milites qui suos Dominos, vel suæ custodiæ commisses similiter negligerent: non tamen alii famuli communes ad quotidiana domestica obsequia conducti, hos enim si culpabiliter negligant Dominos suos defendere, vel liberare a morte, proprie non peccare contra Justitiam, sed contra Charitatem, observantiam, & honestatem moralem, illosque non pœna homicidii, sed alia arbitraria teneri, ex communi docent *Molin. Less. Laym. locis citt.* IV. etiam parentes respectu filiorum, & e contra: cum inter illos non merum vinculum Charitatis, sed etiam cujusdam naturalis Justitiæ, ac pietatis obligatio intercedat: adeo etiam, ut si pater v. g. resciat propositum filiæfamilias de faciendo abortu prolis, & non impediat, homicidii reus, & irregularis fiet. Ita cum *Rodriq. Avila*, Laym. *cit. n.* 8. & 16. citatis, probabilius censet Diana *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 8. ipse tamen contrarium ut probabile tenet cum Lessio *l.* 2. *cap.* 9. *dub.* 13. *n.* 94. Jam ergo specialius videndum 117

Quoad irregularitatem.

PRædictos ergo, & similes omnes ex Justitia obligatos, & culpabiliter non impedientes homicidium, præter homicidii, & restitutionis reum etiam incurrere irregularitatem docet communis, probabilior, & tutior sententia DD. cum Suar. *disp.* 44. *sect.* 4. Filliuc. *tr.* 20. *c.* 4. *q.* 3. Laym. *loc. cit.* Tamb. *lib.* 6. *Decal. cap.* 3. §. 1. *n.* 9. Ratio est: quia etiam hæc negativa cooperatio voluntaria & vera moralis causa homicidii, etsi non realiter, sed imputative tantum influens, ut jam explicatum est. Contra tamen, tales non impedientes, non incurrere irregularitatem multis citt. docet Dian. *eadem p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 7. & 8. *p.* 7. *tr.* 5. *resp.* 28. *Gaspar. Hurt.* & *Leander* cum Tamb. *hic cap.* 15. §. 9. qui probabile 118

babile censet si omissio pura sit, secus, si non pura: pura autem dicetur omissio, cui nullus adjungitur actus positivus: non pura vero, quando aliquis adjungitur, ut mox videbis in Exemplis. Sit ergo

Regula Probabilis Recentiorum.

119 SIve ex Justitia, sive ex Charitate tantum obligatus impedire, & non impediens homicidium aliquod, non incurrit irregularitatem, si omissio pura sit: sed bene si omissio non pura sit. Ita DD. citt. & plures alii. Ratio est: quia non est statuenda irregularitas, nisi in Jure expressa sit: atqui SS. Canones statuentes irregularitatem homicidiis, nunquam exprimunt mere negative non impedientes, sed tantum cooperantes: ergo cum leges istæ pœnales, & odiosæ stricte interpretandæ sint, solum intelligendæ sunt de cooperante proprie, & realiter, vel influxu aliquo positivo ad homicidium, & non extendendæ ad improprie, negative, ac imputative tantum cooperantes. Sane probabilissima ratio, qua sæpius in hac materia utuntur DD. Jam declaro Exemplis.

Exempla puræ omissionis.

120 I. TItius est Prætor, custos viarum, Dux exercitus, aut quomodolibet ex justitia, officio, pacto, pretio, aut ex Charitate, vel pietate tantum obligatus defendere suos, data occasione non defendit, sed aliquem occidi permittit: non est irregularis, quia hæc est pura omissio, cui non annectitur actus positivus influens in homicidium, idque verum erit, etiamsi dolo, & voluntarie fiat ista permissio, quia actus, vel affectus solus internus, cum nullo modo influat in opus, non contrahit permissionem ab esse puro negativo. *Turrian. Hurt. Joann. Præpos.* cum Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* Tamb. *cit.* §. 9. *n.* 3.

121 II. Medicus, Advocatus, nauclerus etiam officio, vel pretio conducti, si nihil agendo, quod mortem causet, sive ex imperitia, sive ex malitia, pura omissione perire sinant ægrotum, clientem, navim cum hominibus, peccant quidem graviter contra Justitiam, ac restitutionis obligationem contrahunt, secundum omnes, at non irregularitatem, in hac probabili sententia ob dictam rationem. Ita præter modo citt. *Valerius*, aliique apud Tamb. *ibid. n.* 4.

122 III. Judex capite damnavit tuum fratrem, sed aliqua pecunia oblata liberare potes: grassator filium tuum captivum apud se tenet, tibi per internuncium indicans, ut certam summam mittas, alioquin eum occideret. Turca, aut alius hostis tuum patrem occidere intendit, nisi ejus mortem certa pecuniarum summa redimas: tu autem pecunias dare omittis, sive ex Justitia, sive ex Charitate, vel pietate tantum obligareris: secuta eorum morte, non eris irregularis, est enim hæc omissio pura. *Hugolin.* apud Tamb. *cit. num.* 5.

123 IV. At quid si tu tali suadeas, ut prædictas pecunias præsertim ex Justitia debitas, non numeret, non mittat, aut alium quemcumque ex Justitia, vel Charitate obligatum, ac volentem redimere, defendere, seu impedire mortem proximi, maligno consilio dissuadeas, aut impedias, ne alius det Eleemosynam egeno præ fame morituro, aut ne Medicus curet infirmum, aut ne quis, cognita molitione mortis alterius, eidem revelet: secuta deinde morte, erisne irregularis? Resp. Ita, omnino eris tu, & non alter ex tuo suasu non liberans, non defendens: ne mireris, nam alter, licet immediatius se habens ad mortem secutam, tamen mere negative se habet, non mittendo pecunias, non defendendo, curando &c. pura omissione, cui a SS. Canonibus non est imposita irregularitas, ut dictum est. At vero tu dissuadens, etsi remotius te habeas ad mortem; tamen te positive habes maxime per actum dissuadendi: ideoque tu ex parte tua positive influis in mortem secutam ex tua dissuasione, cui positivo actui, vel cooperationi in homicidium, clare conjuncta est irregularitas a Sacris Canonibus, ut mox videbis clarius in exemplis omissionis non puræ. Ita *Suar.* supra, alii cum *Tamb. cit. n.*7. Excipe tamen, nisi bona fide, & recta ratione ita dissuadeas: utpote, ne Judicis justa sententia pecuniis impediatur: ne grassatores ad ejusmodi lucra extorquenda assuescant, ne Turcæ, vel hostes illa pecunia evadant fortiores in perniciem Reipublicæ Christianæ; tunc enim te non fore irregularem, merito censet Tamb. *ibid. n.* 10. quia non est putandum, Ecclesiam sub tanta pœna velle prohibere, vel impedire recta, & rationabilia consilia, ut in simili aliquoties dictum.

Exempla omissionis non puræ.

124 I. NOtarius, Advocatus, Procurator, vel quivis alius habet scripturam, qua visa aliquis a morte liberaretur, advertens autem eam requiri, ipse non solum eam non exhibet, vel ostendit (hoc enim esset omissio pura) verum etiam eam habere se negat, occultat, lacerat, comburit: morte secuta, clare irregularis erit, sicut & restitutioni obnoxius; quia hic omissioni adjungitur actus positivus negandi, vel occultandi, &c. indirecte vere causans moraliter homicidium; idemque est de teste rogato pro homine a morte liberando, qui non solum se non sisteret, ac testaretur, verum etiam negaret se aliquid scire, vel diceret, se nihil scire, cum tamen sciat aliquid conducens ad ejus liberationem. Iterum omissioni adjungitur actus positivus.

II. Amicus destinat te nuntium ad Petrum admonens ipsum sibi insidias parari ad mortem, tu vero non solum non admones (sic enim esset pura omissio) verum etiam litteras ea de re destinatas Petro apud te detines, vel laceras: irregularis eris, si postea Petrus in insidias incidens occidatur; quia illa detentio, vel laceratio, actus positivus est, moraliter in mortem influens. 125

III. Assistens aliis consultantibus de aliquo occidendo in gratiam tui, tacensque: item fœmina a te impregnata dicit tibi, se velle in tui, suique gratiam tali medio procurare abortum fœtus animati, & tu taces; unde illa secuta voluntatis tuæ abortum molitur, &c. secuto homicidio, irregularis eris, secundum omnes; quia ista taciturnitas tua non est mera omissio contradictionis, sed moraliter est verus consensus tacitus moraliter influens in mortem, ut supra etiam suo loco indicatum: nam qui tacet, consentire censetur, maxime quando agitur de suo favore, vel commodo. 126

IV. Ambulat 1. Aliquis per loca abrupta, vel navigat in flumine periculoso de noctu cum certo vitæ periculo. 2. Aliquis naufragus jam jactatur in undis. 3. Alius inimicum occisurum fugiens ad tuæ domus januam confugit, tu autem immisericors homo: 1. Lumen non præbes, vel comitatum. 2. Non præstas naviculam, trabem, vel funem, quo emergat. 3. Januam forte clausam non aperis, quo forte effugiat. Si horum aliquis moriatur, quamvis maligno affectu, vel ex odio ad hæc non exhibenda motus sis, non eris irregularis, quia hæ sunt puræ omissiones: At vero advertens eorum pericula, ut noceas. 1. Lumen jam accensum extinguis, vel ab ipso fugis. 2. Naviculum, trabem, vel funem jam apprehensum, vel apprehendendum subducis. 3. Januam tuam tunc apertam studio claudis (secluso tamen semper tuo gravi, vel æquali incommodo, aut periculo) irregularis eris, si istorum aliquis pereat: quia hi sunt actus positivi moraliter influentes in mortem, adeoque homicidii, restitutionis, ac aliarum pœnarum reus es, sive deinde ex Justitia, sive ex Charitate tantum tenebaris succurrere, & impedire mortem illorum; quando enim omnes dicimus ex Charitate tantum obligatos, & non impedientes non incurrere dictas pœnas, semper intelligimus, si mere negative se habeant, ut in Regula communi notavi. 127

SUBSECTIO V.

De irregularitate ex homicidio dubie patrato, vel causato.

SUMMARIUM.

129 Regula I. *In dubio, quandocumque constat de corpore delicti, scilicet, de homicidio secuto & aliqua tua cooperatione, & solum dubitatur, an illa tua actio, vel cooperatio fuerit efficax, & causa mortis, habendus es irregularis.*

130 *Probatur* usque ad num. 134. *variis Canonibus, & Jure Can. adductis.*

134 *Idque verum videtur tam de homicidio justo, quam injusto certo facto.*

135 *Tamen satis probabile est, illos Canones non debere extendi ad homicidia dubia, sed ad moraliter certo causata.*

136 *Minus ad mutilationem dubiam solum.*

137 Regula II. *Quandocumque vero non constat de corpore delicti, scilicet morte secuta, esto constet de aliqua tua cooperatione, &c. non es habendus irregularis.*

138 *Quæ regula vera est in quovis dubio, tam facti, quam Juris.*

IN hac re valde desudarunt DD. ingenia: causam sudoris dederunt Sacri Canones talem dubitantem aliquando condemnantes, aliquando liberantes: operosum esset referre varias, & difficiles conciliationes Pontificum, a Doctoribus excogitatas: dabo duas, & claras breves regulas ex tract. 1. de conscientia *dubia a n.* 96. 128

REGULA PRIMA.

QUandocumque constat de corpore delicti, seu ipso homicidio facto ex aliqua tua cooperatione, quando nimirum certum est, hominem esse mortuum, vel occisum te aliquo modo cooperante; dubitatur autem solum, an tua actio, vel cooperatio, aut concursus fuerit efficax, vel sufficiens ad causandam mortem, ideoque ex tua actione revera secuta sit, an aliunde, omnino irregularis habendus es, & interim a Sacris abstinere debes.* Communissima DD. apud Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 8. & alios passim. Ratio est. Quia ob specialem indecentiam, & deformitatem, si postea innotescat, homicidam ad Sacrum Ministerium accessisse: Ita expresse statuunt Pontifices in Jure Can. *tit. de homicid. diversis Canonibus*. Do unum, & alterum præjudicium. 129

130 I. *Cap. ad audientiam*, posito casu de Sacerdote, qui famulum cingulo percutiens, cultro e cingulo pendente vulneravit, qui postea ex vulnere quidem aliquantulum convalescens, tamen superveniente morbo obiit, dubitantibus autem, utrum mors ex vulnere, an vero ex morbo tantum secuta sit, & ideo Sacerdos sit habendus irregularis; Respondet Clemens III. quod sic, nisi appareat, illum alia infirmitate obiisse. Rationem dans, *quia semita tutior in dubio est eligenda*.

131 II. *Cap. significasti:* ibid. posito simili casu de Sacerdote, qui furem ornamenta Ecclesiastica auferentem cum ligone percussit supervenientibus Parochianis cum gladiis, & fustibus petitus occiditur: hinc orto dubio, utrum ex sola percussione Parochianorum, an vero ipsius Parochi objerit fur, ideoque esset Sacerdos censendus irregularis nec ne; Respondet Pontifex Innocent. III. Quod sic, cum certum sit de vulnere a Parocho inflicto: Rationem addens: *cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur*.

132 III. *Cap. Petitio tua*. Ibidem proponit Clericus casum, se cum cæteris Clericis, & Laicis occurrisse hostibus Crucis Christi, & aliquos percussisse, sed dubitare, an aliquos occiderit: Respondet Pontifex idem his verbis: *Si de interfectione cujusdam illum sua conscientia remordeat, a ministerio Altaris abstineat, cum sit consultius in illo dubio abstinere, quam temere ministrare*.

133 IV. Consimiles casus certæ irregularitatis esse possunt. Aliquis applicavit causam ad abortum fœtus animati, effectu, an vero homicidio secuto, postea dubitat, an causa illa a se applicata fuerit sufficiens, vel efficax ad abortum causandum, an vero causatus fuerit abortus vi alterius causæ, v. g. compressione prægnantis. Item Titius venenum porrexit cuidam, ut interiret, & eo inscio eidem ab alio efficacius venenum propinatum fuit, quo accepto post paucos dies mortuus est; dubitat ergo Titius an venenum suum etiam efficax fuerit, nec ne, an potius alterius venenum solum mortem causaverit. Item duo, vel tres incaute explodunt, jaculantur, lapides projiciunt, occiditur homo transiens, & dubitatur a quo; omnes irregulares habendos esse, si non ratione cooperationis, saltem ratione dubii, jam constat ex dictis. Item Titius alteri consilium dedit ad occidendum Cajum, homicidio patrato, comperit Titius ipsum occisorem gessisse capitales inimicitias cum Cajo, dubitat ergo, an homicidium secutum fuerit vi sui consilii, an vero ex vi solius propriæ alterius inimicitiæ. In his, & similibus casibus dubitans habendus est irregularis in utroque foro; omnes enim ejusmodi casus (de ultimo aliquid inferius) manifeste comprehenduntur in supra allegatis Canonibus, ut intuenti, & applicanti patet, uti ex communi docet Franciscus Bardi *de conscient. discept. 6. cap. 7. §. 5. & 8.*

134 Regula hæc vera est tam de homicidio justo, quam injusto, certo facto: nam tertius Canon allegatus, *cap. petitio tua*, expresse loquitur de homicidio justo defensivo, en tibi textum totum. *Petitio tua continebat, quod cum inimici Dominicæ Crucis castrum invasissent, exeuntibus inde habitatoribus, tam Clericis, quam Laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quamplurimum extiterunt: unde pro eo, quod aliquos percussisti irregularitatem metuas incurrisse; mandamus, quatenus, si de interfectione cujusdam illo conflictu tua conscientia te remordeat, ministerio Altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in ejusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare*. Sic Pontifex, manifeste loquens de homicidio justo in bello justo defensivo: & nota illud *in ejusmodi* dubio. Nihilominus aliqui conantur explicare, Pontificem non loqui de dubio proprio, sed probabilitate, quando nimirum valde probabile esset, aliquem ex tua actione fuisse occisum, sicut revera tunc probabile valde fuit, aliquem hostium ex percussione illius Clerici interfectum esse; idque supponendo, dixit Pontifex, *si de interfectione cujuscumque tua te conscientia remordeat*; adeoque in mero dubio homicidii juste facti, utpote ex Justitia publica, vel in bello justo, quando dubitas, an ex tua actione aliquis occisus, vel mortuus sit, non incurrere irregularitatem, cum aliquibus probabile censet Tamb. *hic cap. 5. n. 14.* Sed certe ego non audeo acquiescere, & recedere a claro textu de communissima Sententia DD. Facilius acquiescerem huic, quod sequitur.

135 Cum Sacri Canones allegati in dubio homicidii irregularitatem statuentes, atque in re odiosa stricte interpretandi, expresse solum loquantur de dubio homicidio, sed physice patrato ex tua actione, percussione, vulnere, &c. satis probabile est, non debere extendi ad homicidium dubie, sed moraliter certo causatum ex tuo consilio, suasu, consensu, v. g. certus sum me consulente, vel suadente a te hominem esse occisum, sed dubito rationabiliter, an tu occideris ex meo consilio motus, an potius ex alterius, vel tua propria voluntate; aut certus sum, te meo consilio motum, hominem percussisse, vel vulnerasse, dubito autem, an ex illo vulnere, vel percussione mortuus sit, an potius ex alia causa, aut omnino mortuus sit, an potius ex inflicto a te vulnere convalescat. Hoc ultimum certum est ex mox dicendis. Et ita similiter, quoties est dubium, an ego moraliter ad homicidium concurrerim, probabiliter satis liber sum ab irregularitate (etsi oppositum, ut probabilius, communis, & tutius jam supra posuerim.) Ita Tamb. *cit. cap. 5. n. 11. citans Suar. utrumque, Sanch. Azorium, Merollam, Joann. Præpos. aliosque citans*. Diana *par. 11. tr. 6. res. 42.* Ratio jam indicata est, quia irregularitas imponitur homicidio dubie commisso: atqui valde differunt homicidium committere, & ad homicidium consilium dare, vel moraliter tantum concurrere: ergo probabile est irregularitatem non extendi ad consulentem, & dubitantem, an per suum consilium moraliter vere concurrerit ad homicidium.

Illud denique adhuc probabilius, non incurri irregularitatem per mutilationem, sive injustam, sive justam quomodocumque dubiam: sive sit dubium facti, ut an membrum aliquod proximo a te percusso abscideris, sive sit dubium juris: ut an ex tali mutilatione mammillæ, v.g. vel digiti, incurratur irregularitas. Ita Sanch. *lib. 1. Moral. cap. 10. n. 49. Suar. Bonac. Castro Merolla, aliisque cit.* Diana *p. 3. tr. 7. res. 73.* Tamb. *cit. n. 10.* Ratio est eadem: quia nec in citatis Juribus Clementis, & Innocentii, nec in aliquo Jure fit ulla mentio expressa de mutilatione dubia, sed solum de homicidio dubio: mutilatio autem homicidium non est. 136

REGULA SECUNDA.

Quandocumque non constat, sed vere dubitatur de ipso corpore delicti, utrum scilicet homicidium, vel mors alicujus re ipsa secuta sit, nec ne; etsi constet de causa aliqua applicata, seu cooperatione physica, vel morali facta ad homicidium causandum, non est timenda irregularitas, sed post factam diligentem inquisitionem, dubio quocumque perseverante, secure procedis in Sacris. Ita communis RR. quos citant, & sequuntur Diana *par. 7. tr. 5. res. 24.* Franciscus Bardi *de conscient. discept. 6. cap. 7. §. 4.* Tamb. *cit. cap. 6. §. unic. & lib. 1. Decal. cap. 3. §. 7. v. irregularitas n. 2.* Ratio sumitur ex duplici principio jam sæpius inculcato. I. non est statuenda irregularitas, nisi in jure expressa sit; claro jure Bonifacii VIII. cap. is qui, de sentent. Excommun. in 6. II. *odia restringi convenit, non ampliari*. Regula Juris in 6. Atqui Canones allegati, & alii omnes (ex quorum constitutione præcise inducitur irregularitas in dubio homicidii) expresse loquuntur solum in casu, quo constat de corpore delicti, scilicet homicidii patrati, & solum dubitatur de cooperationis, vel causæ positæ efficacia, vel sufficientia, ut intuenti patet: ergo Canones illi pœnales odiosi non sunt extendendi ad casum, quando de ipso corpore delicti, seu homicidio commisso ambigitur. Exempli gratia; scit aliquis se percussisse graviter, vel vulnerasse hominem: explosisse in hostem, in bello, v. g. seu justo, seu injusto; dubitatur autem invincibiliter, an interim mors secuta sit: Si scis te alteri mandatum, consilium, vel auxilium præbuisse ad aliquem occidendum, dubitas similiter, an is obsecutus, revera occiderit, an vero pœnitens omnino intermiserit: aut si forte invasit, percussit, vulneravit, nescis, an ex eo vulnere mortuus fuerit, an vero convaluerit: scio me causam applicasse, consilium dedisse, vel auxilium, aut aliter efficaciter induxisse fœminam ad abortum procurandum, dubito autem, an abortus secutus sit, vel si constet abortum esse factum, dubitatur invincibiliter, an fœtus fuerit animatus, ideoque homicidium factum, necne; & ita in similibus innumeris: taliter, inquam, dubitans debet quidem omnem moraliter possibilem diligentiam adhibere ad inquirendam veritatem, & interim, quamdiu superest spes cognoscendi veritatem, abstinere a Sacris, quantum potest, sine scandalo, vel alio gravi incommodo. Quod si vero adhibita frustra diligentia dubium invincibile perseveret (quamvis adhuc præsumptionem Juris esse pro irregularitate doceat communior, & tutior sententia. *Sotus, Navar. Sanch. Laym. cit.*) tu tamen ita invincibiliter dubitans, ob rationem datam, irregularitatem secure ne timeas: teque ea pœna liberum credas. 137

Regula ergo hæc universaliter vera est in quocumque dubio, non solum in dubio facti, quando scilicet dubitatur de ipso homicidio facto, ut hactenus supposuimus; sed etiam multo magis in dubio Juris, quando scilicet dubitatur, an pro tali facto irregularitas aliqua in Jure decreta sit, aut non nisi dubie, ambigue, & obscure habeatur, ex sæpius repetito principio, irregularitatem nullam esse, nisi in Jure expressam, non tantum in dubio mere negativo, quando intellectus mere anceps hæret inter utramque partem, nullam habens rationem saltem probabilem inclinandi in unam, vel alteram partem, an sit, vel non sit homicidium, sed etiam multo magis in dubio positivo, ut vocant, quando scilicet sunt rationes probabiles pro utraque parte, & esse, & non esse homicidium patratum, aut irregularitatem decretam: tunc poteris eligere quamlibet partem, etiam tibi faventem, etiamsi oppositæ rationes probabiliores videantur; sequendo enim sententiam probabilem, semper prudenter te geres, juxta communem jam doctrinam in materia de Conscientia: a fortiori securus eris, si habeas rationem probabilem pro te, utpote homicidium non esse secutum, aut in tali casu nullam esse irregulari- 138

laritatem decretam: & solum negative dubitas de opposito, nulla ratione apparente probabili in contrarium. Contra vero: si adsunt rationes probabiles contra te, v. g. probabiliter judicas te revera occidisse; & solum dubio negativo dubitas, forte non occidisse, nulla habita ratione probabili, unde judices te non occidisse sua actione, consilio, auxilio, (prout fuit in casu supra allato *cap. petitio tua*, & esset, si aliquem globo tactum circa medium corpus videres, ex equo lapsum, & nullo indicio, vel ratione probabili constaret mortem evasisse) merito Tamb. *hic cap.* 5. *n.* 17. certum putat, te irregularem habendum in utroque foro. *Ratio est*: quia tunc prudenter apparet tantum ratio incursus in irregularitatem, & nulla apparet ratio evasionis, seu liberationis ab illa.

SECTIO IV.

De homicidiis indirecte tantum voluntariis, seu casualibus mixtis, & sua irregularitate.

SUMMARIUM.

139 *Homicidium indirectum, seu indirecte voluntarium, & casuale mixtum, quid, quotuplex.*
140 & 141 *Est peccatum mortale, vel veniale, pro ratione culpæ, seu negligentiæ.*
142 *Absolute irregularitatem inducens, maxime interveniente culpa gravi.*
143 *Sive fiat. I. ex causa positiva in re alias licita.*
144 & 145 *Exempla, & casus varii.*
146 & 147 II. *Sive ex causa positiva in re illicita.*
148 *Afferuntur exempla.*
149 III. *Opposita tamen sententia æque probabilis, scilicet homicidium indirecte tantum voluntarium ex causa positiva quacumque indifferenter, sive rei licitæ, sive illicitæ, in foro conscientiæ numquam incurri irregularitatem, nisi culpa, & negligentia sit gravis.*
150 Usque ad n. 157. *Minus ex causa negativa tantum, in non impediente, ex charitate tantum impedire obligato; secus si impedire obligetur ex justitia.*

139 Homicidium indirectum, seu indirecte voluntarium dicitur, cum quis aliquid agit, vel omittit, unde prævidet, vel prævidere deberet secuturum homicidium alterius, ad quod impediendum non adhibet debitam diligentiam, etsi illud directe minime intendat. Et dicitur homicidium *casuale mixtum*: nam partim casuale est, quatenus directe minime intentum contingit præter intentionem operantis: partim etiam est voluntarium, indirecte scilicet, & in causa sua, quatenus ab agente aliquid prævisum, & non sufficienter præcautum, eo ipso indirecte volitum censetur: nam qui vult aliquid agere, vel omittere, unde prævidet, & non præcavet mortem alterius secuturam, eo ipso indirecte saltem ipsam mortem velle convincitur. Duplex ergo est ejusmodi homicidium indirecte, & in causa voluntarium. Unum in causa positiva, & per commissionem, cum quis positivam actionem exercet, unde talem effectum prævidet: idque rursum dupliciter, scilicet, ut loquuntur DD. vel dando operam rei alias licitæ, vel dando operam rei illicitæ. Alterum in causa negativa per omissionem, cum scilicet quis omittit facere aliquid, ex cujus omissione provenit homicidium: idque rursus dupliciter, vel omittendo aliquid debitum ex Charitate, vel omittendo aliquid debitum ex Justitia. Universaliter ergo ad homicidium indirecte voluntarium, seu casuale mixtum, duo essentialiter requiruntur. 1. Ut actio illa, vel omissio, quæ est causa homicidii, sit de se efficax, vel periculosa ad causandum homicidium in talibus circumstantiis; ita ut ex illa ordinarie soleant sequi homicidia: ut fuste percutere in capite, ægro negare medicinam: inde enim fit, ut exercens talem actionem prævideat, vel prævidere debeat homicidium secuturum, & non excuset ignorantia. 2. Ut exercens talem actionem periculosam, non adhibeat debitam diligentiam, curam, vel cautelam, ne sequatur inde homicidum: inde enim fit, ut ei censeatur, & imputetur, homicidium indirecte voluntarium, & ex culpa sua factum, quia scilicet actionem homicidii causativam sciens exercuit, & ne causaretur, diligentiam adhibere culpabiliter neglexit; culpa autem, seu negligentia hæc culpabilis in cavendo homicidio notissimis terminis triplex distinguitur: *Lata*, *Levis*, *Levissima*.

ASSERTIO V.

140 *Homicidium indirecte voluntarium, seu casuale mixtum, sive ex causa positiva sive negativa: sive quis det operam rei licitæ, sive illicitæ, peccatum est mortale, vel veniale, pro ratione majoris, vel minoris periculi in causando, & majoris vel minoris culpæ, seu negligentiæ in cavendo homicidium prævisum secuturum: atque adeo peccatum mortale erit cum onere restitutionis, & irregularitatis, quando actio de se est efficax, vel periculosa ad homicidium causandum, & culpa, seu negligentia in cavendo lata, seu gravis sit; quando vero actio, seu causa positiva de se non est actio periculosa, aut culpa, seu negligentia in cavendo solum levis sit, erit solum veniale, absque gravi saltem restitutionis obligatione, & absque irregularitate saltem, nisi quis det operam rei etiam alias licitæ valde periculosæ.* Hæc veluti Regula generalis ab omnibus fere admissa, latius explicabitur per Regulas speciales. Interim

Quoad peccatum, & obligationem restitutionis res clara est ex generalibus principiis restitutionis ex injusta damnificatione; omnis enim, qui culpabiliter culpa gravi Theologica causam ponit, vel cum posset, & deberet ex Justitia, non aufert causam injusti damni proximi, prævisi, etsi directe non intenti, peccat contra Justitiam cum onere restitutionis ex injusto damno dato: atqui hoc fit in proposito: ergo. 141

Quoad irregularitatem vero, eam absolute incurri ex homicidio indirecte voluntario, seu casuali mixto, maxime interveniente culpa gravi, liquido constat ex Jure Canonico, *tit. de homicid. cap. significasti*, *cap. dilectus*, ubi casus ponuntur infra adferendi: docetque communissima DD. tam Theologi cum Sancto Thoma 2. 2. *q.* 64. quam Canonistæ, & Summistæ. Ratio debet esse: quia merito Sacri Canones irregularitate puniunt, non tantum ipsum homicidium voluntarium in se, sed omnem etiam actionem culpabiliter ad homicidium concurrentem: cum non tantum dedeceat Ministrum Christi, & Sacramentorum, ipsa homicidia patrasse, sed etiam omnes culpabiles cooperationes ad illa. Notandum tamen hic est discrimen inter homicidii casualis culpam, & irregularitatem incurrendam: culpa enim, seu peccatum committitur ipso facto, & puncto, quo deliberate ponitur causa, actio, vel omissio, unde prævidetur, vel prævideri debet homicidium secuturum. Unde si interea voluntas se revocet, & pœniteat, fieri potest, ut actus secuto homicidio non sit amplius peccatum, sicut e contra, etiam postea non secuto homicidio, tamen peccatum jam commissum est: at vero irregularitas incurritur solum effectu secuto, eo scilicet puncto, quo homicidium secutum operanti innotescit, non obstante facta interea revocatione, vel pœnitentia, effectu autem non secuto, minime incurritur irregularitas, secundum omnes quia de hoc nihil expressum est in jure. Jam pono promissas Regulas speciales. 142

§. I. Regula prima: *Ex causa positiva in re licita.*

Quando quis dat operam rei alioquin licitæ, ex qua præter intentionem sequitur homicidium, vel mors alterius, per se solum attendenda est culpa, seu negligentia in cavendo homicidio, adeout quamvis actio periculosa sit ad causandum homicidium: ut si projicias lapides ex domo, tegulas ex tecto, explodas in feram, &c. & sic occidas hominem, tunc solum peccatum mortale erit, cum onere restitutionis, & irregularitatis, si culpa, vel negligentia in cavendo lata, gravis, & mortalis sit. Ita communissima DD. Fill. *tr.* 20. *cap.* 3. *qu.* 3. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 10. *num.* 4. Et a fortiori *Sotus*, *Avila*, *Henriquez*, *Petrus Navar.* alii infra citandi, universaliter requirentes culpam mortalem ad incurrendam irregularitatem ex homicidio casuali. *Ratio est* specialis in nostro casu, quia hæc irregularitas est ex delicto: sed non est credibile, gravissimam pœnam irregularitatis esse impositam delicto veniali tantum; ergo solum mortali: ergo ulterius, cum in ipsa actione licita, quæ est causa homicidii, nulla sit culpa, requiritur, ut ex parte negligentiæ cavendi homicidium secuturum, sit culpa mortalis. 143

Exempla adferuntur. I. In Judice reum torquente, modumque torturæ excedente, præter intentionem directam occidente, contra legem, & quæstionis modum *ff. de qu. reor. Avila*, alii apud *Laym. cit.* Item in Judice, vel custode carceris, si reum incarceratum fame, aliis ærumnis ita affligit, ut tabescens intereat Navar. *l.* 5. *Cons. consil.* 11. §. 6. *de homicid.* De Medico, Chirurgo, Infirmario dicam distincte seorsim *Sect. seq.* II. In Magistro, qui causa disciplinæ puerum castigans, sed modum excedens causam mortis præbet contra *L. Præceptoris*, *ff. ad L. Aquiliam*, si enim excessus est nimius, irregularis est, alias non: ita cit. Et hic est casus, *cap. Presbyterum de homic.* ubi declaratur irregularis Presbyter, qui causa disciplinæ percussit puerum in capite, unde mortuus est: quia scilicet correctio fuit immoderata cum culpa lata. III. In patre prolem in lecto suo penes se collocante, & opprimente: si enim periculum grave sit, utpote, quia lectus angustus, & ipse inquieti somni, & lata negligentia in cavendo oppressionem, peccatum mortale, & ipse irregularis erit, alias non; de quo casu agit, *cap. quæsitum de pœnit. & remission.* Item in Patrefamilias alente ferocem canem, taurum &c. & incaute ligante, vel custodiente, culpa lata irregularitatem inducit, levis non. IV. casus habetur *cap. continebatur de homicid.* Ubi declaratur irregularis Diaconus, quod falce præcinctus colludens cum laico, nescio quo lusus genere, ea lege, ut victor victi tergo insidens, velut inequitaret. Victor ergo laicus Diaconi tergo insidens ejus 144

falce graviter vulneratus, diem suum obiit: imputatur enim ei culpa, & negligentia lata, quod falce accinctus, & non prius deposita, ea lege colludens, non caverit periculum, ut bene notat Fill. modo cit. *qu.* 3. Et his conformiter solvi debent casus consimiles.

Generaliter ergo quando rei licitæ vacas, sed periculosæ, ne mortem alterius causet, si periculum prævidisti, vel suspicatus es, moralem tamen cautelam non adhibuisti, & diligentiam, ne mors alicujus sequatur, v. g. ejiciens e domo, vel tecto ligna, tegulas in viam publicam non circumspexisti, si homines obambulent, non clamasti, ut sibi caveant, secuta morte alicujus etiamsi directe minime intenderis, peccas peccato homicidii indirecte voluntarii cum onere restitutionis, atque irregularitate, secundum omnes: quia opus illud alioquin licitum, jam per accidens fit illicitum in materia homicidii, cujus periculum prævidisti, & sufficienter non cavisti. Contra vero si simili rei licitæ vacans periculum quidem prævides, vel suspiceris, attamen morali diligentia adhibita sufficienter præcaveas, & nihilominus aliquis inde moritur contra omnem voluntatem tuam; v. g. in modo dicto casu, te clamantem, & caventem quis audivit, tamen in via pergit, & lapide, vel trabe a te dejecto enecatur, nec peccas, nec irregularis eris: quia ubi nulla culpa, nulla debet esse pœna. Ex communi Lessius *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 15. *n.* 103. Insuper si prævidisti quidem periculum, sed per negligentiam, vel inadvertentiam in conscientia, & coram Deo, solum leviter, & venialiter culpabilem, mors secuta sit: non eris irregularis, ob rationem Regulæ datam, quia non æquum est levem culpam plecti tanta pœna, quanta est irregularitas. Dico autem semper, *si prævidisti*; nam si nullo modo prævidisti, nec de eo dubitasti, vel suspicatus es, & ideo nullam diligentiam cavendi adhibuisti (vires enim humanas superat, ut quis diligentiam adhibeat ad cavendum periculum, de quo nihil sibi in mentem venit) cum propter illam inculpabilem inadvertentiam nullum peccatum admissum sit, consequenter nulla erit irregularitas: sed erit homicidium mere, & simpliciter casuale.

§. II. Regula secunda: *Ex causa positiva in re illicita.*

146 QUando quis dat operam rei illicitæ, ex qua prævisa sequitur homicidium, vel mors alterius, præter directam ejus intentionem, non tantum attendenda est culpa, seu negligentia in cavendo homicidio, sed etiam principaliter, an actio illa per se sit valde periculosa, & efficax ad causandum, ex qua scilicet regulariter, vel sæpe solet sequi mors, consideratis circumstantiis personæ, loci, temporis, & instrumentorum: ut si ferias punctim circa pectus, vel cæsim in capite: si fuste cædas in capite, maxime pueri, vel personæ teneræ: si noctu explodas in publicam viam: si incaute tractes sclopum oneratum, & adductum scienter inter homines: si venenum temere inter pueros exponas, &c. homicidia inde secuta, etsi directe tibi minime intentata, vel volita, sine dubio erunt mortalia, restitutionis, & irregularitatis inductiva, si periculum prævisum (ut supponimus) satis non cavisti: nam illa ipsa actione adeo periculosa tacite consentis in damnum prævisum, & sufficienter non præcautum: unde si pugnes cum alio non quidem animo occidendi, etiam adhibita aliqua diligentia, ne occidas, & tamen occidis, adhuc peccas mortaliter peccato homicidii casualis indirecte voluntarii, si nimirum pugna gravis, & periculosa fuit juxta modo dicta: secus, si levis pugna fuit, v. g. instrumentis non adeo periculosis.

147 Insuper universaliter, si actio ita periculosa fuit, & illicita, sive in ipsa materia homicidii, & præcepti, ut pugnando, verberando, vulnerando, sive in alia materia peccati, ut furti, adulterii, contumeliæ, ad incurrendam irregularitatem, non semper requiri culpam latam, gravem, vel mortalem, sed sufficere sæpe culpam levem, & venialem in cavendo homicidio, sentiunt sane DD. communiter apud Layman *cit. tr.* 3. *c.* 10. *n.* 4. fundamentum potissimum est; quia longe facilius incurritur irregularitas, quando quis dat operam rei illicitæ, quam cum dat operam rei licitæ, ex qua homicidium sequitur; ideo enim Pontifices in multis Sacris Textibus, *ut cap. de audientiam, & seqq. de homicid.* sunt tam soliciti in examinando, an committens homicidium casuale, dederit operam rei licitæ, vel illicitæ: cum ergo ad irregularitatem incurrendam ex actione licita causante homicidium requiratur culpa gravis, ut dictum est, consequenter, si actio fuit illicita, & periculosa, sufficiet etiam culpa levis in cavendo homicidio.

148 Exempla adferuntur ex jure. 1. De Clericis in sibi prohibita venatione aprorum, ursorum, agitatione taurorum hominem occidentibus, non omni adhibita diligentia cavendi. 2. De Clerico impudice, & incaute saltante, vel jocante cum muliere prægnante, unde abortus prolis animatæ sequitur. *Ex cap. sicut ex litterarum, de homicid.* ubi declaratur irregularis Presbyter, qui mulierem prægnantem Zona traxit, ut ea occasione abortum fecerit. 3. Idem erit de quocumque incaute percutiente mulierem gravidam, unde sequatur abortus fœtus animati. 4. Idem de adultero incaute agente, unde vel ipse deprehensus maritum invadentem occidat, vel maritus postea comperto adulterio occidat uxorem adulteram. Sed de his infra ex professo: similes casus innumeri obvii sunt, in quibus omnibus ultra malitiam actionis illicitæ, videtur omnino sufficere culpa, vel negligentia levis, ac venialis, nec requiri gravem, & mortalem ad incurrendam irregularitatem, ob rationem datam. Sed de hoc mitius dicam Regula sequenti. Interim certum videtur apud omnes, quando actio illicita, ex qua sequitur homicidium casuale, non est ita periculosa, aut etsi sit, periculum tamen prævisum sufficienti diligentia præcautum fuerat, nullam exinde incurri irregularitatem, si præter omnem intentionem mors sequatur: rationem dabo Regula sequenti. Unde Pontifex *cap. quantum dist.* 50. illum, qui equos surripuit, a quibus abductis mulier quædam percussa, & abortum passa est, declaravit furti quidem reum esse, attamen aliqua pœna legali, utpote irregularitate, excommunicatione, &c. affici non debere, si ejus voluntas perniciosa non agnoscitur. Sic Pontifex, quia nimirum (ut notat Glossa ibid.) mulierem, ut sibi caveat, præmonuit. Hinc bene Glianus *de cens. v. Frater Minor*, resolvit, Franciscanum illicite equitantem, si casu puerum occidat, peccare quidem contra Regulam sui Ordinis, at irregularitatem non incurrere, quia nimirum equitare communiter non est periculosum ad homicidium, & ideo periculum, vel nullum prævidit, vel si prævidit, sufficienter præcavit.

§. III. Regula tertia mitior: *Ex causa positiva quacumque.*

SIve quis det operam rei licitæ, sive illicitæ, idque, sive in alia, sive in ipsa homicidii materia, etiam periculosa, numquam in foro conscientiæ incurritur irregularitas ex delicto homicidii casualis, nisi culpa, aut negligentia in cavendo homicidio gravis, seu mortalis fuerit. Hanc Doctrinam probabilem, & in praxi tutam sentit ipse Laym. *cit. cap.* 10. & absolute docent *Suarez, Henriquez, Avila, Filliucius*, aliisque cit. Diana *par.* 4. *tr.* 2. *resol.* 21. Tamb. *hic cap.* 15. §. 2. *a n.* 12. Ratio est; quia irregularitas ex delicto homicidii casualis per sacros Canones non inducitur ex eo, quod opus in se licitum, vel illicitum, vel periculosum sit, sed ex eo, quod ex tali opere culpabiliter inferatur mors, seu homicidium sequatur: atqui æquitas non patitur, ex levi culpa induci pœnam tam gravem, qualis est irregularitas; ergo cuicumque rei etiam illicitæ, & periculosæ, operam dederis, ex qua præter intentionem tuam sequitur homicidium, nisi culpa, seu negligentia tua in cavendo illo gravis, & mortalis fuerit, in conscientia saltem tua, & coram Deo, ne censeas te irregularem. 149

Nec urget fundamentum oppositæ Sententiæ: nam discrimen illud, an homicidium sequatur ex actione secundum se licita, vel illicita, pertinet solum ad forum externum ad hanc ipsam culpam discernendam, nam in foro externo præsumi solet, eum, qui operam rei illicitæ dedit, ex qua homicidium secutum est, non nisi lata culpa occasionem homicidii præbuisse, ex qua præsumptione merito Pontifex in casu allegato pronuntiavit irregularem illum Presbyterum, qui Zona traxit mulierem prægnantem, abortu inde secuto: merito enim præsumpsit gravem culpam, & incautelam, atque ita in similibus casibus in Jure repertis resolvendum est. Atqui in foro conscientiæ præsumptio cedit veritati: ergo quandocumque constat in actione etiam illicita, gravem culpam non intercessisse, sed levem, & venialem tantum, verbi gratia, inadvertentiam, præcipitantiam in cavendo homicidio, nemo censendus est irregularis. In dubio tamen, an culpa illa gravis, vel levis fuerit in cavendo homicidio de facto secuto ex actione tua, omnino præsumendus es irregularis, juxta dicta *subsect. præced. Regul.* 1. 150

Atque hinc verum est juxta præcedentem Regulam, quando vacas operi illicito in materia homicidii, vel periculoso ad causandum homicidium, vel valde connexo cum periculo mortis alterius, ut in exemplis ibidem allatis, morte alicujus inde secuta semper pronunciandus eris irregularis; & quidem ex delicto homicidii voluntarii potius, quam casualis, quia semper præsumeris, malitiose in causa illa voluisse, ac intendisse ipsum homicidium; nemo enim, nisi stultus, sciens punctim ferit in alterius pectus, &c. nisi volens occidere: at vero in conscientia, & coram Deo, revera non eris irregularis, si periculum nullum prævidisti, vel suspicatus es, vel prævisum citra culpam gravem diligenter cavisti. Si autem prævidisti, vel aliquo tandem modo de illo periculo suspicatus es, ipsumque periculum non prævenisti, vel præcavere non potuisti, semper irregularis eris, secuta morte, quia debebas ab actione præsertim illicita omnino abstinere. 151

Atque in his eventibus, si certo scias, te in ejusmodi actione nullam negligentiam, seu culpam gravem, & mortalem commisisse, quoad homicidium secutum, secluso scandalo, poteris te gerere tamquam liberum ab irregularitate, quia præsumptio externa veritatem non lædit, sed ei cedit. E contra vero si exterius quidem judicetur, nullam fuisse culpam, vel satis levem; tu autem tibi conscius sis, te graviter deliquisse, obligaberis ut verum irregularem te 152

gere-

gerere, abstinendo a Sacris interim, &c. Lege Suar. *de Conf. disp.* 45. *sect.* 5. *n.* 3. Ex dictis patet resolutio ad varios casus, quorum præcipuos commodius congeram *sect. seq.* post explicatum homicidium mere casuale.

§. IV. Regula quarta: *Ex causa negativa tantum*. Remissive.

153 CUm in re, & effectu omnino æquivaleant, ac vere idem sint *non impedire homicidium*, cum quis tenetur ex justitia, vel Charitate tantum, *& omittere aliquid ex justitia, vel Charitate debitum*, unde prævalet homicidium secuturum: ideo omnia dicta Sect. 3. §. 4. utraque Regula de non impediente homicidium, per omnia intelligenda sunt de omittente aliquid, unde homicidium sequitur; in gratiam tamen simpliciorum brevissime applico.

154 I. Qui omittit aliquid debitum ex Charitate, unde sequitur homicidium, vel mors alterius, peccat juxta rationem omissionis mortaliter, vel venialiter, ut si quis omittat detegere proximo insidias mortales sibi paratas: si omittas succurrere proximo in extrema necessitate, isque postea moriatur, peccas mortaliter, juxta illud notum D. Ambr. *pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti*, non tamen peccato proprie dicto homicidii contra justitiam, sed solum homicidio morali, ac metaphorico, contra Charitatem; Unde hic nulla incurritur obligatio restitutionis, nulla irregularitas.

155 II. Qui omittit aliquid debitum ex Justitia, unde sequitur homicidium, seu mors alterius, v. g. si Princeps, vel Magistratus culpabiliter omittit custodire vias contra latrones, unde contingunt latrocinia, & homicidia viatorum; si minister Justitiæ, vel custos omittat custodias nocturnas, & circumitiones, ratione cujus negligentiæ homicidia contingunt. Si Dux exercitus non coerceat milites debita disciplina, unde injuste aliqui occidantur, &c. peccant contra Justitiam, juxta rationem negligentiæ, penes majorem, vel minorem eorum obligationem, ac majus, vel minus periculum æstimandæ, mortaliter, vel venialiter, & si negligentia lata, adeoque culpa mortalis intercessit, tenebuntur ad restitutionem faciendam illis, quibus facienda est, in defectum homicidæ, alioquin solum tenebuntur procurare, ut homicida satisfaciat, juxta dicta suo loco.

156 III. Insuper talem incurrere irregularitatem, si nimirum omissio sit voluntaria, & culpabilis graviter, præviso, & non præcauto periculo (secus, si involuntaria, vel nullum censeatur imminere periculum) ex communi docent Suarez hic *disp.* 44. *sect.* 3. *num.* 4. ubi solvit aliquas objectiones, quæ fieri possent in contrarium: & Filliucius *tract.* 20. *cap.* 4. *quæst.* 9. Ratio est: quia talis ita voluntarie omittens tollere prævisum periculum mortis, est vera causa moralis, & imputativa homicidii secuti, ei enim imputatur: unde etiam Jure Civili puniretur, ac si commisisset: ergo etiam in Jure Canonico incurret pœnam latam in talem.

157 IV. Sed tu secure adhibe distinctionem de omissione pura, & non pura *Sect.* 3. §. 4. late explicata.

SUBSECTIO.

De homicidio casuali, moraliter causato ex mandato, consilio, &c.

SUMMARIUM.

158 *Quicumque mandans, vel suadens alteri actionem, ex qua prævidet, dubitat, suspicatur, vel prævidere deberet, secuturam mortem alterius, peccat mortaliter, & secuta morte, vel mutilatione, fit irregularis; unde*

159 *Resolvuntur varii casus. I. de mandante tantum verberare alium.*

160 *II. De mandante, vel consulente occidere.*

161 *III. De advocante sibi socios ad occidendum, &*

162 *IV. De præcipiente, vel suadente generaliter quamcumque actionem fieri cum præviso periculo mortis.*

158 SIcut homicidium voluntarium, ita & homicidium casuale aliud est, quasi patratum physice, cum quis per se ipsum agit aliquid, ex quo prævidet sequi homicidium, vel mortem alterius, & de hoc hac Sectione hactenus locuti sumus. Aliud est moraliter causatum, cum quis mandato, consilio, suasu, &c. inducit alterum, non quidem ad ipsum homicidium (sic enim esset homicidium directe voluntarium, moraliter causatum, de quo *Sectione* 3. *tota*) sed ad aliquid aliud agendum, vel omittendum, ex quo præter directam intentionem mandantis, vel consulentis, sequitur mors alterius, sive tertii, sive ipsiusmet, cui mandatum, vel consilium dat. Et de hoc nunc fit

RESOLUTIO,

Et Regula Generalis.

159 *QUicumque alteri mandat, suadet, &c. vel quomodolibet inducit ad aliquam actionem, seu licitam, seu quomodocumque illicitam, ex qua prævidet, vel subdubitat, suspicatur, aut certe rationabiliter prævidere deberet, secuturam mortem alterius: & generaliter uno verbo, quando actio illa est conjuncta cum periculo mortis alterius, aut tertii, aut ipsiusmet, cui mandatur, vel consulitur, & ne sequatur mors, sufficienter non præcavit, ipso facto peccat mortaliter pro ratione materiæ illicitæ,* (de quo nemo dubitat,) *& secuta morte, vel mutilatione, irregularitatem incurrit. At vero si ejusmodi periculum amovisse, seu præcavisse prudenter censeatur, secutum homicidium non imputabitur ei, & consequenter nulla irregularitate afficietur.* Hæc Regula constat ex dictis, indiget solum declaratione, & applicatione ad casus. Censendus autem est ejusmodi mandans, vel consulens periculum sufficienter præcavisse, si homini prudenti, & cauto, in talibus circumstantiis, vel sub tali modo agendi actio mandetur, vel consulatur, ut quilibet prudens judicare possit, homicidium, vel mortem, aut mutilationem nullam fore patrandam, ut ex *Suarez, Sayro, Filliuc.* aliisque recte declarat Tamb. *c.* 15. §. 3. *n.* 5. vide etiam Dian. *par.* 4. *tr.* 2. *resol.* 19. Casus varios ad aliquot classes reducamus.

I. Mandans verberare tantum alterum.

QUi præcipit alicui alterum verberare, & non occidere, 160 si adsit metus, vel suspicio periculi, ne etiam occidat, vel ex parte sua, quia ferox, & temerarius est; vel ex parte alterius, quia, verbere accepto, facile perire potest; secuto homicidio, irregularis fit, ut expresse dicitur c. ult. de homic. in 6. addita ratione: *cum mandando in culpa fuerit; & hoc evenire posse debuerit cogitare.* Quo loco Juris ad hanc regularitatem incurrendam supponitur, ut & mandatum injustum sit, & imprudens in ordine ad homicidium cavendum. Quod si ergo & mandatum esset justum, v. g. ad debitam correctionem, & prudenter factum ad cavendam occisionem, utpote datum ministro fideli, & cauto, cum limitatione seria, ne occidat, assignato etiam instrumento moraliter non effectivo mortis, v. g. pugno, virgis, loro, etiamsi per accidens, & præter omnem intentionem sequatur mors alterius, mandans ab irregularitate immunis erit, ut ex communi recte notant Filliuc. *cit. c.* 4. *q.* 3. *n.* 96. & Dian. *c. res.* 19. Quod si vero mandatum justum quidem sit, sed imprudenter factum, v. g. ludimagister jubet discipulum iracundum, & audacem disciplinæ causa verberari, si inde efferatus ille discipulus aliquem occidat, vel mutilet, ludimagistrum non effugere irregularitatem, merito censet *Tamb. ib. n.* 3. quia periculum certe prævidit, & sufficienter cavere non potuit respectu talis hominis sibi noti. Quod si denique mandatum injustum sit, attamen prudenter factum omni adhibita cautela, ne mors sequatur, si tamen sequatur, adhuc incurri irregularitatem ex speciali dispositione Juris modo allegati censet *Filliuc. ibid.* quia semper talis mandans fuit in culpa, & debuit cogitare, ne id eveniret. Sed ego non credo, propter dicta supra *hac sect.*

II. Mandans, vel consulens occidere alterum.

SI mandatarius, vel suasus illum, alterum occidat, sine du- 160 bio mandans, vel suadens, irregularis erit ex delicto homicidii voluntarii: at vero si detractione, vel calumnia Titium concites adversus Cajum, prævidens subesse periculum ne eum occidat, aut cum prævisione similis periculi eum inebriasti, secuta morte, irregularis eris ex delicto homicidii casualis, ex communi Laym. *c.* 10. *n.* 2. Et universaliter, qui alterum jussu, consilio, vel alio quovis modo inducit ad actionem periculosam, cum periculo præviso occidendi alium tertium, homicidii, restitutionis, & irregularitatis reum fore non est dubium. At quid, si in ejusmodi casu ipse mandatarius suasus, vel inductus occidatur? Communis est doctrina, quisquis alteri præceptum, vel consilium dedit alium occidendi, vel duellum ineundi, &c. cum præviso periculo mortis ipsius, si contingat ipsummet occidi, præcipiens, vel consulens irregularis erit. *Ratio est:* quia actiones illæ de se sunt nimis periculosæ, & difficile est mandantem, vel consulentem tale periculum sufficienter præcavere, ne mors sequatur, unde si mandes, vel consulas Petro, ut occidat Titium, vel cum eo duellum ineat, viribus ipsi bene æqualem, contingat autem præter voluntatem, & expectationem tuam, ut occisus sit ipse Petrus, adhuc irregularis eris; ita *Navar. Corduba, Avila*, aliisque cit. Suar. *disp.* 44. *de Cens. sect.* 3. *n.* 10. volens ab hac communi sententia nec speculative, nec practice recedendum. *Filliuc. Laym. c.* & probabilius fatetur Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 12. Ratio est: quia absolute loquendo adhuc vacas rei illicitæ, valde periculosæ; quæ enim ratio periculosior tibi esse potest ad mortem, quam æqualem aggredi, vel singulari certamine cum æquali pugnare? ait *Castro-Pal.* apud Tamb. *cit. c.* 15. §. 3. *n.* 9. Contrarium tamen, & eo casu mandantem, vel consulentem non fore irregularem, etiamsi probabiliter dubitaverit de periculo mortis Petri, dummodo ejus mortem non intenderit, docent *Vasq. Turrian. Hurt. Joan. Præpositus*, eosque citans, & pro foro conscientiæ tantum sequens Lugo *disp.* 19. *de just. sect.* 2. *n.* 40. Ratio potissima est; quia aliud est mandare, consulere, ut aliquis occidatur, quod effectu secuto semper secum irregularitatem trahit ex claro Jure: aliud vero est, man-

mandando, vel consulendo alterum solum periculo mortis exponere, quod nullam secum trahit irregularitatem, de hoc enim nullum Jus extat. Addit *Lugo*, quod in solo consilio nulla appareat injustitia adversus eum, cui consulitur, cum ei liberum maneat consilium sequi, vel non sequi. Quoad consulentem omnino inclino in hanc sententiam: quoad mandantem vero cum Suarez a communi sententia non recedo: *Ratio disparitatis* constat ex dictis suo loco supra. At quid si mandans, vel consulens periculum nullum timeat? v. g. mandavi, vel suasi Titio, ut occidat Cajum, hominem satis debilem, & inferiorem viribus Titii; contingit tamen, ut Cajus, debilior licet viribus, occideret Titium: sumne ego irregularis ex delicto homicidii casualis ex meo mandato, suasu? Te non esse irregularem probabiliter censent *Bonac. Henr.* alii apud Dian. *p.* 1. *tr.* 15. *res.* 17. quia sufficienter periculum cavisti Titii, si scivisti eum fortiorem esse Cajo: & confirmari potest a fortiori ex sententia modo antea relata: attamen adhuc irregularem te esse, æque probabiliter putant *Nav. Covar. Avil. Coninch. Joan. Præpos.* apud Tamb. c. *l.* 10. *de Cens. & irregul. tr.* 4. *c.* 10. §. 3. *n.* 7. Ratio est, quia sciebas, vel saltem scire debebas, in ejusmodi occasionibus etiam agnum ad se defendendum audaciam leonis induere, ideoque adhuc periculum prævidisse, vel saltem de eo dubitasse præsumeris. Quare sola cognitio imbecillitatis Caji te excusare non potest, nisi forte aliunde periculum satis caveris, v. g. præcipiendo, vel consulendo, ut occideret Cajus eminus sclopeto, vel sagitta, vel a tergo, ex insidiis &c. ut prudenter omne periculum fuisse amotum judicaretur. Denique si mandasti Titio, ut occideret Cajum, & is per errorem occidit Sempronium: num tibi imputandum sit hoc homicidium, tanquam casuale, colliges a fortiori ex dicendis *in Subsect.*

III. Socios sibi advocans ad occidendum.

161 PEtrus rixans contra inimicum, unum, vel alios plures socios advocavit, vel excitavit ad pugnam pro sua parte, aut etiam ultro accurrentes, & volentes in gratiam sui pugnare, tacito consensu admisit: juxta dicta *Section.* 3. *de Consent.* siquidem unus eorum Petri inimicum, ejusve socium occidit, non est dubium, ipsum etiam Petrum homicidii, restitutionis, & irregularitatis ex delicto homicidii voluntarii reum fore. Sed contra: factum est, ut aliquis, vel aliqui ex ipsis sociis Petri occisi, & mortui sint, contra omnem voluntatem Petri; quid tunc Juris debebo? casus est simillimus præcedenti, ideoque eodem modo resolvendus: nam Petrum adhuc homicidii, restitutionis, & irregularitatis illius reum facit communis, & probabilior sententia DD. *Nav. Suar. Avila, Coninch.* eosque citans Dian. *par.* 4. *tr.* 2. *de irregul. resol.* 12. Ratio est eadem, quæ supra. Contra vero non improbabiliter a restitutione, & irregularitate eum liberant *Vasq. Turrian. Hurt. Ratio est:* quia sine fraude, vel dolo solum excitans, vel admittens alterum ad actionem sibi periculosam, peccat tantum contra Charitatem, non contra Justitiam; cum scienti, & volenti non fiat injuria: ergo si Petrus non peccavit contra justitiam, non debet esse obnoxius restitutioni, & irregularitati. Idemque dicendum de sociis Petri, qui mortem effugerunt. Quod si tamen Petrus injuste rixans contra inimicos, socios suos conjecit in necessitatem pugnandi, insurgentibus nimirum in ipsos inimicis Petri, & aliquem ex ipsis occidentibus; utique tunc Petrus reus erit restitutionis, & irregularitatis, quia tunc vere injusta causa fuit mortis sui socii.

IV. Generaliter præcipiens, vel suadens quamcumque actionem fieri cum prævisio periculo mortis ipsius.

162 SI scias in sylva esse latrones ad occidendum transeuntes, & nihilominus alicui præcipias, vel suadeas, ut ingrediatur; si puerum incautum, noctu maxime, mittas ad puteum plenum non circumseptum: si suadeas alicui, ut hostem non fugiat, vel contra, ut resistat rixanti: si suadeas, vel inducas hominem inexpertum, ut per funem, trabem, vel tegulas inambulet, &c. & hinc aliquis istorum occidatur, vel pereat, non effugies irregularitatem, saltem ex delicto homicidii casualis, etsi mortem minime intenderis. *Ratio est:* quia in his, & similibus, periculum prævidisti, vel certe prævidere debuisti, & tamen sufficienter non cavisti; secus erit, si quid jubeas, vel suadeas, unde nullum periculum mortis prudenter timere, vel suspicari potes, ut si natanti perito suadeas, ut tecum natet, isque improviso suborto spasmo, vel alia de causa pereat: & ita in similibus, tunc enim mors mere per accidens secuta spectabit ad homicidium casuale, Similiter si alicui suadeas, ut ex castris fugiat, ut furtum, adulterium committat, ex quo prævidebas ipsum capite plectendum, si consilium dedisti Bertæ, ut adulterii causa, per tectum deambulet, unde præcipitata periit, &c. In his similibus sexcentis, distinguendum est: nam si sint tales circumstantiæ, ut hic, & nunc illæ omnes vere sint conjunctæ cum periculo mortis, morte secuta, irregularis eris, quia vere peccas contra Justitiam in materia homicidii illo tuo imprudenti consilio; si secus, non eris: quia tunc peccas solum peccato scandali contra Charitatem, vel aliam virtutem, ut recte resolvit Tamb. *cit. c.* 15. §. 3. *n.* 5. Denique excipiendum semper est, nisi tale quid periculosum suadeas alteri ad honestum, vel sanctum finem, propter quem alter ipsemet se exponere vitæ periculo poterat, vel etiam debebat; utpote pro bono communi, vel salute animarum, verbi grat. si tempore pestis Sacerdotem, Medicum, Laicum, jussu, vel suasu inducas ad infectis necessaria obsequia spiritualia, vel corporalia præstanda. Quare merito Tamb. *cit. n.* 13. miratur scrupulum cujusdam Monachi, qui dicebat irregularem se esse, eo quod suasisset alicui profectionem Indicam ad fidem propagandam, isque ab infidelibus fuisset occisus. *Ratio est:* quia non est putandum, Ecclesiam velle irregularitatem obstare ad tam sanctas actiones, & fines, pro quibus vitam periculo exponere quilibet potest, & sæpe etiam debet. Denique si sit dubium, an ex tuo jussu, consilio, suasu, revera secutum sit ejusmodi homicidium casuale, eodem modo a fortiori resolvendum est, quo supra de dubio homicidii voluntarii duplici Regula resolutum est.

SECTIO V.

De homicidiis mere casualibus, & casibus ambiguæ irregularitatis.

SUMMARIUM.

163 *Homicidium mere casuale quid.*
164 Usque ad n. 167. *Non est peccatum, nec restitutionem, nec ullam irregularitatem inducit.*
167 *Oppositum tamen sentiunt alii quoad irregularitatem.*
168 *Quod maxime verum est in casu, quo actio aliqua hoc ipso prohibita est, quia cum periculo homicidii solet esse conjuncta, & casibus in jure expressis. Ex quo*
169 *Monachis, & Clericis in Sacris, seu majoribus Ordinibus constitutis, graviter prohibetur usus chirurgiæ;*
170 *Ita ut si mors, etiam adhibita omni cautela, & præter intentionem mere casualiter sequatur, fiant irregulares.*
171 *Excipitur tamen casus necessitatis.*
172 *Et insuper probabile est, eos etiam extra necessitatem exercentes chirurgiam, irregularitatem non incurrere, si sine omni eorum culpa mors sequatur.*
173 *Clerico, vel Monacho perito, in casu saltem necessitatis, vel pietatis, non prohibetur exercitium artis medicæ.*
174 *Unde nec peccat, nec irregularitatem incurrit, etsi præter ejus intentionem moriantur.*
175 *Secus, si ob ejus imperitiam, vel negligentiam mors, aut mortis acceleratio contingat.*
176 *Unde si Medicus ægroto etiam desperato concedat, quæcumque libent appetitui vitiato, etiam manifeste noxia, mors notabiliter acceleretur, fit irregularis.*
177 *Conformiter ad prædicta resolvuntur alia, de aliis non medicis, qui tamen potiones, vel pharmaca præbent ad sanitatem, ad non concipiendum fœtum, ejiciendam prolem, amorem, vel odium concipiendum, &c. Item*
178 Usque ad n. 181. *resolvitur, in quibus casibus infirmarii, seu infirmis assistentes peccent, & irregularitatem incurrant, vel non incurrant.*
181 Usque ad n. 184. *Quando venantes, & ludentes peccent, & irregularitatem incurrant, quando non, si in illa venatione, vel lusu mors alterius sequatur.*

HOmicidium mere casuale, etiam simpliciter involuntarium dicitur, quod sequitur ex alicujus actione, vel omissione mere per accidens, præter omnem ejus directam, vel indirectam voluntatem, vel intentionem, cum quis scilicet aliquid agit, vel omittit, unde, nec prævidet, nec prævidere debet, aut etiam potest, homicidium secuturum, vel ejus probabile periculum: vel, si quid periculi prævidisset, tamen adhibita diligentia, & cautela, tale sufficienter præcavit, & exclusit. Quare homicidium mere casuale, duo requirit opposita homicidio casuali mixto sub disjunctione. *Unum est:* ut, vel causa posita de se non sit efficax, vel periculosa respectu homicidii; quippe ex qua non soleant sequi homicidia, nisi in rarissimo casu: ut, si jubeas famulum tecum equitare, isque ex improviso equo lapsus pereat; si conducas operarios ad ædificium, & ex alto aliquis lapsus intereat: si pulses campanam, & decidente malleo occidatur homo, &c. inde enim est, quod illud periculum non prævidere debeas, nec prævidere debeas, & sæpissime prævidere non possis, & circa hoc homicidium casuale non potest esse dubium, vel de peccato, vel etiam de restitutione, vel de irregularitate, nisi apud insanientem. *Alterum est:* vel si causa posita aliquo modo periculosa sit, ideoque periculum aliquod homicidii prævideas, tamen sufficienti cautela, & diligentia illud periculum cavere, & excludere conatus es, ut, si venator, adhibita cautela, tamen pro fera hominem occidat, forte ex improviso interveniente. Idemque de Medico, Chirurgo, &c. Et circa hoc non levis est difficultas, & controversia. 163

ASSER-

ASSERTIO VI.

164 **H**Omicidium mere casuale, *& simpliciter involuntarium, quippe nullo modo prævisum, vel sufficienter præcautum, nec peccatum, nec restitutionem, neque ullam inducit irregularitatem, excepto probabilius solo casu, quo actio aliqua ea ipsa ratione illicita, seu prohibita est, quod cum periculo homicidii conjuncta esse soleat.* Hæc quoad peccatum, & restitutionem est omnium, & clare ex terminis, cum nihil possit esse peccatum, nisi voluntarium: nihil autem voluntarium, nisi præcognitum: atqui homicidium mere casuale supponitur, aut nullo modo præceptum, aut sufficienter præcautum, adeoque minime volitum. Quoad irregularitatem autem est communissima, & secura sententia Doctorum apud Filliuc. *tr.* 20. *c.* 3. *q.* 8. Laym. *cit. c.* 10. *n.* 1. *&* 3. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *a res.* 20. Claritatis gratia ostendo breviter.

165 I. Dans operam rei licitæ, adhibita omni diligentia, ne sequatur homicidium: si tamen præter omnem intentionem, & supra diligentiam suam sequatur, nullam sine dubio incurrit irregularitatem, ex claro Jure, *c. dilectus, & seqq.* Ratio est: quia hoc homicidium est omnino inculpabile, & involuntarium, ut supponitur in terminis: ergo nullam potest inducere pœnam. Exempla obvia in Venatore, Medico, Chirurgo, & similibus omnem diligentiam adhibentibus, & tamen præter omnem intentionem occidentibus.

166 II. Etiam dans operam rei illicitæ, omnem tamen adhibens diligentiam cavendi homicidium, si præter ejus intentionem sequatur mors, non erit irregularis, nisi in casu dicto. Ita *Auct. cit. communiter*. Ratio est: quia licet talis peccet exercendo opus illicitum, propter quod irregularitas decreta est, homicidium tamen inde secutum est ei etiamnum simpliciter involuntarium, & inculpabile, cum de eo, vel non cogitarit, vel, si cogitavit, debitam cavendi diligentiam adhibuit: ergo non inducet ullam irregularitatem; quia in Jure nihil de hoc decretum est (excepto casu prædicto, mox explicando,) v. g. si fur equum furtivum noctu abducens, omni diligentia, & cautela adhibita, tamen conculcet forte infantem, vel hominem ebrium in via jacentem. Similis casus habetur *in cap. Quantum, dist.* 50. jam supra allatus *Regula* 2. *fin.*

167 III. Contrarium tamen sentiunt ipse D. Thom. cum suo Cajetano 2. 2. *sect.* 64. *ar.* 8. Sylvest. *verb. homicidium* 2. *Reg.* 3. Covarr. multique alii Canonistæ apud Laym. *l.* 3. *de Justit. tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 1. nimirum omne homicidium casuale quantumvis involuntarium, ex opere illicito inducere irregularitatem. Probant *ex cap. dilect. cap. Joan. & cap. ult. de homic.* ubi decernitur semper, eum, qui dando operam rei illicitæ, adhibita debita diligentia, homicidium facit, incurrere irregularitatem; cum hunc SS. Canones expresse non excipiant; quod argumentum licet non apud Dialecticos, tamen apud Canonistas valeret, ait Navarr. *cap.* 27. *n.* 238. Sed facile respondeo, hoc argumentum neque ad Canonistas valere in proposito debere, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus a Jure expressis, ideo non valet argumentum a sensu contrario ad incurrendam irregularitatem, præsertim hac in materia tam odiosa, nisi & ipsum exprimeretur in Jure: atqui nullo Jure generatim exprimitur casuale homicidium involuntarium, adhibita debita diligentia, secutum ex opere illicito; licet hoc expresse etiam non excipiatur: ergo. Sic *Filliuc. Laym. cit.*

168 IV. Communis autem, & vera mihi exceptio est, dans operam rei illicitæ, adhibita omni debita diligentia, unde tamen præter intentionem omnino involuntarium sequitur homicidium, irregularitatem incurrit, solo illo casu, quo actio aliqua illicita, & prohibita in Jure est hoc ipso, quod sit periculosa ad homicidium causandum, adeoque in casu Jure expresso. Exprimitur autem Jure casus Chirurgi per sectionem, vel ustionem, & alia aliqua, de quibus, & annexis quibusdam dubiis do breviter.

§. I. *Chirurgus.*

169 I. **C**Ertum est Monachis, & Clericis in sacris constitutis, Jure Canonico graviter prohiberi usum artis Chirurgicæ per sectionem, incisionem, & adustionem, idque non tantum propter indecentiam Status, sed principaliter propter periculum mortis inferendæ, *c. sententiam, ne Clerici, vel Monachi*: ubi inter alias prohibitiones cooperationis ad mortem alterius, dicitur: *Nec ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ ustionem, vel incisionem inducit*. Et cum hæc Lex stricte interpretanda sit, ideo de solis Clericis, vel Monachis in Majoribus Ordinibus constitutis, non item de minoribus intelligendam esse monent DD. communiter. Vide Dianam *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 24.

170 II. Clericus, vel Monachus in Sacris constitutus, contra prohibitionem exercens Chirurgiam per sectionem, vel ustionem, etiam omni adhibita cautela, & diligentia, ne mors sequatur, si ea nihilominus præter omnem ejus intentionem, per accidens, & mere casualiter sequatur, adhuc irregularis est ex speciali constitutione Juris. Communissima DD. apud Molin. Laym. Filliuc. Dian. sæpe cit. Constat *ex c. tua nos, de homicid.* Ubi Pontifex requisitus, sitne irregularis, & a Sacris arcendus Monachus quidem Chirurgus, qui mulieris tumorem gutturis curare volens, ferro incidit, expresse prohibens ne se vento exponeret, ne forte aer subintrans causam mortis adferat: illa vero, neglecto salutari mandato, messis causa, vento se exponit, & vento subintrante scissuram, multum sanguinis effundens, diem suum obiit: (ecce tibi, omni adhibita cautela homicidium mere casuale omnino involuntarium.) Respondet Pontifex: *quod licet ipse Monachus multum deliquerit, alienum officium usurpando, quod sibi minime congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque posuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quod non post condignam satisfactionem cum eo misericorditer agi possit, ut divina Officia valeat celebrare; alioquin interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio de rigore*. Hæc Pontifex satis clare. Cæterum quamvis tale non sit verum forte homicidium contra quintum Præceptum Decalogi, censetur tamen homicidium ex interpretatione Juris ob reverentiam Divinorum ad irregularitatem ex homicidio incurrendam sufficiens, ut notat Filliuc. cit. *c.* 20. *q.* 6.

III. Excipiunt tamen DD. communiter casum necessitatis urgentis, quando absente laico jus naturale, & Lex Charitatis exigeret mederi Clericum, etiam in Sacris constitutum ob rationem sæpe dictam: quia Lex positiva Ecclesiæ non debet præjudicare Juri naturali, & Legi Charitatis: hinc Mol. *tom.* 4. *tract.* 2. *disp.* 57. *n.* 3. merito ab irregularitate excusat quendam Sacerdotem, qui, ingravescente per urbem peste, plurimorum apostemata incidit ex arte, curavitque ea felicitate, ut multis centenis hominibus vitæ, ac sanitati restitutis, duo tantum obierint: quia (ait Mol.) propter Epikiam judicandum non est, Sacros Canones tantum Charitatis exemplum, bonique publici utilitatem voluisse irregularitate mulctare. Et ibidem ab irregularitate excusat Clericum, qui solum venam aperuit infirmo, unde eidem mors secuta est; eo quod venæ sectio non sit Chirurgia proprie, quam sacer Canon damnat in Clerico, sed potius ad tonsores spectet, quam chirurgos. Omnino probabiliter, quamvis alii oppositum sentiant apud Lugo, & Tamb. *cit. c.* 14. §. 4. *a n.* 16. 171

IV. Insuper non improbabiliter Monachus, vel Clericus in Sacris, etiam extra necessitatem exercens chirurgiam, secando, vel urendo ex arte, adhibitaque debita cautela, ne mors sequatur, adeoque exclusa omni culpa in materia homicidii contra quintum præceptum, etsi adhuc peccet contra dictam prohibitionem SS. Canonum, non tamen erit irregularis, si præter omnem intentionem mere casualiter accidat mors infirmi. Ita *Coninch. Joan. Præp.* eosque citans Tamb. *c.* 15. §. 4. *n.* 11. Et tandem, licet pluribus locis contrarius, etiam sequitur Dian. *p.* 11. *tr.* 7. *res.* 8. Et favet Glossa ipsa in *cit. cap. tua nos, verb. alioquin*, idest, si non erat peritus, & si non adhibuisset diligentiam, quam debuit, si ex cupiditate fecit &c. tunc scilicet *interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis executio*: ergo censet Pontifex, Monachum illum non fore arcendum a Sacris tamquam irregularem, si in arte peritus, diligentiam debitam adhibuit. *Ratio est*: quia irregularitas ex delicto homicidii etiam casualis non incurritur ex sola inobedientia, seu transgressione cujuscumque præcepti, sed ex actione efficiente reatum homicidii: in proposito autem abest reatus homicidii, quippe cujus periculum per debitam cautelam sufficienter exclusum, & certe cum similia remedia fiunt ex arte, mors non præsumitur contigisse per applicationem mediorum, sed propter gravitatem morbi, vel vulneris: ergo etiam abesse debet pœna irregularitatis. Cæterum apud omnes in confesso est, si dictus Monachus, vel Clericus in Sacris constitutus peccet contra artem, in secando, urendo imprudenter, vel incaute se habendo, morte secuta, fore irregularem ex delicto homicidii, non jam mere casualis, sed mixti, & indirecte voluntarii, quippe cujus periculum prævidit, vel certe prævidere debuit, tamen sufficienter minime præcavit. Unde universaliter Clericus, Monachus, vel quicumque alius, si non adsit periculum in arte, ipse venam secet, vel quodvis medium applicet, si bona fide faciat, & in necessitate, maxime quando desperata salute infirmi, tale medicamentum probabiliter salutem allaturum speretur, nec peccat, nec irregularitatem incurrit, secuta inde morte infirmi, ob rationem datam *n.* 171. Certo autem incurreret, si imprudenter, & incaute se gereret. 173

§. II. *Medicus.*

OMnibus Clericis, vel Monachis in Sacris constitutis, vel Beneficiatis, Jure Canonico interdicitur studium & exercitium totum artis medicæ, vel chirurgicæ; tamquam alienum a sua professione, indecens suo statui, extra tamen casum necessitatis, vel pietatis: ut, si medendum sit personis miserabilibus præsertim consanguineis, ut docent *Mendoza*, Navar. *c.* 25. *nu.* 110. Sanch. *lib.* 6. *Moral. c.* 14. *n.* 18. *Laym. cap.* 10. *n.* 3. Dian. *part.* 6. *tr.* 7. *res.* 50. At certe diserte hoc negat Sayrus *de Cens. lib.* 7. *c.* 6. *n.* 11. apud Tamb. *cit. n.* 4. eo quod de hac prohibitione nullus expressus sit textus in toto Jure (certe ego reperire non potui) adeo 174

ut

ut etiam Clericus, vel Monachus eam artem medicinæ sine ustione vel sectione exercens, dicatur exercere opus licitum, seu dare operam rei licitæ. Sed quidquid sit de hac prohibitione, tu resolve breviter.

175 I. Medicus in arte peritus, ex arte infirmis operam navans, medicamenta præscribens, deque utilibus, & noxiis monens, neque peccat, neque irregularitatem incurrit, quamvis plerique infirmi præter ejus intentionem moriantur: idque etiamsi Clericus sit, vel Monachus: nam quidquid sit de dicta prohibitione, certum est pro exercitio medicinæ sine sectione, vel ustione, nullam esse irregularitatem decretam; ut constat ex citatis Canonibus *cap. sentent. c. tua nos*: ubi Glossa, Canonistæ, & DD. communiter. *Dices*, si Medicus ex arte operans secuta morte infirmi nulla irregularitate afficitur, cur ergo Judex ex virtutem Justitiæ malefactorem capitis damnans, secuta morte, irregularis efficitur? Resp. pro ratione principali debere esse voluntatem Pontificis ita disponentis. Ratio autem congruentiæ est: quia Judex sua actione mortem malefactoris, juste licet, intendit, & vult, quæ intentio videtur maculare lenitatem, quam Ecclesia in suis ministris requirit: at Medicus nullo modo infirmi mortem, immo sanitatem, & vitam per se intendit.

176 II. Medicus, si ob imperitiam, vel negligentiam, vel aliquid aliud infirmi mortem causet, promoveat, acceleret, aut permittat culpabiliter, ex officio, vel pacto obligatus, peccat utique mortaliter contra Justitiam, & quintum præceptum Decalogi, cum onere restitutionis, & etiam irregularitatem secuta morte incurrit, quippe cujus causa injusta est. Communissima apud citatos. Idemque est de Ministris, seu assistentibus tali Medico, si advertant ejus imperitiam, & ipsi cooperentur. Idemque est de Pharmacopolis, si medicamenta corrupta pro bonis vendant, unde mors alicujus sequatur, ut ex communi notat *Tamb. n.* 23.

III. Medicus ægroto etiam desperato concedens quæcumque libent appetitui vitiato, etiam manifeste noxia, si inde mors notabiliter acceleretur irregularis fiet: crudelis enim est pietas ista, quamvis mortem citius subire faciat: similiter Medicus curans fœminam prægnantem, si pharmacum propinet, vel venæ sectionem præscribat cum magno periculo abortus fœtus animati, siquidem peccet contra quintum Præceptum, utique irregularis erit: secus si non ita peccet.

177 IV. Eadem ratione juxta prædicta resolvendum est de aliis non Medicis, potiones tamen, & pharmaca præbere solitis in ordine ad sanitatem; immo ad alios fines illicitos, v. g. 1. ad non concipiendum, 2. ad fœtum nondum animatum ejiciendum, 3. ad prolem concipiendam, 4. ad amorem vel etiam odium concipiendum, quod poculum amatorium seu philtrum appellari solet; si inde mors sumentis consequatur: si enim talia præbeas, vere coram Deo nullum periculum prævidens, nec de eo subdubitans, aut debita adhibita cautela periculum forte prævisum sufficienter præcavens, & nihilominus præter omnem intentionem mere casualiter sequatur mors sumentis, ab irregularitate immunis eris, quantumvis alioquin gravissime peccaveris. Hoc tamen discrimen in prædictis valde notandum est; nam, quia medicamenta illa ad impediendam conceptionem, vel fœtum ejiciendum efficacia plerumque solent esse valde violenta, ut timeri semper debeat, ne mortem afferant, morte secuta per se communiter irregularis eris, & in foro externo pronunciaberis; idemque etiam in dubio juxta dicta suo loco, at vero in 3. & 4. casu, quia illa medicamenta non solent esse tantæ efficaciæ, facilius excusaberis ab irregularitate; semper tamen expendendum est genus medicamenti, quod si periculosum sit, & de periculo subdubitasti, morte secuta, ab irregularitate nemo te liberabit, quia tunc causa fuisti mortis illius, & in dubio præsumere debes: cum hic constet de corpore delicti, & solum dubitetur de efficacia cooperationis tuæ, juxta dicta *sect. 3. in subsect.*

§. III. *Infirmarius*.

178 I. INfirmarius assistens, ac inserviens, si contra præceptum Medici, vel temere aliquid ægroto præbeat sumendum, unde mors consequatur, omnino irregularis erit, ex delicto homicidii voluntarii, ut ex se patet, & late videre potes apud Farinac. *p. 2. v. irregularitas n.* 510.

179 II. Quando infirmarius aliquid gerit circa ægrotum, intendendo ejus mortem accelerare, quamvis motus misericordia, ne diutius æger crucietur, vel in agonia laboret: ut si infirmum moveat, ut si citius moriatur: etiamsi id infirmus petierit, ut sæpe solet, secuta morte, homicida, & irregularis erit: quia nec infirmarius, nec ipse infirmus sunt Domini vitæ; idque ex homicidio voluntario, ut *Henriquez* recte notat Tamb. *cit. n.* 25. attamen irregularitatem hanc ob motivum bonum dispensabilem esse ab Episcopo, notabo infra suo loco.

180 III. Quando sive ex officio, sive ex Superioris mandato, sive ex frivola Charitate infirmi custodiam, & obsequium suscepisti, & nihil positive agendo, sed solum negative te habendo, aliquid omittas, vel negligas circa infirmum, etiam per culpabilem mortalem negligentiam, etsi infirmus moriatur, peccabis quidem graviter contra Charitatem vel etiam contra Justitiam, si ex officio, vel pacto inservire obligatus fueris; at irregularis non eris, secundum probabilem sententia supra *sect.* 3. §. 4. *res.* 2. Hæc quidem accidentaliter, nunc ad propositum de homicidio casuali.

IV. Quando infirmarius circa infirmum bona fide agit 181
ea, quæ communiter infirmis exhiberi solent: ut si aliquid cibi, vel potus ei præbeas bona fide, etiam inconsulto Medico, si eum vertas de latere in latus, ut commodius dormiat, si eum erigas, vel subleves, ut cibum capiat commodius, si transferas de lecto in lectum &c. si hæc, & similia bona fide agas, adhibita semper debita cautela, etsi præter omnem tuam intentionem inde acceleretur mors infirmi, non eris irregularis, quidquid aliquid scrupulosi dixerint contra. *Ratio est;* quia bona fides, & solita Charitatis obsequia non debent tam rigorosa pœna puniri: neque enim ex defectu lenitatis, cum non sit Minister Justitiæ, potest incurrere irregularitatem: neque ex delicto, cum talis non graviter peccet: nec bellans in bello justo, qui soli incurrunt hanc irregularitatem, ut sæpius dixi. Communis DD. cum *Navar. Sayrus, Filliuc. Dian.* & alii apud Tamb. *cit. l.* 10. *tr.* 4. *cap.* 15. §. 4. *n.* 28.

Petitur hic incidentaliter, an inciderit in irregularitatem Sacerdos ille, qui, cum non haberet aliam aquam, infantem moribundum projecit in puteum, ut sic prolata simul forma, baptizaret. Resp. per se loquendo omnino incurrisse, quia, ut suppono, peccavit occidendo innocentem: secus dicendum, si fecisset bona fide, vel ex bona conscientia, etsi erronea (quidquid sit de probabilitate illius Sententiæ de valore talis Baptismi) tunc enim quia non peccavit, irregularitatem non contraxit ex delicto, hæc enim non incurritur sine delicto. Tamb. *de Bapt. c.* 1. §. 4. *n.* 5. *& 6.*

§. IV. *Venantes, ludentes*.

I. CLericis interdicitur Venatio famosa aprorum, ursorum &c. ut suo loco visum. Et hos ergo in tali casu sibi prohibita venatione, adhibita etiam omni diligentia, secuto tamen homicidio, irregulares efficiunt *Navar. Cajetan. Mol. & alii*; eo quod talis venatio eis videatur prohibita ob periculum homicidii: idemque sentiunt, si ita contingat in similiter prohibita sibi agitatione taurorum, ubi majus apparet periculum. Sed æque probabiliter id negant *Covar. Suar. Avila, Castro-Pal. alii, cum Laym. sæpe cit.* ob oppositam rationem. Cum enim venationi raro admodum conjuncta sit hominis occisio, ideo non ob periculum homicidii, sed solum ob status Ecclesiastici honorem Clericis interdicta censetur ejusmodi venatio. Universaliter ergo sive Clericus, sive laicus in quacumque venatione seu licita, seu prohibita, si citra omnem eorum culpam contingat hominem occidi, ut si per inculpabilem ignorantiam hominem ibi latere non advertat, nec suspicatus sit, vel si quod suspicatus est, caute tamen se gessit, debita adhibita diligentia periculum cavendi, irregularis non erit: erit autem, si imprudenter, & incaute se gessit. Ita cum aliis *Tamb. cit.* §. 2. *n.* 25. 182

II. Idemque sub eadem distinctione dicendum. 1. De eo, qui foveam, seu laqueum aptat ad capiendas feras, & eo casu homo impingens moriatur. 2. De nutrientibus feras, canes, tauros, leones, si aliquando aliis mortem afferant. 3. De licite, vel illicite equitante in equo feroci, calcitroso, indomito, & casu hominem deformante. 4. De licite, vel illicite cædente arborem, attollente ligna, forte hominem opprimente, sicque de similibus: semper enim, si satis caute te gessisti, irregularis non eris: Si secus, eris. Ratio patet ex dictis.

III. Sive Clericus, sive laicus ludens, ludo seu licito, seu 183
illicito, vel prohibito, etiam in materia homicidii, qualis est hastiludium, tractatio gladiorum, agitatio taurorum, secuta alicujus hominis morte, non erit irregularis, si sufficienter, ne mors sequatur, præcavit: erit autem, si sufficienter, non præcavit, vel præcavere non potuit, debebat enim tunc ludum omnino relinquere, si sufficienter mortem alicujus cavere non poterat. Eademque ratione, & distinctione resolvendum est de ludente, jocante, saltante vel quomodolibet incaute agente cum muliere gravida; ut si gravidam impetuose excites ad choreas, vel inter saltandum agites, comprimas, si puellæ periculose jocans repentine incutias metum, vel simile quid agas; unde abortus sequatur fœtus animati (idemque dicendum respectu cujuscumque alterius) non eris immunis ab irregularitate, si malum suspicatus, caute te non gessisti, prout in Jure supponitur se gessisse Clericus ille fœminam gravidam zona trahens: item alius falce accinctus ludens. Sed eris omnino liber, si inculpate nihil omnino es suspicatus mali, vel si quid suspicatus, caute te habuisti.

IV. Similiter is qui in ludo pilæ, v.g. dum adversarium pro- 184
pellit, ne pilam proripiat, vel dum pilam jacit, puerum transeuntem, vel intercurrentem interficit; is qui cum alio colluctans, illum impellens, casu occidit: is, qui nivis globos in alios per jocum projiciens, aliquem graviter ferit, lapide forte in nivis globo latente occidit. Hæc, & similia agentes regulariter ab irregularitate non afficientur, quia supponuntur nihil periculi advertisse: nam secus, afficientur sine dubio, si periculum prævisum debite non præcaverunt, vel

vel ab actione tam periculosa non abstinuerunt. At quid, si plures ita temere jaciant pilas, lapides, &c. absque tamen intentione ulla, & communi conventione occidendi, an quibus constat transeuntem aliquem esse occisum, ignoratur autem ex cujus actu? Neminem fore irregularem docet *Avila*: quia quilibet potest prudenter sibi persuadere suum jactum non fuisse causam mortis: idque verum esse crederem, si projicientes fuerunt valde multi, v. g. 12. 20. 30. at vero, si fuerunt valde pauci, utpote duo, vel tres tantum, merito omnes irregulares pronunciat Tamb. cit. *c.* 15. §. 2. *n.* 34. quia tunc quilibet prudenter poterit judicare, vel certe debet dubitare suum jactum fuisse causam mortis: dubius autem de causato a se homicidio, debet se tenere irregularem juxta dicta suo loco. Idemque esset, si etiam ex multis projicientibus, aliquis ob peculiarem circumstantiam dubitet suum jactum fuisse causam mortis.

SUBSECTIO.

Casus ambigui irregularitatis ex homicidio casuali.

SUMMARIUM.

185 Usque ad n. 190. *An, quando, & qualiter peccet, & irregularis evadat, qui committit homicidium in ebrietate, furore, somno &c.*

190 Usque ad n. 194. *Quando homicidium casuale ex adulterio, seu ratione, vel occasione adulterii commissum inducat irregularitatem. Item*

194 Usque ad n. 198. *Resolvitur varie, quando homicidium casuale ex rixa inchoata, vel vulnere, alias non lethali secutum, inducat obligationem restitutionis, & irregularitatem.*

198 Usque ad n. 203. *Quando culpam homicidii, restitutionem & irregularitatem inducat homicidium casuale ex alio homicidio, vel malefacto secutum, v. g. si propter homicidium, vel furtum a Petro factum, plectatur, vel occidatur alius innocens. Item*

203 Usque ad n. 207. *Quid inducat homicidium casuale factum ex errore, occidendo v. gr. hominem pro fera, vel unum pro alio.*

207 Usque ad n. 211. *Resolvitur dubium incidentale, an percutiens, vel occidens laicum, putans esse Clericum, vel e contra, incurrat excommunicationem.*

211 *Resolvitur aliud dubium, an quis uno ictu, explosione, una sententia simul occidens, vel damnans plures, unam vel plures incurrat irregularitates.*

185 REstant explicandi casus non pauci ambigui, homicidium, partim aliquando mere casuale, ac involuntarium simpliciter, partim aliquando casuale mixtum, & indirecte voluntarium involventes. Ut dignoscatur, quando peccatum, restitutionem, ac irregularitatem adferat, pono breves.

§. I. *Homicidium casuale ex ebrietate, furore, somno.*

186 I. QUi involuntarie, & inculpabiliter se inebriavit, utpote nesciens virtutem vini (qua ratione etiam excusant ebrietatem Loth, *Chrysost. Theodoret.* & alii PP. *in c. 9. Genes.*) & in ea ebrietate hominem occidit, sine dubio ab omni homicidii culpa, & pœna, adeoque etiam ab irregularitate immunis est: quia tunc nec ipsa ebrietas, nec occisio secuta voluntaria est. Idemque dicendum de infante, amente, furioso, dormiente, & in eo statu occidente, ut constat ex Clement. *c. si furiosus.*

187 II. Qui etiam voluntarie, & culpabiliter se inebriavit, nihil tamen suspicatus de homicidii periculo, qui scilicet expertus non erat, se in ebrietate inclinatum esse ad pugnandum, & rixas, aut etiamsi periculum pugnæ, vel furoris prævidisset, tamen sufficienter præcavit, v.g. occasionem deserendo, domi manendo, ostium claudendo, & nihilominus jam plene ebrius occidit; is a culpa, & pœna homicidii, & consequenter ab irregularitate (etsi hoc neget *Sylv. v. homicidium 3. q. 4.*) immunis erit. Ex communi DD. *Laym. Mol. Less.* Tamb. *hic c.4. §. 3. n. 4.* Ratio patet ex dictis: quia tale homicidium adhuc nullo modo est voluntarium, neque directe, ut patet, neque indirecte in sua causa, scilicet ebrietate culpabili; quia hæc de se non est efficax respectu homicidii, & raro cum homicidio conjuncta, maxime in homine non experto suam inclinationem ad pugnandum in ebrietate, qui proinde tale homicidium nec prævidit, nec prævidere debuit, aut si quid prævidisset, sufficienter cavit, ut positum est: ergo licet peccarit peccato ebrietatis contra temperantiam, non tamen peccavit peccato homicidii contra quintum Præceptum. Qua ratione D. Augustinus *lib. 22. contra Faustum relat. cap. 15. quæst. 1.* excusat incestum Loth, in ebrietate commissum, dicens: *inebriaverunt eum, & se nescienti miscuerunt, quapropter culpandus est quidem, non quantum ille incestus, sed quantum illa merebatur ebrietas.* Consentit D. Ambrosius *lib. de Abraham c. 6.* & refertur *c. sane ead. q.* Orig. *Homil. 5. in Genes.* Hieron. *ad Eustoch. de custod. Virginit.* Eademque ratione dicendum de eo, qui etiam in peccato, v. g. proposito maligno, proxima occasione inimicum occidendi, cubitum iret, nulloque periculo præviso in somno redeunte phantasia dormiens aliquem occideret.

III. Qui voluntarie, & culpabiliter se inebriavit, ac insuper expertus sciens animi sui propensionem, & consuetudinem semper in ebrietate rixandi, pugnandi &c. adeoque prævidens periculum homicidii patrandi, vel in genere cujusvis obvii, vel in particulari hujus hominis, illudque periculum, ne occidat, prædictis modis non sufficienter præcavit, & multo magis data opere ex intentione, ut audacius occideret, bibit, ac se inebriavit, ipso facto ille peccat mortaliter dupliciter, & contra temperantiam, & contra Justitiam homicidio præviso, & saltem indirecte, vel etiam directe volito, eoque secuto verus homicida est, & restitutioni obnoxius, secundum omnes; quia tale homicidium saltem indirecte, & in sua causa est voluntarium, ita ut talis in foro externo non ordinariæ homicidii pœnæ, sed alteri arbitratæ subjaceat, ex *L. omne delictum, ff. de re militari.* Secus, si quis sciens hanc suam propensionem, ex intentione se inebriasset, ut occideret, tunc enim secuto effectu, homicidium simpliciter reputatur voluntarium, & ordinaria pœna dignum. 188

IV. Talis etiam irregularis est. Communissima DD. *Ratio est*: quia tunc adest causa culpabilis occisionis, cui culpæ semper annectitur in Jure irregularitas: etenim Sacri Canones, dum homicidium voluntarium plectunt irregularitate, & homicidam voluntarium ab Altari repellunt, non distinguunt de voluntario directe in se, & voluntario indirecte in sua causa: cum ergo voluntarium indirectum in causa posita (ut in proposito est ebrietas) in omni proprietate sit voluntarium, non possumus arctare Canones, quasi loquantur de solo voluntario directo in se, quia contrarium manifeste significant, ut videre est *cap. de cætero, de homicidio*: ubi dicitur: *de cætero noveris, quod Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus.* Vides hic voluntarium in causa tantum, sufficere in Jure ad contrahendum irregularitatem. Cæterum quamvis ejusmodi homicidium in ebrietate factum non sit amplius liberum formaliter, est tamen adhuc liberum denominative a sua causa libere, & voluntarie posita, quod omnino sufficit, sicut ad contrahendam obligationem restitutionis, secundum omnes, ita etiam ad incurrendam irregularitatem. 189

§. II. *Homicidium casuale ex adulterio.*

I. EX adulterio a te commisso v. g. cum Berta uxore Titii multipliciter potest sequi homicidium casuale. 1. sic ut Titius maritus superveniens te ipsum adulterum occidat, & tunc ipse irregularis erit ex homicidio voluntario; quia injuste te occidit. 2. sic, ut tu adulter maritum supervenientem, & te aggredientem, ne occidaris, occidas, cum, vel sine moderamine inculpatæ tutelæ; & de hoc satis dictum est *supra c.2. sect.3. §. 1. n.143. & in subsect. ibid. a nu. 181.* 3. sic ut maritus superveniens, vel postea adulterium factum rescisciens, ipsam uxorem occidat, aut ipsa uxor morte plectatur a Judice. 4. sic, ut maritus cognita sua ignominia se ipsum occidat, ut alicubi factum. De his, & annexis quibusdam dubiis, cape breviter sequentia. 190

II. Si committas adulterium cum Berta in iis circumstantiis, & cautelis, in quibus nullum timeatur imminens periculum occisionis adulteræ, irregularis non eris; si autem in iis circumstantiis committas, ex quibus prævidisti, vel prævidere, ac timere prudenter debuisti periculum, ne adultera a marito, vel etiam Justitia publica occidatur, secuta morte, eris irregularis. Ita Suarez *de Cens. disp. 46. sect. 1. n. 12. Sayrus, Farin.* eosque citans Tamb. *hic c.15. §. 5. n. 1.* Ratio sæpius indicata est, quia non in primo casu, sed bene in secundo casu es causa moralis occisionis adulteræ: non quidem ratione adulterii præcise, quod ex se non est causa proxima mortis, nec communiter efficax ad mortem inferendam; sed ratione prædicti periculi prævisi, in quod in iis circumstantiis adulteram conjecisti, etiamsi volentem; quia neque tu, neque ipsa estis domini vitæ ipsius. 191

III. Si inter colloquendum referas adulterium mulieris coram marito, vel aliis, unde adultera a marito, vel etiam Judice occidatur, irregularitatem non effugies; quia in his circumstantiis injusta causa es homicidii. Idemque est, si referas copulam cum amasia tuo corrivali, quia in his circumstantiis solet fieri ejusmodi occisio, ideoque tu periculum prævidisti, vel de eo dubitasti, ut supponimus. Secus esset, si de occisione nullo modo suspicatus fuis, vel essent cædis circumstantiæ, ut timenda non esset prudenter occisio: quod in foro externo ex indiciis judicandum, in foro autem conscientiæ, adhibito prudentis consilio, tua te conscientia absolvet, vel condemnabit. *Ex Gibali.* Tamb. *cit. n. 5.* 192

IV. Si committas, vel referas adulterium etiam incaute, unde maritus, comperta uxoris infidelitate, suam ignominiam non ferens propter dedecus inde exortum, se ipsum interficiat, tu irregularis non eris, saltem regulariter loquendo. *Ratio est*: quia more humano prævidere quidem, & timere poteras de occisione uxoris, at de morte ipsius mariti certe non item: quod si tamen in raro casu prævidisses, ab irregularitate merito te 193

te liberare renuit Tamb. *ib. n.* 4. quia veram causam, & occasionem homicidio dedisses. Eodem modo a fortiori dicendum, si ducas uxorem amasiam alterius, qui ideo dolore furens, aut se ipsum, aut ipsam amasiam occidat, non eris irregularis, si id non prævidisti, secundum omnes: immo neque, si aliquo modo prævidisses, tamen nullo modo intendisses. Ex *Majolo*, *Tamb. cit. n.* 6. Ratio est: quia sine peccato mortali contra Justitiam in materia homicidii non incurritur irregularitas ex delicto: at non est in proposito peccatum mortale contra Justitiam ducere uxorem amasiam alterius, ergo.

§. III. *Homicidium casuale ex rixa inchoata, vel vulnere non lethali.*

194 I. PEtrus initium, & causa fuit rixæ cum Joanne: postea occiditur, vel occidit, quid Juris de superstite? distinguendum est. Si Petrus Joanni rixæ causam dedit solum verbis; Joannes autem excandescens occidat Petrum, sane Joannes reus erit homicidii, restitutionis, & irregularitatis, quia ob solam verborum contumeliam injuste occidit Petrum. Ex communi Mol. *disp.* 81. *n.* 3. Less. *l.* 2. *c.* 9. *dub.* 21. *n.* 137. Contra vero, si contra Petrum verbis tantum rixantem insurgat gladio Joannes; ille autem, ne occidatur, præveniens Joannem occidat, in nullo reus erit Petrus; etsi enim verbalis rixæ auctor fuerit Petrus cum peccato contra Charitatem: postquam tamen eum Joannes gladio invasit, potuit se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam occidendo vere jam injustum aggressorem; attamen, si poterat, debebat fugere, juxta dicta *c.* 2. *sect.* 3. *in subs. a n.* 180. in simili de adultero deprehenso: eodem enim modo philosophandum est hic.

195 II. Petro, & Joanne rixantibus, & pugnantibus strictis gladiis, socii, vel amici unius, vel alterius astantes, vel accurrentes occiderunt unum ex ipsismet duobus, quid tunc juris de superstite? aut contra, unus, vel plures ex ipsis sociis, vel amicis illius occisi sunt ab altero rixante, vel ejus sociis, quid juris de illo, in cujus gratiam hi occisi pugnaverunt? Rursus distinguendum est. Si enim rixantes principales excitaverunt, vel advocarunt socios amicos ad pugnam, aut etiam sponte accurrentes, & volentes in gratiam sui pugnare, tacito consensu admiserunt, aut eos aliter in necessitatem pugnandi conjecerunt, utique superstes rixans, aut is, in cujus gratiam occisi pugnaverunt, reus erit homicidii, & irregularitatis: quia is vera fuit causa homicidii, aut ipsius adversarii, aut sociorum suorum: cum illos ad opus tam periculosum induxerit. At vero si socii, vel amici unius, vel alterius, mere sponte sua se immiscuerunt pugnæ, absque alicujus principalis rixantis expresso, vel tacito consensu, & sic volentes defendere unum, occiderunt alterum, vel ejus socium, aut ipsiusmet occisi ipsis solis imputabitur, & principalis ille rixans a restitutione, & irregularitate immunis erit: quia tunc homicidium nullo modo intendit, nec in se, nec in sua causa: neque enim sola ea pugna causa est, nisi valde remota, ut alii accurrant, pugnent, vel occidantur. Hæc rursus jam supra, & docet Tamb. *hic c.* 15. §. 6. *n.* 7.

196 III. Petrus rixans, vel alia occasione absque omni intentione, vel præviso periculo occidendi, injuste tamen Joanni vulnus leve, certe non lethale, inflixit: nunc autem Joannes diem suum obiit, quid Juris? Iterum distinguendum est. Si vulneratus ex vulnere ob defectum solius curationis obeat, Petrus reus erit culpæ, & pœnæ homicidii, atque adeo irregularis. Communis DD. Navar. *c.* 27. *n.* 223. *Sotus*, *Avila*, alii cum Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *nu.* 5. Ratio est, quia hoc casu solum vulnus inflictum in causa physica mortis extitit, ideoque homicidium saltem indirecte in sua causa voluntarium reputatur. Eadem est ratio, si occasione talis vulneris, etsi de se non mortiferi, alius morbus, vel inflammatio accedens mortem inferat, quia causa causæ censetur causati causa. *Arg. cap. Presbyt. & c. ad audientiam*. Quod si tamen vulneratus vulnere non lethali jam semel convaluit, & postea in morbum incidens moriatur, censebitur non occasione vulneris mortuus, & vulnerans ab irregularitate, & aliis homicidii obligationibus immunis erit: ex utroque Jure *L. qui occidit ff. ad L. Aquiliam*, *c.* 2. *de homicid.* & communis apud modo citatos. Contra vero, si vulneratus vulnere non lethali postea mortuus sit, non ratione vulneris per se, ut facile curari potuisset, sed per accidens, vel propria incuria, vel Medici, seu Chirurgi imperitia, negligentia, malitia, vulnerans solum peccavit gravius, vel levius pro ratione vulneris inflicti, deque eo solum obligabitur: immunis autem erit a culpa, & obligatione homicidii, ex citat. *L. qui occidit*. Et ex communi Mol. *tr.* 3. *dis.* 32. *n.* 2. Less. *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 14. *n.* 102. *Laym. proxime cit. alii apud ipsos*. Ratio est: quia hoc casu nec vulnus, nec consequenter ipse vulnerans causa homicidii extitit, ideoque homicidium ipsi nec indirecte, & in causa voluntarium imputari debet.

197 IV. At quid de irregularitate eo casu? Vulnerantem hoc casu adhuc incurrere irregularitatem docent sane communiter DD. *Navar. Molin. Laym. loc. cit.* Ratio est: quia qui per actionem suam culpabilem periculosam, & injuriosam homicidio occasionem præbuit, eo secuto, fit irregularis. *Arg. cap. ult. de homicid. in* 6. atqui vulnerans in hoc casu per actionem culpabilem periculosam, vel injuriosam, occasionem præbuit mortis secutæ; nisi enim ille vulnerasset, mors non accidisset: quare non solum Medici, vel vulnerati negligentia, sed ipsa etiam vulneratio causa mortis extitit. Contrarium tamen æque probabiliter docent Sylvest. *v. homicid. quæst.* 22. *Sotus*, & *Lessius cit.* Sed certe iterum distinguendum videtur: si enim vulnus non lethale adeo leve fuit, ut se solo nullo modo mortem attulisset, sed tantum aliunde, aut certe tale, ut facili negotio, nulla, vel modica adhibita curatione sanari potuisset, vera est hæc secunda Sententia, ne ergo habeas te irregularem, quia tunc tota causa mortis non a vulnere a te inflicto, sed a Medico, vel ipso infirmo fuit. At vero si vulnus a te inflictum, etsi non lethale, tamen ejusmodi fuit, ut diligenti curatione opus habuerit, ut sanaretur, vera erit prima Sententia communis, &, morte secuta, te irregularem merito pronunciat etiam Tamb. *c.* 15. §. 7. Ratio est, quia tunc periculum mortis, etsi tractu temporis ex culpa Medici, vel ipsius infirmi intumuerit, tamen regulariter tunc præsumi, vel censeri debet ipsum etiam vulnus simul cum illa alia causa communi actione mortem attulisse. Vide dicta in simili *sect.* 3. §. 3. *de auxil.* Dico autem *regulariter*: nam si constaret tuum qualecumque vulnus nihil ad mortem contulisse, non erit unde irregularitatem timeas: unde Molin. cit. *disp.* 33. *membr.* 6. *n.* 4. & ex eo Laym. *c.* 10. *fin.* censent valde probabile esse, irregularitatem non incurrere eum, qui alteri etiam lethale vulnus inflixit, qui tamen postea alia causa per se immediate occisiva, v. gr. gladio transfixus, vel sclopo trajectus, vel submersus occisus fuisset, ita prius vulnus inflictum nihil omnino contulerit ad mortem. Sed de hoc nos cautius locuti sumus cum distinctione *ibid.* §. 3.

§. IV. *Homicidium casuale ex ipso homicidio, vel alio malefacto tuo.*

TItius occidit Cajum occulte, furatus est magnam summam, aliudve crimen capitale commisit, re cognita crimen falso imponitur Sempronio, isque capitur, & forte vi tormentorum cogente confessus capite plectitur: eritne Titius reus hujus sequentis homicidii, & consequenter restitutionis, & novæ irregularitatis? Nota triplici modo se posse in hoc casu habere Titium. 1. Sic, ut & prævide- 198
rit quidem illud imponendum Sempronio. 2. Sic, ut præviderit, sed minime voluerit, vel intenderit ipsi imponi. 3. Sic ut, & prævideril, & malitiose voluerit, ac intenderit crimen suum illi alteri imponendum. Jam breviter sic resolve,

I. Si Titius occidens Cajum, nec prævidit, nec intendit 199
ullo modo tale damnum Sempronio eventurum, non poterit censeri causa voluntaria mortis Sempronii; ideoque immunis erit a culpa, & pœna illius homicidii, restitutione, irregularitate &c. Ratio est clara, quia illud homicidium, secundum se est ei simpliciter involuntarium, & præter intentionem, cum nec intenderit in se, quia solum intendit occidere Cajum, nec in sua causa, quia, ut supponitur, non advertit tale damnum Sempronio eventurum: ergo homicidium ipsi mere casuale est. Sermo autem est de obligatione Justitiæ, & post factum, nam obligatione Charitatis, & ante factum debet sine dubio impedire mortem innocentis Sempronii, quantum sine æquali periculo potest. Notum est exemplum S. Conradi Placentini in venatione vepretum incedentis, magno inde orto incendio, cujus causa plebejus homo comprehensus, obque tormenta confessus ad supplicium trahebatur: certe ex Justitia nihil tenebatur Conradus, cum nec ipsum damnum improvisum voluntarie causaverit, nedum alteri imponendum prævidere potuerit; attamen ex Charitate tenebatur liberare innocentem ab injusto supplicio, quoad commode poterat: liberavit actu plane heroico cum magno sanctitatis præmio.

II. Etiamsi Titius probabiliter præviderit Sempronium 200
de eo crimine accusandum, & capite plectendum fore, nihilominus non potest censeri causa voluntaria illius homicidii, consequenter immunis a culpa, & pœnis manebit. Ita probabilius Sotus *lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. Less. *c.* 9. *n.* 11. Filliuc. *tr.* 29. *c.* 5. *qu.* 2. Laym. *l. c.* Ratio est, quia actio illa Titii non fuit efficax ad tale inferendum damnum Sempronio: neque ex natura illius actionis secuta est mors Sempronii, sed aliunde, vel casu, vel malitia accusatorum. Eadem est ratio de surripiente thesaurum diviti, quem suspicatur probabiliter præ mœrore moriturum, non erit fur dicendus homicida, quia mors non est secuta ex natura actionis ejus, sed ex alterius infirmo animo: quia etiamsi Titius, eo quod præviderit crimen imponendum alteri Sempronio, spe impunitatis animosius, immo ideo simpliciter occiderit Cajum, alioquin non occisurus, interim tamen non intendens imputationem, & damnum Sempronii, peccavit sane graviter actu interno, contra Charitatem in Sempronium, at non contra Justitiam, quia adhuc nulla actione externa fuit causa imputationis, & damnificationis Sempronii, ideo-

ideoque immunis erit a restitutione, & irregularitate, ut notant Mol. *tom.4. tr.3.disp.86. n.3.* Tamb. *lib.6.Decal. cap.4.* §.1. *n.3.* & mox melius intelliges *n.4.* 202

201 III. Quod si Titius occidens Cajum, & prævidit, & intendit, crimen imponendum Sempronio, ideo morte plectendo, tunc illum reum fore homicidii hujus & restitutionis, & consequenter novæ irregularitatis, docent DD. communiter *Molin. supra cit.* Rebel. *p.* 1. *l.3. c.* 11. Filliuc. supra *c.5. q.* 2. *Lugo cit.* Ratio hujus communis Sententiæ est, quia tunc Titius omnino videtur voluntaria injusta causa talis homicidii secuti: idque sine dubio verissimum est, quando crimen commissum ex circumstantiis est causa moralis talis imputationis factæ tertio: utpote si factum in iis circumstantiis loci, temporis, personæ &c. ex quibus moraliter & ut plurimum sequitur crimen imputari tali tertio, ut si Titius ideo occidit Cajum, quia ob notorias inimicitias capitales ipsius cum Sempronio scivit, & voluit crimen imputari Sempronio, si occidens Cajum usus est noto gladio, vel sclopeto Sempronii ignari, vel inviti: si in domo, prædio, vel horto Sempronii occidit, vel occisum sepelivit: quia tunc præsumitur, consentiente, vel sciente Domino loci, homicidium patratum esse. At quid si hominem a se occisum collocet ante januam Sempronii, unde is a Judice comprehensus damnetur? Adhuc esse causam moralem imputationis judicat Sanch. *lib.* 1. *Consil. c.* 8. *dub.* 5. Negat autem esse causam Lugo *disp.* 8. *sect.* 6. *n.* 84. eo quod ex hoc non sequatur, ut plurimum, imputatio homicidii: potuit enim homo alibi vulneratus lethaliter, & longius progressus casu ibi mori: multo minus causa moralis erit, si quis cadaver occisi inventum ante januam suam collocet ante januam alterius: qua ratione *Lugo* supra cit. a restitutione excusat eum, qui infantem expositum ante suam januam, & ideo de more patriæ a se alendum, collocet ante januam alterius, ut ab alio nutriatur.

202 IV. Quando vero crimen commissum non est, ita ex circumstantiis causa moralis imputationis, & damni tertii, tunc quantumvis Titius hæc præviderit, & intenderit crimen a se commissum imputandum Sempronio, etiam alioquin non occisurus; satis probabile est, non fore Titium reum secundi homicidii, & restitutionis: ut cum Less. *l.* 2. *c.9. dub.16.* docet Tamb. *l.6. Decal. cap.4.* §. 1. *c.5.* Ratio est: quia damnificatio tunc solum est radix restitutionis, quando est causa injusta externa physica, vel moralis damni consecuti, ut suo loco visum est: sed in proposito non est physica, ut per se patet, neque moralis ad illam imputationem, & mortem Sempronii: non enim ideo imputatur crimen Sempronio; quia Titius illud fecit, sed ex nullo homicidio facto, a Judice sumitur occasio illud imputandi Sempronio; unde quamvis Titius prævidens, vel intendens imputationem, graviter peccet contra charitatem, quia tamen ista prævisio, vel intentio, non facit actionem externam injustam, nisi aliunde sit causa moralis injusti damni alterius; ideo non apparet, eum peccare contra justitiam, nec consequenter reus erit restitutionis, quæ solum sequitur injustam causam externam damni. At numquid Titius eo casu adhuc incurreret irregularitatem? Resp. Omnino sic. *Ratio est:* quia omnis, actione externa graviter peccaminosa, etsi contra Charitatem tantum, volens, & intendens mortem alterius, ea secuta, irregularis est, secundum omnes: nam secundum Canones omne homicidium voluntarium, seu volitum inducit irregularitatem; atqui omne homicidium directe intentum, simpliciter est voluntarium, seu volitum, sive contra Justitiam, sive contra Charitatem peccetur, dummodo aliqua causa externa scienter ponatur: ergo &c. at vero ad obligationem restitutionis ex Justitia non sufficit homicidium esse utcumque voluntarium, & volitum, sed requiritur, ut ponatur causa externa injusta, physice, vel moraliter influens, & ex se sufficiens ad causandum damnum illatum, ut dictum est.

§. V. *Homicidium casuale ex errore: alium pro alio occidens.*

203 Qui intendit occidere feram tantum, & adhibita debita cautela, ac diligentia, errore, ac ignorantia invincibili, sive antecedenter, sive concomitanter occidit hominem, quem invincibiliter credidit esse feram, non est homicida formaliter, nec consequenter restitutioni, vel irregularitati obnoxius; sed neque excommunicationi, si occisus fuisset Clericus. *Omnes*. Est enim homicidium simpliciter involuntarium saltem negative: secus esset, si occisor debitam diligentiam non adhibuisset, aut periculum in talibus circumstantiis satis caveri non potuisset: ut si quis explodat in feram, vel inimicum aliis hominibus circumstantibus, vel in vicino ambulantibus, & visis: similiter, qui animo intenderet occidere hoc animal, nesciens tamen aut dubitans, an sit homo, vel fera, Clericus, vel Laicus sicque occidat, certo homicida erit, restitutionis, & irregularitatis reus, si sit homo; & excommunicationis, si fuit Clericus: quia tunc non animo tantum, sed etiam opere externo formaliter injusto causa homicidii fuit, ut ex communi recte resolvit Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 32. *n.* 27.

204 II. Qui certo volens occidere feram, aut hunc hominem in individuo, v. g. Petrum inimicum, non alium, & omnino casu ex improviso præter omnem intentionem, alius v. gr. Paulus, casu interveniens ictum in se suscepit: aut qui paravit venenum inimico, sed casu potatum ab alio amico, eum occidit &c. certum est, non committere homicidium formaliter, adeoque ex illo homicidio casuali, nec restitutionis reum, nec irregularem, sicut neque excommunicatum, si alter occisus fuisset Clericus. Communissima DD. *Sanch. modo cit. Coninch. Portell. Fragos. Fagund.* cum Diana *p.9. tr.* 4. *resol.*31. Tamb. *cit. l.* 6. *Decal. c.* 4. §. 3. *nu.* 76. Ratio est: quia quamvis talis principali intentione occidendi hunc hominem peccaverit, aliud tamen homicidium secutum est ei simpliciter involuntarium; ideoque sicut a culpa, ita & a pœna, & obligatione homicidii vacans: hinc patet ad casum supra indicatum. Titius adulter præter uxorem etiam ancillam impraegnavit, sed ad evitandum infamiam, & pœnam, potionem abortivam paravit ancillæ: quæ potio per errorem, & contra ejus mentem potata ab uxore prægnante, eam abortire fecit fœtum animatum, non fuit homicida &c. ob rationem datam. At quid si uxor potionem illam potasset marito inspiciente, sed contradicere, & monere non audente? quid similiter, si parasti venenum potandum inimico; aut ut refert *Lugo ibid.* ficus infecisti veneno pro inimico tuo, casu autem advenit amicus, & bibit funestum poculum, comedit ficus lethiferas te vidente, & ne scelus tuum prodas, tacente, secuta morte, erisne homicida, restitutionis, irregularitati, aut, si amicus ille fuisset Clericus, excommunicationi obnoxius? Resp. Nequaquam, quia, & mors illius præter, immo contra omnem tuam intentionem evenit, & non fuisti injusta causa mortis illius: quia cum tanto periculo manifestandi tuum scelus non tenebaris monere amicum de veneno. Ita cum aliis Lugo *disp.* 8. *sect.6. n.* 86. Eademque est ratio de potione abortiva, te vidente, ab uxore potata.

III. Qui certo scit, hic, in tali loco esse hominem quempiam, nesciens tamen hunc esse, vel illum, aut errore concomitante tantum, putat esse hunc hominem hostem suum, & tamen occidit, homicida, & irregularis est apud omnes, ut notat *Castro-Pal.* apud Tamb. *c.* 17. §. 7. *nu.* 30. Jam enim voluit hunc hominem occidere, quem ibi esse vidit. Similiter, qui certo sciens, ibi esse hominem, & credens esse Petrum inimicum suum, sed in hoc errans invincibiliter, occidit alium hominem Paulum, quem falso putavit esse Petrum inimicum, alioquin non occisurus, adhuc homicida est, restitutioni, & irregularitati obnoxius, secundum communem DD. Sententiam *Sanch.* supra cit. Bonac. *disp. de restit. q.ult. sect.2. propos.3.* Filliuc. *tr.20. c.3. q.10.* Ratio est: quia licet talis sufficienter caverit occisionem alterius hominis præter Petrum, non tamen cavit, sed omnino voluit occisionem hominis ut sic, cum certus fuerit ibi esse hominem; ideoque actio illa ex natura sua injusta fuit in hominem, quemcumque tandem attigit: at certum est, eo casu dari actionem injuriarum: sic enim habetur L. cum innocentem, ff. de injuriis, *Si injuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus: aut, si quis putet esse Titium, cum sim Cajus, prævalet, quod principale est, injuriam eam mihi facere velle: nam certus sum ego, licet ille putet me alium esse, quam sim, & ideo injuriarum habeo actionem*. Hæc ibi. Nihilominus 205

IV. Satis probabile est, eum, qui determinate intendit occidere hunc hominem tantum, v. g. Petrum inimicum suum, maxime, si nihil cogitans de homine in communi, primo intuitu certo sibi persuadeat ibi esse Petrum, adhibitaque diligentia, nihilominus invincibiliter errans occideret Paulum, in foro conscientiæ non fore homicidam, nec irregularem. Ita idem Filliuc. *cit. q.* 10. aliique cum Tamb. *l.6. Decal. c.* 4. §. 3. *n.*31. & 35. Ratio est: quia licet actio illa occisionis sit injusta ex genere suo, attamen in individuo, & in effectu contra Paulum occisum, nec injusta est, nec omnino voluntaria, cum nihil sit volitum, nisi præcognitum: talis enim determinate intendit occidere Petrum tantum, non quemcumque hominem, vel alium ullum: ideoque occisio alterius hominis ipsi simpliciter involuntaria, & casualis fuit, ex qua proinde nec restitutionis obligatio, nec irregularitas contrahitur, ut in Assertione dictum. *Confirmatur*. Habetur Declaratio Cardinalium in *Conc. Trid. sess.* 14. *c.* 7. quod mandans occidere Petrum, si mandatarius errans occideret Joannem, non incurrat mandans irregularitatem homicidii voluntarii; at vero par videtur ratio in nostro casu, ergo &c. Denique favet huic Sententiæ Cardin. de Lugo *disp.* 17. *de Justit. sect.* 3. *num.* 75. his doctis verbis: *Dices, si volendo occidere Petrum inimicum per errorem, occidis Paulum amicum, quem videns a longe, non cognovisti, & putasti esse Petrum, quem eo loco paulo ante reliqueras, non committis homicidium voluntarium, nec fortasse homicidium, quia illud homicidium procedet ex ignorantia, quæ causat involuntarium: ergo similiter, si putas te furari rem Petri, & accipias rem Pauli, non committes furtum. Responderi ad hoc potest: quidquid sit de antecedente, negatur consequentia: nam in primo casu erras circa substantiam actionis: non enim vis occidere illum hominem, quem occidis, sed alium; quare illa actio videri potest involuntaria: at in secundo casu non erras circa substantiam actionis: vis enim rapere, & furari rem istam, circa quam non erras, sed circa Dominum illius,* 206

quod

quod non pertinet ad ſubſtantiam uſurpationis hujus rei; quare, iſta actio ſecundum ſe tota eſt voluntaria. Hæc ille. Ubi vides ſimul ſolutam objectionem, quæ hic fieri poſſet a tali furto ad homicidium tale per errorem.

Dubium incidentale.

Quid de excommunicatione Canonis in caſuali occiſione, vel percuſſione Clerici?

207 I. CErtum eſt, ſi occidas, vel percutias revera laicum, putans tamen eſſe, & omnino volens occidere, vel percutere Clericum, te non incurrere excommunicationem: *Ratio clara eſt:* quia excommunicatio quidem lata eſt non contra volentem, ſed contra exequentem ipſo facto percuſſionem, vel occiſionem Clerici.

208 II. Similiter e contra: ſi revera percutias, vel occidas Clericum, errore tamen invincibili putans eſſe, & omnino volens percutere, vel occidere laicum, certe ab eadem excommunicatione liber es: quia etſi tibi nunc percuſſio, vel occiſio hominis ſit voluntaria, percuſſio tamen, vel occiſio Clerici, quia incogniti, ſimpliciter tibi involuntaria eſt.

209 III. Quod ſi volens percutere, vel occidere hunc Clericum, Petrum v. g. ſimili errore percutias, vel occidas alium Clericum, Paulum v. gr. excommunicationis pœnam haud effugies, ex communi, & vera ſententia Sanch. *lib. 9. de Matr. diſp.32. n.37. Ratio ſolida eſt:* quia prohibitio, & cenſura illa Canonis principaliter facta eſt, non in favorem ipſius perſonæ ſecundum ſe, ſicut irregularitas ex homicidio (nota differentiam) ſed principaliter in favorem, & reverentiam ſtatus Clericalis, non perſonæ hujus, vel illius: Eccleſia enim per ſe primo intendit per cenſuram prohibere, ne occidatur, vel percutiatur Clericus, quicumque ille ſit: atqui in caſu propoſito, & actu interno ſcis, & vis, & actione externa injurioſa ſtatui Clericali revera percutis, vel occidis Clericum, etſi erres in perſona, & actio tua huic perſonæ Clerici incognitæ voluntaria, & injurioſa non ſit.

210 IV. Non ergo aſſentior aliquibus cum Tamb. cit. *lib. 6. Decal. c.* 4. §.3. *num.* 28. oppoſitum probabile cenſentibus ob hanc ipſam rationem jam ſolutam; quod ſcilicet actio tua externa huic Clerico injurioſa non ſit: certe ipſe ibid. *n.* 38. non audet negare communem Sententiam DD. eum, qui volens injuſte occidere unum, & præter intentionem ex errore inculpato occidit alterum in loco ſacro, adhuc committere ſacrilegium, Eccleſiamque pollui, ob rationem a nobis datam: quia exercet voluntarie actionem injurioſam loco ſacro, in cujus favorem, & reverentiam prohibitio illa ſpecialis facta eſt, etſi erret in perſona occidenda, quæ ratio ſane magis videtur urgere in noſtro caſu, ut conſideranti patebit. Sed hinc naſcitur

Dubium incidentale aliud.

211 TItius in rixa tanto impetu in adverſarium irruit gladio, ut non ſolum ipſum tranſverberaverit, ſed alium hominem aſſeclam confoderit: duaſne irregularitates contraxit ex duobus occiſis, an unam? Idem inquiritur de eo, qui una exploſione ſclopeti occidit plures homines. Idem de Judice, qui una ſententia capitali plures capitis ſupplicio condemnavit. Idemque de excommunicatione Canonis, *Si quis ſuadente*. Si quis uno ictu duos, vel plures Clericos percutiat, vel occidat. Reſponſio communis eſt: duas, vel plures incurri irregularitates, vel excommunicationes, tot nimirum, quot homines occiſi, vel Clerici percuſſi, aut interfecti ſunt. Et certum eſt, in petenda diſpenſatione teneri ſingulas exprimi, alioquin diſpenſatio obtenta cenſebitur ſubreptitia: intelligendo tamen, dummodo Titius alterius quoque hominis, vel aliorum occiſionem præviderit, nec ſatis caveat, tunc enim ſemel irregularis erit in caſu quoad homicidium voluntarium directe intentum inimici ſui, v. g. & iterum ſemel quoad homicidium caſuale indirecte volitum, prævisum ſcilicet, & non ſufficienter cautum. At vero ſi Titius occiſionem alterius, vel aliorum nullo modo prævidit, ut, ſi cecidit unus ex caſu, tunc ibi tranſeuntibus, unicæ tantum irregularitati ſubjacebit: quia ſecundum homicidium illi ſimpliciter involuntarium & mere caſuale fuit. Eodemque modo dicendum de excommunicatione in ſimili læſione duorum, vel plurium Clericorum.

SECTIO VI.

De reſtitutione ex homicidio debita, & diſpenſatione ſuper irregularitatibus prædictis.

SUMMARIUM.

212 *Homicidium, vel mutilatio duplex infert damnum,* perſonale, *ſeu naturale*, & temporale.

213 & 214 *Ad damnum* temporale *compenſandum obligatur omnis homicida homicidio aliquo modo voluntario, & injuſto (idem eſt de mutilatione.)*

215 *Occidens autem volentem, & petentem occidi, peccat quidem graviſſime contra jus Dei, ad nullam tamen reſtitutionem obligatur.*

216 *Sicut nec provocatus ad duellum, ſi provocantem occidat.*

217 & 218 *Uti nec invaſus injuſte, in vita, vel bonis, ſi invaſorem etiam aliqualiter moderamen inculpatæ tutelæ excedendo occidat.*

219 *Pro damno* naturali, *ſeu vita occiſi, non eſt facienda aliqua reſtitutio,*

220 *Niſi probabiliter ſpiritualis,*

221 *Idque verius non niſi poſt ſententiam Judicis.*

222 *Nec ulla debita eſt reſtitutio pro bonis ſpiritualibus, quæ occiſus feciſſet impoſterum.*

223 & 224 *Compenſanda autem ſunt omnia damna temporalia mortem læſi antecedentia.*

225 *Idque vel ipſi læſo morituro, vel eo mortuo proximis ejus hæredibus.*

226 *Quod etiam verum eſt in mutilatione, vulneratione, vel quavis damnificatione corporali.*

227 Uſque ad n. 231. *Damna temporalia homicidii mortem ſubſequentia, quando, quibus, & qualiter reſtituere teneatur occiſor.*

231 *Obligatio reſtituendi pro damno temporali, ſive antecedente, ſive ſubſequente mortem occiſi, tranſit etiam ad hæredes occiſoris.*

232 Uſque ad n. 235. *I. Niſi moriturus ante mortem ſuam ei totum remiſiſſet.*

235 (*Quod tamen probabilius juſte facere non poteſt.*)

236 *II. Aut niſi, & ipſe homicida extremo ſupplicio afficiatur, tunc enim probabiliter ejus hæredes liberantur ab omni obligatione reſtituendi loco ejus.*

HOmicidio, vel mutilatione duplex infertur damnum: 212 *perſonale*, & eſt ipſa vitæ, vel membri amiſſio: alterum *temporale*, in bonis fortunæ, quod aut ipſi mutilato, vel occiſo, aut ipſis conjunctis exinde oritur, utpote jactura ſumptuum, ac lucrorum. Duplex quoque homicidæ, vel mutilatori incumbit obligatio, & actio: una eſt obligatio, & actio Juſtitiæ vindicativæ ad ſatisfactionem injuriæ illatæ: utpote pœna talionis, ſeu mortis, quæ homicidæ infligitur pro morte alterius, etiam præciſe, ut damnum naturale eſt, ſecluſo omni alio damno temporali inde ſecuto: ſed hoc nihil ad nos. Alia obligatio eſt, & actio Juſtitiæ commutativæ, qua occidens, vel mutilans obligatur ad reſtitutionem damni illati ſecundum æqualitatem Juſtitiæ, idque in foro conſcientiæ, ſecluſo omni judicio externo, & ſententia Judicis. Et hoc ad nos maxime. Videndum ergo, pro quo damno, quibus, & quantum teneatur reſtituere homicida.

ASSERTIO VIII.

OMnis homicida homicidio voluntario aliquo modo, & injuſto (idemque eſt de mutilatione, aliave damnificatione corporis) obligatur in conſcientia ad reſtitutionem, 213 *non quidem pro damno naturali, ſed pro omni damno temporali, & antecedente mortem, ſolis hæredibus proximi damnum paſſis, ſecundum moralem æſtimationem faciendam: eaque obligatio tranſit ad hæredes homicidæ, niſi occiſus ante mortem totum remiſiſſet, aut homicida extremo ſupplicio affectus fuiſſet.* Ratio hujus aſſertionis generaliter conſtat ex communi jure naturæ, & Juſtitiæ, de compenſando damno illato. Specialia minime pauca, neque parum controverſa, explico.

§. I. *Homicidio voluntario aliquo modo, & injuſto.*

NImirum I. principaliter homicidio directe voluntario 214 phyſice patrato, ex *Aſſertione* 3. II. homicidio directe voluntario, moraliter cauſato, mandans, conſulens, ſuo nomine patrando conſentiens, poſitive auxilians, impedire omittens, cum ex Juſtitia tenebatur. *Aſſert. 4. tota:* omnes enim tenentur ad reſtitutionem ſaltem pro rata, & in defectum principalis patrantis ad totum, juxta dicta ſuo loco. III. etiam homicidio caſuali mixto indirecte voluntario, ſive ex cauſa poſitiva, aut licita, cum culpa gravi, omittendo aliquid ex Juſtitia debitum, ex *Aſſert.* 5. IV. non tamen homicidio mere caſuali, etiamſi ſimpliciter voluntario ex *Aſſert.* 6. Eaque ratione diſcurrendum de mutilatione, vulneratione, aliave damnificatione corporali reſpective. Univerſaliter ergo ut homicida, vel mutilator contrahat obligationem reſtitutionis, neceſſe eſt, ut peccarit contra Juſtitiam, quæ ſola violata reſtitutionem inducit. Nulla ergo occiſio, vel mutilatio juſta, utpote facta ex Juſtitia publica, in bello juſto, ob neceſſariam defenſionem inculpatæ tutelæ, ullam reſtitutionis obligationem inducit. Inſuper ex ſparſim hactenus dictis aliqua dubia hic annotanda ſunt.

I. Ille, qui occidit hominem volentem, & petentem occidi, etſi adhuc graviſſime peccet, præſertim contra Jus Dei, 215 non tamen tenetur ad reſtitutionem ullam: tum quia reſpectu hominis volentis occidi, non peccavit contra Juſtitiam; cum volenti non fiat injuria: tum quia volens occidi, eo ipſo cenſetur remittere debitum reſtitutionis, quam remiſſionem de quovis debito, vel damno ſuo temporali, dum adhuc vixit, facere potuit, quidquid poſtea contradicant hæredes (de hac remiſ-

remissione rursus aliquid infra circa finem.) Intellige tamen ratione occisionis præcise: nam aliunde, ut si quis occideret servum, quantumvis volentem occidi, invito tamen Domino, sine dubio tenebitur Domino restituere pretium servi.

216 II. Provocatus ad duellum, seu pugnam ex condicto, si acceptans, vulnus, aut mortem alteri inferat, nihil tenebitur restituere: quia provocanti, & quantum in se est, consentienti nullam intulit injuriam. Ex communi Molin. *t.*3. *disp.*82. Less. *lib.*2. *c.*9. *dub.*21. Laym. *lib.*3. *tr.*3. *p.*3. *cap.*6. *nu.*5. Immo si duo ambo sponte conveniant in duellum, nisi occisus fuerit deceptus in aliquo, aut ad duellum coactus sit, occidens non obligabitur ad restitutionem: quia tunc invicem censentur remittere sibi obligationem. Vide Lugo *disp.*11. *sect.*3. *a n.*71. Similis est ratio de iis, qui hastiludio, vel alio periculoso ludo congrediuntur; si enim servatis legibus ludi, unus alterum sine dolo, seu formali intentione occidendi, occidat, non oritur obligatio restitutionis, ex pacto remissionis, quod inter sic ludentes saltem implicite intercedere solet, ut notat Molin. *disp.*36. *n.*4. Insuper si talis ludus publica auctoritate permissus sit, ut solet esse exercitium artis congladiatoriæ, nulla pœna homicidæ decerni debet, nisi de dolo constet: secus si ludus esset prohibitus, ut notat *Laym. l. c.*

217 III. Injuste ab alio invasus in vita, vel bonis suis, occidens eum, alioquin cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed eam solum excedens, quod, cum facile, & sine probro potuisset, non fugerit, etiamsi Clericus esset, ad nullam tenetur restitutionem: quia non fugiendo injustum invasorem, solum peccavit contra Charitatem: ex communi Mol. *disp.*81. *Less. Laym. cit.* etsi contra sentiat Lugo *disp.*10. *sect.* 8. *n.*170. *&* *disp.*13. *sect.*2. *nu.*55. quem vide. Quod si vero excessit moderamen inculpatæ tutelæ plus agendo, quam ad sui defensionem necesse fuit: v. g. occidendo, cum solum vulnerando, vel mutilando se defendere potuisset, communior, & in rigore verior sententia eum obligat ad plenam restitutionem totius damni. Navar. *c.*10. *nu.*27. Petr. Navar. *l.*3. *c.*1. *n.*92. Vasq. *de restit. c.*2. §.3. *dub.*4. *Less. modo cit.* Ratio est: quia quicumque damnum injuste infert culpa mortali, ad integram restitutionem obligatur: talis autem excedendo limites justæ defensionis, damnum mortis, vel mutilati membri intulit, non sine culpa mortali; ergo ad integram restitutionem tenetur: excepto, nisi judex in tali casu restitutionem damni remittat, vel in pena injusti aggressoris, seu rixæ auctoris, vel in compensationem injuriæ, quam invasus prior acceperat. Idem tamen Less. *eod. dub.*21. *n.*135. *cum Soto*, *Sylv.* & aliis probabile judicat, eum teneri solum ad partem damni compensandam secundum proportionem excessus, prudentis judicio dimetiendam. *Ratio est*: quia multo minus peccat, & injurius est, qui sic invasus occidit, quam qui sponte, & excitatus a nemine. Insuper ego cum Tamb. *l.*6. *Dec. c.*4. §.2. *n.*15. probabile judico, ad nullam omnino teneri restitutionem. Ratio sumitur ex numero præcedenti: quia ideo provocatus ad pugnam, v. g. si occidat; vel mutilet, ad nullam tenetur restitutionem, quia provocans remittere censetur: sed invadens alterum in vita, vel bonis suis, æque censendus est remittere; cum enim ille jam sciat invasum omnia mala contra ipsum tentaturum, & tamen adhuc invadit, convincitur omnino malis illis, seu damnis consentire; cum ergo scienti, & volenti non fiat injuria, adhuc invasus, etsi moderamen inculpatæ tutelæ excedens contra ipsum, non peccavit contra Justitiam, nec consequenter subibit onus restitutionis, prout etiam alibi notabo; servire potest hæc Sententia Confessario, ne se, & pœnitentem in difficili determinatione hujus restitutionis multum torqueat.

218 IV. Probabile ergo, & in praxi tutum est, quod, qui ob acceptam injuriam justo dolore, vel ira commotus, alterum vulneravit, vel occidit, v. g. maritus deprehensum adulterum, in foro conscientiæ, etsi absolute obligetur, juste tamen posse denegare restitutionem, donec ad Judicem delata causa cognoscatur, & decernatur, utrum in pœnam delicti, & injuriæ compensationem restitutio remittenda sit, nec ne: est enim justa exceptio, si debitum exigatur ex eadem causa, ex qua etiam debitori jus agendi competit: secus, si ex diversis causis, ut si Dominus nolit solvere stipendium famulo, qui in domo sua, vel cum filia sua stuprum commisit, audiri non debet, sed solvere cogitur, salvo interim jure suo de cætero agendi contra eumdem famulum civiliter, vel criminaliter, ut ex Mol. *tr.*3. *disp.*81. *n.*10. observat Laym. *cit. cap.*6. *ante finem*. Similiter & is, cujus animal, servus, filiusfamilias &c. alteri damnum corporale intulit etiam cum sua culpa, vel negligentia in custodiendo, non tenetur compensare: neque leges præcipientes compensationem obligant ante Judicis sententiam, ut ex communi alibi notavimus. Reliqua dubia quoad homicidia, præsertim casualia, jam supra habes.

§. II. *Non quidem pro damno naturali, & personali.*

219 I. Sententia sane communis Antiquorum, & ipsorum Principum Theologorum est, pro ipso damno naturali, nimirum pro jactura vitæ hominis occisi, aliquam restitutionem esse faciendam. Ita D.Th. 2. 2. *q.*62. *a.*2. *ad* 1. Scotus 4. *dist.*15. *q.*3. *n.*6. *Sylv. Rebellus*, *Azorius*, alii cum Mol. *eod. tr.*3. *disp.*84. Omnes hi consentiunt aliquam esse restitutionem faciendam: at qualisnam sit facienda, non conveniunt. Plerique videntur exigere pecuniariam. *Adrianus*, *Rebellus*, *Molin.* Spiritualem requiri solutionem per Sacrificia, preces, eleemosynas ab homicida pro anima occisi offerendas Deo, asserunt. Scotus *l.c.* docet 1. *Justissime positam esse in Communitatibus Legem talionis*, scilicet mortis pro homicidiis: *& consequenter homicidam juste debere talem pœnam patienter tolerare. Si alicubi non posita illa Lex Talionis*, consulit (præceptum esse, vel obligari affirmat, ut ei imponit Sotus, & alii Thomistæ,) ut homicida *exponat vitam suam in causa justa, utpote in bello contra inimicos Ecclesiæ per restitutionem faciendam illi, cui vitam abstulit.* 3. dicit.: *qui nec tantam restitutionem velit facere, non potest omnino esse immunis a restitutione, sicut quidam fatui faciunt, qui absolvunt homicidas, non ei ostendentes restitutionem necessario incumbentem, quasi facilius possit transire homicida, quam (ut dicam) canicida, vel bovicida, quia si quis occidisset bovem proximi sui, vel canem, non absolveretur sine restitutione: tenetur ergo ad restitutionem spiritualem æquivalentem vitæ, quam abstulit, sicut potest esse æquivalentia in talibus.* Hæc Scotus, loquens de restitutione quoad damnum naturale; nam de damno temporali subdit. *Nec hoc solum, sed si interfectus sustentabat aliquos, Patrem, vel Matrem, vel propinquos, tenetur interfector omnibus illis ad restitutionem tantam, quantum illis abstulit per interfectionem illius.*

II. Probabile omnino est, homicidam, si non occidatur, 220 vel pœna æquivalenti puniatur a Judice, ex Justitia obligari ad aliquam restitutionem Spiritualem ratione damni naturalis, seu ipsius mortis proximi: idque vel maxime, ob auctoritatem tantorum DD. *Ratio communis est:* quia quicumque intulit damnum proximo in bonis fortunæ, vel famæ, v.g. qui occidit bovem, vel canem proximi (ut ait Scotus) tenetur ad restitutionem ex Justitia, secundum omnes, & tamen bona fortunæ, vel famæ longe sunt inferioris ordinis, quam ipsa vita corporalis: ergo multo magis obligatur ad restitutionem, qui intulit damnum in bonum altioris ordinis, scilicet in ipsam vitam corporalem. Deinde quando non potest reddi æquivalens, debet reddi, quod possibile est, quia juxta commune scitum, impossibilitas excusat a tanto, non autem a toto, nisi totum sit impossibile. Sic qui debet mille, & non potest, potest autem dare centum, certe tenetur: atqui licet interfecto pro vita sua non possit reddi æquivalens, maxime in pecunia, vel bonis temporalibus, cum vita hominis sit pretio inæstimabilis, potest tamen illi aliquid reddi, quod ei utile, vel gratum sit, utpote suffragia, vel beneficia spiritualia, Sacrificia, preces, eleemosynæ; ergo obligatur eo casu homicida ex justitia saltem ad talem restitutionem Spiritualem, in quantum in iis potest esse compensatio in commodum occisi. Si dicas: non constat, utrum ea suffragia defuncto prosint: ergo non obligatur. Contra, etiam non constat, quod non prosint; atqui in dubio tali melior debet esse conditio innocentis injuriam passi, & pie præsumi, occisum in statu gratiæ obiisse, adeoque vel adhuc purgando prodesse suffragia, vel jam beato grata esse.

III. Probabilius, & verius est, ante sententiam Judicis neminem obligari ex Justitia ad ullam restitutionem, seu temporalem, seu spiritualem faciendam pro ipso damno naturali ex homicidio (itemque mutilatione, vulneratione) utpote pro ipsa jactura vitæ: sic docet Juris Consultus *in L.ult. de homicidiis*, *Gloss. in c.*1. *de injuriis*. Navar. *c.*15. *n.*22. Petr. Navar. *l.*4. *c.*1. *de restit. n.*80. Less. *l.*2. *c.*9. *dub.* 23. *&* 25. Vasq. *de restit. c.*2. §.3. *dub.*6. Laym. *cit. c.*6. *n.*2. Lugo *disp.*11. *sect.*1. *n.*5. alii plurimi apud ipsos. Ratio est: quia virtus Justitiæ commutativæ (quæ sola restitutionem præcipit) essentialiter respicit æqualitatem inter jus, & jus, datum, & acceptum: ergo ubi æqualitas inter aliqua jura esse nequit, cessat tota obligatio justitiæ commutativæ, & restitutionis; unde cum solum bona ejusdem generis, & ordinis secundum æqualitatem inter se commensurari possint, nemo tenebitur compensare damnum in uno genere, & ordine bonorum illatum per bona diversi generis, & ordinis, seu superioris, seu inferioris, si eodem genere, & ordine compensare nequit, ut modo habet communissima Sententia: atqui evidens est, damnum naturale hominis occisi (vel etiam membri abscissi) non posse commensurari, vel compensari per bonum ejusdem ordinis, nisi a solo Deo, qui occidit, & vivere facit: ergo pro ipso damno naturali, nullam teneris restitutionem facere ex Justitia, neque in bonis temporalibus; cum hæc sint longe inferioris ordinis: nam vita, & integritas corporalis nullo pretio temporali est æstimabilis, cum sit diversi generis, & altioris ordinis; unde Juris Consultus *L. ult. & L.* 1. *ff. de his, qui effuderunt*, ait: *in homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest.* Neque per bona spiritualia, cum hæc sint diversi generis, & altioris ordinis, quam vita corporalis: notus enim est ordo bonorum. 1. Bonum animæ, 2. bonum vitæ, & membrorum, 3. bonum famæ, & honoris, 4. bonum temporale fortunæ. Interim tamen fatentur, & consulunt omnes utriusque Sententiæ DD. quod, sicut Judex in foro externo juste imponit mulctam pecuniariam homicidæ, si vi-

si vita donetur, offenso, vel ejus hæredibus applicandam; ita Confessarius in foro conscientiæ debeat imponere homicidæ opera spiritualia, Sacrificia, Preces, Eleemosynas &c. animæ occisi applicanda in aliqualem compensationem, sive deinde ex Justitia teneatur, sive solum ex Charitate, seu naturali æquitate. Et recte consulit Molin. *cit.nu.*10. homicidam optimo, & securiori modo posse mortem occisi compensare impartiendo ipsi, & ejus loco offerendo Deo tantum de suis totius vitæ bonis operibus, meritis, satisfactionibus, quantum Deus novit esse satis ad æquam compensationem. Cæterum paradigma pœnitentiæ homicidæ injungendæ habes superius *cap.3. sect.2. num.60.*

222 IV. Hinc a fortiori recte resolvit *Less. cit. c.9. dub.25.* nullam quoque esse restitutionem debitam pro bonis spiritualibus occisi, quæ fecisset, si supervixisset; bona enim illa spiritualia compensanda considerantur, vel quoad meritum, vel quoad satisfactionem: primum est irrecuperabile, cum meritum unius non possit dari alteri: ideoque meritum homicidæ non potest reparare, vel compensare merita occisi, quæ habuisset supervivens: satisfactio autem, quamvis possit alteri dari, incertum tamen est, an occisus aliqua satisfactione privatus sit, vel utrum ea satisfactio, quam homicida offert pro illo, illi profutura sit; nec illi potest ulla certa mensura constitui, quantam homicida teneatur exhibere. Quantam ergo dabit? Certe in tanta indeterminatione nullam. Hæc ex Lessio. Vides hanc rationem æque applicari posse de restitutione spirituali pro damno naturali occisi. Secus dicendum esset, si aliquo casu damnum spirituale occisi notorium, & determinatum esset. Accipe casum. Petrus testamentum condiderat, in quo disposuit ex redditibus suis vitalitiis, si vixisset, percipiendis, centum aureos dare Ecclesiæ pro centum Missis pro anima sua celebrandis; interim occidit eum Paulus: unde expirante censu, Missæ non sunt celebratæ: ad quid jam obligatur Paulus homicida? Resp. *Salonius* apud Tamb. *lib.6. Decal. c.4. §.3. num.21.* Paulum omnino obligari ad eas Missas resarciendas, & recte, si enim opifici a te restituendum est, qui per operas materiales tua causa impeditas, minus lucratur, cur non etiam restituendum pro damno spirituali, quod quis tua causa invitus incurrit, & certo tibi constat incurrisse in sua determinata mensura? Nec obstat nesciri, utrum hæc satisfactio occiso sit profutura; quia ut modo in simili dixi, etiam nescitur contrarium: ideo res manet dubia negative: in hoc autem dubio melior debet esse conditio innocentis.

§. III. *Sed pro omni damno temporali, antecedente mortem.*

223 I. Damnum temporale homicidii antecedens mortem, dicitur omne illud, quod occasione homicidii infertur ipsi homini occiso in bonis suis: ut sunt in primis omnes expensæ rationabiliter factæ in Medicos, & medicinas ad hominis non statim mortui, sed forte diu languentis, curationem procurandam, vel mortem evadendam. Item jactura lucrorum, quæ eo tempore facere potuisset, sive dein mors sequatur, sive non. Item damna omnia realia simul per accidens illata in bonis fortunæ, famæ, vel honoris: ut si latro hominem, vel ejus domum spoliasset, graviter diffamasset, si ejus domum effregisset, aliave damna intulisset, ad hoc, ut eum occidere posset.

224 II. Hæc omnia damna antecedentia mortem restituenda, seu compensanda sunt secundum æqualitatem rei: eorum enim damnorum determinate illatorum injusta causa fuit homicida, attenta semper qualitate damni; nam, ut modo dixi, restituendæ sunt expensæ curationis rationales tantum, & moderatæ secundum conditionem status talis hominis; non item irrationales superfluæ immodicæ; item detracta illa quantitate expensarum, quas alioquin curandus eo tempore ad sui sustentationem expendere debuisset: unde si is moriatur, inter damna homicidii non sunt æstimandi nec compensandi sumptus funebres, qui alias morituro impendi debuissent: nisi ratione necis illatæ v.g. extra patriam in loco alieno majores sumptus fieri oportuisset; tunc enim restituendum erit pro excessu. Ex communi Mol. *tr.3. disp.83.* Petrus Navarrus *lib.4. cap.1. nu.37.* Less. *cit. dub.24.* etsi contra sentiat nimis stricte alter Navarrus *cap.15. nu.22.*

225 III. Hæc omnia damna antecedentia restituenda sunt, aut ipsi homini læso morituro, aut, eo mortuo, *cuivis ejus hæredi*, sive necessario, sive non necessario, vel extraneo, sive ab intestato, sive ex testamento. *Omnes*. Ratio esse potest, quia hæres succedit in omnia jura defuncti: at si compensatio illorum damnorum de jure debebatur ipsi homini occiso, dum adhuc vivebat, & modo deberetur, si superviveret: ergo modo debetur cuivis ejus hæredi. At quid si nulli sint hæredes? debebitne homicida pro istis damnis restituere pauperibus, vel ad pias causas? Resp. omnino sic: ita enim statuitur ab Alexandro Papa *cap. cum tu, de usuris*, quod communissima DD. extendit ad quodvis debitum restitutionis ex delicto. Et ratio est: quia in similibus debitis ex delicto, censetur defunctus velle, ea in usus pios ad animæ suæ favorem distribui, & non cedere in commodum delinquentis; ut latius visum suo loco.

226 IV. Similiter in mutilatione, vulneratione, vel quavis damnificatione corporali damna necessario compensanda sunt: in primis ipsæ expensæ curationis necessariæ, & rationabiles, ut modo dictum est: dein lucra cessantia, vel damna emergentia ratione mutilationis, vel vulnerationis: ut si opifex vulneratus sit sutor, sartor &c. Et ideo per id tempus ad opus suum inutilis factus, tenetur illi vulnerans restituere lucrum operarum, quod tanto tempore interea fecisset pro se, & sua familia sustentanda, quoque interim carere cogitur. *L. ult. ff. de his, qui dejecerunt.* Communis DD. Intelligitur autem compensandum lucrum cessans, deductis impensis, quas scilicet in exercendo opere suo facere debuisset, secundum omnes: itemque deduci potest aliqua æstimatio laboris, & molestiæ, quam in exercendo opere suo subiturus fuisset, ut probabiliter docent alii, cit. Molin. *de justit. tr.3. disp.87. concl.1.* Dian. *p.3. tr.6. resol.53.* Quod tamen mihi probabilius negant Sotus *lib.4. de justit. qu.6. art.1.* Petrus Navar. *lib.4. de restit. c.1. nu.80.* Less. *lib.2. c.9. dub.19.* Laym. *c.6. n.1.* & nos alibi de restitutione ex mora injusta; immo communis DD. sententia, & vulgi persuasio est, quod si quis alterum injuste impedivit a labore diurno, lucrum ei cessans integrum restituendum foret, non detracta æstimatione laboris. *Ratio est*, quia lucrum plerumque labori commensuratur; immo sæpe non æquatur; alioquin communiter parum, vel nihil restituendum foret. Similiter si quis talem vulnerando perpetuo inutilem ad opus suum reddit, tenetur ei ad præbendam sufficientem sustentationem, juxta ejus conditionem, & suam facultatem secundum arbitrium prudentis, aut sententiam Judicis.

§. IV. *Et subsequente morte secundum moralem æstimationem solis hæredibus proximis damnum passis.*

I. Damna temporalia homicidii, subsequentia mortem, dicuntur, quæ ratione mortis occisi inferuntur aliis personis eidem conjunctis, utpote uxori, filiis, parentibus, quibus occisus alimenta præstabat, quique ab ejus arte, industria, opera, pendebant in victu quotidiano, & vitæ commoditatibus necessariis, & honestis acquirendis, conservandis, vel augendis: unde universim ex hoc capite nihil restituendum erit, quando aut nulli adsunt hæredes; quia tunc nullum damnum mortem subsecutum est: non ipsi occiso, quia hic jam extra vivos nullum temporale sentit damnum; neque hæredibus, quia nullos esse supponimus: aut licet adsint hæredes, illis tamen nullum damnum ex morte occisi secutum est, utpote si occisus fuit nobilis, vel opulentus sine arte, vel industria, vivebat de bonis propriis ab hæredibus post mortem relictis, vel quia jam senex, decrepitus, infirmus, nihil amplius arte, industria, vel opera sua, suis comparare potuit, quin potius aliorum opera indiguit, vel quia homo iners, & incurius, arte, industria, vel opera sua neglectis, suis nihil amplius comparare solebat, adeo ut familia ratione sustentationis, vel lucri, per mortem illius nihil, vel parum detrimenti passa supponatur, quibus casibus aut nihil, aut tanto minus restituendum erit. 227

II. Quando ergo adsunt hæredes inde damnum præfatum passi, tunc iis hæc damna temporalia mortem subsequentia restituenda sunt, utique non secundum æqualitatem rei: quis enim mensurabit ea damna emergentia, vel lucra cessantia hæredibus occisi? cum nemo divinare possit, quamdiu is vixisset, si occisus non fuisset; quantum lucratus fuisset; quantum fuisset periculum potius amittendi, quam spes lucrandi; sed restituenda, vel compensanda sunt secundum *moralem æstimationem tantum*, judicio prudentis expendendam. Tantum ergo restituendum est, quantum isti hæredes pro sua necessaria sustentatione, vel commoditatibus eo superveniente juxta prudentem æstimationem ejus artis, industriæ, operæ, ætatis, virium, moraliter certo habituri fuissent, nisi occisus esset, quæque hic, & nunc in suis causis jam videbantur moraliter existere, & quasi incipere esse, quia in istis solum certo patiuntur damnum hæredes: & licet illa commoda in futurum non habeant omnimode, habent tamen moralem certitudinem, quia hic & nunc ille sua arte, officio, opificio, vel labore solebat tantum lucrari, talibusque familiam suam sustentare, & commoditates augere, consequenter tantum potuisset etiam in futurum, si supervixisset: habita etiam ratione ætatis, ac virium, utpote, quia vegetæ ætatis, & fortis, tamdiu adhuc supervivere potuisset, suosque alere probabiliter præsumeretur; tantum ergo, ac tamdiu tenetur homicida, vel ejus hæredes compensare hæredibus occisi, quantum, & quamdiu illi ex lucris cessantibus occisi juxta prudentem æstimationem prædictorum sustentati fuissent, & sustentari debuissent. Dubium hic est de hæreditate sperata auctiore ab occiso, si supervixisset. Etiam pro hac restituere debere homicidam, affirmat communis DD. Abbas *in c. 1. de injuriis*. Nav. *c.15. n. 24.* *Molina Less. Laym. l.c.* nisi occisus occisori ante mortem omnem restitutionem sponte condonarit, & omnino verum videtur, quando hæreditas auctior ex prædictis principiis certo moraliter esset separata a supervicturo. Utpote si ex redditibus annuis quotannis tot 100. certo seponere potuit &c. Alioquin longe probabilior est opinio negativa aliorum; 228

cum

cum enim hæreditas augenda plerumque admodum incerta sit, cum vel ipse occisus, vel ejus hæredes alias potuerint mori, nomine solius hæreditatis nihil debere hæredibus occisi ab occisore. Insuper

229 III. Hæredibus *damnum passis* tantum restituendum est; unde eatenus tantum tenetur restituere homicida hæredibus occisi, quatenus necessarium est ad eorum honestam sustentationem, & commoditates vitæ, juxta proportionem qua iidem habuissent ab occiso, juxta paulo ante dicta. *Ratio est*, quia hæredes solum censentur damnificati in hoc, quatenus decedit eorum sustentationi, & commoditati, quam certo habuissent ab occiso: ergo ad id solum compensandum obligatur homicida. Quod si ergo uxor, liberi, parentes, ob mortem alterius nullam patiantur necessitatem in sustentatione, vel commoditate vitæ, utpote si parentes divites sint, filii jam puberes, ad se ipsos alendos apti, uxor non egeat, vel æque commode nubere possit &c. ad nullam restitutionem obligabitur homicida ante Judicis sententiam: quia eo casu nihil ipsis debebatur ex Justitia ab occiso: ideoque non censentur veram injuriam per hoc passi. Insuper

230 IV. Solis *hæredibus proximi occisi*, puta liberis, uxori, & parentibus ita damnum passis restituendum est. Communis DD. apud *Molin.* Less. *cit. cap.9. dub.27. nu.155. Laym. Lugo, Marchant. passim citatos*. Ratio est: quia obligatio, & finis restitutionis est compensare damna injuste illata alteri in bonis propriis, vel sibi jure debitis: atqui solis illis hæredibus proximis, uxori, liberis, vel parentibus injuste inferuntur illa damna subsequentia mortem occisi, & quidem in bonis propriis, & sibi debitis jure, cum hæres proximus, uxor, filius, parens adeo alte conjuncti sint occiso, ut moraliter una semper persona censeantur cum illo: unde eos solos ex Justitia in necessitate positos alere tenetur occisus: ergo solis his proximis hæredibus damna ista restituenda sunt. Unde optime notat Less. *lib.2. cap.9. dub.26. nu.155.* rationem hujus restitutionis non esse, quia hæres succedit in jura defuncti; quia defunctus occisus nunquam habuit jus ad restitutionem horum damnorum; quippe cujus restitutionis obligatio primo post mortem secuta est, sed maritus, & uxor, Pater, & Filius censentur una persona, unde invicem ex Justitia in necessitate alere tenentur, & ideo, qui unum ex his occidit, alterum injuste lædit, & consequenter læsus injuste, quatenus læsus est, ad æqualitatem per restitutionem reduci debet. Si vero non adsint ejusmodi hæredes proximi, uxor, liberi, parentes, nihil debet homicida ex hoc capite restituere hæredibus occisi, non proximis quibuscumque, etiam Fratri, sorori, aliisque propinquis: sed neque aliis amicis, clientibusque pauperibus, vel quibusvis aliis, quos occisus non ex Justitia, sed solum ex Charitate alebat, vel eis benefaciebat, ob oppositam rationem: quia scilicet nec ita conjuncti sunt occiso, ut una cum ipso persona censeantur respectu damni illati, & quia ipse defunctus nihil eis ex Justitia debuit, sed solum ex Charitate, vel liberalitate eis alimenta ministrare, vel benefacere solebat: ergo nullum fuit jus ablatum, vel damnum illatum in bonis propriis, vel jure sibi debitis, sed tota injuria recidebat in occisum. Et licet verum sit illum, qui per vim, vel fraudem impedit aliquem a consecutione, vel usurpatione alicujus boni, teneri ad ejus damni compensationem; quia nimirum censetur voluisse, & intendisse nocere alteri: secus enim esset, quando non ita censetur velle, vel intendere nocere alteri, sed sibi tantum prospicere; atqui in proposito occisor alicujus minime potest censeri velle, & intendere nocere illis, quos occisus non ex Justitia, sed solum ex Charitate alebat, vel beneficiis fovebat: posito autem casu rarissimo, quo homicida idipsum intenderet, utique obligaretur ad compensationem damni ex injusta intentione, & simul ipsa actione externa injusta causati; ut innuit Les. modo *c.n.154.* Unde ulterius ex natura sua, & in rigore loquendo omnino vera est Sententia multorum cum *Mol. tr.3. disp.83. n.8.* & Laym. *cit. cap.6. n.4.* homicidam teneri ad restitutionem damnorum occisi creditoribus illatorum. *Ratio* vehemens est, quia occisus arctiori obligatione Justitiæ tenebatur creditoribus, quam ipsis hæredibus necessariis, cum his alimenta, & hæreditas non præstentur, nisi deducto ære alieno: ergo si occisor compensare teneatur damnum, quod hæredi necessario, uxori, liberis, parentis, occasione injustæ occisionis sequitur, multo magis tenebitur creditoribus, si ob eandem causam homicidii debito suo privati fuerint in toto, vel in parte, damnum compensare secundum Justitiæ rigorem. Verum recte notat Laym. *ibidem* id in praxi non observari, unde contrarium absolute docent Less. cit. *dub.26. nu.151.* & Dian. *p.5. tr.3. resol.57.* alii plures apud ipsos. Tandem sequitur hanc obligationem.

Extensio in hæredes.

231 Obligatio homicidæ ad restituendum pro damno temporali, sive antecedente, sive consequente mortem occisi, iis, quibus juxta prædicta tenetur, cum sit debitum & onus reale, sine controversia transit ad hæredes occisoris, quando ipsemet non fecerat, juxta tamen vires hæreditatis, de quo alibi. *Omnes*. Verum duæ exceptiones in Assertione adjunctæ, modo explicandæ sunt.

I. Nisi occisus ante mortem totum remisisset.

I. Certum est, occisum moriturum debere homicidæ remittere offensam, non item injuriam, multo minus damnum: consulendum semper etiamsi remitteret injuriam: non semper damnum subsequens hæredibus, præsertim si egeni sunt; unde quando morti proximus occisori ignoscit, vel reconciliationem exhibet simpliciter, semper intelligitur de offensa, & injuria, non vero de damnis temporalibus; nam hæc, nisi expresse remittantur, semper debebuntur; ut cum aliis recte adnotant Sanch. *lib.1. consil. cap.4. dub.12.* Lugo *disp.11. sect.3. num.62.* 232

II. Certum quoque est, moriturum posse remittere homicidæ damna antecedentia mortem §. 3. explicata, sicut & quodvis reale jus, si quid debitum, cum ipsi liberum sit disponere de rebus suis; compensatio autem illorum damnorum jamdum ipsi debebatur: unde si dicat se remittere & injuriam, & damnum sibi illatum, erit, de hoc solo damno antecedente mortem intelligendum erit, non de subsequenti, ut ex communi notant iidem. 233

III. Quod si denique dicat moriturus, se remittere omnia damna homicidæ, volens etiam comprehendere damna hæredum subsequentia mortem, clarum quidem erit, homicidam, ejusque hæredes liberandos ab omni obligatione restituendi hæredibus. Sed dubium, & controversum est, an moriturus possit remittere totum damnum, & homicidam liberare ab obligatione restituendi hæredibus necessariis, uxori, filiis, parenti pro damno subsecuto. Posse affirmant *Sanch.* Less. *cit. c.9. dub.26. n.258. Bannes, aliisque cit.* Dian. *p.5. tr.4. resol.58.* Tamb. *lib.6. c.4. §.3. n.10.* Ratio est: quia quidquid debetur hæredibus illis, totum debetur eis dependenter a voluntate morituri: adeoque non fit eis injuria, nisi quatenus fit contra occisi voluntatem: ergo si occisus ante mortem totum condonaverit, contra ejus voluntatem nulla remanebit obligatio justitiæ restitutionis homicidæ: solum ergo occisus peccaret in raro casu, quando hæredes aliunde alimenta non haberent. 234

IV. Negativam tamen contrariam mihi longe probabilius docent cum aliis Tann. *hic q.6. dub.4.* Lugo *disp.11. sect.3. n.63.* nimirum occisum non posse juste homicidæ remittere obligationem restituendi damna hæredibus, consequenter etiam facta tali remissione, utpote invalida, & contra justitiam, adhuc obligari homicidam ad restitutionem: *Ratio est*: quia licet occisus possit remittere omne damnum sibi illatum, seu omne jus proprium, omnemque obligationem sibi debitam, non tamen potest remittere damnum illatum aliis, seu jus aliorum ad obligationem ipsis debitam: atqui occisus ipse de jure, & Justitia tenebatur hæredibus necessariis illis egentibus, sustentationem, & commoditates vitæ procurare; ejus proinde occisione ipsi damnum proprium patiuntur, & jus proprium acquirunt ad compensationem sibi faciendam ab homicida: ergo sicut Pater, vel occisus non potest remittere homicidæ injuriam Reipublicæ, & Legis violatæ, quin adhuc Justitia vindicativa puniri possit, & debeat; ita neque poterit remittere, & condonare ipsi damna illata hæredibus necessariis, ac obligationem restitutionis ipsis faciendæ, quin adhuc ex Justitia commutativa ipsis damnum compensare teneatur: juxta tamen modos hactenus explicatos. 235

II. Aut nisi homicida extremo supplicio afficiatur.

Tunc nimirum & homicidam, & ejus hæredes liberari ab omni obligatione restituendi damna temporalia ex homicidio secuta, negant quidem DD. communiter. Navar. *c.15. n.25. Mol. Sanch. Less. Laym.* Tamb. *cit. nu.14.* Et in rigore Juris ex natura rei verum puto, ob rationem mox indicandam. Practice tamen affirmant *Sotus, & alii* apud Less. cit. *dub.22. n.119.* & noster March. *t.2. tract.6. tit.1. q.5. dub.2.* Ratio est: quia vita pretio inæstimabilis, ejusque ereptio omni alio damno spirituali majus damnum est: & quamvis vita principaliter auferatur a Justitia publica ob violatum bonum commune, & non ob damna temporalia consequentia hæredibus occisi, unde eorum compensatio adhuc in rigore exigi potest; cum damna privata ob publicam punitionem non resarciantur; unde dixi *in rigore* negativam esse veram: quia tamen ea damna cum morte occisi necessario conjuncta sunt, suntque magna causa aggravans homicidii, ideo Judex in sententia ferenda semper præsumitur considerasse utrumque, & mortem scilicet, & damna consequentia: ideoque lata sententia mortis tanquam definitiva totius causæ, nulla facta mentione compensationis, vel restitutionis damnorum, censetur una cum morte omnem prorsus obligationem rei abolevisse una cum crimine, & sic non tantum Reipublicæ, sed etiam parti læsæ satisfecisse: & si putetur minus satisfactum ex parte læsa, etsi contradicat, & compensationem urgeat, censetur condonatum. Dixi tamen: *damnorum præcise ex morte, vel mutilatione secutorum*: & neque hæredes teneri ad restitutionem, nisi quatenus inde ditiores facti essent: aliæ enim obligationes ex homicidio, vel mutilatione non præcise ortæ, ut si adsint furta, spolia, depositum, debita, quibus hæredes ditescerent, utique satisfacere obliga- 236

buntur: quia propter ista morte damnatus non est homicida. Vide latius Marchant. *cit. in fin.*

SUBSECTIO.

De dispensatione super prædictis irregularitatibus ex homicidio tam licito, quam illicito.

SUMMARIUM.

237 & 238 *In omni irregularitate ex homicidio tam licito, quam illicito, dispensare potest summus Pontifex.*
239 *Isque solus Jure ordinario.*
240 Usque ad nu.244. *Episcopi tamen, licet non vi Tridentini, tamen aliunde probabiliter dispensare possunt I. in irregularitate ex defectu lenitatis.*
244 Usque ad n.247. *II. Præsertim contracta ex mutilatione* injusta occulta *(non autem justa, & ex justitia facta) &*
247 & 248 *III. Etiam contracta ex homicidio* occulto *casuali mixto, seu indirecte tantum voluntario.*
249 *Secus si sit notorium, & ad forum contentiosum jam deductum.*
250 *Non vero dispensare potest Episcopus in irregularitate proveniente ex quocumque etiam occulto homicidio voluntario.*
251 & 252 Per se directe, *præmeditate, & deliberate intento, & libere facto.*
253 *Ad illos Ordines, etiam minores suscipiendos, vel exercendos, aut beneficium simplex:*
254 *Nisi per accidens, in casu necessitatis.*
255 *Quid agendum cum Sacerdote, qui ob occultum homicidium commissum est irregularis.*

237 *IN omni irregularitate jure ordinario dispensare solet, & solus potest Pontifex.* Omnes. Ratio clara est: quia omnis irregularitas est juris communis Pontificii, & Ecclesiæ Universalis, cui solus Summus Pontifex, ceu supremus Legislator præest, omnes alii subsunt: ergo

238 I. In omni irregularitate dispensare potest Summus Pontifex. Apage Abbatem docentem irregularitatem ex homicidio voluntario esse Juris divini, ideoque indispensabilem, absque omni fundamento, in nova Lege: & quamvis in quibusdam textibus hæc irregularitas dicatur indispensabilis, id tantum intelligitur, quia difficulter est dispensabilis, nisi ob gravissimas causas, & cum quibusdam oneribus perpetuis, v.gr. ut dispensatus abstineat ab Altari adhuc per triennium: ut non celebret in loco delicti commissi: ut ingrediatur aliquam Religionem &c. Et in omnibus Privilegiis dispensandi concessis Episcopo, vel aliis, semper excipitur irregularitas ex homicidio voluntario, & bigamia: quod nimirum homicidium voluntarium maxime alienum sit a Christi lenitate, & mansuetudine, quam tamen minister Christi repræsentare debet: facilius tamen dispensatur cum profitentibus Religionem, & in ea ordinandis, ut notat Filliuc. *tr.20.c.2.q.10.n.52.*

239 II. Et solus Summus Pontifex potest dispensare Jure ordinario, & nullus alius, cum omnis alius sit Pontifice inferior in jurisdictione Ecclesiastica, nullus autem inferior jure ordinario potest dispensare in lege Superioris, nisi de ipsiusmet Pontificis commissione, seu delegatione, vel privilegio. Hujusmodi privilegium, & potestas ampla fit Episcopis in *Conc. Tr. sess.24. c.6. de reform.* his verbis: *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & ea, quæ deducta est ad forum contentiosum, dispensare.* Prælati quoque Mendicantium amplissimam habent potestatem dispensandi cum suis subditis tantum (nihil quoad sæculares pœnitentes) in omni omnino irregularitate post professionem contracta, excepto homicidio voluntario, & bigamia tantum, ut videre est apud Rodriq. *t.1. qq. regul. q.24. art.2. & seqq.* Sed de his alias. Potestas tamen Episcoporum in ejusmodi dispensatione pro non rara praxi, & necessario recursu Confessariorum, per irregularitates hactenus explicata deducenda, & explicanda est.

§. I. *Ex defectu lenitatis.*

240 EPiscopi vi concessionis a Concil. Triden. factæ certe non possunt dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis, utpote in Judice, aliisque ministris Justitiæ, in milite, aliisque cooperantibus in bello justo, & similibus sine peccato contracta. Ita communis DD.Navarrus *cap.27. n.144. Henriquez, Avila, Filliuc.* Laym. *cit. c.12.n.1. & 23.* Pasqualigus *Quæst. Moral.centur.3.q.226.* aliosque citans Tamb. *lib.10. de Censur. tr.4. c.15. §.17. a n.6.* Ratio patet ex terminis Trid. concedentis Episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: atqui irregularitas ex defectu lenitatis in homicidio justo, nullo modo est ex delicto: ergo hujus dispensationem non concedit, sed relinquit dispositioni antiquorum Canonum, quæ soli Pontifici reservatur. Et ratio hujus potest esse: quia vix potest esse necessitas tanta dispensandi in irregularitatibus ex defectu lenitatis tantum, quanta sæpissime est dispensandi in irregularitatibus ex delicto; attamen etiam dispensationem in defectu lenitatis facile concedere, & quandoque aliis committere solent Pontifices; immo quandocumque Papa alicui concedit licentiam militandi in bello justo, censetur etiam dispensare, vel potius amovere periculum irregularitatis incurrendæ: ut ex communi suo loco *cap.2.* notatum est.

Contra tamen Episcopum etiam in hac irregularitate dispensare posse docent DD. minime pauci. Decem, & octo recitat, sed non sequitur *Pasqualig. l.c.* inter quos *Covar.* suo loco laxus, & simili more suo probabile censet Dian. *p.4.tr.2. resol.69.* Ratio ipsorum est: quia in Trid. datur Episcopis facultas dispensandi in omni irregularitate, præter illam, quæ est ex homicidio injusto voluntario: sed irregularitas ex defectu lenitatis non est ex homicidio injusto voluntario, ut patet: ergo de illa datur facultas dispensandi. 241

Certe nimis torta, & omnino falsa est major: aperi oculos, & revide textum allegatum: non dicit Concilium in omni irregularitate simpliciter, sed in omni irregularitate proveniente *ex delicto occulto:* qualis certe non est irregularitas ex defectu lenitatis: Diana tandem *p.11. tr.5. res.6. in fine* citans Lessium (sed male) eam facultatem concedit Episcopis per Epichejam: sed profecto nimis gratis fingitur Epicheja universalis circa concessionem ejusmodi dispensationis, quia universaliter non admodum est necessaria: Epicheja autem solum in particularibus, & in solis quibusdam casibus necessitatis locum habet, juxta communem Doctrinam in materia de Legibus. 242

Dixi autem *vi concessionis Tridentini*, nam aliunde Episcopus, vel alius habens a Pontifice privilegium dispensandi in omni irregularitate (excepto homicidio voluntario) probabilius etiam potest dispensare in homicidio ex defectu lenitatis. Ita Navar. *c.57. nu.240. Henriq. Avila, Rodriq. Filliuc. cit.* ac Laym. *c.12. n.4.* & communis Theologorum contra Toletum *lib.6.c.22.* eoque teste, Communem Canonistarum, qui volunt nomine homicidii voluntarii, etiam intelligi justum, quod non necessitate, vel casu contingit. Sed præferenda est Sententia Theologorum. *Ratio* est: quia nomine homicidii voluntarii, & indispensabilis, cujus scilicet dispensationem Papa in omnibus privilegiis concessis sibi reservare solet, intelligitur solum homicidium voluntarium injustum: hoc enim solum est simpliciter voluntarium: non ergo comprehendit homicidia justa cogente lege, & Justitia facta. Unde inferunt DD. cit. talem privilegiatum posse etiam dispensare cum Clerico pugnante, & occidente propriis manibus in bello justo, etsi enim homicidium esset illicitum contra Canones prohibentes Clericis bellare, non est tamen homicidium injustum. Ulterius talis dispensare poterit in irregularitate proveniente ex homicidio casuali indirecte tantum voluntario. Item ex homicidio facto ob defensionem, cum excessu tamen moderaminis inculpatæ tutelæ, ut mox etiam dicam de Episcopis. 243

§. II. *Ex mutilatione.*

EPiscopus certe potest dispensare in irregularitate ex mutilatione injusta occulta. Ita communissima DD. Filliuc. *tract.20. cap.2. qu. ult.* Laym. *cap.12. num.1. & 25.* recitans *Barbos.* in allegationibus ad Concilium Tridentinum. *Sect. 24. cap. 6. de reform.* Ratio est: quia Concilium Tridentinum citatum, concedens Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate ex delicto occulto proveniente, solum excipit irregularitatem ex homicidio voluntario, etiam occulto: exceptiones autem, seu restrictiones facultatis ordinarie concessæ, non sunt extendendæ ultra verborum proprietatem, ut notat Finellus *casu 3. num.26.* atqui mutilatio simpliciter non est homicidium: ergo sub illa exceptione non comprehendenda: & licet homicidium, & mutilatio æquiparentur in Jure quantum ad causas incurrendi irregularitatem, non tamen quoad cætera omnia. 244

Contrarium tamen docent Sanch. *lib.1. Decal. c.10. n.49. Henriquez*, & quidam alii, hac ratione: quia in mutilatione illicita adest etiam defectus lenitatis, in quo Episcopi non possunt dispensare. Sed facile respondetur Concilium Tridentinum, cum absolute concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto, non excepta mutilatione, eo ipso etiam debet censeri concedere facultatem dispensandi in irregularitate ex illo defectu lenitatis, qui in illo delicto imbibitur, alioquin frustranea esset Episcopis illa facultas. Adde, non constare, quod in delicto homicidii, vel mutilationis injustæ, etiam imbibatur irregularitas ex defectu lenitatis: & cum aliis probabilissime negat Tambur. cit. *hic cap. 4. §. 5. num. 16.* & ratio est sæpe dicta; quia nulla est irregularitas, nisi in Jure expressa: ubi autem in Jure Canonico exprimitur irregularitas ex defectu lenitatis, annexa etiam delictis homicidii, vel mutilationis, sane novum, & mirum est cognoscere duas irregularitates ex eodem actu simplici provenientes. 245

Dixi autem in omni irregularitate ex mutilatione *illicita occulta:* non enim possunt Episcopi dispensare in irregulari- 246

laritate ex mutilatione jussa ex justitia publica; quia hæc est simpliciter ex defectu lenitatis: neque in irregularitate ex malitia illicita publica, vel jam ad forum contentiosum deducta; quia jam esset delictum publicum: ex solo autem delicto occulto concedit Tridentinum dispensandi facultatem Episcopis. Ubi tamen diligenter nota: quod quantumvis publicus sit effectus, vel defectus membri mutilati, utpote manus, brachii &c. in alio, vel se ipso abscissi, dummodo ipsum delictum mutilationis factæ sit occultum, adhuc poterit Episcopus dispensare. Ratio est: quia Concilium etiam dat Episcopis facultatem dispensandi in omni irregularitate ex omni delicto occulto, excepto homicidio voluntario: cur autem hæc potestas, alioquin ample interpretanda, adeo limitanda sit, ut non satis sit, ipsum delictum esse occultum, sed requiratur etiam defectum mutilationis esse occultum, non apparet: præsertim cum id rarissime contingere possit, nisi forte mutilatio facta sit in parte verecunda: uti contra *Castro Pal.* recte docet Tamb. *hic cap.*8. §.2. *num.*10.

§. III. *Ex homicidio casuali*.

247 I. Episcopi dispensare possunt in irregularitate ex homicidio occulto casuali mixto, seu indirecte tantum voluntario: Ex.g. si quis mulierem gravidam incaute percussit, secuto abortu: qui alterum inique verberari mandavit, mandatario excedente, & occidente: si quis provocatus ad pugnam, solum animo percutiendi accessit, postea vero præter intentionem, ne forte ab alio occideretur, occidit: & ita in similibus casibus supra late allatis. Ita communis DD. Navar. *c.*27. *n.*240. Suar. *disp.*44. *de Cens. sect.*1. *num.*4. Henriq. *lib.*14. *cap.*19. *num.*2. Filliuc. *cit. tr.*20. *cap.*3. *q.*1. Laym. *c.*12. *n.*4. Tamb. hic *lib.*10. *tr.*4. *c.* 15. §.17. *n.* 10. Ratio rursus est: quia Concilium solum excipit homicidium voluntarium; ejusmodi autem homicidia casualia, cum non sint ex proposito directo, & formali, non sunt simpliciter voluntaria, sed indirecte tantum, & velut mixta ex voluntario casuali, ut suo loco explicatum est. Oppositum tamen sentiunt *Cajetanus*, *Covarruvias*, *Mol. Azor. apud Laym. cit.* nimirum omne homicidium, quamvis directe volitum non sit, si tamen proveniat ex opere, cum quo frequenter esse solet hominis cædes, numerandum esse inter indispensabilia. Sed certe gratis dictum: licet enim recte doceant tale homicidium non esse mere casuale, fateri tamen etiam debent, non esse simpliciter voluntarium, & perfecte, sed solum secundum quid, & in sua causa, ut proinde probabile sit non esse comprehensum in exceptione Tridentini.

248 II. Atque eadem ratione Episcopus dispensare poterit in irregularitate proveniente ex homicidio occulto causa defensionis facto, sed cum culpabili excessu moderaminis inculpatæ tutelæ: quia tale homicidium non censetur simpliciter voluntarium: cum urgeat injusta aggressio, quale solum excipitur in Concil. Trid. Nar. ibid. *cap.*27. *n.*240. *& consil.*36. *de homicid. Henriq. Avila*, *Laym. cit. nu.*2. Consequenter recte docent idem Avila, & Laym. *eodem c.*12. *concl.*5. eum, qui ex commiserationis affectu infirmum vertit, ut liberet eum ab angustiis mortis, morte accelerata, etsi graviter peccet, & per omnes irregularis fiat, tamen dispensari posse ab Episcopo, vel privilegiato, quia per homicidium voluntarium indispensabile certe intelligi debet illud, quod animo inimico, & maligno affectu, vel crudeli fit: hoc autem fit ex naturali commiseratione: & sæpe ob bonam fidem, & ignorantiam invincibilem etiam a peccato excusari potest, semper ergo cavendum hoc Clericis. Denique notat hic *Laym. loco cit.* hanc doctrinam etiam inservire posse Parochis, quibus reservari solet homicidium voluntarium, nam in foro conscientiæ credere possunt pœnitenti, si asserat se non voluntarie ex proposito, sed præter intentionem occidisse: v.g. se non habuisse propositum occidendi, sed tantum rixandi, postea tamen necessitate compulsum, vel effervescente iracundia occidisse; ne ipsemet occideretur, hujusmodi peccatum, & homicidium non debet censeri reservatum Episcopo, presertim si occultum sit: si autem notorium sit, saltem in uno loco, convenit plerumque, ut examini Episcopi relinquatur. Et hinc

249 III. Dixi rursus semper: *ex homicidio casuali occulto*; si enim casus sit notorius, & ad forum contentiosum deductus, jam non poterit dispensari ab Episcopo, sed dispensatio a Papa peti debet, a quo Ordinariis committi solet, prout decernit Trid. *Sess.*14. *c.*7. *de reform.* his verbis. *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris Ministerium, & beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo; qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.* Ubi vides clare, sermonem esse de homicidio casuali mixto, vel defectuoso in sui defensione, & publico, seu notorio tantum: nec potuit esse sermo de homicidio mere casuali simpliciter involuntario, aut facto ob defensionem vitæ propriæ cum recto moderamine inculpatæ tutelæ, cum in his nulla incurratur irregularitas; consequenter nec Papæ, nec Episcopi dispensatione opus sit. Atque eadem ratione dicendum esse de mutilatione casuali publica, recte observat Tamb. *ibid. nu.*28.

§. IV. *Ex homicidio voluntario*.

I. NOn potest ergo Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario quocumque, sive publico, sive quantumvis occulto, ut habet communissima DD. & Theologorum, & Canonistarum, 250
contra paucos quosdam nimis libertinos. Ratio est: quia Concilium absolute excipit irregularitatem ex homicidio voluntario, nihil distinguens de noto, vel ignoto, publico, vel occulto: qua veritate ergo tu distinguens audes affirmare, prohiberi solum homicidium publicum? Deinde particula exceptiva separat ea, quæ sunt ejusdem generis, ut si det tibi Episcopus facultatem absolvendi ab omni casu sibi reservato occulto, excepto homicidio: utique etiam homicidium occultum intelligeretur exceptum; ergo cum Concilium Tridentinum Episcopis facultatem dispensandi concedit in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, etiam occultum homicidium exceptum esse intelligi debet. Minus audiendi sunt alii quidam volentes homicidium occultum, occultum manens, omnino non inducere irregularitatem: omnes enim Canones dicunt, omnesque Doctores clamant, oriri irregularitatem ex homicidio voluntario injusto: at nonne homicidium occultum etiam homicidium est? ergo.

II. Per homicidium voluntarium a Tridentino exceptum 251
intelligitur non tantum illud, quod fit ex proposito, præmeditate, præconsulto, quæsita occasione, ex industria per insidias &c. sed omne omnino homicidium per se directe intentum deliberate, & libere voluntarium, quod *Sect.*2. *in subsect.* explicatum; adeoque intelligitur etiam illud, quod fit ex subita rixa, vel occasione data, deliberate tamen, & voluntarie, etsi in illo tantum calore intendatur, & nunquam antea intentum, vel cogitatum sit. Ita communior DD. Molin. *tom.*4. *tract.* 3. *disp.* 79. Suarez *de censuris disp.*44. *sect.* 1. *num.* 3. pluribusque citatis Diana *p.*10. *tr.*11. *res.*19. Tamb. *cap.*15. §.6. *n.*5.

Contra tamen tale homicidium ex subita rixa factum 252
non absolute voluntarium a Tridentino exceptum, sed casuale tantum, ideoque a potestate dispensandi Episcopis concessa minime exclusum esse, contendunt non pauci Recentiores, *Rodriquez*, *Avila*, *Coninch. Salcedo*, *Hurtadus*, *Leander*, *Perez*, alii apud *Tambur. cit.* Sed litis hujus decisio pendet ex intellectu verborum ejusdem Trid. *Sess.* 14. *c.*7. *de Reformat.* sic enim habet: *cum etiam, qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari avelli debeat* (hactenus verba favent oppositæ Sententiæ: sed sequitur) *qui sua voluntate homicidium perpetraverit &c.* notas hanc rationem formalem? atqui in subitanea rixa hominem occidit, jam sua voluntate perpetravit homicidium; ergo &c. & postea; *si vero homicidium non ex proposito, sed casu fuisse commissum narretur &c.* tunc nimirum dispensatio Ordinariis committitur: atqui certe, qui in subita rixa directe, & ex intentione occidit hominem, nullo modo dicitur casu occidisse: casu enim occidere est præter intentionem, & indirecte aliud agendo occidere, ut supra de homicidiis casualibus late explicatum: ergo illud homicidium ex subita rixa factum non potest dici casuale, sed simpliciter voluntarium, adeoque sub exceptione Tridentini comprehensum. Hæc Sententia mihi probabilior, & Concilio conformior videtur, etsi non ausim damnare Sententiam oppositam.

III. Cum ejusmodi irregulari ex homicidio voluntario 253
non potest dispensare Episcopus ad ullos Ordines etiam Minores suscipiendos, vel exercendos, neque ad beneficium etiam simpliciter, vel non curatum. Ita contra *Henriquez*, & *Sa* apud *Laym.* mox cit. Navarr. *c.*37. *nu.*240. Sayrus *lib.*7. *de Cens. cap.* 7. *num.*14. Avila *disp.* 6. *sect.*5. *dub.*3. Laym. *lib.*3. *tr.* 3. *p.*3. *c.*12. *n.*3. Tam. *hic* §.17. *nu.*23. alii apud ipsos. Ratio est: quia licet Tridentinum loco cit. videatur initio Episcopis limitare hanc potestatem dispensandi solum quoad Ordines sacros dicens: *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeat animarum, conferri liceat:* mox tamen addit: *sed omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat.* Ita Concilium ea locutione omnium Ordinum, minorum etiam receptionem, & omnium beneficiorum etiam simplicium acquisitionem comprehendens. Addit tamen *Tamburin. ibid.* non improbabile esse, mentem Concilii fuisse, ut Episcopus posset huic irregularitati concedere usum minorum Ordinum antea perceptorum, non vero receptionem aliorum majorum, aut minorum jam perceptorum usum, per se loquendo: nam quid per accidens possit, dicam mox sequenti numero. Sed vide de his plura apud DD. cit. & singulariter Garziam de

de benef. p. 1. *c.* 5. *num.* 136. ubi afferens declarationem Cardinalium, notat pensionem hanc etiam Ecclesiasticam, cum non sit proprie beneficium, non ideo ad ea recipienda excludi homicidam irregularem.

254 IV. Potest tamen Episcopus cum ejusmodi irregulari homicida occulto dispensare, ut in susceptis Ordinibus etiam Sacerdotio ministret per accidens in casu necessitatis, quando non est facilis recursus ad Pontificem. Ita Sylvester *verb. dispensatio n.* 15. Henriquez *lib.* 14. *c.* 19. *n.* 1. *&* 2. Avila *p.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 3. *concl.* 1. Laym. *cit. c.* 12. *prope fin.* Ratio sumitur ex Epikia, & rationabiliter præsumpta voluntate Pontificis, ita exigente suavi regimine animarum, ne animæ periclitentur: quemadmodum ob eamdem rationem ex communi omnium Sententia, Episcopus dispensat in voto continentiæ perpetuæ ad contrahendum matrimonium, quando urget periculum incontinentiæ, nec patet facilis accessus Romam; licet & illud votum (sicut hæc irregularitas ex homicidio voluntario) sit reservatum soli summo Pontifici, & in omnibus privilegiis dispensandi in voto, etiam in Jubilæis, excipi soleat. Notat tamen Laym. *ibid. in fine*, Episcopum tunc non simpliciter tollere irregularitatem, sed tantum ejus effectum, suspensioni similem, ut nimirum interim celebrare liceat, dum culpa, & defectus in occulto manet, & donec a Papa dispensatio impetrari commode possit. Alii tamen DD. tam aridam limitationem non adhibent; & certe sicut in dicto voto, ita & in hac irregularitate tunc Episcopum simpliciter dispensare posse, ex probatis Auctoribus mihi a Consilio Theologico responsum est super enormi casu unius, & alterius, ac propterea de facto a Reverendissimo Ordinario dispensatio absoluta mihi concessa fuit.

Tandem non otiose petes. Quid ergo agendum Sacerdoti, qui occultum homicidium voluntarium commisit, & irregularis factus est? (casus non rarus in puncto abortus) sed nisi Missas celebret, solitasque functiones obeat, aut veniet in suspicionem criminis, cum periculo vitæ, vel gravissimo dispendio famæ, aut alioquin gravi orietur scandalum in populo, utpote si sit Parochus, & loco sui alterum substituere nequeat. *Resp.* Eum omnem operam debere dare, ut quam citissime dispensatio impetretur a Summo Pontifice (aut ab Episcopo juxta modo dicta) interim vero post peractam pœnitentiam celebrare poterit, quoties absolute necessitas postulabit ad vitandam infamiam, aliudve grave periculum, aut scandalum populi. Ita ex communi Navar. *c.* 27. *num.* 239. rationem reddens: quia lex naturalis, & divina de defendenda propria fama (multo magis propria vita, vel scandalo proximi) præstat legi humanæ de abstinendo a Sacro in irregularitate. Idemque docent Alphonsus a Castro *lib.* 2. *de Lege pœnali cap.* 15. Molin. *tr.* 3. *disp.* 79. Laym. *l. c. ante finem*. Eademque est ratio de excommunicatione, aliisque censuris, & irregularitatibus: ratio, inquam, a Navarro indicata est, quia quandocumque concurrunt duo præcepta incompossibilia, quorum utrumque servari non potest, cedit, & cessat obligare, quod minus est: sic in proposito præceptum abstinendi a Sacris in irregularitate, vel excommunicatione &c. humanum positivum Ecclesiasticum tantum est: præceptum autem cavendi periculum grave propriæ vitæ, vel famæ, aut scandali proximi, divinum naturale est ex virtute Charitatis: ergo &c. 255

APPENDIX
AD SEXTUM, ET NONUM PRÆCEPTUM,
REMISSIVE.
TEXTUS.

Non mœchaberis. Et
Non concupisces uxorem proximi tui. Exod. 20.

1 Præcepta hæc formaliter, & in terminis prohibentia omnem luxuriam externam, & internam, eo ipso virtualiter, & implicite affirmativa, præcipiunt servandam Castitatem, seu continentiam cuique suo statui proportionatam. Et quamvis præter obligationem negativam excludentem luxuriam, raro sit obligatio positiva actu positivo prosequendi Castitatem, seu Virginitatem (nisi forte tempore gravis tentationis aliter non superabilis,) tamen in honorem Angelicæ Virtutis aliqua breviter adnecto. De fœda luxuria satis, & ad nauseam usque dictum *in* 4. *p.* Theol. Sacram. *de matr. a cap.* 2. *&* 3. *per tot.* quo Lectorem remitto.

I. *Castitas, Virginitas.*

2 *Castitas est virtus moralis moderans inordinatum appetitum, usumque venereorum.* Duplex est, una perfecta, & simpliciter dicta, omnem cupiditatem, usumque venereorum in perpetuum firmo voluntatis proposito excludens. Alia est imperfecta, & secundum quid, quæ vel ad certum tempus illicitis voluptatibus abstinet, vel licitis voluptatibus debito modo juxta rationis præscriptum utitur. Unde est vulgaris divisio Castitatis in Conjugalem, Vidualem, Virginalem. *Conjugalis* est, quæ in matrimonio concessis voluptatibus debito modo juxta rationis præscriptum utitur, excludendo omnia alia illicita in casu, vel objecto copulæ. *Vidualis* est, quæ post matrimonium firmo proposito voluptatum usu, & appetitu deinceps abstinet. *Virginalis*, alia *temporalis*, quæ usque ad tempus debitum, vel opportunum nuptiarum omnem illicitum voluptatis usum excludit: alia *perpetua, ac perfecta, & simpliciter* dicta Virginitas mox definienda. Virginitas est perfectissima castitas continens firmum propositum puritatis mente, & corpore perpetuo conservandæ, gratia honestatis. Definit S. August. *lib. de S. Virginitate c.* 13. quod sit in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Differt ergo a Castitate, quod hæc multo latius pateat; hæc enim in conjugatis, corruptis, viduis, vel solutis pænitentibus locum habet: Virginitas autem non item; semel corrupta, vel amissa per lapsum voluntarium, irreparabilis. Unde triplex distingui potest Virginitas, vel Virgo integra. Prima *materialis*, vel solo corpore, non autem mente, utpote in luxuriam quandoque consentiente. Secunda *formalis*, & sola mente, vel proposito, non item corpore, utpote contra voluntatem, vel per vim corrupta. Tertia *totalis* mente, & corpore simul; puta cum quis, vel quæ nec mente in quid turpe consensit, nec corpore quid turpe passa est. Pono breves resolutiones pro praxi monastica, Monialium potissimum.

3 I. Virgo integra mente, & proposito, & solum corpore violata per stuprum involuntarium, vel violentum, apud Deum Virginitatis laudem, meritum, & præmium retinet: quippe quæ apud Deum non nisi voluntarie amitti potest, juxta dictum S. Agathæ ad Tyrannum; *si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*. At vero in facie Ecclesiæ humilitatis, & dedecoris majoris causa, perinde, ac aliæ corruptæ velo consecrationis abstinere debet, quod 25. ætatis Anno Virgines professæ accipiunt, juxta communem DD. cum Navarr. *lib.* 3. *de statu Monach.* Ad Prælaturam autem ascendere, seu velum Prælationis accipere corruptæ, etiam per vim, sine Summi Pontificis dispensatione non possunt: ut recte docet Rodriquez.

4 II. Virgo solo corpore, & violato animo per consensum in libidinem, apud Deum quidem Virginitatis meritum, & decorem amisit, quippe qui cor intuetur: interim tamen Virginitas sola mente amissa, & non corpore per voluntariam copulam, vel pollutionem, acta pœnitentia, & apud Deum integre recuperatur, & coram facie Ecclesiæ talis semper Virgo habetur, atque inter Virgines consecrari potest; quia Ecclesia judicat secundum exteriora. Ex communi Laym. *lib.* 3. *sect.* 4. *n.* 8.

5 III. Virgo mente & corpore violata per voluntariam pollutionem tantum, absque concubitu, simpliciter quidem Virginitatem amittit, ut per pœnitentiam recuperari numquam possit, secundum communem DD. nihilominus probabiliter *Cajetanus*, *Armilla*, alii cum *Laym. cit. fin.* docent talem post pœnitentiam inter Virgines consecrari, & velari posse. Ratio est: quia licet virtute, & coram Deo virgo, & incorrupta non sit, nec Virginitatis laureolam habitura in cœlis, retinet tamen Virginitatis statum coram Ecclesia, & Virgo censetur apud homines, quia claustrum Virginitatis ab extrinseco illæsum servat, adeo quidem, ut qui talem violaret, adhuc virginis stuprator censeretur: etsi contra sentiant Navarr. *c.* 16. *Man. n.* 3. Rodriq. *ar.* 3. utraque Sententia tuta, practicarique potest.

6 IV. Virgo violata mente, & corpore per voluntariam copulam, etiam quamvis occultam, Virginitatem irrecuperabilem amittit apud Deum, & in foro Ecclesiæ, ut deinceps inter Virgines consecrari, & velari non possit: quoad violationem notoriam est omnium sine controversia: quoad violationem etiam occultam est communis DD. S. Thom.

4. *dist.*

4. *dist.*38. *q.*1. *a.*5. *Palud. Cajet. Sylv. Sa*, alii cum Navar. *c.* 16. *n.*3. Laym. *cit. n.*9. Ratio est: quia non levis irreverentia est in Sacramentis, vel Sacramentalibus falsum supponere; consecratio autem Virginum quid sacramentale est, sicut benedictio salis, & aquæ &c. ergo quemadmodum sacrilegium esset in consecratione salis, vel aquæ supponere aliquid, quod sal, & aqua non est, ita multo magis sacrilegium erit, si quæ ut Virgo consecrari se patiatur, quæ tamen virgo non est: consequenter graviter peccabit talis violata, si inter sacras Virgines velum consecrationis petit, & accipit sub nomine castæ, innuptæ, Deo devotæ; atque de hoc a Confessario admonendæ sunt; & si a velo abstinere non possint sine sui diffamatione, vel scandalo, Episcopus dispensare potest, vel potius dispensative permittere, ut inter Virgines consecrentur, aut mutato nomine Virginitatis in Castitatis, vel continentiæ, aut quia etiam sic non satis consultum videtur ejus famæ, cum plerumque aliqui adsint talem mutationem advertentes, recte consulit Navar. cit. *consil. de statu Monach.* ut Episcopus hoc casu enuntiet verba consecrationis, quæ Virginem, aut Virginitatem sonant, accipiendo intra mentem ea tamquam significantia Castitatem, ut & scandalum, & mendacium absit: & quamvis ab hac communi Sententia non videatur recedendum in praxi, certe tamen mihi probabilis videtur opposita Sententia RR. eo quod Ecclesia illa sua ordinatione non videatur obligare cum tanto gravamine famæ propriæ, ac scandali aliorum. Cæterum merito Laym. cit. *Sect.*4. *nu.*9. *ante fin.* probabilem censet Sententiam Rodriq. *l.*10.*q.*63. *ar.*3. *contra Cajet.* Henriq. *cit. c.*24. *litt. M.* feminam occulte corruptam, quæ jam velum professionis accepit, posse etiam velum consecrationis accipere, non quidem petere sine dispensatione, ut dictum, sed tamen oblatum acceptare, ne eo recusato seipsam infamet, atque interrogata de Virginitate respondere posset; se Virginem esse, intelligendo coram Ecclesia, seu quatenus attinet ad forum externum.

II. *Luxuria, ejusque species enumeratæ.*

7 Luxuria est inordinatus appetitus, & usus venereorum: adeoque vitium directe oppositum Castitati per excessum: quemadmodum enim Castitas duo includit, unum principale scilicet puritatem, seu abstinentiam ab omni copula, vel seminatione illicita: alterum secundarium, & accessorium, scilicet pudicitiam, seu abstinentiam ab omni actione cordis, oris, & operis, inductiva ad luxuriam; ita luxuria duo includit: unum principale, scilicet impuritatem, seu ipsam copulam, seu seminationem illicitam: alterum secundarium, & accessorium scilicet impudicitiam, quæ est voluntaria occupatio cordis, & aliarum potentiarum circa inductiva ad luxuriam, ut turpes cogitationes, aspectus, amplexus, tactus, oscula &c. Hinc luxuriæ universim novem species numerantur: septem penes principale luxuriæ scilicet copulam, vel seminationem illicitam: duo quoad accessorium: aut enim copula est illicita, quia fit cum persona non legitima, eaque 1. vel aliena, & est adulterium. 2. vel saltem cum non sua, & est fornicatio simplex. 3. vel cum virgine sub patris potestate constituta, & est stuprum. 4. vel non consentiente, ac invita, & est raptus. 5. vel consanguinea, & sanguine juncta, & est incestus. 6. vel Deo sacrata, & est sacrilegium. 7. aut copula fit extra vas naturale, & est peccatum contra naturam. 8. aut copula est illicita non quoad substantiam, sed solum quoad modum, vel circumstantiam actus, & dicitur concubitus libidinosus conjugum. 9. denique penes secundarium, & accessorium luxuriæ, dicitur impudicitia: quæ omnia, quæ, & quanta sint peccata, dicta sunt *in* 4.*par. Theol. Sacram. loco supra cit.*

III. *Luxuria prohibita sexto Præcepto.*

8 Sexto Præcepto Decalogi naturali, & positivo simpliciter negativo, *non mœchaberis*, prohibetur primario, & principaliter quidem sub nomine mœchiæ, seu adulterii tamquam damnosissimæ speciei luxuriæ omnis species consummata luxuriæ, seu illiciti concubitus, ac seminationis: secundario vere, & accessorie prohibetur omnis impudicitia cordis, oris, & operis ad externam luxuriæ speciem dispositiva. Certum. Sumitur ex ipsa declaratione Christi: *Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo:* ubi sub mechia hoc præcepto prohibita ponit solum aspectum mulieris in ordine ad ejus carnalem concupiscentiam factum; ergo a minori ad majus sub nomine mœchiæ hoc præcepto prohibentur non tantum principaliter omnes species consummatæ luxuriæ, seu copulæ, vel seminationis illicitæ, uti etiam declarat S. August. q.71. in Exod. dicens: *in furti nomine bene intelligitur omnis usurpatio illicita rei alienæ, profecto & nomine mechiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi: &c. sed etiam, uti declaravi, omnes impudicitiæ cordis, oris, & operis: aspectus, tactus, & cætera ad carnalem concupiscentiam, & luxuriam dispositiva:* adeoque sicut in quinto præcepto *non occides*, comprehendenda, recensenda, & examinanda sunt a Confessario principaliter quidem omnis generis homicidia injusta: secundario, & accessorie omnia ad homicidium dispositiva, & inductiva, vel proxime & opere, vel propinque, & ore, vel remote & corde: ita sub hoc 6. Præcepto, *non mœchaberis*, comprehendenda, recensenda, & examinanda erunt primo, & principaliter quidem omnes species luxuriæ completæ; secundario, & accessorie vero omnis species impudicitiæ tanquam inductiva, vel dispositiva ad luxuriam completam. 1. Proxime & opere, tactus, amplexus, oscula, aspectus impudici. 2. Propinque & ore, turpiloquia, obscœnæ cantiones, lectiones, & cætera provocativa ad amorem, concubitum &c. 3. Remote & corde, cognitiones turpes, desideria, proposita inhonesta, delectationes morosæ (attamen, ut alibi notatum, cum personis honestis ordine inverso, incipiendo a minore.) Quamvis autem præcepto prohibente actum externum mœchiæ, seu illiciti concubitus, etiam per consequens censeatur prohibitus actus internus concupiscentiæ ad talem actum illicitum, tamen necessarium singulariter fuit, etiam concupiscentiam internam speciali Præcepto prohiberi a Spiritu S. ob duplicem causam. 1. Quia homo suapte natura, & intrinseca inclinatione, quamvis in fœminam fertur, nimium pronus est ad talem concupiscentiam, tamquam communissimum peccatum, a quo non tam facile avertitur, sicut ab actu externo turpitudinis: unde Spiritus S. singularem curam habuit, eam specialiter prohibendo: *non concupisces*. 2. Quia amor proprius facile eam cecitatem mentis induxisset, ut homines concupiscentias illas, tam conjunctas naturæ, non esse peccata crederent, quemadmodum alias multas graviores induxit; quin ipse Apostolus fatetur, se non cognovisse concupiscentiam tamquam peccatum, nisi per declarationem legis. Unde & ipse Christus, ne hoc lateret, *Matt.* 5. allato sexto Præcepto, *non mœchaberis*, statim etiam concupiscentiam interdictam inculcat, ut modo audivisti. Sequitur ergo

IV. *Luxuria prohibita nono Præcepto.*

Nono præcepto Decalogi Divino, naturali, positivo simpliciter negativo: *Non concupisces uxorem proximi tui:* prohibetur principaliter, & in terminis omnis carnalis inordinatus affectus erga uxorem proximi, & correlativa etiam e contra: secundario vero omnis inordinatus affectus carnalis ad quamcumque speciem luxuriæ, vel impudicitiæ. *Omnes*. Ratio patet in simili; sicut enim in sexto Præcepto nomine *mæchiæ* prohibetur omne peccatum carnale cujuscumque speciei luxuriæ, vel impudicitiæ ad luxuriam disponentis; ita hoc nono Præcepto nomine concupiscentiæ uxoris alienæ prohiberi censendus est omnis inordinatus affectus carnalis desiderii, vel concupiscentiæ ad quamcumque speciem luxuriæ, vel impudicitiæ. Peccatur ergo contra hoc præceptum in iis modis, & speciebus, quibus peccatur contra sextum. 1. Adulterio interno, vel mentali, utpote efficaciter desiderando uxorem alterius, vel e contra maritum pro præsenti statu; & gravius adhuc accedente actuali delectatione morosa venerea in concubitu de tali cogitato; etiam addita hac conditione, si libera, vel si sua uxor esset, si liceret &c. quia conditio talis actu non existens non potest justificare actualem delectationem carnalem de actu hoc de facto cogitato in præsenti illicito, prout probatum *tr.*1.*c.*6. *sect.*3. in materia de peccatis. Dixi autem *efficaciter*, & *pro præsenti;* nam simplici affectu desiderare uxorem alterius in tempus futurum, quo libera fuerit per mortem mariti, culpa vacat, sicut si desideraret solutam, ut sit sua uxor. 2. Fornicatione interna, simplici stupro, incestu &c. utpote efficaciter desiderando, solutam Virginem, consanguineam, masculum &c. 3. Impudicitia interna, desiderando tactus, oscula, amplexus impudicos &c. aut in talibus recogitatis carnaliter oblectando &c. ut omnia patent suo loco mox citato. 9

CAPUT IV.

IN OCTAVUM PRÆCEPTUM DECALOGI.

De injusta læsione famæ, & honoris proximi: ac restitutione inde debita.

TEXTUS.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exodi 20.

I. Hoc octavo præcepto formaliter, & primario, quatenus quidem formaliter, & in terminis negativum est, prohibetur, ne quis, cum in judicio testis adhibetur mentiatur mendacio pernicioso, quo proximo damnum injustum inferatur; & consequenter quatenus virtualiter, & implicite affirmativum est, præcipitur, ut cum quis testis in judicio adhibetur, dicat veritatem, seu verum testimonium adferat. Virtualiter vero & secundario eodem præcepto prohibetur omnis injusta læsio proximi in bonis famæ, & honoris, & consequenter in bonis inde dependentibus. *Ita in re omnes*. Ratio est: quia ideo præcise eo præce- 1

pto naturali, ac divino prohibetur falsum testimonium, quia id proximo injustum nocumentum infert in fama, & honore, ac bonis inde dependentibus: ergo virtualiter, & ex consequenti omnis ejusmodi injusta læsio famæ, & honoris proximi eodem præcepto prohibita intelligenda est.

2 II. Fama late sumpta definitur, *multorum existimatio de vita, & moribus alterius*: sicque dividi potest in bonam, & malam famam. Sed stricte, & absolute, fama accipitur in meliorem partem scilicet pro bona, & honesta existimatione multorum de vita, & moribus alicujus: definitur in Jure L. cognitionum ff. de variis, & extraord. cognit. *Fama est illæsæ dignitatis status legibus, ac moribus comprobatus*. Brevius a S. Th. 2. 2. q. 103. ar. 1. *Fama est opinio, seu existimatio de alterius excellentia*. Ab aliis: *fama est bona de aliquo existimatio quoad aliquod ejus bonum*. Infamia ergo opposita est mala de aliquo existimatio quoad aliquod ejus malum, v. g. crimen, vel vitium. Infamatio autem dicitur illa actio, qua alicui aufertur habita bona existimatio, & inducitur mala existimatio de aliquo ejus vitio, vel crimine. Alioquin infamatio, seu læsio famæ generaliter, & externe fit per detractionem, & specialiter per diffamationem, susurrationem, calumniam, falsum testimonium: interne vero, seu mentaliter tantum apud seipsum fit per temerarium judicium, suspicionem, vel dubium de malo alterius.

3 III. *Honor* definitur a S. Thoma *l. cit. Testificatio alienæ excellentiæ animo concepta*: adeoque erga homines non potest fieri, nisi per signa externa. Differt a fama, quæ est ipsa bona existimatio de bono, vel excellentia alterius: honor autem est, quo signo aliquo externo testificamur, & notam facimus nostram bonam existimationem de bono, vel excellentia alterius. Differt etiam a cultu, quo per signa externa non tantum nostram bonam existimationem, sed etiam subjectionem nostram, vel submissionem testamur erga alterum ob illius existimatam excellentiam. Unde cultus non potest fieri, nisi Superiori in aliquo genere excellentiæ: honor autem etiam æquali, & inferiori adhiberi potest, quin etiam ipse Deus suos honorare dicitur in Scriptura. Honoris species accidentalis est *laus*, qua solis verbis nostram existimationem de alterius excellentia, vel bono testificamur: honor autem fit quibuscumque signis, ut capitis apertione, inclinatione &c. Honoris effectus est *gloria*, quæ definitur, *clara cum laude notitia*: nam ex eo, quod de alterius bonitate, & excellentia verbis, vel factis multi testificantur, clarescit ejus excellentia in notitia plurimorum, & sic evadit gloriosus. Læsio ergo honoris, seu inhonoratio alia est negativa, & fit per omissionem honoris exhibendi: alia est positiva, ac proprie dicitur contumelia, quæ fit per per commissionem alicujus contra honorem alterius: idque vel verbo, vel facto, signo, vel scripto, per convitium, irrisionem, jocum &c.

IV. De his agemus more solito sex Sectionibus. 1. De infamatione sui ipsius. 2. De læsione interna famæ proximi per temerarium judicium, suspicionem, dubium. 3. De læsione externa famæ proximi per detractionem, calumniam, falsum testimonium. 4. De restitutione famæ alienæ læsæ, ubi etiam de audientibus detractionem. 5. De læsione honoris proximi, ejusque restitutione. 6. De causis excusantibus a restitutione famæ, & honoris. Sit in nomine Domini

SECTIO I.

De sui ipsius Diffamatione.

SUMMARIUM.

4 & 5 *Seipsum infamare est* per se *loquendo tantum peccatum veniale prodigalitatis*.
6 *Solvitur fundamentum Cajetani, &c.*
7 *Tres aliæ objectiones*.
8 Per accidens *autem mortale esse potest multipliciter*.
9 *Verum crimen occultum de se fateri potest quandoque esse licitum, & opus virtutis; præsertim*
10 *I. Si fiat ex motivo* humilitatis *(discrete tamen) aut*
11 *II.* Charitatis, *vel*
12 *III.* Justitiæ, *ex qua etiam tenetur, in duobus tamen casibus tantum*,
13 *Non in aliis, etiam in judicio interrogatus*.
14 Usque ad n. 17. *Reus juridice interrogatus, post semiplenam probationem probabiliter non tenetur sub mortali fateri veritatem, instante certo periculo mortis*.
17 *Falsum crimen sibi imponere, vel impositum fateri nunquam licet*.
18 Usque ad n. 21. *Resolvitur, an, & quando reus ad evadenda tormenta possit fateri crimen sibi falso impositum*.
21 *An quis citra mortale possit sibi sive verum nocentis, sive falsum innocentis crimen imponere ad ipsum morte liberandum*.

ASSERTIO I.

4 **S***eipsum infamare, crimen seu verum occultum propalando, seu etiam falsum, vel fictum sibi imponendo, per se peccatum veniale est prodigalitatis, nec contra justitiam, nec contra Charitatem graviter: per accidens tamen multipliciter potest esse mortale, etiam contra justitiam. Verum crimen occultum fateri ex justa causa, sæpe potest esse licitum, & opus virtutis: falsum autem sibi imponere, nunquam potest esse licitum citra peccatum saltem veniale*. Tota communis.

§. I. *Per se peccatum veniale est prodigalitatis &c.*

COmmunis DD. Sotus, Nav. uterque, aliisque cit. Molina *to. 4. disp. 2. & 37.* Lessius *l. 2. de just. cap. 11. dub. 6.* Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 2. n. 15.* Lugo *disp. 14. sect. 10. de just.* Ratio est: quia homo est dominus suæ famæ, sicut est dominus suæ pecuniæ: ergo sicut prodigere, vel projicere pecunias suas non est contra justitiam, nec contra Charitatem per se loquendo, sed est solum peccatum prodigalitatis ex genere suo veniale: ita etiam projicere famam suam, seu verum, seu falsum crimen narrando, non erit contra justitiam vel Charitatem per se loquendo, sed vitium veniale prodigalitatis tantum, si crimen verum sit; si autem falsum, erit simul mendacium per se jocosum, ideoque etiam veniale tantum. 5

Contrarium docuit Cajet. 2. 2. *q. 73. art. 3.* esse nimirum peccatum mortale contra justitiam, non quidem respectu sui ipsius se infamantis, sed contra Communitatem, cujus homo est pars, & in quam ejus infamia redundat. Sed contra urget eadem ratio; homo enim non minus, immo magis est dominus suæ famæ, quam suæ pecuniæ respectu Communitatis: nam Respublica habet jus, seu dominium altum in pecunias civium pro casu necessitatis communis, non item in eorum famam pro ullo casu: sed homo absque injustitia in Communitatem potest prodigere pecuniam, secundum omnes: ergo etiam citra injuriam in Communitatem potest abjicere famam (semper intellige per se loquendo) 6

Objicitur (1) Eccl. 4. dicitur: *curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni*. (2) D. Aug. lib. 1. de civit. Dei c. 20. relatus c. si id licet. 32. q. 5. dicit: *falsi testimonii non minus reus est, quia de se ipso falsum fatetur, quam si proximo id faceret*. (3) Homo tenetur æque, immo magis diligere seipsum, quam proximum; nam bene ordinata charitas incipit a seipso: ergo sicut mortale est infamare proximum, ita & seipsum.

Resp. Ad 1. ibi sermonem esse non tam de honore, & bono nomine habendo, quam de honore, & bono nomine promerendo per bona, & laudabilia opera, ut bene ostendit Molina *disp. 37. n. 34.* ideoque nihil ad rem. Resp. ad 2. D. Aug. per illa verba non velle adstruere æqualem gravitatem peccati in mentiendo falsum crimen contra se, & contra proximum cum lata sit disparitas; proximo enim gravem injuriam facit, sed sibi ipsi injuriam facere non potest: adeoque solum vult rationem peccati universaliter acceptam non minus convenire uni, quam alteri; quod verissimum est, sed nihil contra nos, ut bene explicat *Molina ibid.* Resp. ad 3. Molina *ibid. n. 24.* hominem teneri plus diligere seipsum, quam proximum, solum in iis bonis, quæ ad salutem necessaria sunt, non autem in aliis ad salutem non necessariis, ut manifestum est in bonis fortunæ: eademque ratio est in bonis famæ, & honoris: immo & in bono vitæ, cum homo in probabilissima Sententia semper, & in certis casibus secundum omnes laudabiliter possit vitam propriam postponere vitæ proximi: prout supra in 5. Præcepto visum. 7

§. II. *Per accidens multipliciter potest esse peccatum mortale*.

SEipsum infamare, vel vero, vel falso crimine, utpote si referendo jactes te de vero, vel ficto crimine, illud approbando, in eo delectando, ac complacendo, peccas utique mortaliter eadem specie peccati, de quo delectaris, v. g. adulterii, homicidii, rapinæ &c. juxta illud Psalm. 51. *quid gloriaris in malitia, qui potens es &c.* Omnes. 2. Si crimen tuum manifestando, vitam tuam, vel corporis integritatem sine justa causa periculo exponas, peccas mortaliter contra charitatem tui ipsius; immo & contra justitiam respectu Dei supremi, & immediati Domini vitæ, & mortis: vitæ enim & membrorum non est homo dominus, sicut famæ, & pecuniæ, seu fortunæ, ut de iis libere disponere possit. Dico autem, *sine justa causa*. Secus est, quando justa causa ita fateri cogit; ut juridica interrogatio, liberatio innocentis de eodem crimine falso insimulati &c. de quibus mox inferius. 3. Si tua infamatio conjuncta sit cum aliorum scandalo, maxime si sis Superior, magnæ auctoritatis, Sacerdos, Religiosus &c. te ipsum infamando peccabis mortaliter peccato scandali contra charitatem proximi, juxta communem DD. cum *D. Thoma cit.* & Cajetano *l. c. qu. 2.* Quo sensu D. Aug. lib. de bono viduitatis c. 22. relatus in Jure c. non sunt audiendi, 11. q. 3. ait *quisquis a criminibus flagitiorum, atque vitiorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, in alios misericors est: nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra*. 4. Quando tua infamatio necessario cedit in grave damnum, vel infamiam aliorum; quod maxime fit, quando tua fama, vel infamia connexa est cum fama, vel infamia aliorum, peccas mortaliter te ipsum infamando etiam contra justitiam: ut si Religio- 8

ligiosus se ipsum infamans toti Religioni, vel Monasterio infamiam causet: si uxor fatendo se adulteram, virum infamem, & ut vocant, cornutum reddat: si quis jactans, vel referens peccatum carnis cum honesta matrona, vel virgine, complicem infamiæ, aliisque malis, & damnis exponat: talis utique peccat contra justitiam injuste alios damno exponens; & quoad fieri potest restituere, seu damnum illatum avertere, vel compensare tenetur. Ut ex communi docent Navarr. *cap.* 18. *n.* 16. *Molin. Less.* & late Lugo *cit. sect.* 10.

§. III. *Verum crimen occultum fateri, sæpe potest esse licitum, & opus virtutis.*

9 NImirum si fiat ex justa causa, debito fine, & circumstantiis, verum occultum crimen propalando potest esse opus multiplicis virtutis, præsertim humilitatis, charitatis, & justitiæ.

10 I. *Humilitatis*: discretæ tamen, & prudentis, ne scilicet sequatur aliquod ex malis supra dictis: nam exempla Sanctorum in hoc aliquando admiranda potius sunt, quam imitanda: multo magis, Christianæ humilitatis, & patientiæ insigne est, contumeliam, vel infamiam ab alio injuste illatam nihil se defendendo, suscipere, & perferre, ut passim consulit S. Scriptura. Excipe, nisi crimen per se valde scandalosum sit; exemplo Christi, qui plurimis conviciis toleratis, attamen dæmoniacum esse tamquam blasphemum, & contumeliosum tolerare noluit, aut si persona publica, vel talis sit, cujus infamia in infamiam Communitatis redundaret. Unde Gregorius in c. 9. Ezech. ait: *Ii, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere*: & aliquando servandum illud Prov. 26. v. 5. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

11 II. *Charitatis*: quando scilicet ex infamatione tui, vel confessione tui criminis sequitur aliquod notabile bonum tibi vel proximo: aut quando urget necessitas evitandi tibi, vel aliis gravia damna, vel tormenta: v. g. si ad proprium peccatum emendandum, aut ad proximum ob lapsum gravem desperabundum consolandum; aut ad tollendas suspiciones, dissensiones, odia aliorum, necesse, vel utile judicatur proprium occultum delictum prodere; item ad gravia tormenta evitanda, licite prodis occultum delictum verum; aut ut similiter proximum innocentem a tormentis, vel periculo gravi liberes. De quo mox iterum.

12 III. *Justitiæ*: Sic enim malefactor occultus licite se sistit Judici, delicta sua occulta fatendo, ut justitiæ satisfiat. Nec solum licite quis potest, sed etiam tenetur ex justitia quis se prodere, occultum crimen fatendo, in duobus tantum casibus. *Primus est*: quando famam per calumniam, seu falsi criminis impositionem ablatam, aliter restituere non potes, teneberis ex justitia te infamare, fatendo te esse mentitum, vel calumniatum, ut suo loco videbitur. *Secundus est*: si causa voluntaria injusta fuisti, ut tuo occulte patrato crimine v. g. homicidio, furto &c. alteri imposito, is de vita, vel fama periclitetur, & cum aliter e periculo eripere non possis, teneberis ex justitia te prodere, etiam cum æquali tuo periculo vitæ, vel famæ, secundum omnes: non item si tu in causa non fuisti, sed casu crimen a te patratum alteri impositum fuit; tunc enim non teneberis ex justitia te prodere, immo neque ex charitate, si æquale tibi periculum immineret; licet adhuc ex charitate licite, & meritorie posses, exemplo plane heroico S. Conradi Placentini. De hoc latius dictum *in* 5. *præcepto de homicidio casuali*.

13 IV. Extra duos hos dictos casus, nullus unquam tenetur ex justitia se infamare, occultum crimen aperiendo: neque etiam in judicio interrogatus; cum nullus possit juste, & juridice interrogare de crimine omnino occulto, nisi crimen suum infamia, indiciis, vel unius saltem testimonio semiplene probatum, adeoque saltem seminotorium sit; alioquin semper congrua restrictione mentali simpliciter, etiam cum juramento negare potest se fecisse, subintelligendo sic, ut fateri publice tenear, vel juste interrogari possim, juxta communem in materia de juramentis, & mendacio. Verum hic incidit

Quæstio difficilis.

14 UTrum reus a Judice ita juridice interrogatus, post semiplenam probationem teneatur in conscientia, & sub mortali fateri veritatem, certo etiam instante periculo mortis, aut alterius æquivalentis mali. Affirmativa est sane Communis Sententia DD. *D. Th. Sotus*, *Nav.* aliisque congestis Sanch. *Consil. to.*2.*l.*6.*c.*3.*dub.*33. & 39. & ego alibi secutus sum. Ratio potissima est: quia quilibet tenetur obedire Superiori legitimo, juste, & legitime præcipienti: atqui in casu nostro Judex, ut legitimus Superior juste, & legitime præcipit reo fateri veritatem: ergo tenetur obedire, nullo excusante metu, vel periculo etiam mortis. Confirmatur, quia alias sequeretur grave detrimentum Reipublicæ, si hæc obligatio fatendi crimina negetur: sic enim manebunt impunita scelera, & hac impunitatis spe passim grassarentur maleficia.

15 Contrariam tamen negativam, ut probabilem, & tutam docent RR. non pauci. Viginti duos citans Joannes Sanch. *in select. disp.* 43. *a n.* 32. Lugo *to.* 2. *de just. disp.* 40. *Sect.* 1. *n.* 15. Tam. *l.* 3. *Decal. c.* 4. §. 3. *n.* 5. Ratio est, quia humanitus nemo obligari potest ad se ipsum occidendum; cum sit de jure naturæ non solum vitam suam tueri, sed etiam ad mortem suam, quantum quis potest, non concurrere: atqui hoc fieret in proposito; reus enim fatendo veritatem, capite damnandus verissime concurreret ad sui occisionem: non autem fatendo capitis damnari non poterit, ut supponitur: ergo. *Confirmatur*: ex communi doctrina res multum difficilis, censetur moraliter impossibilis, ad quam proinde præcipiendam nulla potestas humana se extendere potest: sed in proposito præceptum Judicis reo datum de dicenda veritate humanum tantum est: & tunc dicere veritatem, est sane plurimum difficilis res: est enim reo supra naturæ vires difficile obligari ad proferendum testimunium capitale contra seipsum: ergo præceptum Judicis non potest ad id se extendere, & obligare in conscientia ad rem tam difficilem. Et hinc

16 Ad rationem oppositæ Sententiæ communis negatur minor, sicut & confirmatio: ad rem enim tam arduam Judex Superior legitime præcipiens non est; interim tamen is licite præcipit, & fateri per torturam cogit; quia licite sequitur sententiam oppositam, etiam saltem extrinsece ob auctoritatem tot, & tantorum Doctorum probabilem. Neque inde sequitur detrimentum Reipublicæ; cum absque illa obligatione fatendi sub mortali, aliis mediis possit prospici bono Reipublicæ; utpote inquirendo testes, terrendo per torturam, &c. certe experientia constat, timorem peccati mortalis parum profuisse ad fatenda crimina, & terrendos sceleratos. Quare hanc sententiam tuto sequetur Confessarius, saltem ut reo eam sequi volenti absolutionem non deneget. Plura, & pulchra vide apud Lugo cit. Aliud modo est, si sub juramento interrogetur, ut *tr.* 3. *c.* 1. *Sect.* 3. *in* 2. Præcepto dictum.

§. IV. *Falsum autem crimen sibi impositum fateri, vel imponere nunquam potest esse licitum, &c.*

17 RAtio manifesta est, quia mentiri est intrinsece malum: sed seipsum infamans, falsum de se crimen fatendo, narrando, jactando, ultra peccatum veniale prodigalitatis famæ suæ, ut minimum, mentitur jocose, quod rursus est per se peccatum veniale: per accidens autem sæpissime mortale omnibus quatuor modis, & casibus positis supra §. 2. iis enim casibus mendacium istud stolidum vere evadit perniciosum, aut sibi ipsi contra Charitatem, aut proximo contra justitiam, adeoque mortale ex genere suo. Hic rursus incidit celeberrima, & perdifficilis

Quæstio altera.

An reus ad evadenda tormenta possit fateri crimen sibi falso impositum.

18 COnveniunt I. Omnes propter evitanda tormenta levia fateri, & imponere sibi crimen falsum morte plectendum, esse illicitum; immo mortale contra Charitatem sui, & justitiam legalem, pervertendo scilicet gravissime judicium Judicis volentis verum tantum, & non falsum crimen morte plectere. Deinde quilibet tenetur vitam suam custodire, quando sine magna difficultate potest: sed in eo casu potest reus sine magna difficultate custodire vitam suam sustinendo tormenta levia: ideo enim levia censentur, quia sustineri a te possunt: ergo.

19 II. Conveniunt DD. communiter propter evitanda tormenta quævis, non esse plus, quam veniale, fateri crimen falsum, quando ex confessione sequitur solum damnum in bonis propriis fortunæ, & famæ, cum enim bonorum fortunæ, & famæ homo sit verus dominus, potest ea sine mortali prodigere ex dictis §. 1. maxime accedente rationabili causa evadendi tormenta, præsertim gravia. Vide Lugo *cit. Sect.* 10. *num.* 174.

20 III. Ob gravissima autem tormenta evitanda, quibus quis merito possit celerem mortem præoptare, quale revera est tortura germanica sæpius subeunda, fateri falso impositum crimen morte plectendum, non esse peccatum mortale; adeoque talem ante supplicium nolentem revocare, seu absque revocatione pœnitentem absolvi posse, docet jam satis communis, & praxi piorum recepta Sententia, *Angelus*, *Sylv. Sotus*, *Tolet. Valent.* alii plurimi, quos citant, & sequuntur Lessius *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 6. *nu.* 41. Tann. *tom.* 3. *disp.* 4. *de just. p.* 5. *dub.* 4. *nu.* 100. Ratio est, quia non tenetur homo cum tanto incommodo, dolore, & cruciatu vitam suam tueri; sicut nec tenetur ad vitam suam conservandam pati abscissionem membri cum grandi dolore, præsertim magni, ut brachii, vel tibiæ; immo neque uti mediis extraordinariis nimium sumptuosis, ut alibi visum. Quam Sententiam etiam probabilem censet, & qui volet in praxi sequi, posse concedit Lugo cit. *n.* 174. Ipse tamen *Lugo cum Navar. Covar. Molina*, & aliis tenet oppositam Sententiam, utique speculative, & re ipsa longe veriorem; nimirum talem peccare mortaliter; eo quod per confessionem falsi criminis homo verissime, & positive cooperetur morti suæ injustæ, quod nullo casu licet: aliud

est de eo, qui non patitur abscissionem membri, vel non utitur mediis exquisitis, vel pretiosissimis ad conservandam vitam suam: hic enim nullo modo positive cooperatur ad suam mortem, nec se interficit; sed solum negative se habens permittit suam mortem ex morbo, vel alia causa naturaliter provenientem.

21 IV. Huic affinis est altera quæstio, an quis citra peccatum mortale possit sibi imponere alterius crimen, seu verum nocentis, seu falsum & innocentis ad ipsum morte liberandum. Lessius *cit. nu.* 41. concedit id posse fieri citra peccatum grave ad liberandum a morte innocentem V. G. parentem, vel amicum, eo quod talis nemini faciat injuriam; & etiam alias liceat vitam pro parente, vel amico exponere; adeoque nihil hic sit, nisi mendacium officiosum. Sed negant verius Mol. *disp.* 37. *num.* 19. & Lugo *cit. disp.* 14. *Sect.* 10. Ratio est eadem modo data: quia talis positive vere cooperaretur suæ morti, vel mutilationi injustæ, & per fraudem facit, quod judex involuntarie propter ignorantiam eum morte puniat: qualis cooperatio numquam licita est; sive ad innocentem, sive ad nocentem liberandum. Interim tamen credo, talem ita ex mera, & excessiva Charitate agentem, facile excusandum a mortali propter ignorantiam, & bonam nimis fidem, exemplo aliquorum Sanctorum. Sed noli moveri exemplo vulgato S. Emerani, id enim efficaciter confutant P. Brunnerus, & D. Adelfreuter in Annalibus Bojorum. Credo hoc tempore non esse periculum talis peccati.

SECTIO II.

De læsione interna famæ proximi per temerarium judicium, suspicionem, dubium de malo proximi.

SUMMARIUM.

22 *Qualiter inter se differant judicium temerarium, suspicio, dubium, &c.*
23 & 24 *Quando adsint motiva temere judicandi, vel suspicandi.*
25 *Judicium, suspicio, vel dubium prudens de malo proximi per se non est peccatum.*
26 *Judicium vero temerarium mortale est ex genere suo.*
27 & 28 *Ut autem in individuo hic, & nunc sit mortale tres requiruntur conditiones. I. ut sit firmum, & deliberatum, II. in materia gravi, & III. temere conceptum.*
29 & 30 *Quarum una vel altera deficiente, mortale non erit. Exempla.*
31 *Suspicio temeraria est per se, & ex genere suo peccatum veniale tantum;*
32 *Per accidens autem sæpe fieri potest mortale. Exempla.*
33 *Solvitur objectio.*
34 *Similiter dubium temerarium positivum de malo proximi per se solum veniale est.*
35 *Et dubium negativum omnino nullum.*

22 JUdicium, suspicio, dubium, in proposito differunt hac ratione: judicium temerarium est plenus, & firmus assensus, vel credulitas de vitio, vel crimine alterius absque sufficientibus motivis, vel indiciis. Suspicio temeraria est etiam assensus, sed debilis, & cum formidine oppositi de vitio vel crimine alterius, absque sufficientibus indiciis: unde alia dicitur suspicio levis, quæ assensum valde debilem, multum vero dubitationis, vel formidinis de opposito habet: alia dicitur suspicio gravis, & vehemens, quæ plus assensus, & minus formidinis, vel dubitationis de opposito habet: alia dicitur suspicio violenta, & quasi certa, quæ plurimum assensus, & valde parum, vel vix aliquid dubitationis, vel formidinis de opposito continet: adeoque vere pertingit ad integrum judicium, seu persuasionem ex conjecturis, vel indiciis haustam, etsi non omnino sufficientibus; ideoque adhuc aliquantum temerariam, & proprie dicitur opinio. Dubium temerarium denique nullum continet assensum determinatum de vitio, vel crimine alterius, sed solum, aut positive judicat dubium esse; aut negative suspendendo omne judicium, vel assensum, dubium relinquit vitium, vel crimen alterius, absque tamen sufficienti indicio, vel ratione ita dubitandi. Contra vero, quando adsunt indicia, vel motiva sufficientia, & proportionata ita judicandi, suspicandi, vel dubitandi de vitio, vel crimine proximi, non jam temerarium, sed prudens, & rationabile dicetur judicium, suspicio, vel dubium de malo proximi. At unde dignoscam indicia aliqua esse, vel non esse ad hoc sufficientia, vel proportionata? Hæc tradi potest

REGULA.

23 QUandocumque indicia illa ex se, vel communi usu hominum sunt indifferentia, aut raro conjuncta cum tali effectu malo, dicentur improportionata, & insufficientia: si vere sint ut plurimum conjuncta cum tali effectu malo, de quo judicas, suspicaris, vel dubitas, proportionata erunt, & sufficientia. V. G. vides hominem noctu accedere domum suspectam, vel infamem, aut inde exire, indicium sufficiens, & proportionatum est judicandi, vel suspicandi malum ex sexto præcepto. At vides virum honestum, & alias bonæ famæ, clara die transire talem domum, vel plateam, ubi fœmina infamis habitat: nequaquam indicium sufficiens erit, illum esse adulterum. Similiter vides hominem noctu admotis scalis tentare aperire fenestram domus, indicium sufficiens est ad suspicandum, vel judicandum, illum esse furem. E contra, vides aliquem clara die coram vicinia ita parare inscensum domus; si prudens es, non judicare, vel suspicari debes furem; sed potius ipsum clavem propriæ domus amisisse: & ita in similibus.

ASSERTIO II.

JUdicium, suspicio, dubium prudens de vitio, vel malo proximi per se nullum peccatum est. Judicium temerarium mortale ex genere suo. Suspicio temeraria per se veniale tantum, sæpe tamen per accidens mortale: idemque est de dubio positivo temerario: dubium autem temerarium mere negativum, ex se nullo modo peccatum est. Ita DD. citandi. 24

§. I. *Judicium, suspicio, dubium prudens, &c.*

NImirum judicare, suspicari, dubitare de alterius malo, vitio, vel crimine, prudenter, & ex sufficientibus motivis, quæ scilicet moralem aliquam connexionem habent cum tali malo, vel actione mala, per se loquendo nullum peccatum est. Communis DD. apud Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 4. Lugo *disp.* 14. *sect.* 2. Ratio est: quia proximus amittit jus suæ famæ, & bonæ existimationis respectu illius hominis, cui ejus vitium, vel crimen, sufficientibus indiciis proponitur; ut si quis videatur noctu e prostibulo exire &c. ut in exemplis allatis: ergo tunc malum de ipso judicando, vel suspicando, non infertur ipsi injuria. Ubi semper multo majora, & evidentiora indicia requiruntur ad prudenter, & licite judicandum, quam solum ad suspicandum, & dubitandum de malo, vel crimine alterius: & sæpe evenit, ut licet opus exterius apparens ex genere suo mortale sit, v. g. ebrietas, blasphemia &c. utrum tamen de facto mortale sit, & non forte excusetur per ignorantiam, præcipitantiam, aliamve rationem, adhuc dubitare, & judicium cohibere debes: sed nec curiose inquirere in acta alterius, nisi tibi ex officio incumbat ejus correctio; aut ita necessarium sit ad evitandum aliquod malum: tunc enim prudentiæ, & cautionis officium erit, inquirere indicia mali apparentia, quantum probabilitatis habeant; ut veritate cognita remedium adhiberi possit, aut ipsi personæ delinquenti, aut alteri tertio vel tibi, aut communitati: ut recte explicant Molina *to.* 5. *tr.* 4. *disp.* 14. & Lessius *lib.* 2. *c.* 19. *dub.* 4. Hinc prudentum scitum est: *ordine prudentiæ, & cautelæ præsumenda esse pejora, ordine vero Charitatis, & justitiæ meliora.* Huc spectat illud axioma, & regula juris 8. in 6. *semel malus, semper præsumitur malus*: intelligendum est cum duplici limitatione: in eodem genere mali, & quamdiu ex indiciis emendatio colligi non potest. Ratio regulæ est: quia qui semel voluntatem deliberate inclinavit in aliquod malum peccati, in eo velut captus est, donec animum mutet: quod quis autem animum mutaverit, in dubio non præsumitur, sed probari, vel indiciis ostendi debet: adeoque licet tunc certum judicium ferre non possimus de perseverantia in malo, seu peccato tali, possumus tamen prudenter suspicari, vel dubitare, quousque emendationis signa videantur, v. g. Si quem in deliberato mendacio semel deprehendimus, ejus fides postea merito suspecta esse solet: & si scimus aliquem fornicatum esse, de ejus probitate semper dubitamus, quoadusque emendationis signa prodat; & etiam ex levibus indiciis in oppositum ostensis facile suspicamur, vel etiam judicamus de novo delicto. Idque maxime locum habet, quando agitur de cavendo alieno incommodo: ut qui semel perjurus deprehensus est intra, vel extra judicium, iterum non admittitur ad testimonium ferendum, *c. testim. de testib.* Et alia exempla habentur in utroque Jure. 25

§. II. *Judicium temerarium mortale ex genere suo.*

NImirum absque sufficientibus indiciis temere, & firmiter judicare de vitio, vel crimine proximi, est peccatum contra justitiam, ex genere suo mortale. Communissima DD. cum ipso S. Thom. 2. 2. *q.* 60. *ar.* 3. Docetque Christus Matt. 7. Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.* Ubi de judicio temerario sermonem esse, patet ex contextu: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem, quæ in oculo tuo est* (certum peccatum) *non consideras?* Ratio est; quia quisque habet jus ad famam, seu bonam existimationem sui apud quemcumque hominem, donec de ejus crimine innotescat, juxta illud: *Quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus*: atqui temere, & sine sufficientibus indiciis judicans alterum de aliquo crimine, vel vitio, privat eum apud se fama, & bona existimatione sua, antequam innotescat, vel demonstretur esse malus: ergo ei injuriam infert temere, & graviter lædendo ejus jus famæ, & existimationis: consequenter peccat contra justitiam ex genere 26

nere suo graviter obligantem; adeoque ex genere suo mortaliter. Idque verum est, sive crimen temere judicatum subsistat, sive non subsistat in proximo: semper enim proximus noster retinet jus bonæ existimationis suæ apud nos, donec ejus malum sufficienter innotescat.

27 Cæterum, ut in individuo hic, & nunc mortale sit, tres requiruntur conditiones. 1. Ut sit judicium firmum, & deliberatum cum pleno consensu voluntatis; si enim judicium firmum, & quasi moraliter certum conceptum non sit, erit solum suspicio, de qua infra: rursus si judicium deliberatum non sit cum pleno consensu voluntatis, erit vel prima apprehensio de malo proximi, ut si videns hominem egredientem e domo aliena, subito apprehendas esse furem: nihil adhuc judicas, sed solum tibi proponitur objectum illud, de quo est judicandum: aut erit actus judicii imperfecti, seu primus motus; neuter autem potest esse peccatum, saltem grave, ut apud omnes in confesso est. 2. Ut sit materia gravis, spectatis circumstantiis personæ, de qua temere judicatur malum, ita ut si ei constaret, tale de se judicium temere concipi, merito censeret gravem injuriam, ac læsionem existimationis suæ, juxta dicenda *sect. seq.* de materia ipsius detractionis: ut si de viro magnæ auctoritatis, aut Religioso judicares non solum grave aliquod peccatum, sed etiam esse mendacem, spurium, ex hæreticorum familia, &c. quia inter homines probos hæc multum æstimantur. 3. Conditio est ipsa temeritas, quod nimirum quis firmum assensum, ac judicium concipiat de malo gravi alterius propter indicia insufficientia, quæ scilicet non habent moralem connexionem cum tali malo, ut initio explicatum est.

28 His ergo conditionibus positis, graviter, & inique læditur alterius jus famæ, & bonæ existimationis suæ, cum enim illa indicia de se non sint sufficientia ad movendum intellectum ad ita firmiter judicandum de malo proximi, & sic inique privandum eum jure suæ bonæ existimationis, patet, quod sola prava voluntas ita moveat intellectum ad firmiter judicandum malum de proximo, sicque eum inique privandum jure bonæ existimationis suæ, in re gravi. Ubi obiter nota, quod judicium temerarium, sicut & hæresis, blasphemia &c. licet sit actus intellectus elicitive, & ea ratione peccatum esse non possit; est tamen simul actus voluntatis imperative, quatenus voluntas intellectui tale judicium temerarium eliciendum imperat, aut elicienti consentit, vel non impedit deliberate; & sic rationem peccati sortitur.

29 Contra vero, dictis conditionibus, vel earum aliqua, deficientibus, judicium temerarium saltem mortale non erit. Excusatur ergo judicium temerarium a reatu mortali, & veniale solum evadit. I. Ex imperfectione actus, si solum sit apprehensio, vel judicium imperfectum ex præcipitantia intellectus sine plena deliberatione, & consensu voluntatis. II. Ex parvitate materiæ, spectatis circumstantiis personæ; ut si judices cauponem, vel nuntium mentiri, militem velle furari, aut impudicum juvenem malo animo talem domum ingredi, &c. hujusmodi enim non censentur gravem injuriam pati, cum plerumque de talibus non erubescere, sed gloriari soleant. III. Quando indicia de malo, vel crimine proximi essent valde apparentia, adeo ut ferme ad prudens judicium movere possint, & suspicionem, vel præsumptionem violentam generent: tunc enim cessat temeritas, etsi non omni adhibita diligentia, non omnino prudens, & justum judicium formetur.

30 *Dices*. Secundum multos, & bonos Doctores valde probabiliter non est mortale, etiam sine causa, occultum crimen proximi uni, vel alteri prudenti, & non ulterius evulgaturo viro manifestare, ut infra videbimus: ergo multo minus mortale erit, si apud te solum nemini manifestaturus, temerarie malum grave de proximo judices. *Resp.* Transf. *ant.* nego *cons.* nam ille in priori casu verum dicit, & quia uni, vel alteri tantum non evulgaturo dicit, potest censeri non inferre gravem injuriam proximo. At in nostro casu tu de proximo apud te falsum judicas, saltem practice; cum certo judices malum grave inesse proximo sine sufficientibus indiciis; quod vi illorum indiciorum omnino falsum est: & sine dubio gravem injuriam proximo inferres, si malum sic temere a te judicatum, saltem uni, quamtumvis prudenti viro, manifestares tamquam certum, sicut tu judicas. Quod valde nota.

§. III. *Suspicio temeraria per se tantum veniale.*

31 Nimirum suspicari temere de proximi malo, vitio, vel crimine, ex genere suo est peccatum veniale tantum. Communis DD. cum D. Thoma *cit. q. 60. ar. 3. Cajetan. ibid. Nav. uterque*, aliisque citt. *Mol.* Less. *cit. dub.* 8. Laym. *cit. n.6.* & indicat S. Aug. tr. 90. in Jo. dicens: *si suspiciones omnino vitare non possumus, quia homines sumus: judicia tamen, id est, definitivas, firmasque sententias continere debemus*. Ratio est: quia per suspicionem temerariam, etsi aliqualiter lædatur fama proximi, non tamen simpliciter, & graviter, sed secundum quid, & leviter tantum: nam fama non est una solum actualis, & transiens existimatio bona de proximo, sed potius est habitualis, & permanens de altero bene existimandi dispositio: atqui hanc habitualem de altero bene existimandi dispositionem simpliciter quidem tollit, & graviter lædit judicium temerarium oppositum de malo, vel vitio proximi, & reponit in animo contrariam dispositionem habitualem male existimandi de proximo, id est famam malam, gravi utique injuria; at vero suspicio temeraria solum secundum quid minuit, & leviter lædit eam dispositionem bene existimandi: cum enim solum sit levis assensus de malo proximi cum actuali dubitatione, seu formidine de opposito, non omnino tollit, sed solum diminutam relinquit adhuc habitualem dispositionem bene existimandi de proximo: si nimirum veritas appareat, adeoque non reponit in animo contrariam dispositionem male existimandi, sive malam famam de proximo: ergo per se, & ex genere suo non infert grave damnum famæ proximi; consequenter plus, quam peccatum veniale esse non potest. Dixi tamen merito

Sæpe per accidens mortale.

Peccatum fit suspicio temeraria, utpote. 1. Si oriatur ex maligno affectu, vel odio, aut conjuncta sit cum gravi odio, vel contemptu proximi; ut si quis suspicans malum de proximo, etsi judicet rem forte ita non esse, tamen ex odio delectetur de malo proximi, vel ideo eum graviter contemnat, ac si revera illud malum commisisset. 2. Si quis ex tali temeraria suspicione in effectum externum malignum, ac damnum proximi procedat: ut si ex sola suspicione Judex reum condemnaret: Superior subditum puniret, aut ab officio amoveret; si ratione talis suspicionis alicui suffragium in electione neges, aut eum a consecutione alicujus boni notabilis impedias. 3. Si quis suspicionem suam malam de proximo aliis manifestet cum infamia, vel gravi damno ipsius: experientia enim constat, cum homines aliquem suspectum de malo audiunt, etsi dubitent, tamen facile eum contemnere, ei detrahere, beneficia, officia, & honores denegare. Quod si tamen quis uni tantum viro timoratæ conscientiæ suam patefaciat suspicionem, unde prudenter censeatur non adesse tale periculum, excusabitur utique saltem a mortali: manifestare autem iis, quibus potest, & debet, v. g. Superiori ad inquirendum, avertendum, vel præcavendum malum, nullum esse peccatum, dubium non est. 4. Addunt *Sot. Med. Mol. Less.* & alii apud Laym. *cit. n. 6.* etiam mortale fore, si quis ex levibus indiciis vellet pertinaciter suspicari de enormi malo, vel scelere personæ gravis, honestæ, religiosæ, v.g. incestum, sodomiam, hæresim, proditionem &c. Rationem dant: quia sicut suspicio temeraria eo gravius peccatum est, quo plus assensus, & minus formidinis habet de opposito; eo enim gravius minuit bonam dispositionem bene existimandi de proximo; ideoque gravem injuriam inferret ita graviter suspicans, præsertim personæ tam dignæ, & honestæ. Oppositum tamen cum aliis merito probabilius judicant ipse Laym. *cit. n. 6.* & Tamb. *lib. 9. Decal. c. 1. n. 16.* Si enim adhuc est suspicio, semper manebit ex genere suo levis, ob rationem datam. 32

Dices: Homo honestus libentius amitteret decem aureos, quam bonam famam, & existimationem suam, etiam apud unum, per talem suspicionem levissimam, præsertim de malo enormi; cum fama sit majus bonum, & altioris ordinis, quam pecunia: ergo si amittere decem aureos censetur merito grave, etiam amittere famam per suspicionem malam grave erit, & materia gravis peccati. Resp. Negando antec. cum consequentia: homo enim per suspicionem non amittit famam simpliciter, sicut amittit pecuniam; sed tantum secundum quid, cum maneat formido de opposito; ipsaque habitualis dispositio bene existimandi de ipso, ut explicatum est: ideo nullus prudens libentius amittet pecuniam, quam famam per solam suspicionem, quæ ex nostra fragilitate evenit, etiam adversus honestissimos, immo sanctos quosque: est quidem fama majus bonum, quam pecunia: tamen etiam in suo ordine potest esse leve, ut ejus læsio solum venialis sit, sicut e contra pecunia in suo ordine potest esse bonum grave, ut ejus læsio mortalis sit: non ergo valet in moralibus argumentari ab uno ordine ad alium, alioquin sequeretur, quod inducere hominem in levissimum peccatum veniale, v. gr. modicam crapulam, esset gravius peccatum, quam occidere corporaliter; & levissima læsio honoris, vel famæ gravius esset, quam auferre mille aureos, quod utique falsum. 33

§. IV. *Idemque est de dubio temerario positivo.*

Nimirum positive temere dubitare de vitio, vel crimine alterius, per se loquendo solum veniale est. Communis DD. apud Less. *lib. 2. c. 29. dub.* 8. Laym. *cit. n. 6.* Ratio est eadem, quæ supra, a fortiori; minus enim lædit famam proximi dubitans solum, num sit malus, quam etiam suspicans, esse malum; etenim temeritas dubii consistit in hoc, quod quis, habitis sufficientibus indiciis, cum posset, & deberet aliquem judicare bonum, vel innocentem, ille omisso hoc judicio ex aliis leviusculis motivis positive dubitet, seu judicet esse dubium, & incertum, sitne bonus, vel malus, nocens, vel innocens in aliquo vitio, vel crimine tali: & sic quasi in quæstionem adducat, & tamquam dubiam 34

biam examinet bonitatem, vel malitiam proximi: atqui hoc non tollit simpliciter, sed leviter admodum minuit bonam famam, seu dispositionem habitualem bene existimandi de proximo; neque magnam ex parte dubitantis malitiam continet, cum vix unquam desint indicia sufficientia ad dubitandum de proximo: ergo per se, nec gravem injuriam infert proximo: nec gravem culpam continet per se loquendo: etsi per accidens gravis culpa fieri possit iisdem modis, quibus modo supra de suspicione dictum.

Dubium autem negativum nullo modo peccatum est.

35 Nimirum dubitare solum negative de malo, vel crimine proximi: utpote oblata cogitatione de bonitate, vel malitia, innocentia, vel culpa proximi, omne judicium suspendendo, vel se avertendo, rem dubiam relinquere, nullo modo peccatum est: ut contra *Sotum* docet communis DD. apud citt. Ratio est: quia ei nulla prorsus infertur injuria. Et dictum illud commune ex D. Aug. lib. 2. de sermon. Dom. in Monte c. 15. *Dubia in meliorem partem interpretanda sunt*, non debet intelligi affirmative, & absolute, quasi existentibus sufficientibus motivis ad dubitandum, non possit quis suspendere judicium, sed positive judicare, vel existimare debeat, proximum esse bonum, vel innocentem a tali crimine, vel vitio: id enim nulla lege præceptum est: nemo quippe obligatur, ut erroris periculo se exponat; eo ipso autem, quo habes sufficientia motiva ad dubitandum de alterius probitate, non sine erroris periculo inclinas intellectum ad alteram partem etsi benigniorem. Debet ergo intelligi dictum illud, aut negative tantum, ita nimirum, ut quamdiu res dubia est de innocentia, vel culpa alicujus, judicium, vel sententiam non feratur in deteriorem partem, cum in tali dubio melior sit conditio possidentis suam famam: & quamdiu aliquis non demonstratur nocens, præsumendus est innocens. Aut intelligi debet affirmative ex hypothesi, ut nimirum stante dubio, & æqualibus utrinque motivis, pro hominis innocentia, & culpa, si judicium ferre velis, potius inclines intellectum in partem benigniorem, quia in dubio satius est falli bene opinando de proximo, quam male opinando vel semel decipi: ille enim error est speculativus tantum, hic autem esset practicus, cum proximi injuria conjunctus. Ratio sumitur ex communi axiomate, & regula juris in 6. *Cum partium jura obscura sunt, reo favendum est potius, quam actori.*

36 Denique stante dubio mere negativo, cum nulla omnino appareat ratio ad positive dubitandum, suspicandum, vel judicandum de alicujus vitio, vel crimine, etsi tunc nefas sit positive judicare, vel dubitare esse vitiosum; adhuc tamen licite potes ex hypothesi, vel suppositione, si forte vitiosus esset, rebus tuis, vel proximi, vel communitatis prospicere: v. g. pecunias occludere, quia fieri potest, quod famuli, vel hospites tui fures sint: filiæ interdicere, ne cum certo juvene conversetur, quia fieri potest, ut ab eo seducatur: arma expedire in sylva occurrente homine, præsertim aspectu horrido, quia fieri potest, ut latro, & te invasurus sit. Et his similia sexcenta. In quibus casibus, nec judicas, nec suspicaris, nec dubitas positive, de facto esse tales, sed solum supponis posse esse tales, quod utique verum est, & nulli injuriosum; ac ex ea suppositione prudenter tibi, tuisque caves; nec ullam illi infers injuriam, quia revera possunt esse tales. Unde est cujusdam Principis sapiens dictum: *In ordine prudentiæ ad cavendum malum tantum pejora supponenda sunt; secus in ordine justitiæ, & Charitatis ad exequendum.* Hæc valde notanda sunt pro praxi frequentissima maxime pro scrupulosis.

SECTIO III.

De injusta læsione externa famæ proximi per detractionem, calumniam &c.

SUMMARIUM.

37 & 38 *Detractio, seu alienæ famæ injusta ablatio, vel diminutio est ex genere suo peccatum mortale.*
39 *Detractio alia formalis, alia materialis.*
40 *Alia directa*, 41. *Alia indirecta.*
42 *Contumelia.* 43. *Diffamatio*, & 44. *Susurratio quid.*
45 *An, quando, & qualiter peccet revelans secretum sibi commissum; &*
46 *Quæ sint justæ causæ revelandi illud.*
47 & 48 *Detractio pura, & calumnia quid.*
49 *Falsum testimonium octavo Præcepto prohibitum quid.*
50 & 51 *Quando, & qualiter quis obligetur dare testimonium proximo.*
52 Usq; ad n. 55. *Quæ causæ excusent a dando testimonio.*
55 *Ut detractio sit mortalis, debet esse.* I. *voluntaria perfecte.*
56 II. *In materia gravi.*
57 *Quæ censeatur materia gravis, &*
58 *Quæ levis.*
59 *Regula generalis, quando graviter, & quando leviter peccetur in detractione.*
60 *Dicere aliquem superbum, avarum, pigrum, &c. quando peccatum grave, quando leve.*
61 *An, & quando peccetur, referendo crimen, non nominata persona.*
62 *Item, quando, & qualiter quis peccet referendo crimen ab aliis auditum.*
63 *Quale peccatum referre crimen uni tantum, vel alteri illud ulterius non evulgaturo.*
64 *Etiam defuncto detrahere in re gravi mortale est contra justitiam.*
65 *Ut detractio sit mortalis.* III. *requiritur, ut res adhuc sit occulta.*
66 *Notorium duplex, Juris, & facti.*
67 & 68 *Quando res censeatur jam notoria, vel adhuc occulta.*
69 *Crimen notorium notorietate juris, seu per sententiam judicis publicatum licite ubique evulgatur.*
70 *Sicut & crimen notorium notorietate facti tantum, in aliqua communitate, vel vicinia, citra mortale aliis ejusdem communitatis, vel viciniæ adhuc ignaris manifestari potest.*
71 *An, quando, & qualiter crimen notorium in uno tantum loco liceat referre, vel transcribere ad alia loca.*
72 *Postquam infamatus crimen suum emendavit, & famam recuperavit, non licet illum denuo pro illo infamare.*
73 *Ut detractio sit mortalis* IV. *requiritur, ut fiat sine ulla justa causa. Causæ autem justæ revelandi sunt.* 1. Bonum ipsius referentis. 2. Bonum audientium. 3. Bonum ipsius delinquentis, & 4. Bonum communitatis, vel Reipublicæ.
74 Usq; ad n. 82. *Quando, & quibus casibus liceat ob has causas alterius crimen, vel defectum occultum aliis revelare.*

ASSERTIO III.

Detractio est alienæ famæ ablatio, vel diminutio injuste, seu animo nocendi facta; ex genere suo peccatum mortale: levius quidem homicidio, & adulterio, sed cæteris paribus gravius furto: varie dividitur. 1. Ex parte voluntarii; *in materialem, & formalem.* 2. Ex parte modi detrahendi, *in directam, & indirectam.* 3. Ex circumstantiis, *in contumeliam, diffamationem, & susurrationem.* 4. Principaliter ex parte materiæ, *in detractionem puram, & calumniam.* Est tota communis. Definitio patet ex terminis infra explicandis. 37

Ratio peccati generatim per se clara est: quia omnis actio privans alterum injuste bono sibi debito, adeoque injustum proximo damnum inferens, est peccatum contra justitiam commutativam ex genere suo mortale; eoque gravius, vel levius, quo majori, vel minori bono injuste privat: atqui detractio injusta privat proximum magno bono sibi debito, scilicet fama, & bona sui æstimatione habita: quod licet sit minus bonum, quam vita, & pudicitia, ac fides matrimonialis &c. est tamen multo majus bonum, quam bona externa fortunæ, juxta illud Prov. 22. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*, & Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi magni.* Adde quod detractio, homini etiam in aliis bonis corporis, animæ, & fortunæ sæpe gravia damna inferat, ut experientia nimis notum: ergo detractio est peccatum mortale ex genere suo, & gravius furto: & in suo etiam genere gravius, vel levius, quo magis, vel minus lædit famam proximi, ex parte materiæ, voluntarii, circumstantiarum &c. Unde variæ illæ sunt detractionis divisiones, quarum termini nunc explicandi sunt distincte per §§. sequentes. 38

§. I. *Detractio formalis, & materialis.*

Detractio *formalis* est, quæ fit cum directa intentione alteri nocendi, seu alienam famam denigrandi. *Materialis* autem detractio est, quæ fit quidem absque directa intentione, & voluntate alteri nocendi, vel ejus famam denigrandi, sed tamen cum præviso, vel prævideri debito periculo nocumenti, seu infamiæ alterius; adeoque non sine indirecto voluntario, & intentione nocendi. Utraque peccatum mortale est ex genere suo ob injustum damnum proximo illatum, ad quod sufficit etiam voluntarium indirectum, & interpretativum, ut suo loco, & hactenus sæpissime patuit. Longe tamen gravius peccatum est detractio formalis, utpote voluntarium injustum perfectum continens, veramque malitiam, quam detractio materialis tantum, quæ voluntarium longe imperfectius habet, & frequentissime ob actus imperfectionem, indeliberationem, vel inadvertentiam a culpa mortali excusatur: ut infra videbimus, & ex *D. Thom. cit.* recte notat Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 3. *nu.* 4. addens oportere ideo quæri ex pænitente detractiones confitente, utrum odium, vel desiderium nocendi gesserit adversus personam, cui detraxit: seu utrum sua locutione intenderit ei nocere, an saltem prævidérit posse sequi nocumentum, an de facto secutum fuerit, &c. ut nimirum possit confessarius judicare de gravitate peccati, & obligatione restituendi. 39

§. II. *Detractio directa, & indirecta.*

Detractio *directa* dicitur, qua directe, & positive læditur fama proximi: fitque 4. modis: 1. imponendo alicui 40

cui crimen falsum. 2. verum, vel falsum crimen, vel defectum exaggerando, & augendo. 3. crimen, vel defectum occultum verum manifestando. 4. opus recte factum sinistre interpretando, seu temere exterius judicando; quo modo etiam læditur fama proximi apud audientes, quibus notitia nova ingeritur circa intentionem proximi non rectam, quam antea non habebant. Quos modos indicat versus. *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.*

41 Detractio *indirecta*, qua solum indirecte, & quasi negative læditur fama proximi, fit etiam 4. modis. I. Negando alterius bonum, vel dotes. 2. bonum, vel dotes alterius extenuando, vel elevando cum damno proximi. 3. bonum, vel dotes alterius malitiose reticendo, vel silendo, quando quis manifestare deberet ex justitia, tunc nimirum, quando alicujus silentium haberetur pro tacita confessione, vel approbatione, aut assertione defectus alterius: & maxime si signo externo ostendat; ut si, aliis hominem laudantibus, vel commendantibus, tu frontem, vel os contrahas, aut dicas, ego taceo, &c. quo pacto sufficienter manifestas oppositam tuam existimationem malam de homine. Item cum, aliis homini detrahentibus, vel vituperantibus, tu sine displicentiæ signo taceas: tacens, consentire, & infamiam alterius approbare censeris. 4. Ita frigide laudando, ut laus tua potius cedat in diminutionem famæ alterius, ejusve vituperium, juxta illud Gellii lib. 19. *Turpius est exigue, atque frigide laudari, quam insectanter, & graviter vituperari.* Quos modos indicat versus. *Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisse.* Utrobique est peccatum mortale ex genere suo ob injuste læsam, vel diminutam famam proximi: gravius tamen per se loquendo est detractio directa, qua sicut directe, ita gravius læditur fama proximi, quam detractio indirecte facta, qua ordinarie minus læditur fama alterius, quamvis per accidens fieri possit, ut vel ob malitiam detrahentis non audentis directe famam alterius arrodere, vel ob graviorem materiam, vel ob majus damnum inde secutum homini læso apud alios, multo gravius peccet indirecte, quam directe detrahens: utpote qui solum negaret aliquem esse castum, utique gravius peccat, & infamat, quam qui directe assereret hominem esse ebriosum, lusui deditum &c.

§. III. *Contumelia, diffamatio, susurratio.*

42 Contumelia est detractio facta coram aliis in præsentia illius, cui detrahitur: cum scilicet alicui præsenti, & audienti crimen falsum, vel verum occultum palam quasi in faciem objicitur. Est peccatum mortale gravissimum, & duplo gravius detractione simplici facta in absentia personæ diffamatæ quia præter læsionem famæ, etiam continet læsionem honoris, & confusionem faciei: & persona præsens longe magis est invita ad sui diffamationem, quam absens, & non audiens. Sed de contumelia infra latius *Sect.* 4.

43 Diffamatio est detractio famæ alterius publica, seu coram multis facta; & cum directa, vel indirecta intentione alterius infamiam in publicum propalandi. Est peccatum mortale longe gravius, quam detractio famæ alienæ privata coram uno, & altero, vel inter privatos tantum parietes facta: quia eo gravius extensive est peccatum detractionis, quo fit coram pluribus audientibus; quia eo plures partiales famas, seu bonas existimationes alterius apud alios injuste aufert, vel minuit; immo virtualiter, & æquivalenter sunt quasi totidem detractiones, & læsiones famæ partiales, quot sunt personæ audientes, ideoque pluralitas, & quoad fieri potest numerus audientium tamquam circumstantia augens malitiam substantialem actus secundum communem, & nostram sententiam explicari debet in confessione detractionis.

44 *Susurratio est detractio, vel quævis oblocutio prava de proximo, ad occulte, & injuste solvendam, vel lædendam amicitiam, discordiamque seminandam:* ex D.Thom.q.74. ar.1. Est utique peccatum mortale ex genere suo, juxta illud Eccl. 28. *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes.* Et ad Rom. 1. *Susurrones, & detractores* dicuntur *Deo odibiles.* Estque cæteris paribus longe gravius peccatum quam detractio simplex: nam præter injustam læsionem famæ alterius contra justitiam, etiam intendit dissolvere, vel lædere habitam amicitiam, pacem, concordiam cum aliis, privando illum injuste magno bono: quia Eccl. *Amico fideli nulla est comparatio*: ideoque specialiter etiam repugnat Charitati proximi; estque multorum malorum gravissimorum causa, ut experientia nimis notum. Huc referenda breviter, & explicanda

Revelatio secreti commissi.

45 Qui I. *Secretum expressa, vel tacita conventione tacendi sibi commissum revelat, peccat graviter contra fidelitatem, & justitiam; ex genere suo mortaliter (pro ratione materiæ, aut damni secuti) non minus quam qui depositi fidem violat.* Communis cum Navar. *c.* 18. *n.* 26. Molina *tr.* 4. *disp.* 5. & 6. Laym. *lib.*3. *tr.* 3. *c.* 5. *n.*1. Et indicatur Prov. 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat amici consilium.* Ratio est: quia obligatio justitiæ ex genere suo est sub mortali: sed qui secretum expressa, vel tacita conventione reticendum in se suscepit, tenetur ex justitia servare fidem: ergo revelans peccat contra Justitiam, ideoque & ex genere suo mortaliter: intellige nimirum, nisi imperfectio actus, levitas materiæ, aut modicum, vel nullum inde secutum detrimentum excuset. 2. Quoad expressam conventionem res clara est. Tacita autem conventione secreti servandi obligantur in primis Consiliarii Principum, & Officiales belli, quibus Reipublicæ, vel exercitus secreta consilia committuntur. Deinde Juris Periti, Advocati, Medici, Chirurgi, obstetrices &c. quibus consilii, vel remedii capiendi causa secreta revelantur: & probabiliter etiam amici, & propinqui, quibus amicitiæ, vel propinquitatis jure, consilii, auxilii, vel solatii capiendi causa secreta aliqua committuntur: hi nimirum omnes eo ipso, quo talia secreta suscipiunt, seclusa alia expressa conventione tacendi, tacite censentur se obligare ad secretum.

Justæ autem causæ secreti revelandi sunt. I. Si secretum cedat in Reipublicæ detrimentum, vel certæ personæ injuriam: ut si Titium ab occulto tibi revelato proposito civitatem prodendi, vel hunc hominem occidendi &c. aliter revocare non possis, potes, & debes etiam manifestare, quantum opus est ad avertendum malum, iis quorum interest. Communis cum S. Thom. 2. 2. *q.* 79. *ar.* 1. *Molina*, Layman *cit. num.* 2. Ratio patet: quia ex lege, & ordine Charitatis quilibet obligatur liberare innocentem ab injuria nocentis, etsi cum aliquo nocentis damno fieri debeat. II. Quando secretum cessurum esset in grave nocumentum ipsius, qui tibi commisit; ut si quis occulto impedimento dirimente tibi revelato a matrimonio revocari non possit, nisi canonice denuntietur, licita erit denuntiatio secreti, ob Sacramenti reverentiam, & ad peccatum vitandum. Communis DD. cum Navar. *c.* 18. *n.* 55. Sanch. *l.* 3. *de matrim. disp.* 13. *Molina*, *Laym. citt.* III. Quando ipsemet, cui secretum commissum est, grave damnum incurrere deberet, nisi secretum revelet: ut si Titius revelasset tibi homicidium a se commissum, & postea tu de eodem homicidio suspectus factus, ipsemet jam de vita pericliteris, nisi reveles, licite revelabis. Ex communi Molina *cit. disp.* 37. Lessius *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 18. Laym. *cit. n.*2. Ratio est: quia sicut aliorum debitorum, ita & secreti naturalis obligatio cessat, quando sine maximo detrimento propriæ vitæ, & famæ servari non potest; nemo enim promittendo secretum, censendus est id etiam ad talem casum extendere voluisse: sed potius præsumitur quisque ex ordine Charitatis propriam incolumitatem alienæ anteponere velle. IV. At quid si aliquis expresse promisisset se servaturum ejus secretum, etiam cum discrimine propriæ vitæ? Talem adhuc obligari censet Molina modo cit. cum talis promissio objectum honestum habeat. Sed probabilius cum aliis negat Laym.*cit. n.*4. Quia secretum committens, obstante ordine Charitatis, non potest alterum obligare cum tanto onere; sed ipse potius minus incommodum sustinere debet, ne alter in periculum mortis veniat. Quod si tamen aliquis notitiam secreti per vim, vel fraudem assecutus fuisset, v. g. furtive aperiendo alterius litteras, & maxime legendo alterius confessionem scriptam, neque mortis, vel tormentorum metu revelare poterit; præsertim quando alter ex revelatione æquale vitæ discrimen subire deberet. Ita Nav. *c.* 28. *n.* 54. Molina *cit. Conclus.* 10. Laym. *cit. n.* 5. alii apud ipsos. Ratio est: quia quicumque injuriam intulit, tenetur eam tollere, seu non continuare: ergo qui alterius secretum injuriose acquisivit, tenetur illud semper supprimere, alias quocumque casu revelet, injuriam renovabit, & continuabit. Neque obstat utriusque æquale discrimen: nam in pari causa semper melior est conditio innocentis, seu injuste læsi, quam nocentis, & lædentis injuste. Scio hic mirabiles contingentias, sed omitto. 46

§. IV. Detractio pura, & calumnia.

Detractio pura, *seu revelans tantum dicitur, qua alterius verum, sed occultum crimen proditur animo nocendi, seu denigrandi famam.* De hujus injustitia, conditionibus, & excusatione, necessario seorsim dicam speciali alterius sequenti. 47

Calumnia, seu detractio calumnians est, qua crimen falsum alteri affingitur, seu imponitur. Peccatum mortale gravissimum, & plus duplo gravius detractione pura, seu revelante tantum, teste Navar. *c.* 18. *n.* 36. Quia qui mendacio pernicioso falsum crimen imponendo alicui famam detrahit, tam dominio, quam possessione famæ ipsum spoliat; innocens enim & verum dominium, & justam possessionem suæ famæ habet; qui autem crimen verum occultum prodit, privat hominem non dominio, sed tantum possessione famæ: criminoso enim respectu talis criminis commissi, per se, & secundum veritatem fama debita non est: sed solum per accidens propter publicam ignorationem illius criminis: sicut enim tua probabilis ignorantia, & bona fides efficit, ut alienum equum, v. g. juste possideas, injuriamque tibi inferat, qui eripit, antequam liquido constet, tuum non esse; ita publica ignorantia tui criminis efficit, ut juste apud alios possideas famam, seu bonam tui existimationem, injuriamque tibi inferat, qui eripit, antequam liquido constet, tuam non esse; quia publica ignorantia tui crimi- 48

criminis facit, ut juste apud alios acquisita fama, seu bona tui existimatio perduret, injuriamque tibi inferat, qui eam destruit, antequam publice innotescat, tibi re ipsa debitam non esse. Hoc tamen notando discrimen: quod tibi alienum equum possidenti bona fide injuriam non inferam, si de hoc verum dominum certiorem faciam; quia is damnum, & injuriam saltem materialem patitur, qua eum juste liberare possum: at vero tibi occulte criminoso apud alios famam, seu bonam existimationem possidenti, injuriam adhuc infero, si eis veritatem indicem, & ab illo errore liberem: quia illi nullum inde damnum, vel injuriam patiuntur, quod de occulte criminoso bonam opinionem gerant; neque enim ille aliquid possidet ad ipsos spectans; consequenter injuriose privatur possessione famæ suæ. *Deinde*, crimen falsum alicui imponere semper illicitum est: nam est mendacium perniciosum intrinsece malum, & repugnans præcepto negativo: *non dices falsum testimonium*: at vero crimen verum occultum alterius manifestare, non est semper illicitum, sed ob certas, & varias causas licitum esse potest, ut mox patebit assertione sequenti. Denique multum augetur malitia calumniæ, quando fit publice in judicio: utpote de falso crimine accusando, vel testimonium perhibendo scienter. Huc ergo proprie spectat, & breviter explicandum est octavo præcepto specialiter prohibitum

Falsum testimonium.

49 I. Utpote in judicio, vel alias, aut falsum affirmando, aut verum negando, aut amphibologia aliqua eludendo contra apertam mentem Judicis interrogantis, semper est illicitum, & peccatum mortale ex genere suo, cum obligatione revocationis, & restitutionis omnis damni inde secuti innocenti, ut *Sect.* 5. patebit. Ratio clara est: quia nimirum est mendacium perniciosum contra justitiam commutativam injustissime lædens proximum in bonis famæ per se, & consequenter etiam plerumque fortunæ, aut ipsius vitæ: ergo mortale ex genere suo cum onere revocationis, & restitutionis. Adde cum Navarr. *c.* 25. *n.* 40. & Laym. *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 8. Etiamsi testis per errorem, oblivionem, aliamve causam excusantem falsum deposuerit, cognito errore, adhuc tenetur suam dictum revocare ante latam sententiam; immo & postea, si speret ei prodesse posse; saltem ad hoc, ut non habeatur testis integer, vel omni exceptione major: ut habetur *c.* 6. *præterea de testibus*.

50 II. At vero nolle testimonium dicere, subterfugere, dissimulare, tunc solum peccatum est, quando quis ex Charitate obligatur testari: & inde nulla oritur in omittendo obligatio restituendi, juxta dicta in materia *de restitut. ex causa negativa*. Ratio est: quia testis positive testimonium dicere non obligatur ex justitia commutativa respectu hominis judicandi; hic enim nullum habet jus in alterum, ut pro se testari, ejusque commodum procurare teneatur; ideoque non testando non infert ei damnum, quod suum est, auferendo: sed solum obligatur ex charitate respectu ipsius, & ex justitia legali respectu Judicis juste præcipientis, ut testetur: ex quarum virtutum violatione non oritur obligatio restituendi, juxta dicta suo loco: ergo licet talis gravissime peccet contra Charitatem non testando, vel obedientiam, seu Justitiam legalem, nullam tamen inde contrahit obligationem restitutionis.

51 III. Obligatur autem omnis homo idoneus sub mortali testimonium dicere: ex Charitate quidem, & sponte sua, quando proximus in gravi necessitate de vita, fama, vel bonis fortunæ periclitatur, & malum testando impediri potest omnium consensu in materia de Charitate. Ex justitia vero legali, seu obedientia tenetur solum testis a competente Judice legitime citatus, & interrogatus, juxta communem DD. cum D. Thom. 2. 2. *q.* 70. *ar.* 1. *n.* 2. Scoto *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. Ratio est: quia justo legitimi Superioris præcepto in re gravi parendum est sub mortali: atqui justum est præceptum legitimi Judicis juridice interrogantis, & testimonium exigentis; nimirum in casu, quo hominis infamia, justa accusatio, vel denuntiatio criminis, cum semiplena probatione, vel aliis indiciis sufficientibus ad testes examinandos præcesserunt. Secus esset, quando Judex non legitime interrogaret, aut homo aliunde a testimonio ferendo excusatus esset, ut in sequentibus casibus.

52 IV. Causæ excusantes a testimonio ferendo sunt hæ sequentes. 1. Si quis crimen, vel id, de quo testandum est, novit ex sola Confessione sacramentali, ejusque sigillo in tota sua latitudine. 2. Si crimen occultum est, ita ut nulla publica de eo indicia adsint; quamvis forte duobus, vel tribus privatim cognitum esset: talis etiam interrogatus non tenetur testificari, nisi crimen esset perniciosum Reipublicæ: de quo vide late Petrum Navar. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 219. 3. Si criminis notitiam accepit sub secreto naturali ad honestum finem: utpote Advocatus, Medicus, Chirurgus, vir doctus, vel valde amicus, &c. ad consilium, auxilium, vel remedium adhibendum misero criminoso, non tenetur postea testificari de eo. *Navarrus* uterque, *Molina*, *Lessius*, Laym. *cit. num.* 8. Excipe, nisi Judex sciens, talem hanc notitiam ex secreto accepisse, & nihilominus crimen Reipublicæ perniciosum interroget; aut si secretum commissum non esset ad talem honestum finem; sed mere sponte. Vide citt. 4. Si quis notitiam delicti, alteriusve secreti per injuriam accepit: v. g. litteras aperiendo, vel hominem per vim cogendo, (adde etiam per ebrietatem inducendo) ad sibi revelandum: tunc enim, nec Judici interroganti quidem prodere juste potest; cum injuria semel illata non sit extendenda. Ut cum aliis docent Molina, & Laym. modo cit. 5. Si scias factum hominis, de quo interrogaris, a crimine, & pæna alienum esse: ut si quis ex ignorantia hominem pro fera occidit, rem alienam abstulit, sed in gravissima necessitate, vel ad justam compensationem, &c. non teneris de eo testari; immo factum simpliciter negare potes; sicut & ipse reus, etiam addito juramento: quia Judicis interrogatio procedit ex præsumptione culpæ commissæ, seu de facto criminoso, quale factum recte negas, etiam juratus. Navar. *c.* 17. *nu.* 115. Lessius, Laym. *cit. n.* 9. 6. Si ex testificatione tibi, vel tuis notabile damnum immineat, non teneris testari, nisi crimen Reipublicæ perniciosum sit, ut proditiones &c. & alia ratione impediri non possit. *Nav. Less.* Laym. *citt.* 7. Parentes contra liberos, liberi contra parentes, nec cogi, nec admitti possunt in testimonium. *L.* 5. *C. de test.* Exceptis criminibus atrocissimis, v. g. hæresis, læsæ majestatis, proditionis, veneficii &c. 8. Personæ exemptæ, aut privilegiatæ non coguntur esse testes: utpote Clerici coram Judice sæculari; volentes tamen admittuntur, & in aliorum defectu etiam coguntur; sed coram suo Judice Ecclesiastico tantum: aut, eo consentiente, coram sæculari, juxta communem doctrinam & praxim. Hæc compendio congesta latius vide apud citt.

Dictis casibus, & quoties Judex non legitime interrogat, licitum est testimonium recusare, subterfugere: aut si omnino respondendum sit, veritatem dissimulare, aut aliqua licita amphibologia, vel reservatione mentali eludere, circa quod notanda est generalis regula communiter tradita in materia de juramentis, & perjuriis. Quotiescumque quis non tenetur respondere interroganti, & ex rationabili causa non expedit veritatem prodi, nec commode possit, licite potest dissimulare veritatem amphibologia, vel reservatione mentali, dummodo responsionis sensus respondeat cum intentione interrogantis, quam habere debet: v. g. consiliarius interrogatus de actis in Concilio: Confessarius de peccatis auditis &c. licite respondet, nescio, intelligendo, sic, ut tibi possim dicere, vel notitia utili, aut licita ad publice dicendum. Testis rogatus de facto inculpabili v. g. homine pro fera, occiso a venante &c. potest simpliciter negare factum esse; intelligendo, scilicet culpabiliter, & tale factum, de quo Judex interrogare tantum debet. Veniens ex loco falso diffamato de peste, licite negat, immo jurat, se venire ex illo loco, intelligendo ut peste infecto, de quali solum interrogatur, vel interrogari deberet. Et ita in similibus. 53

ASSERTIO IV.

Detractio etiam pura verum, sed occultum crimen revelans, peccatum mortale est; quatuor concurrentibus conditionibus; nimirum. 1. *Si adsit voluntarium perfectum.* 2. *Materia gravis.* 3. *Res occulta*, & 4. *injustitia revelandi. His conditionibus, vel una earum deficiente veniale evadit, aut etiam a peccato omnino excusatur; immo quandoque cohonestatur.* Sic omnes passim, ut patebit declarando singula. 54

§. I. *Voluntarium perfectum.*

Detractio ut mortalis sit, omnino requiritur voluntarium perfectum, & deliberatum, directum, vel indirectum, ut nimirum quis plena ratione utens, vel directe intendat, vel saltem advertat, aut advertere debeat, suam locutionem nocere, vel denigrare famam proximi, juxta dicta supra §. 2. Excusat ergo a mortali, & veniale reddit, sicut in cæteris omnibus peccatis, imperfectio actus, vel ob ignorantiam, aut inadvertentiam ad nocumentum proximi: vel ob vehementem passionem, aut præcipitantiam mentis, & linguæ: nisi enim ob ejusmodi causas dicatur, detractionem sæpissime excusari a mortali, totum genus humanum periclitabitur; adeo vulgare est hoc vitium, ait Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 3. Etenim lingua modicum membrum est, sed volubile, & inquietum malum, quod nullus hominum domare potest. Quare regula P. Marchant. tom. 2. tribun. tr. 9. tit. 4. q. 4. reg. 4. *Qui ex levitate animi, garrulitate, consuetudine nimia, gravia peccata proximorum effutiunt, saltem ratione periculi infamandi proximum, cui se exponunt, mortaliter ut plurimum peccant*: intelligenda est: si ipsi advertant, vel advertere debeant ejusmodi periculum infamiæ proximum; quod si enim faciant ex naturali impetu pravæ consuetudinis, & loquacitatis absque omni advertentia ad damnum proximi, non poterunt peccare mortaliter in ipso actu, licet bene in sua causa, scilicet ipsa mala consuetudine voluntarie contracta, & retenta: juxta generalem regulam traditam in materia de peccatis ex consuetudine. Ut sunt maxime blasphemiæ, perjuria, & detractiones. Sic qui frequentatis actibus detrahendi, blasphemandi, pejerandi, advertit sibi generari habitum malæ consuetudinis, qua postea difficulter abstinere poterit, ab ipso puncto, quo cum tali advertentia insuper actum detractionis exercet, 55

peccat

peccat mortaliter; & est in pessimo statu, quamdiu eam pravam consuetudinem absque conatu emendandi, & pænitentia, culpabiliter retinet: adeo ut talis homo tamdiu versetur in continuo statu peccati mortalis omissionis emendandi, & omnes actus vi talis pravæ consuetudinis voluntarie, & culpabiliter secuti imputentur ei in peccatum mortale, tanquam indirecte voluntarii in sua causa, mala scilicet consuetudine voluntarie retenta. At vero post pœnitentiam, & moralem adhibitum conatum emendandi, actus detractionis &c. ex naturali prorsus impetu pravæ consuetudinis, seu loquacitatis erumpentes, defectu voluntarii, peccata saltem mortalia esse non possunt, sic enim nullo modo sunt amplius voluntarii: non in se ut supponimus: neque in sua causa, scilicet mala consuetudine contracta; quippe jam tibi mere involuntarie remanente.

§. II. *Materia gravis.*

56 DEtractio ut mortalis sit requiritur materia gravis, spectata non tantum in se absolute, sed habita etiam ratione circumstantiæ personæ, quæ injuste læditur. Si levis sit materia, sive in se absolute, sive habita ratione circumstantiæ personæ, utique excusabitur a mortali, & veniale evadet ex parvitate materiæ, sicut in omnibus aliis peccatis versantibus circa materiam divisibilem; v. g. furto, intemperantia &c. juxta communem doctrinam in materia de peccatis.

57 Materia autem gravis detractionis censetur omnis, & solus defectus vel in se, vel respectu personæ læsæ graviter probrosus: qualis ordinarie quidem est crimen mortale: at certe non solum, sed ratione circumstantiæ, status, vel conditionis personæ, & damni secuti, sæpe etiam defectus venialis; immo & naturalis: ut si prodas virum honestum, boni nominis, vel magnæ auctoritatis, esse mendacem, bibulum, illegitime natum, vel infecti generis &c. inde enim ei grave nocumentum famæ, & honoris, vel impedimentum alterius boni oriri potest. Communis DD. Navar. *c.* 18. *n.* 25. Less. *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 3. Molina *disp.* 33. *fin.* Laym. *cit. num.* 3.

58 Contra vero materia levis detractionis est omnis, & solus defectus, vel in se, vel habita ratione circumstantiæ personæ, parum probrosus; quales sunt in primis defectus naturales animæ, vel corporis, ut esse rudem, duri ingenii, gibbosum, luscum, spurium, filium Clerici &c. item vitia venialia, & quotidiana, ut jocose mentitum, temulentum fuisse, lusisse excessive &c. item etiam crimen de se mortale relatum de persona vili, vel ita affecta, ut crimen commissum non multum probrosum, vel magno dedecori sibi ducat: v. g. Germanum fuisse ebrium, militem habere concubinam, furatum esse, duellasse &c. ita communis cit. Ad casus ergo particulares, & in praxi frequentissimos expediendos bene notanda, & semper præ oculis habenda est hæc clara, & facilis

REGULA GENERALIS.

59 Q*Uoties notabiliter fama alterius læditur, sive defectus narratus sit mortalis, sive venialis, sive naturalis tantum, toties peccatur mortaliter. Quoties vero leviter solum leditur fama, peccatur venialiter: quando nihil læditur, quidquid dicatur, nihil peccatur ex hoc capite*. Nam si de viro probo, vel Religioso dicas, amare puellam, rixatum esse, vel duellasse, aut quid simile; graviter lædis ejus famam, ideoque peccas graviter: si idem dicas de juvene nobili, vel milite, leviter, vel nihil famam lædis; cum de talibus non erubescere, sed gloriari soleant, ideoque etiam leviter, vel nihil peccabis in materia detractionis: jam pono casus aliquot speciales ambiguos.

I. *Dicere aliquem superbum, avarum, pigrum, &c.*

60 QUia hæc, & ejusmodi, vel inclinationem solum naturalem, vel etiam peccatum mortale significare possunt apud audientes, judicandum est ex circumstantiis, & æstimatione audientium: plerumque enim audientes interpretari solent de naturali propensione tantum ad ejusmodi vitia: & sic dicere, peccatum veniale non excedet. *Sylvest. V. detractio q.* 1. *Less. Laym. citt.* Interdum tamen tales possunt esse circumstantiæ, ut aliis grave peccatum interpretantibus, existimatio hominis tali de se prolato judicio graviter lædatur: & sic dicere, a mortali excusari non poterit: ut bene notant Navar. *c.* 18. *n.* 34. *Less. & alii apud Laym. citt.* Qua ratione sæpius etiam alios defectus naturales referendo, peccata occulta gravia significando, utique graviter peccatur: ut si dicas aliquem laborare morbo gallico, nisi statim addas causam illius morbi fuisse naturalem, v. g. ex infectione ex loco frigido, vel cohabitatione contagiosa &c. significans eum deditum fuisse veneri illicitæ: si ergo dedecus illud grave sit, ut fuisse mæchatum, utique peccabis graviter: secus, si dedecus illi non sit, ut si sit miles, adolescens, infamis, tunc enim famam ejus graviter non lædis, ut modo dictum.

II. *Referre crimen, non nominata persona.*

61 SI quis referat crimen occultum factum, non nominata persona, dummodo absit periculum, quod audientes occasione illius narrationis deveniant in notitiam personæ criminosæ, ordinarie non est peccatum, saltem grave; quin etiam ex justa causa cohonestari potest, juxta dicenda §. 4. At vero si persona occulti criminis, etsi non nominata, ita tamen describatur, ut facile cognosci possit, vel aliquando agnoscenda sit: ut qui dicit primam suam filiam confessionis adulterium confessam esse &c. vel saltem in talis personæ familiam, ordinem, Monasterium, gravis infamia redundet: ut qui dicit, Religiosum talis Monasterii, vel Ordinis, hominem talis familiæ, tale, vel tale crimen commisisse &c. quantum est ex parte materiæ, mortaliter peccat cum onere restitutionis, immo tanto gravius peccat, qui bono nomini Communitatis detrahit, quanto majus, & communius bonum violat: quamvis enim Congregatio, vel communitas aliqua re ipsa non maculetur ex unius hominis scelere, vel perfidia, sicut nec Collegium Apostolorum ex proditione Judæ, maculatur tamen quoad homines simplices, & imperfectos, quibus id sæpe multiplici scandalo esse solet: de quo pulchre D. Aug. *Epist.* 137. *ad Clerum Hipponensem. Molin. Navar. Laym. cit. lib.* 3. *n.* 12.

III. *Referre crimen ab aliis auditum.*

QUi crimen alterius occultum simpliciter refert, vel narrat, se audivisse ab aliis, sine addita propria asseveratione, approbatione, vel confirmatione, aut nocendi proposito: si quidem tales circumstantiæ concurrant, ut credibile sit, neminem audientium crediturum esse, non peccat, saltem graviter: quia tunc abest periculum notabilis damni inferendi. Quod si vero a tali persona, & iis circumstantiis crimen narretur, ut vi ipsius narrationis audientes moveantur ad credendum, vel saltem sinistre suspicandum, peccabit utique graviter contra justitiam, cum onere restitutionis, ob rationem oppositam. Communis DD. cum Scoto *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 4. *art.* 1. Navar. *cap.* 18. *n.* 36. *&* 50. Molin. *disp.* 30. Less. *cit. c.* 11. *dub.* 5. Laym. *cit. n.* 7. & recte monet, & Tamb. *lib.* 9. *Decal. cap.* 3. §. 2. *n.* 5. plerumque adesse tale periculum, quod audientes aliquam fidem adhibeant cum læsione famæ proximi: ut saltem fama ejus, alias antehac certa, ponatur sub dubio apud audientes, quod ipsum gravis læsio est. Deinde universaliter, sive hoc, sive alio casu, si crimen alterius ita referas, & eo modo, ut prudenter non sit tibi fides adhibenda, advertas tamen audientes, non quidem ex vi narrationis tuæ, sed propria animi levitate, vel temeritate, credituros, aut sinistre suspicaturos esse, non peccas quidem contra justitiam, ut cum *S. Anton. Cajet. Sylv.* aliisque docent *Less. Laym. Tamb. modo citt.* quia sic non tu tua narratione nihil movente, sed propria audientium levitas, vel temeritas causa est malæ alterius famæ, vel existimationis; peccas tamen contra Charitatem pro ratione materiæ gravius, vel levius, dupliciter; & respectu audientium, & infamati: quia scandalum ponis audientibus temere credentibus, cum jactura famæ alterius. 62

IV. *Referre uni, vel alteri tantum.*

QUi occultum, & famæ crimen personæ alias bonæ famæ, sine causa manifestat, etiam uni, vel alteri tantum homini prudenti, & fidissimo, ulterius minime evulgaturo, eum adhuc peccare mortaliter, docet communior, & in rigore verior sententia DD. *Sotus, Mol. Less. Laym. sæpe cit.* & Lugo *disp.* 14. *num.* 51. alii apud ipsos. Ratio est, quia revera, & rationabiliter plerique etiam hanc famæ suæ jacturam magni æstimant, & graviter sentiunt, si de gravi scelere infamentur, etiam apud unum virum prudentem, & gravem. 63

Contra vero a mortali probabiliter excusant *Cajet. Pet. Navar. Reginal.* aliique relatis Less. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 11. *nu.* 70. Tamb. *cit. lib.* 9. *cap.* 3. §. 2. *num.* 7. Ratio in oppositum est, quod modicum nocumentum censeatur, famam perdere apud unum tantum hominem, si nullum aliud damnum exinde timeatur, immo moraliter perinde esse, ac si crimen omnino taceatur. Excipit tamen merito *Lessius cit.* casum, quo prudenter quis judicatur omnino rationabiliter nolle, ut fama sua apud illum unum denigretur: prout est in Religioso, Clerico, subdito, qui mallet crimen suum occultum sciri a centum aliis, quam a Prælato, Domino, vel Benefactore, a quo multum dependet. Eademque ratione *Lugo cit.* & alii a mortali excusant in primis conjuges, virum, & uxorem, qui inter se de occultis alterius criminibus confabulantur, modo absit periculum, ne alteruter conjux, uxor maxime, ulterius evulget. Item pœnitentes eos, qui in Confessione, etiam ad solum suum solatium, complicem revelant, aut de malefactis alterius occultis conqueruntur: aut ad consilium capiendum a vero prudenti. De quo mox iterum §. *sequenti*.

V. *Detrahere defuncto.*

ETiam defuncti occultum, & grave crimen propalare, mortale est contra justitiam, cum onere restitutionis. Ex communi Molin. *disp.* 28. Laym. *cit. n.* 13. Ratio est, quia defunctus corpore, sicut anima, ita etiam fama, manet quodammo- 64

dammodo vivus in hominum memoria, & existimatione; adeoque possessionem bonæ famæ suæ, & gloriæ retinet, qua si illum injuste spolies, damnum inferre censeris; ideoque compensare obligaberis. Sicut tamen tunc minus damnum infertur, ita etiam minus peccatum committitur, quam in detractione vivorum. Unde & Historici, etsi & ipsi contra justitiam peccent, occulta hominum crimina propalando, tamen quoad crimina publica, vel oblivione abolenda, vel uno tantum loco cognita, evulganda ad posteritatem, multo plus illis licet, quam aliis hominibus. Ut notant DD. cit. *Molina*, *Tann. Laym.*

§. III. *Res occulta.*

65 Detractio ut mortalis sit, requiritur, ut crimen omnino occultum, & non notorium sit; nam crimen jam notorium referre apud alios jam scientes, vel sine dubio alias brevi scituros, secluso alio maligno affectu vel effectu malo, ad summum veniale, & actus otiosus est; & sæpe nullum peccatum. Quoad alios vero non scientes adhuc crimen alias notorium, diligenter notandum est, duplex esse notorium, Juris, & facti.

66 *Notorium juris*, vel, ut ajunt, notorietate juris, dicitur id, de quo aliquis in judicio, vel condemnatus, vel confessus, vel sufficientibus signis, vel probationibus convictus est: unde qui de aliquo crimine extra judicium notorie infamatus est, vel confessus, vel in judicio semipleno tantum convictus, nondum potest censeri notorius notorietate juris, sed facti tantum. Communis apud citandos. *Notorium facti*, vel notorietate facti, dicitur id, quod plurium hominum conspectui expositum, vel notitia constat ita evidenti, ut nulla tergiversatione celari possit. Glossa *in cap. vestra de cohabit. Clericorum & mulier*. Idque notorium facti aliquando fit ab ipso criminoso: ut qui crimen admisit publice coram multis in foro, in caupona &c. aliquando fit a fama orta ex aliorum relatione, præsumptionibus, indiciis sufficientibus &c. Rursus aliquando est notorium respective tantum: scilicet respectu unius domus, Collegii, Communitatis, Viciniæ &c. aliquando est notorium absolute, vel respectu omnium, eandem saltem regionem, vel civitatem incolentium.

67 At quotnam numero hominibus debet cognitum esse crimen, vel defectus alterius, ad hoc ut possit dici notorium notorietate facti, & idcirco aliis ex eadem communitate nondum scientibus, narrari, seu revelari possit? Res admodum perplexa est. Aliqui apud *Sylvestr. v. notorium q.* 3. existimant sufficere, si decem personæ communiter ex communitate qualibet cognoverint; quia decem personæ faciunt plebem. Gloss. *in cap. unio* 10. *q.*3. P. Nav. *c.*25. *n.* 73. & alter Navar. *lib.*2. *cap.*4. *n.*292. nimis stricte requirunt, ut vel tota communitas, vel ejus major, vel potior pars crimen intellexerit; ut si communitas constet ex decem, ex quibus, vel septem, vel tres, aut quatuor potiores crimen sciant. Sed regulam certam, & universalem, physicam seu arithmeticam assignare, est impossibile. Placet ergo regula moralis tradita ab Abbate *in cit. cap. vestra nu.* 16. Molin. *disp.* 31. Laym. *cap.* 3. *num.* 8. Lugo *disp.* 24. *sect.* 6. Et est hæc

68 Quando res limites secreti, & occulti ita egreditur, ut attenta quantitate communitatis, qualitate hominum, & humana imbecillitate, prudentis arbitrio censeatur impossibile cohibere, quominus ulterius diffundenda, atque in aliorum cohabitantium, vel vicinorum notitiam deventura sit, tunc censebitur respectu illius communitatis, vel viciniæ notoria, & publica; ideoque fama amissa illius, de quo agitur. Unde in parva communitate regulariter sufficit quarta pars: in magna quinta, vel sexta: in maxima etiam vigesima, trigesima, & amplius: v.g. si domus, vel Monasterium constet viginti incolis, omnino sufficiet octo cognovisse, & loqui de tali crimine, ad hoc, ut respectu illius loci notorium censeatur. Si centum inhabitent, sufficit quindecim, vel viginti cognovisse. In oppido continente quadraginta domos, satis erit, octo, vel decem diversarum domorum incolas crimen perspectum habere. Si civitas 500. habitatores contineat, satis erit, triginta, vel quadraginta per civitatem dispersos de crimine loqui, ut notorium, seu famosum censeatur, ac de eo ulterius apud adhuc ignaros loqui liceat. Ita fere exemplificant *Mol. Laym. Lug. cit.* His ita prænotantis pono breves

Resolutiones.

69 I. *Crimen notorium notorietate juris, postquam per Judicis condemnatoriam sententiam publicatum est, omnibus aliis ejusdem, ac diversorum locorum per totum mundum, sine injuria licite vulgari potest.* Communissima, meique citati omnes, Molina, Less. Laym. *n.* 10. Lugo, & alii apud ipsos. Ratio est: quia sicut Magistratus in criminis vindictam reum corporis, & fortunarum, vel vitæ, ita etiam famæ, bonis spoliandi jus habet; idque re ipsa facere decernit, quando reum publica sententia coram populo condemnat; adeo ut reus tunc amittat omnino jus ad famam, & existimationem bonam respectu illius criminis apud omnes, de quo condemnatus est: ergo tale crimen evulgans non facit illi injuriam, consequenter non peccat contra justitiam. Sed neque contra charitatem delinquit, per se loquendo, & secluso alio malo affectu, ut contra *Sotum*, *Petrum Nav.* & alios probabilius docent *Mol. Less. Laym. cit.* quia utitur jure suo, & licentia sibi a Magistratu juste concessa ad evulgandum ulterius crimen, saltem in locis eidem Reipublicæ subjectis, vel aliis vicinis, vel commercio conjunctis (ut quidam pie restringunt) immo etiam in locis remotissimis: ideo enim damnatur facinorosus, ut sit exemplo aliis etiam remotissimis: uti cum *Lessio*, *Dicast.* advertit Tamb. *cit. c.* 3. §. 2. *n.* 11. Unde sequitur, non esse peccatum loqui de causa, ob quam quis publice incarceratus, vel alia pœna punitus est. At vero ante judicis sententiam, quando crimen ita cancellos judicii tantum notorium factum est, vel per solam rei confessionem, vel per testium depositionem, aliasve probationes, non potest sine injuria evulgari. Ex communi Molina *disp.* 33. Laym. *c.* 3. *n.* 9. Ratio est: quia tunc crimen in judicio notorium censetur solummodo in ordine ad ipsum Judicem, ut reum condemnare possit; at nondum in ordine ad populum, ut de eo loquatur, nisi primo post latam sententiam condemnatoriam. Quod si tamen crimen paulo post per sententiam publicandum sit, tunc criminis infamiam antevertere non erit gravis injuria; immo omnino nulla, si justam ob causam fiat, qua ratione CHRISTUS peccatum occultum Judæ postea brevi consummandum manifestavit dilecto discipulo Joann. c. 13. *qui intingit &c.* Quemadmodum & Petro postea prædixit trinam denegationem sui.

II. *Etiam crimen notorium notorietate facti tantum in aliqua Communitate, vel vicinia manifestare aliis ejusdem Communitatis, vel viciniæ adhuc ignaris, non est peccatum, saltem grave.* Communissima DD. cum Scot. *in* 4. *d.* 15. *q.* 4. *a.* 1. Nav. *c.* 18. *n.* 10. *Mol. Laym. citt.* Lugo *disp.* 14. *sect.* 5. (contra Adrianum Sylvestrum, & alios nonnullos, volentes talem adhuc graviter peccare contra Charitatem, detrahendo criminoso alias particulares famas, seu bonas existimationes sui apud alios homines sui criminis adhuc ignaros) sed contra. Ratio est; quia criminosus censetur tunc spoliatus & jure, & possessione famæ suæ, eo ipso, quo crimen ejus adeo manifestum evasit, ut moraliter reputetur impossibile, quin in aliorum cohabitantium notitiam deveniat; idque non tantum, quando crimen notorium factum est evidentia facti ab ipso criminoso, quippe qui eo ipso, quo crimen publice commisit, censetur cessisse juri, & possessioni famæ suæ, sed etiam, si crimen factum est notorium ex publica præsumptione, suspicione, infamia, seu relatione aliorum, v. g. Sacerdotem alere personam suspectam, adeo ut possit quis aut ipsum factum publicum, aut illam de facto publicam præsumptionem, vel infamiam (absque majori tamen propria asseveratione, vel confirmatione) aliis ejusdem loci, vel viciniæ referre, absque peccato saltem graviori. Primum enim imputare debet sibi ipsi; alterum imputet suo infortunio. Confirmat Lug. cit. *n.* 64. dicens; quia expedit ad bonum publicum, ut unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis publice est, ne alii in ejus convictu, commercio, vel alii actionibus humanis decipiantur. Confirmat Less. cit. *c.* 11. *dub.* 11. *n.* 75. ex consuetudine totius Orbis, numquam enim homines putant se injuriam facere, si publica crimina aliis referant, vel litteris præscribant, historiis commendata legant, & referant &c. Quæ rationes sane probant, crimen ita notorium aliis referendo, non solum non peccare contra justitiam, sed neque contra Charitatem, saltem graviter, per se loquendo, ut cum aliis notat Tamb. *cit. n.* 12. Cæterum apud omnes in confesso est, si fiat ex gravi odio, vindicta, vel novo damno illius proximi, esse mortale nullus dubitat: si fiat ex mera loquacitate, veniale: nullum autem peccatum erit, si fiat ex zelo bono, vel ad alium finem bonum. Denique loquimur semper de crimine vero, ita notorio facto, etiamsi per injuriam aliorum propalatum esset (excepto semper, nisi emanasset ex sigillo Confessionis.) Crimen autem falsum, de quo aliquis per injuriam diffamatus est, scientes aliis nescientibus narrando ulterius divulgare peccatum est contra justitiam ex genere suo mortale secundum omnes. Quia innocentem infamare per se malum, & semper injustum est, quo injuriæ peccato se maculat non tantum, qui primus crimen falsum imponendo infamiam causavit, sed etiam, qui aliis narrando infamiam auget, & ulterius diffundit. Ratio hujus est: quia innocens injuste infamatus de crimine falso, semper retinet jus intrinsecum fundatum in sua probabiliter innocentia, ne falsum de illo dicatur, vel imputetur. Nocens autem in tali crimine, quantumvis initio injuste diffamatus, nullum tale jus intrinsecum retinet, ut ex se patet. 70

III. *Crimen notorium notorietate saltem facti in uno tantum loco, potest quidem absque peccato saltem gravi aliis referri in locis vicinis, vel commercium consortio ita conjunctis: ut ad illa loca cito, & facile, & quasi moraliter idem rumor sit perventurus, tunc enim moraliter rem æstimando fama hominis amissa in hoc loco, etiam in loco tam vicino, & conjuncto amissa censeri potest:* ut habet communis DD. apud cit. 71 *At vero ejusmodi crimen notorium in uno loco tantum referre in alio loco sive vicino, sive ita disjuncto, ut ad illum, vel ex natura rei non debebat, vel ob distantiam, aut incommunicationem incolarum mortaliter non poterat notitia ejus facti perve-*

pervenire, peccatum ex genere suo mortale est etiam contra justitiam; juxta communem DD. Sotus *lib.* 5. *q.* 10. *de just. art.* 2. Molin. *disp.* 31. & 32. Petr. Nav. *a n.* 291. Tanner. *to.* 3. *disp.* 4. *de just. q.* 8. *dub.* 7. *n.* 142. Laym. *n.* 8. Ratio est: quia quamtumvis infamatus in uno loco, in alio tamen loco, quo notitia sui criminis, vel non debet, vel non potest pervenire, adhuc juste possidet famam suam apud nescientes: ergo illic referens injuriam ei infert contra justitiam. Unde si crimen in tua tantum domo notum sit, non ideo potes manifestare aliis ex vicinia, vel si in tua vicinia tantum notum sit, non ideo potes manifestare aliis in remotioribus partibus amplæ civitatis; quia respectu tuæ domus, vel viciniæ nondum est sufficienter notorium, ut aliis nescientibus manifestari possit; vel si in tota tua civitate notum sit, non ideo potes manifestare in loco remoto, quo tu extraordinariam occasionem habes, & sine te notitia criminis, eo nunquam pervenisset. Hæc sententia uti communior, & tutior, ita probabilior mihi omnino placet. Nec tamen displicet distinctio Card. de Lug. *cit. sect.* 6. *a n.* 80. late. Quando nimirum res est notoria absolute in aliqua civitate, vel loco communi, posse tunc sine ullo peccato saltem gravi referri in aliis locis remotis, vel litteris eo scribi. Ponamus grave scelus Titii esse absolute notorium in hac civitate Passaviensi, & veniat ad te hospes ex loco remoto, nonne potest illi res tota narrari, sicut aliis in hac urbe commorantibus, forte adhuc insciis, quamvis peregrinus ille rediens in suam patriam notitiam illam secum delaturus sit? cur ergo eidem in patria commoranti non poterit id ipsum per litteras scribi, vel eidem ibidem narrari, si quis ad ipsum ibi perveniret? Secus est, quando res non est notoria absolute, sed cum limitatione intra certam privatam Communitatem, Collegium, Monasterium, familiam, scholam, tunc omnino fatendum est peccari contra justitiam alibi referendo: namque ita limitate notoria, in uno v. g. Monasterio circa crimen alicujus Religiosi, non sunt ita publica, vel notoria, ut possint referri cuilibet seculari hospitii, vel visitationis gratia ad illud Monasterium venienti, sicut quæ absolute notoria, vel publica sunt in aliqua tota Communitate, civitate &c. ut dictum est. Quare consentiunt fere omnes, injuriam mortalem inferre eum, qui crimen alicujus aliis extra talem locum degentibus manifestat: non enim crimen notorium est absolute, sed respective, & limitate ad hunc locum, ideoque criminosus retinet jus ad famam suam extra talem locum. Adde, tunc injuriam inferri non tam privatæ personæ criminosæ, quam ipsi Communitati, Collegio, Monasterio, familiæ &c. cum enim Collegium, vel Monasterium moraliter reputetur ut una persona politica, ideo malum unius inhabitantis redundat in malum, & infamiam alterius, qualis conjunctio non est in Communitate publica, civitate, vicinia tota. Quare a mortali excusari non possunt neque jam illi tabellarii, & feritarii, qui crimen religiosi, v. g. etsi in hoc Conventu notorium, aut etiam ad emendationem, vel vindictam publicatum, attamen intra terminos hujus Conventus sepeliendum, ad alios Conventus sine ulla causa per modum novellarum perscribunt, vel referunt; immo quandoque exaggerant, &c.

72 IV. *Infamato de aliquo crimine notorio notorietate juris, vel facti, postquam per pœnitentiam, & vitæ emendationem famam suam recuperavit, injuriam mortalem infert cum obligatione restitutionis, qui eum de præterito, & oblito crimine denuo, & sine causa infamat*: ut contra *Lessium* docet communis DD. Toletus *l.* 5. *c.* 65. Molina *disp.* 33. *Laym. Lugo* citt. apud ipsos. Ratio est: quia sicut malis moribus infamia contrahitur, ita contrariis moribus infamia aboletur, & bona fama recuperatur; ergo ea semel recuperata apud homines prioris sceleris oblitos, injuriose spoliatur recensendo prius ejus crimen. Confirmat optime *Lugo n.* 85. Quia res illa per oblivionem reducta est ad eum statum, quem habebat, antequam esset publica: ergo sicut tunc publicari non potuit, ita nec postea poterit: nam antea rem notoriam fuisse facit quidem, quod tunc fuerit publica; non tamen facit, ut nunc publica sit. *Hæc Lugo*. Cæterum a mortali minime excusantur, sed vana detrahentium effugia, vel prætensiones sunt, quando quis aliquem sua detractione infamatum in uno, in alio facto laudat, aut post narratum crimen mox addit pœnitentiam ab eo actam. Multo minus infamiam jure, vel facto de uno tantum, vel altero etiam graviori crimine, absque injuria mortali poteris infamare de alio occulto etiam minori scelere, sive ejusdem, sive diversæ speciei, dummodo de se sit materia sufficiens detractionis mortalis; ut sic furem condemnatum ob certa furta publicata, prodas etiam alia quædam furatum, aut etiam adulterum fuisse: si adulterum infamem, sed correctum, notorie prodas denuo relapsum esse, &c. ut contra *Palud. Sylv.* alios recte docent Petr. Navar. *l.* 2. *c.* 4. *n.* 226. Less. *cit. dub.* 14. Laym. *n.* 11. Tanner. *n.* 141. Ratio est: quia quamtumvis infamis de uno hoc crimine, adhuc tamen apud homines famam possidet respectu alterius criminis, vel relapsus omnino occulti: ergo ea fama injuriose spoliatur. Secus dicendum esset, si crimen aliud esset valde affine, vel annexum cum altero notorio, ut si infamatum de adulterio prodas, etiam semel fornicatum esse: aut si contingat hominem ita esse prostitutæ famæ, ut parum ipsi accedat infamiæ, si aliud crimen etiam disparatum de eo dicatur: ut si de variis & repetitis criminibus infamem præsertim ejusdem speciei v. g. notorium usurarium, concubinarium, meretricem de novo lapsu, insimules, sic ut ei leve valde detrimentum famæ accedat, tunc enim non peccabis, nisi venialiter ob parvitatem materiæ, & nocumenti personæ, ut bene docent *Navar. Azor. Lessius*, alii apud *Laym.*

§. IV. *Injustitia revelandi.*

DEtractio ut mortalis sit, requiritur denique maxime injustitia revelandi, ut nimirum fiat absque ulla justa causa necessitatis, vel utilitatis gravis præponderantis damno infamiæ alterius. Causæ autem justæ revelandi verum crimen occultum alterius multifariæ, commode ad 4. capita reducuntur. 1. *Bonum ipsius referentis*. 2. *Bonum audientium*. 3. *Bonum ipsius delinquentis*. 4. *Bonum Communitatis, vel Reipublicæ*. 73

I. *Bonum ipsius referentis.*

PRima causa licite revelandi crimen occultum alterius, vel defectum, est bonum revelantis, vel personæ valde conjunctæ. Sic 74

I. Licitum est peccatum proximi, vel injuriam in se admissam, aperire viro prudenti, amico, Confessario, consilii, vel auxilii, immo etiam in sua afflictione solatii, & levaminis capiendi gratia. Communis DD. apud citt. omnes. Ratio est: quia valde difficile, & maximum gravamen esset, si in mea injusta afflictione non possem auxilium, vel consilium quærere, sed sine ulla querimonia silentio concurrere deberem: atqui nemo cum tanto proprio incommodo tenetur studere famæ alterius injuste lædentis: præsertim cum vix ullus prudens talia audiens attendat ad infamationem alterius, sed potius ad consilium, solatium, vel levamen exhibendum homini suas miserias queritanti. Recte tamen monent, & limitant *Less.* & *Laym.* ut quoad possibile est, cum minimo alterius damno fiat, adeo ut si sufficiat unus ad consilium, vel solamen, non manifestetur pluribus; si id sufficienter capi possit, non nominata persona, non nominetur. Et Marchant. hic tr. 9. tit. 4. q. 4. reg. 3. addit: *Modo non mentiatur iniquitas sibi, & fine pravo, aut cum multis mendaciis, suspicionibus, & judiciis temerariis id non fiat, ut fit ordinarie maxime a mulieribus*. Huc spectat quod docet *Joannes de la Crux* apud Tamb. *cit. c.* 3. §. 2. *n.* 27. etiam justam querelam excusari a mortali, dicens: si persona secreto graviter injuriata, non valens se a dolore cohibere, in querimonias prorumpit publicas, non illico de peccato mortali damnatur, si injurians infametur; durum enim videtur, sic afflictum animum cohibere, ne in querimoniam prorumpat, cum hoc naturalissimum sit. Hæc ille; ego tamen cum *Tamb. cit.* talem potius excusarem ex imperfectione actus, primis motibus, voluntario imperfecto. 75

II. Ad sui, vel proximi innocentis, præsertim conjuncti justam defensionem, licitum est alterius infamantis, vel persequentis crimen occultum aperire, quatenus necessarium est ad minuendam ejus auctoritatem. V. G. dicendo eum mentiri, sæpius in simili mentitum esse &c. servato semper moderamine inculpatæ tutelæ, ne plus noceas, quam ad defensionem opus sit. Ratio est: quia si pro nostra defensione etiam famæ, vitæ, vel fortunarum licet alteri eripere vitam, cur non etiam famam? Communis DD. cum Nav. *c.* 18. *n.* 48. Item ut officium, vel beneficium tibi, tuisve dignis assequaris, non est illicitum, saltem graviter, competitoris non dignioris notum vitium collatori aperire: immo etiam occultum, quo ad tale officium, vel beneficium inhabilior redditur. *Sa V. infamare*. Navarr. *in cap. inter verba n.* 854. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 65. & alii. 76

III. Eadem ratione a fortiori in judicio, si accuseris de crimine, quod ab accusatore juridice probari non potest; non solum potes negare crimen objectum, aut dicere accusatorem mentiri, & calumniari (qui enim accusat de crimine, quod probare non potest, calumniator est, & suo sensu mentitur) verum etiam potes eidem accusatori (& similiter testi falso) ad eorum fidem superandam, verum occultum crimen objicere, & revelare, si alia via te tueri non possis: quilibet enim jus habet se defendendi, præsertim eodem genere armorum, quibus impetitur, & impugnatur: attamen semper cum moderamine inculpatæ tutelæ; si enim alia via te tueri possis, aut saltem minus crimen, vel unum tantum objiciendo, satis tibi consulere, utique manifestando majus flagitium, vel plura crimina, peccares contra justitiam, eadem ratione, qua ille, qui in tuenda vita sua moderamen inculpatæ tutelæ excederet; juxta dicta suo loco. 77

IV. Insuper ad evadendam mortem, vel gravia tormenta v. g. ob crimen occultum alterius tibi falso impositum; & multo magis si ad crimen alterius occultum, tibi cognitum, manifestandum, metu mortis, vel torturæ adigaris, licite manifestas crimen occultum alterius verum, quod extra sigillum Confessionis sacramentalis novisti. Communis DD. 78

Navarr. *c.* 18. *n.* 54. Molin. *tr.* 5. *disp.* 37. Lugo *disp.* 14. *sect.* 7. *n.* 95. Minime autem eo casu (etiam multo minus in præcedentibus) licet crimen falsum imponere proximo innocenti, ut contra *Sylvestrum*, *Petrum Navar.* & *Lessium* docet item communis DD. & bene probat Lugo *cit. a n.* 98. Etenim ab Innocentio XI. damnatæ sunt hæ duæ propositiones 43. *Quidni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Et 44. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Ratio autem utriusque est: quia innocens habet jus strictum, & universale ad suam veram famam veris virtutibus, & innocentiæ debitam, ut a nullo, ullo unquam casu licite lædi possit; nisi id necessarium esset ad tuendam alterius vitam (alia ratio de bonis fortunæ alibi patuit.) At vero revera nocens non habet ita strictum, & universale jus ad suam famam; quippe non fundatam in vera bonitate, & innocentia, sed falsa, & æstimata tantum, ut non possit ejus verum occultum crimen aliquando ob justam, & urgentem causam publicari (in proposito autem revera est causa urgentissima) sed solum habet, ut sine justa causa non possit sua fama apud homines adhuc ignaros possessa spoliari. Ut late, & docte prosequitur *Lugo ibid.*

II. Bonum audientium.

79 LIcitum, & sæpe meritorium est, proximi peccata, vel defectus, etiam occultos referre, ad audientium, vel instructionem, ut a malis avertantur, simili lapsu, vel occasione caveant, vel ad cautelam, ne hypocrisi, pravis moribus, vel societate malorum seducantur, vel decipiantur, vel ad informationem ad propulsandum aliquod malum aliis per impios inferendum: patet exemplis Christi, & Sanctorum in Sacra Scriptura Luc. 12. *Attendite a fermento Pharisæorum.* Matth. 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Item Matth. 23. & alibi late eorum vitia depingit ad audientium cautelam, & instructionem. Et Apostolus 1. *ad Timoth.* 1. aperit vitia Hymenæi, & Alexandri, quos dicit se tradidisse satanæ, ut discant alii &c. Ratio est: quia salus, & bonum, præsertim spirituale innocentis, ordine Charitatis præferendum est famæ nocentis, qui in damnum aliorum injuste famam possidere censetur, cum veræ famæ fundamentum non habeat virtutem. Simili ratione, quem novi esse furem, possum manifestare iis, quibuscum habitat. Quem novi imperitum Medicum, Advocatum, Confessarium, artificem &c. possum ad cautelam manifestare iis, quibus damnum inferri ex eorum imperitia potest. Quem novi esse homicidam, vel furem occultum, possum indicare Judici, ut innocentem eo crimine accusatum liberem. Si quem novi habere occultum impedimentum dirimens, possum indicare Parocho, ne matrimonium invalide, vel sacrilege celebretur, & ita in similibus. Immo in hujusmodi casibus aliquando etiam manifestare debes ex charitate; nimirum quando innocenti majus malum proveniret, quam nocenti ex manifestatione sui occulti criminis. Dummodo semper absit pravus finis, vel affectus: aut ex publicatione alterius peccati gravius malum non timeatur, quam bonum speretur, ut sæpe evenire solet.

III. Bonum ipsius delinquentis.

80 NAm præter præceptum correctionis fraternæ, quo quis tenetur peccatum non emendatum proximi, si secreta correctio, vel adhibita nihil profuit, vel adhibenda nihil profutura speretur, denuntiare Superiori ad correctionem, juxta communem doctrinam in materia de Charitate, etiam licitum est per se loquendo, ex compassione amicabili, vera tamen, & charitativa, etiam aliis pandere defectus occultos alicujus, eo fine, ut audientes pro eo orent, vel alias ad ejus correctionem collaborent; juvat etiam quandoque ejusmodi denuntiationem criminoso comminari: aut in præsentia criminosi coram aliis amicis fidelibus, & charitativis ejus crimen referre, ut communi omnium adhortatione saltem rubore confusus ad emendationem compellatur: ubi magna discretione opus est. Ratio eadem a fortiori est: quia multo magis salus, & bonum spirituale ipsius delinquentis præferendum est ejus famæ, quando sine hujus aliquali læsione procurari commode non potest, ut hic supponimus ex communi cum Marchant. *cit. reg.* 2. Dixi tamen dummodo semper fiat ex *vera, & charitativa compassione*, sæpissime enim res aliter se habet. Lege, quæso, D. Bernardum *sermone* 24. *in Cantica*, præclarissime depingentem eos, qui sub titulo compassionis fratribus detrahunt, & inter plurima sic ait; *Alii quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas alta præmitti suspiria, sicque quadam cum gravitate, & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto plausibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde invito, magis & condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius; mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico, revera ita est. Et addit; grande damnum &c.* Hæc ille.

IV. Bonum commune Reipublicæ, vel Communitatis.

REgula universalis hæc sit. Quilibet licite potest, & 81 plerumque ex Charitate tenetur aperire etiam occultum crimen, vel defectum alterius, quoties ita necesse est ad impediendum majus damnum, vel ipsius Communitatis, vel privatæ cujuscumque personæ innocentis; cum quilibet ordine Charitatis teneatur magis avertere majus damnum Communitatis, vel personæ innocentis, quam personæ nocentis. Communissima DD. cum Navarr. *c.* 18. *n.* 31. Mol. *disp.* 24. Lessius *l.* 2. *c.* 11. *dub.* 9. Laym. *c.* 3. *n.* 5. Exempla sunt: si quis moliatur crimen perniciosum Reipublicæ, hæresim, homicidia, furta, proditionem &c. quæ aliter impedire non potest, tenetur aperire iis, quorum interest. Si quis assumendus sit ad statum aliquem indignus, & Reipublicæ, vel privatis personis perniciosus futurus, v. g. homo improbus, & ineptus ad officium, beneficium, vel Parochiam promovendus cum subditorum damno temporali, vel spirituali: Medicus imperitus ad corporis curationem accersendus: Persona in matrimonium assumenda, unde mali exitus timeantur &c. potest, & debet conscius vitium personæ, quo inhabilis sit, aperire, si aliter revocare non possit. Quo etiam spectat, ut jam indicatum, si innocens suspicione falsi criminis de vita, & fama periclitetur, tuque conscius eum liberare possis, indicando verum auctorem criminis, teneris ex Charitate indicare, prius tamen monendo alterum, ut sibi consulat, ob eadem rationem. *Mol. Laym. l. c.* Item si dos, domus, legatum, eleemosyna conferenda sint pauperi, qui tamen pauper non est, potest ejus occulta simulatio detegi, ut alteri vero pauperi obveniat. Quod si tamen dos conferenda esset puellæ virgini, quæ occulte vitiata est, conscius non potest aperire ejus vitium, neque opus est; quia in foro, & politia externa pro virgine habetur, & insignibus virginum v. g. serto gestando gaudet. Ut bene resolvit Laym. *cit. n.* 5.

SECTIO IV.

De restitutione famæ læsæ alterius.

SUMMARIUM.

82 & 83 *Injusta læsio famæ inducit obligationem justitiæ, tam*

84 I. Personalem, *respectu lædentis, & læsi, qua lædens tantum, non ejus, hæres, soli infamato obligatur: quam*

85 II. Realem *compensandi damna realia ex diffamatione secuta,*

86 & 87 *Pro ratione materiæ, & culpæ commissæ,* gravem, *vel* levem,

88 Reparandi *famam ablatam:*

89 *Crimen falso impositum aperte retractando, etiam cum æquali infamia, vel periculo damni,*

90 *Aut veri occulti criminis evulgati opinionem prudenter corrigendo.*

91 Usque ad num. 96. *Qualiter, seu quomodo hæc correctio, vel reparatio fieri possit, & debeat.*

96 & 97 *Si reus in judicio non juridice interrogatus, negando crimen, infamiam causet accusatori, vel testibus, pro illa iis ad nihil tenetur:*

98 *Secus, si juridice interrogatus negando eos in fama læsit.*

99 *Infamans obligatur restituere famam apud omnes audientes immediatos.*

100 *Ac etiam mediatos, si crimen aperuit audientibus immediatis ea intentione, jussu, suasu &c. ut etiam aliis manifestarent, qui sic audiunt mediate;*

101 *Aut si prævidit homines garrulos id ulterius evulgaturos.*

102 *Videtur tamen modo praxis contraria, & sufficere restituere apud audientes immediatos solum:*

103 *Præsertim si non judicavit, nec cogitavit, an ulterius evulgaturi sint, nec ne:*

104 Usque ad num. 107. *Quando, & qualiter peccet audiens detrahentem, &*

107 Usque ad num. 110. *Quando audiens teneatur monere, vel corrigere detractorem, ut desistat.*

ASSERTIO V.

INjusta læsio famæ proximi per detractionem, calumniam 82 *&c. inducit obligationem justitiæ personalem restituendi ipsam famam; insuper & realem compensandi alia damna realia inde secuta, pro ratione materiæ, & culpæ commissæ, efficaciter, utpote crimen falso impositum aperte retractando, aut veri criminis occulti evulgati opinionem prudenter corrigendo apud audientes immediate omnes; atque etiam mediatos*

diatos alios , si causa voluntaria fuit , ut audirent. Communis, & certa omnium doctrina , ut patebit explicando per singula.

§. I. *Inducit obligationem justitiæ*.

83 RAtio manifesta est: quia quisquis alterum injuste læsit in bonis alicujus momenti, ex justitia commutativa obligatur compensare damnum illatum : sed lædens alterum in fama per detractionem, vel calumniam , utique lædit in bono magni momenti, & majoris ex genere suo, quam sit bonum fortunæ: ergo læsio illa inducit obligationem justitiæ restituendi ipsam famam. Sed dico

Personalem.

84 OBligatio enim restituendi ipsam famam læsam personalis est, tam respectu lædentis, quam respectu læsi, adeo ut ipse tantum infamans , non item postea ejus hæres, vel successor (nisi intercedente aliquo speciali pacto,) & ipsi tantum infamato vivo , vel defuncto , non autem hæredibus, vel successoribus defuncti infamati (nisi ad ipsos etiam infamia redundasset) famam restituere teneatur. Communis DD. Lessius *cit. l.2.cap.11. dub.21.* Lugo *disp.15. sect.1. n.8.* Ratio est: quia sicut ipsum jus famæ personale est, & proprium personæ habentis , ut nulli alteri debeatur, nisi ipsi , ita & læsio injusta famæ , & consequenter ejusdem restituendæ obligatio personalis , & propria est personæ lædentis ; sic ut nullum alium obligare possit, nisi interveniente speciali pacto ; ut si moribundus filio, vel amico committat munus restituendi alicui famam a se læsam, quo tamen casu commissarius non suo , sed defuncti nomine famam restituet ; etsi nulli alteri ea restitutio debeatur, nisi ipsi personæ læsæ, ac iis, in quo ejus infamia redundat : ut si parentem diffamasti pro concubinario, rebelli &c. teneberis restituere defuncti liberis, consequenter pro spuriis habitis , aut bonis omnibus privandis. Et sic in similibus. Addidi tamen

Insuper & realem compensandi damna realia secuta.

85 INfamans alterum, sive crimen falsum imponendo, sive verum crimen occultum pandendo, ex justitia non tantum tenetur restituere ipsam famam, modis mox explicandis ; sed etiam quodvis aliud damnum reale ex sua diffamatione secutum infamato, si illud intendit, vel prævidit, vel prævidere debuit, ut si adeo infamatus officio, dignitate, bonis suis privatus, vel punitus fuit, debet facere integram compensationem arbitrio viri prudentis, & probi: quia quisquis scienter dedit causam injusto damno alterius, tenetur ex justitia illud compensare, quoad facere potest. Communis DD. *Navarrus* uterque, aliisque congestis Molina *disp.* 45. Lessius *dub.* 19. Laym. *l. 3. tr. 3. par. 2. c. 7. n.4.* Et quid si crimen falso impositum sit , certum est apud omnes, deberi integram compensationem damnorum , si autem crimen verum occultum evulgatum sit , existimat Sotus *l. 4. de just. q. 6. art. 3.* diffamantem non teneri ad integram restitutionem damni : cum illud damnum potius crimini vero illius , tamquam causæ adscribi debeat ; evulgatio autem sit solum conditio, sine qua non, illius damni: ideoque diffamans tenebitur solum pro parte arbitrio boni viri. Sed contrarium in juris rigore verum est , & tenetur a citatis, & aliis communiter: quia crimen occultum per se non habet ullam vim inferendi damnum, sed accipit per evulgationem : ergo evulgator tota causa moralis damni secuti existit ; sicut si quis ignem latentem sub cineribus erueret, & stramini applicaret, is utique tota causa orti incendii merito diceretur , ait *Lessius cit.* Idemque dicendum, si aliquem ejusmodi injusta infamatione impedivisti a lucro, seu bono aliquo consequendo, juxta generaliter dicta de restitutione ex injusta damnificatione negativa . Insuper hæc actio , & obligatio restituendi damna ex injusta diffamatione secuta transit ad hæredes diffamantis , & diffamati : quia est actio, & obligatio realis habens ordinem ad bona infamatoris , ex quibus damnum resarciri debet: atqui hæres repræsentat personam defuncti quoad omnes actiones reales concernentes bona defuncti , in quibus succedit : non item in obligationibus mere personalibus, quæ non transgrediuntur personam defuncti obligati ; qualis est etiam obligatio restituendi ipsam famam, ut notant *DD. cit.* & jam supra dictum.

§. II. *Pro ratione materiæ, & culpæ commissæ*.

86 NImirum 1. Sub mortali erit obligatio justitiæ ad restituendam famam , si in materia gravi, & culpa mortali famam alterius læsisti. 2. Si in materia levi , & culpa solum veniali, sive ex parvitate materiæ, sive ob imperfectionem actus, ex inadvertentia, vel præcipitantia solum veniali, aut aliam causam excusantem a mortali læsisti, non erit obligatio restituendi, nisi solum sub veniali: cum ex culpa solum levi, & veniali in damnificando proximum, non possit oriri obligatio gravis , & sub mortali restitutionis, saltem in foro conscientiæ , ut suo loco probatum est. Vide bene Lugo *cit. disp.15. sect.1. n.7.* & alios apud ipsum. 3. Si omnino inculpate, immo juste læsisti ob justam causam excusantem, juxta dicta Assert. præcedenti §. 4. certum est, nullam adesse obligationem restitutionis. Hæc tria certa, & plana sunt. 4. At quid, si læsisti inculpate materialiter tantum sine peccato, vel injuria formali , utpote ob indeliberationem, præcipitantiam, ob errorem inculpabilem , aut quia bona fide credidisti crimen proximi jam esse notorium, cum tamen revera esset occultum , & sic aliis aperuisti? Certum est , non adesse tunc obligationem restitutionis ex capite injustæ infamationis , idque quamdiu in eo statu materialiter inculpato permanes : at vero postea animadverso errore tuo , & damno proximi in fama sua, omnino adhuc teneris restituere, & quidem ex justitia, juxta communem DD. Molina *disp.* 40. *n.* 3. Lessius *c.* 11. *dub.* 22. Laym. *c.* 7. *n.* 1. Lugo *disp.* 15. *sect.* 1. *n.* 4. Ratio est: quia justitia non solum obligat ad non inferendum damnum proximo , seu ne quis det causam injusti damni proximi ; sed etiam obligat, ut illam causam damnosam forte, quoquo modo a se positam, postea auferat: adeoque quicumque causam posuit, unde postea intelligit alteri damnum injustum oriturum, is ex justitia obligatur causam a se positam tollere; si adhuc utiliter, & sine gravi suo incommodo possit: si enim causam a se positam, cum facile possit, non removeat, censetur adhuc, & de novo velle effectum, & damnum illud, quod ex causa posita oriturum prospicit. V.G. Si bona fide, etiam per omnimodam , & inculpabilem inadvertentiam alicubi ignem posuisti, ex quo postea intelligis incendium domus, vel ædis oriturum ; si similiter inculpate homini venenum propinasti &c. si tamen errorem tempestive agnoscas , quando adhuc incendium, vel mors hominis impediri potest , utique teneris sub mortali impedire, si absque gravi tuo incommodo possis: idque ex justitia ; quia saltem materialiter tu causam posuisti damni (ex Charitate enim teneretur quicumque alius facile impedire potens, qui nullam posuisset causam,) alioquin certe , si non impedias, tamquam incendiarius , aut homicida condemnaberis quoad pœnam, & restitutionem . Sic ergo in proposito nostro , si etiam inculpate intulisti damnum famæ alienæ, & causam dedisti injustæ infamiæ, quasi ignem applicuisti, venenum propinasti, crimen proximi, aut verum occultum, aut falsum narrando, vel etiam in judicio denuntiando &c. postea errore cognito , & damno proximi, teneris ex Justitia eam causam tollere, & famam reparare ; si nimirum sine tuo notabili incommodo possis ; nam bona fides tua prima, & inculpabilis actio, aliquid omnino debet demere de obligatione, ut saltem non cum tanto tuo incommodo tenearis, quanto tenereris , si a principio mala fide, & cum culpa gravi damnum intulisses, vel causam damni dedisses: ut notant *DD. cit. omnes*. Quod si non feceris, cum facere posses, jam merito injustus alienæ famæ denigrator censeberis; & insuper obligaberis ad compensanda omnia alia damna realia inde infamato secuta , ab eo tempore, quo advertisti errorem tuum, quo proximum injuste diffamasti : non autem illa damna, quæ ante hanc inadvertentiam, te adhuc in bona fide, & errore inculpabili persistente, secuta fuerunt; pro his enim in nulla culpa fuisti, quamdiu errorem tuum non advertisti : at pro illis postquam errorem cognovisti , si, cum facile possis, culpabiliter negligas impedire infamiam proximi, & damna inde sequentia, jam incipis esse in gravi culpa contra justitiam: ideoque ex justitia obligaberis compensare ista damna ex graviter culpabili mora tua infamato consequentia: ut ex communi optime declarat *Lugo cit.*

Eadem ratione resolvendum est in casu , quo detraxisti 87
coram aliis graviter Petro, narrando grave quoddam ejus facinus, sed audientes per errorem intellexerunt de Paulo, & ideo Paulus apud eos detrimentum famæ patitur, si postea errorem, & damnum Pauli intelligas. Lessius *ibid. cit. n.* 119. vult te obligari ex Charitate tantum corrigere, & auferre errorem audientium, non ex justitia: eo quod narratio tua non sit causa directa infamiæ Pauli, sed erronea audientium intelligentia . *Molina* autem, & *Lugo cit.* rectius censent teneri te etiam ex justitia ob rationem supra datam : revera enim ex tua narratione occasionaliter saltem sequitur iste error audientium , & consequenter infamia Pauli apud audientes.

§. III. *Efficaciter*.

DEtractor nimirum obligatur famam ablatam resarcire , & reparare cum effectu , quantum in se est: 88
hoc est, debet facere, ut infamatus, correcta mala de se opinione apud audientes , bonum nomen, & decus suum re ipsa, & in effectu recuperet: idque etiam cum suo incommodo majori, vel minori , juxta proportionem delicti (Hoc opus, hic labor est.) Nimirum

Crimen falso impositum aperte retractando.

QUi scilicet famam læsit, alteri scienter falsum crimen 89
imponendo, tenetur postea aperte retractare apud audien-

dientes. Certum apud omnes. Hac tamen differentia. 1. Si vir magnæ auctoritatis detraxit, vel infamavit, v. g. Episcopus, Superior, Prælatus, Senator, &c. sufficit dicere apud audientes, se errore deceptum dixisse falsum &c. non tamen tenetur dicere, se mentitum esse, faciendo jacturam famæ suæ cum detrimento Reipublicæ: nam ex una parte talibus ita retractantibus facile creditur: ex altera autem parte majus malum esset, talem infamari, quam alterius infamati. Ex communi Petrus Nav. *l.2.c.4.n.*375. Less. *l.2. c.*11. *dub.*2c. Mol. *tr.*3. *disp.*41. *n.*2. Tann. *disp.* 4. *de just. q.* 6. *dub.*6. *n.*141. Laym. *cit. c.* 7. *n.* 1. & alii apud ipsos. 2. Alii autem communiter tenentur etiam fateri se mentitos esse; & sibi imputare debent probrum, quia in culpa fuerunt. Insuper quia homines propensiores sunt ad credenda mala, quam bona de proximo, quod si audientes nollent credere simpliciter retractanti suum dictum, tenebitur detractor etiam adhibere juramentum: ut ex Soto, Bannez, utroque Navarro, aliisque docet Tann. *cit. n.* 142. Non tamen tenetur adhibere testes: si enim etiam juranti nolunt credere, ipsis jam imputari debet injuria falsæ, & vanæ credulitatis: si enim homo retractans sit tam parvæ fidei apud ipsos, eo ipso minus debebant credere infamanti. 3. Retractatio falsi criminis omnino fieri debet, non obstante infamia æquali, & periculo damni incurrendi: ut si quis alterum per calumniam accusavit, aut contra alium falsum testimonium scienter dixit, ex quo illi mors imminet, manet obligatus calumniator ad retractandum suum dictum, etiam cum æquali infamiæ, & mortis periculo, quia in pari causa semper melior est conditio innocentis, quam nocentis. Tenetur quilibet ordine Charitatis magis diligere suam vitam, famam, pecuniam &c. quam alterius; sed salvo jure alterius, quod nulli potest eripere Charitas: in proposito autem innocens habet integrum jus ad famam, vel vitam suam: nocens autem ipso facto, quo sui calumnia alterum infamiæ, & mortis periculo exposuit, censetur amisisse jus ad conservandam vitam, vel famam suam, cum tanta injuria proximi innocentis. Est communissima, & certissima DD. Sententia, meique citati omnes, & optime Bonac. *in* 8. *Præceptum disp.*10. *q.* 3. *propos.* 3. *n.* 16. recte addens, talem calumniatorem teneri etiam admonere alios, quos ad falsum testimonium ferendum induxit, ut falsum retractent: & iis recusantibus tenetur Judici fraudem aperire, quamvis sibi periculum vitæ immineat: dummodo semper credat se profuturum; quia credens se nihil profuturum, non tenetur retractare, cum nemo ad opus inutile obligetur: tenebitur tamen restitutionem aliorum damnorum facere, cum illorum causa injusta fuerit. Hæc *Bonacina*. Sed addit merito Tamb. *l.* 8. *Decal. c.* 1. §... *n.* 6. semper juvare, & prodesse, saltem per hominem gravem admonere Judicem de falsitate prædicta: nam certe tunc judex majorem diligentiam adhibebit exquirendi veritatem pro reo. 4. Denique etiam ignotus infamator, vel auctor calumniæ, etsi ordinarie non teneatur se prodere ad reddendam proximo famam ablatam; quia ordinarie resarciri potest proximi fama per interpositas personas, aut etiam per Confessarium, sine notitia personæ, quæ primo infamavit, vel calumniata est; obligabitur tamen se prodere in certo casu, quando aliter resarciri non potest fama injuste infamati, maxime per calumniam; & omnium maxime in judicio. Item quando alius pro auctore calumniæ habitus, de fama, vel vita periclitatur, non obstante æquali suo periculo.

Aut veri occulti criminis evulgati opinionem prudenter corrigendo.

90 I. Qui alium infamavit, verum illius occultum crimen evulgando, certum est, eum debere adhibere omnia media, quæ utilia putantur ad conceptam criminis opinionem abolendam, famam seu bonam existimationem de proximo læso apud audientes redintegrandam, quatenus facere potest sine mendacio, & sine majori damno proprio, quam sit illud, quod infamatus patitur. Certe numquam cum periculo mortis propriæ: esto infamatus a se de vero occulto crimine morte condemnandus sit. *Lessius*, *Sanch. Petrus Navar.* aliisque cit. *Castro Palaus* apud Tamb. *cit. n.* 6. *in fin.* Ratio est: quia jam sententia erit justa pro vero crimine: ergo tu licet peccaveris contra justitiam crimen illud occultum evulgando, non tamen fuisti causa mortis injustæ: ergo non est ratio, cur ad liberandum reum vitam tuam exponere obligeris; etsi alia damna secuta compensare obligatus maneas. Cæterum difficultas tota est, quænam de facto sint illa media utilia ad hunc finem reparandi famam proximi in casu proposito.

91 II. Certum est, detractorem tunc nec debere, nec posse dicere absolute, se mentitum fuisse, vel falsum dixisse simpliciter, sine aliqua æquivocatione: hoc enim ipsum esset mendacium, quod in nullo casu, & nulla de causa licitum esse potest. Poterit ergo, &, si ad reparandam famam sufficere videatur, debebit dicere, se male, & injuste locutum, injuriam illi fecisse, non recte advertisse, se errasse, deceptum esse &c. Sic enim non mentitur, sed verissime dicet; cum omnis peccans erret, vel decipiatur deceptione practica, seu practice, aut a dæmone, aut a propria passione, vel levitate. Ita communis DD. cum D. Thom. 2. 2. *q.*62. *ar.*2. & Scoto supra *cit. in* 4. *d.*15. *q.* 4. *ar.*2. Nav. *c.* 18. *n.* 45. Mol. *disp.*44. Less. *cit. dub.*20. *n.*110. Lugo *sect.*2. *n.*30. Laym. *cit. l.*3. *tr.*3. *p.*2. *c.*7. *n.* 2. Quod si ejusmodi loquendi formula non speretur, te apud alios conceptam criminis opinionem tollere posse, præsertim apud peritos, vel astutos, qui intelligentes, talem esse modum restituendi famam, potius in concepta criminis opinione confirmantur; tunc

III. Poteris, &, si profuturum speres, etiam debebis uti congrua, & prudenti aliqua æquivocatione, seu restrictione mentali: v.g. dicendo: reflexi me, erravi: ipse hoc crimen nunquam patravit; subintelligendo, publice, & tali modo, ut de eo licite apud alios loqui possimus; aut eodem sensu: falsum, vel non verum dixi, intelligendo: non verum veritate publica, quæ sola manifestari potest in tali materia: quemadmodum Confessarius interrogatus de aliquo crimine sibi confesso, negare potest, sibi dictum esse tale crimen a pœnitente, omnium consensu. Ita contra Less. & alios Sanch. *lib.*3. *moral. cap.*6. *n.* 13. Lugo *eod. n.* 30. *ad fin.* Quod si vero neque talis modus sufficiat, vel profuturus videatur ad reparandam famam, aliqui volunt posse, & debere etiam dicere, se mentitum esse: intelligendo, non contra mentem suam, vel opinionem speculativam de veritate rei, sed contra dictamen, & notitiam practicam, qua novit crimen occultum proximi non posse licite dici apud alios. Et hunc modum esse licitum, fatentur etiam *Lessius & Laym. cit.* At vero esse necessarium, negant DD. communiter cum *D. Thoma*, *& Scoto cit.* etsi aliqui affirment. *Ratio est*: quia iste modus restituendi difficilior est, quam ut a persona, præsertim gravi, & multo magis a simplici exigi possit. Denique si nihil dictorum succedat, 92

IV. Obligaberis infamato aliquam æquivalentem compensationem famæ facere: utpote, quoties occasio se præbet, eum vel in eadem materia, in qua diffamasti; vel in alia materia ob alias dotes, laudando, honorem ei deferendo, de eo honorifice loquendo, vel cum eo honorifice agendo coram aliis, apud quos antea diffamaveras, quoadusque tantum moraliter famæ, & honoris ei per te accedat, quantum detraxeras, prudentis arbitrio: fama enim læsa resarcienda est, quocumque tandem modo moraliter possibili. Communis DD. cum *Laym. & Lugo cit.* 93

Dices: Si diffamatum a te in una materia, v. g. Castitatis, laudes in alia materia, v. g. pietatis, justitiæ &c. nullo modo restituis famam ablatam, sed remanet is æque infamis in castitate, sicut antea: ergo iste modus nihil conducit ad restituendam famam. *Resp.* N. conseq. licet enim non sit eadem numero fama, quæ redditur, est tamen in eodem genere bonorum, itaut videatur æquivalere famæ amissæ, sicut si alicujus singularem pretiosam gemmam in flumen abjecisses, deberes restituere ejus pretium, licet is eo pretio nec eandem, nec similem gemmam comparare posset: quia ad usus humanos jam habet æquivalens, ita in casu nostro. 94

Contra: Qui diffamatum de aliquo crimine solum honorat coram audientibus, nec famam restituit, nec aliquid æquivalens in eodem genere: honor enim, & fama non constituunt idem genus bonorum, sed diversa: ergo talis modus non sufficit, nec consequenter debetur: ideo enim dicemus *Sect. seq.* non posse, nec debere famam ablatam pecunia compensari, quia sunt in diverso genere bonorum. *Resp.* N. conseq. & paritatem cum pecunia: quia licet in rigore speculativo honor sit diversum genus bonorum a fama, est tamen ita affine, & adeo connexum cum fama, ut ad humanos usus pro eodem fere reputetur; licet enim honor non sit fama, est tamen famæ, seu bonæ existimationis de proximo testificatio: ideoque per honoris augmentum coram aliis, etiam fama censetur resarciri, & augeri, etsi non eadem numero, tamen in æquivalenti: alia longe est ratio de pecunia, quia pecunia ad usus humanos nullo modo æquivalet famæ, vel supplet pro fama amissa, neque ad idem deservit, ut ex se constat. 95

Dubium incidens.

Qui crimen verum sibi in judicio objectum negat, & sic indirecte dat causam infamiæ accusatori, vel testibus, quippe qui exinde de falsitate, & calumnia notantur, & infamantur, tenebiturne is restituere famam sic ablatam? Communis DD. Sententia sic distinguit. 96

I. Si reus in judicio non juridice interrogatus, ita neget crimen objectum, ad nihil tenetur accusatori, vel testibus. Communissima cum *Scoto cit. q.* 4. *art.* 5. Ratio est: quia reus non juridice interrogatus post infamiam, vel indicia sufficientia, non tenetur confiteri crimen occultum, & objiciens, vel accusans, aut testificans de crimine occulto, sibi ipsi imputare debet, si sibi infamia sequatur ex eo, quod incaute alteri objiciat crimen, quod sufficienter probare non potest, ut optime declarat Scotus ibid. a. 6. Addens autem: *Sed remanet difficultas, si peccat mentiendo pro se; durum videretur, quod quilibet accusatus in publico ab uno statim teneretur de necessitate salutis in publico confiteri illud, & sic statim exponere se patibulo in judicio sanguinis; sed habendo oculum non tantum ad pœnam, sed ad honestum, & inhonestum, non apparet, quod iste honeste & secundum rectam rationem debeat confiteri coram tali judice: quia ipse plus* 97

quam

quam quicumque alius accusans singularis, auferret sibi famam, quia confitenti contra se in judicio creditur. Quid ergo? cauta est responsio Juristarum: nego proposita, ut proponuntur, & hæc quidem sine mendacio possunt dici in proposito, quia proponuntur in publico, & ut publica, & publice probanda; sic autem negare ea potest quis, si scit, ea non posse probari in publico. Hæc Scotus. Facile ergo mendacium vitabis negans, congrua, & notissima restrictione mentali, v. g. non feci; intelligendo, eo modo, ut de hoc publice interrogari possim, vel respondere tenear.

98 II. At vero si reus juridice interrogetur a Judice, post infamiam, vel semiplenam probationem; & tamen crimen negat, communis sententia affirmat, eum debere modo competenti restituere famam accusatori, vel testibus inde in fama sua læsis. Ita pluribus citatis Mol. *tr.8.disp.43.* Ratio est: quia tunc tenetur reus fateri veritatem: ergo negando crimen objectum, injustam causam præbet infamiæ accusatoris, vel testium; consequenter restitutioni obnoxius fit. Oppositam tamen negativam cum aliis optime docet Lugo *cit. disp.* 15. *sect.* 1. *n.* 14. Ratio est: Tum quia communiter ex ea negatione ordinarie non sequitur grave damnum, vel infamia accusatori, vel testibus, omnes etiam supponunt, reum voluisse se defendere, si quo modo posset, negando suum crimen: nemo enim fere est, qui sponte confiteatur, nisi plene convictus, vel tortura coactus ad confitendum. Tum maxime: quia reus negando crimen, non est causa positiva infamiæ accusatoris, sed negativa tantum; quatenus eum non adjuvat fatendo, ad veram faciendam ejus accusationem, & defendendum eum ab infamia, cum posset; ad quod certe ipse non tenetur ex justitia, ideoque negando non infert accusatori, vel testibus injuriam: in hoc ergo casu infamia, si quæ oritur accusatori, vel testibus, non oritur a reo, sed ab accusatione non probata, quam reus negat, proprie loquendo; sed quia accusator proposuit id, quod plene non probatur. Vide latius *Lugo ibid.* & ab eo citatos.

§. IV. *Apud audientes immediate omnes: atque etiam mediatos, &c.*

99 CErtum apud omnes, infamantem obligari prædictis modis restituere famam proximi apud omnes immediatos audientes, coram quibus ipsemet famam proximi notabiliter læsit detractione, vel calumnia: apud hos enim infamans immediata causa fuit infamiæ, & damni proximi. At quid, si primi immediati auditores tui, quod ordinarie fit, auditum crimen, seu falsum, seu verum occultum, etiam aliis referant, & notum faciant: sicque infamia propagata fuerit? teneberisne tu primus infamans, etiam apud hos mediatos audientes famam proximi resarcire? Negant aliqui absolute cum nostro Philippo Fabro *in* 4. *d.* 15. *q.* 3. Quia cum verba in infinitum promulgentur, aliis aliis referentibus, impossibile est, detractorem apud omnes satisfacere. Nos dicimus, quod sic; cum hac limitatione:

Si voluntaria causa fuit, ut alii audirent.

100 I. CErtum apud omnes esse debet, si detractor alterius crimen detegit ea directa intentione, aut etiam jussu, suasu, aliove simili modo ad hoc movit audientes, ut etiam aliis manifestarent ad propagandam infamiam proximi, teneri eum ex justitia (saltem in defectum primorum suorum audientium,) famam restituere apud omnes, ad quos criminis notitia pervenerit: quia ipse ex directa intentione causa principalis fuit; alii vero solum quasi ejus instrumenta fuerunt totius infamiæ propagatæ, ut ex se patet. Unde & tenebitur ad eum finem a primis audientibus inquirere, an aliis, & quam multis, ac quibus dixerint; ut notat Lugo *cit. disp.*15. *sect.*2. *n.* 15. Contra vero certum quoque est apud omnes, si detractor nullo modo intendat, ut primi audientes crimen auditum aliis evulgarent; utpote quia dixit alicui, vel aliquibus sub secreto, seu prævia adstipulatione silentii, vel talibus personis bonis, & gravibus communiter reputatis, quas prudenter judicabat, rem ulterius non evulgaturas, eæque contra omnem suam opinionem aliis evulgent: tunc non teneri detractorem restituere famam coram aliis mediatis audientibus, sed sufficere apud ipsos tantum immediatos audientes retractare: quia tunc respectu tui per accidens est ipsorum revelatio: & infamia ulterior infamati ipsorum malitiæ, vel imprudentiæ imputanda est.

101 II. Si sine secreti stipulatione aperuisti crimen alterius hominibus leviculis, & garrulis, quos prævides aliis, & aliis facile evulgaturos, omnino teneberis detractor etiam coram illis aliis mediatis auditoribus famam resarcire, in defectum immediatorum audientium, & ulterius evulgantium. Ita communis, & re ipsa verissima Sententia DD. Petrus Nav. *l.* 2. *c.*4. *n.* 443. Lessius *l.*2.*c.*11. *du.* 20. *n.* 111. Lugo *cit. sect.* 2. *n.*15. Ratio urgentissima est: quia tunc detractor damnum futurum prævidit, vel prævidere prudenter omnino debuit, ideoque indirecte saltem voluit; atque adeo totum illud damnum, & infamia ulterior subsequens est ex formali injuria detractoris primi: ergo tenetur resarcire apud omnes totum damnum; quippe cujus totius injusta causa fuit. Quod si sit impossibile resarcire apud omnes, ut dixit noster Faber supra, per accidens erit, & eatenus detractor excusabitur per impotentiam: interim per se obligatus manet, & non excusatur resarcire apud eos, apud quos potest: sicut qui debet mille, & solvere non potest, non excusatur a solvendis centum, quæ solvere potest. Ait *Lugo cit.*

III. Verum licet hæc Sententia speculative, & stando in vi rationis verissima sit, in contrarium tamen videtur stare praxis, tam pœnitentium detractorum, qui abunde credunt se satisfecisse, si crimen falsum, vel verum occultum a se evulgatum retractent coram immediatis primis suis audientibus, quam etiam Confessariorum proborum, & doctorum, qui ad hoc solum obligant pænitentes, ut apud eosdem retractent, apud quos primo dixerunt, nisi directe ulterius evulgare voluissent: nec unquam memini, me aliquid amplius exegisse in hoc casu frequentissimo, nisi falsi sint, se ita intendisse, & voluisse, ut res amplius evulgetur. Et certe fatendum est in praxi, de facto communiter detrahentes excusari ab hac obligatione resarciendi famam apud alios mediatos audientes: tum propter impotentiam moralem, ut dicebat Faber, tum maxime, quia eo ipso, quo detractor apud immediatos audientes retractat suam detractionem, vel calumniam, censetur implicite iis committere, & ipsi (si nihil contradicant,) in se suscipere, ut & ipsi hanc suam retractationem apud alios evulgent, quibus ipsi dixerunt, ut optime declarat Lugo *cit. n.* 16. 102

IV. Cæterum si denigrasti famam proximi coram audientibus, quos nec probos, vel graves, & taciturnos, nec improbos, leves, ac garrulos judicasti, abstrahendo, an ulterius propalaturi sint, nec ne, ut sane sæpissime fit in praxi, merito censent Tamb. *l.* 9. *Decal. c.* 3. §. 5. *n.* 5. te non teneri restituere famam, nisi apud istos immediatos audientes; non item coram aliis, quibus ipsi rem evulgarunt: cum enim nemo sit præsumendus malus, vel male locuturus, si tu ita præscindas, non censeberis cooperari cum ipsorum peccato, & ulteriori damno, ac infamia proximi; ideoque immunis esse ab hac obligatione restitutionis ulterioris. Denique sermo semper fuit de obligatione justitiæ: nam si quis videat, ex sua prima infamatione, præsertim de crimine falso, aliquem apud alios palam traduci, auditoribus suis immediatis non resarcientibus famam, utique tenebitur ex Charitate, modo aliquo convenienti, hoc proximi damnum impedire, immo probabiliter etiam ex justitia, quia revera a parte rei primus injustam causam dedit ejusmodi injustæ diffamationis propagatæ: idque certissimum est, si apud primos audientes nondum retractavit, iique crimen illud verum, vel notorium putantes, licite se evulgare, existimant. 103

Dubium incidens.

Quid de audientibus detractiones?

CErtum apud omnes, injuste detrahentes voluntarie, & sine justa causa audire, & cum facile possis, non impedire, esse peccatum mortale ex genere suo; aliquando contra justitiam: aliquando contra Charitatem tantum. *Communis.* Et constat ex Scripturis. Proverb. 4. *Remove a te os pravum, & detrahentia labia sint procul a te.* Et ad Roman. 1. de detractoribus, aliisque peccatoribus subjungit Apostolus: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Atqui omnis voluntarie, & sine justa causa auscultans detrahentem, eo ipso directe, vel indirecte consentit detrahenti: ergo similis peccati reus est. Unde nervose D. Bernardus l. 2. de considerat. ad Eugen. *Detrahere, vel detrahentem audire, utrum horum detestabilius sit, non facile dixerim.* Dixi au- 1. *Voluntarie:* non enim potest peccare, qui contra voluntatem suam coactus debet interesse detrahentibus, nec impedire potest, ut maxime famuli inservientes mensis, ancillæ &c. 2. *Sine justa causa;* nam ob causam rationabilem, & bonum finem detrahentem audire, apud omnes culpa vacat. 3. *Est peccatum ex genere suo mortale;* juxta dicta de ipsa detractione. 4. *Aliquando contra justitiam; aliquando contra Charitatem tantum:* ad hoc dignoscendum, quando sit peccatum mortale contra justitiam, vel contra Charitatem tantum, pono breves, & claras. 104

Resolutiones.

I. AUdiens detrahentem coram aliis, ita ut positive cooperetur ad detractionem faciendam, vel continuandam, inducendo, provocando, interrogando, adjuvando, laudando, adulando, vel approbando, ita ut ejus laus, approbatio, vel complacentia vera causa sit detractionis factæ, vel auctæ, peccat mortaliter contra justitiam, ac ad restitutionem obligatur respectu infamati: quia positive ad illius damnum cooperatus est: insuper peccat mortaliter peccato scandali contra Charitatem respectu detrahentis, quem positive ad peccatum inducit, vel confirmat. *Omnes cum D. Thoma cit.* Eoque sensu verissime dixit D. Bernardus modo relatus. Excusari tamen a mortali convenit, si quis ex curiositate, vel levitate ab alio privatim crimen alterius expiscetur, absque intentione aliter 105

ter lædendi: aut si putet detractionem exiguam, vel levem fore, & præter ejus opinionem detractor in gravem infamiam erumpat, ut ex *Molina* notat Laym. *cit. c.* 3.

106 II. Qui audit detrahentem solum consentiens, approbans, gaudens, complacens in detractionem, & injustam infamationem alterius, absque tamen omni positiva cooperatione, & influxu, peccat etiam mortaliter peccato odii contra Charitatem tantum, non item contra justitiam; ideoque ad nullam restitutionem obligatur. Omnes cum D. Thom. *cit. q.*73. *art.* 4. Nav. *c.* 18. *n.* 37. Mol. *disp.* 34. *n.* 2. Lessius *cit. dub.* 4. *n.* 20. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 14. Ratio est: quia consentire, complacere, vel lætari de malo alterius, absque ulla positiva externa cooperatione ad illud malum, Charitati tantum, non autem justitiæ adversatur. Excipe: nisi quis ex justitia teneretur, & posset illud malum impedire, de quo mox infra. Quin etiam si quis tunc complaceret, vel delectaretur, non de damno proximi formaliter, sed materialiter tantum ob rei novitatem, mirabilem praxim, ob facundiam detrahentis, leviter, vel tam lepide recensentis, vel exaggerantis factum alterius, peccatum veniale non excederet. Ut notat cum *Molina*, & *Lessio Laym. cit.*

107 III. Qui audit injuste, & mortaliter certo detrahentem, mere negative se habens, & solum non impediens, cum facile, & commode posset, per correctionem fraternam, redarguendo expresse, vel tacite, adhuc peccat mortaliter ex genere suo contra Charitatem, & præceptum correctionis fraternæ, idque duplici respectu: & respectu ipsius detrahentis, non impediendo ejus peccatum, & ruinam spiritualem; & respectu infamati, non impediendo ejus damnum famæ. Non autem peccat contra justitiam; quia supponimus, eum nullo modo positive cooperari ad damnum alterius; ideoque ad nullam obligabitur restitutionem. Excepto, si quis ex justitia, hoc est, ex officio, vel contractu obligatus esset impedire peccatum unius, & damnum alterius: ut maxime sunt Consiliarii respectu Principis, Prælati respectu subditorum &c. qui non impedientes detractiones suorum, vel contra suos, contra justitiam peccant, & ad restitutionem, ac famam resarciendam, per se, vel per detractores subditos obligantur: ut ex communi notant Lessius *c.* 11. *du.* 23. Tanner. *disp.* 4. *de Just. q.* 4. *du.* 6. *n.* 153. Lugo *disp.* 14. *sect.* 8.

108 Sed nota per omnem modum ad ingens solatium scrupulosorum, & timoratorum notanter dictum: *injuste*, & *mortaliter certo detrahentem*, &c. Non ergo peccat, saltem graviter, qui audit, nec impedit detrahentem, vel male loquentem de proximo: sed 1. *non injuste*, sed juste ob aliquam causam excusantem ex assignatis Asser. 4. §. 4. Sect. præced. 2. *non mortaliter*, utpote in re jam notoria, aut in materia levi, aut in materia gravi, sed coram te solo, vel uno, aut altero solo prudente non evulgaturo; aut coram multis, sed probabiliter nullam fidem habentibus. 3. *non certo* injuste, & mortaliter detrahentem; utpote quando non constat, an male loquens de alio, eum injuste infamet, & mortaliter peccet; quia forte habet justam causam, vel forte crimen jam est notorium, non amplius occultum. Placent verba Bonacinæ *de restitut. d.* 2. *q.* 4. *propositionem* 11. dicentis: quia audiens non debet in dubio præsumere loquentem malum, nisi habeat sufficientem conjecturam in contrarium, & cum ipse nesciat, an delictum, quod narratur, sit publicum, vel occultum, & utrum juste narretur, non peccat non resistens narrationi, fieri enim potest, ut juste narretur, & consequenter facit injuriam narranti obsistendo, si corriperet de peccato, quod nescit esse peccatum. *Sic Bonacina*. At quid si audias detrahentem ex inculpabili errore, vel inadvertentia, adeoque sine peccato, & injuria formali? teneberisne adhuc corrigere, & non corrigendo peccabis? Resp. Omnino quod sic, quia causa excusans detrahentem a peccato scilicet error, vel inadvertentia non reperitur in te, ut supponimus, sciente, & advertente injuriam, & damnum grave inferri proximo, ideoque licet ipse excusetur a peccato, non tamen tu excusaberis ab obligatione impediendi damnum proximi, nec a peccato, si non impedias.

109 IV. Cæterum eædem causæ excusantes a præcepto correctionis fraternæ, ut scilicet quis proximum peccantem corrigere non teneatur, etiam hic excusant, ut quis non teneatur impedire detractiones per directam correctionem detrahentis: utpote si persona non sit idonea ad corrigendum; si nullus fructus speretur, immo gravius malum timeatur, vel tibi ipsi, v. g. convitia, rixæ &c. vel alteri tertio, utpote graviores detractiones, calumniæ &c. sæpe enim fit detractorem ex correctione tantum magis irritari ad magis confirmandas, & augendas detractiones, plures defectus evomendo, etiam perjuria, calumnias, blasphemias, &c. quibus casibus correctio sine culpa, & prudenter omittitur: sæpe etiam magis consules infamato, si tacendo permittas detractionem usque ad finem progredi, quam si illam mox inchoatam abrumperes: si enim subito abrumpas, re non tota narrata, audientes ex illa cognitione confusa, vel detractione plerumque deteriora concipient crimina, quam revera sint, vel esse cognoscerent, si narratio tota audiretur, ut sapienter advertit Tamb. *cit. c.* 3. §. 7. *n.* 14. Rursus sine culpa mortali, etsi non sine veniali, omittitur correctio ab apto corrigere ex negligentia, verecundia, timiditate &c. nisi audiens Superior esset, aut grave valde damnum timeretur. Ex quibus omnibus patet, æquales raro, inferiores vero vix unquam peccare mortaliter, non impedientes detractiones per positivam correctionem, ut plurimis citatis notat *Lugo cit.* Tandem excusatus a correctione directa detrahentium, adhuc tenetur, quantum commode facere potest, corrigere, & impedire, saltem indirecte, ostendendo suam aversionem, displicentiam, vel non consensum, v. g. discedendo a loco, sermonem alio divertendo, aut tacendo, vultum torvum, vel tristem ostendendo: nam ut dicitur Prov. 25. v. 23. *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.*

SECTIO V.

De causis excusantibus a restitutione famæ, & honoris.

SUMMARIUM.

110 Prima causa *a restitutione famæ excusans, est* cessatio *damni*;
111 *Ut I. Si a principio ex tua detractione, vel calumnia alteri nullum secutum sit damnum famæ, vel honoris, vel*
112 *II. Fama postea alia via recuperata sit; aut*
113 *III. Infamia progressu temporis oblivione omnino deleta sit apud audientes; aut*
114 *IV. Si crimen a te evulgatum, postea aliunde patefiat.*
115 Secunda causa *a restitutione famæ, vel honoris excusans est remissio læsi,*
116 *Expressa, vel tacita.*
117 Tertia causa *excusans est* compensatio mutua, *quando scilicet infamatus te vicissim infamavit (ubi tamen quatuor observanda.)*
118 *Verius autem est, non licere ita compensare famam per se directe, & præcise per modum compensationis:*
119 *Sed per accidens, indirecte, & per modum defensionis solum.*
120 Quarta causa *certo excusans est* impotentia *physica, & moralis, quamdiu durat. Unde*
121 *Vel cum notabiliter graviori detrimento propriæ famæ,*
122 Usque ad num. 130. *Nec etiam probabilius, si aliter non possit, tenetur eam compensare pecunia, nisi id ei Judex in pœnam criminis imponat.*

§. I. *Cessatio damni.*

Prima late patens causa excusans est; si cesset damnum 110
ex tua detractione, calumnia, contumelia &c. quando enim cessat ratio, & causa restitutionis faciendæ, cessat etiam effectus, & obligatio ipsa: tota autem ratio & causa restitutionis faciendæ pro læsione famæ, & honoris, est damnum illatum; ut dictum est: ergo, cessante damno, cessat & obligatio restitutionis. Utpote

I. Si a principio ex tua detractione, vel contumelia re- 111
vera proximo nullum secutum est damnum famæ, vel honoris; utpote quia audientes non crediderunt detractori, vel non intellexerunt, de quo detractor locutus sit, vel quia per alium corrigentem mox infamia impedita est &c. Quæ omnia patent ex dictis.

II. Si infamato postea alia via fama recuperata sit; utpo- 112
te propria purgatione, bonorum virorum testimonio, sententia Judicis, aut vitæ ipsius probitate, seu experientia ipsa, comperta sit falsitas infamiæ: debet tamen adhuc tunc restitui pro damno alio temporali, si quod ex infamatione tua passus est infamatus, juxta dicta *Assert.* 5. §. 1. *fin.* atque etiam pro expensis, si quæ forte fecit infamatus pro fama sua recuperanda: ut ex communi notat Lugo *disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 35. Quem vide.

III. Si infamia illata progressu longi temporis oblivione 113
omnino deleta sit apud audientes: tunc enim rursus cessante damno, cessabit ratio compensandi illud. *Communis DD. Nav. uterque, Laym. Lugo cit.* Quo casu prudentia maxima desideratur, quando de hac oblivione non satis constat: quia aliquando multo magis periculosum erit retractando renovare memoriam apud audientes, quæ forte jam penitus evanuerat; aliquando vero licet auditores nunc non recordentur, periculum tamen esse potest, quod data occasione excitentur rursus species consopitæ, & memoria simul cum infamia reviviscat. Quid autem in hac perplexitate debeat facere detractor, & consulere Confessarius, difficile est judicare. Placet judicium, & regula Card. de Lugo *eod. n.* 35. detractorem debere prudenter pensare, quid rationabiliter velit ipse infamatus, attentis circumstantiis præsentibus, fieri a detractore: quando enim præsumitur, eum velle potius, quod memoria apud audientes non renovetur, liber erit detractor ab onere restitutionis. Ad hoc autem dijudicandum optima regula erit, si detractor consideret, quid ipsemet velit in eo rerum statu, & circumstantiis secum fieri, & hoc ipsum erga infamatum ipse præstet, sicut alios in iis circumstantiis vellet secum se habere. *Hæc Lugo*. Addens tamen *n.* 36. *ex Molina*, detractorem eo casu, etsi non obligetur ad retractandum, debere tamen aliam compensationem facere, laudando infamatum apud alios, vel honorando; ita ut satisfaciat pro illo periculo remanente, ne forte aliquis auditorum vel nunc, vel postea recordetur; quia

etsi infamatus in iis circumstantiis nolit retractationem fieri ob majus periculum imminens renovationis memoriæ, forte jam penitus obliteratæ; sed potius velit subire periculum minus, quod forsan aliquis auditorum deinceps recordetur, hoc tamen ipsum minus periculum imminens est aliquod damnum ortum ex injuria præteritæ detractionis: ergo detractor manet obligatus etiam ad compensandum hoc damnum modo aliquo congruo, ut dictum est.

114 IV. Si infamatus a te de crimine occulto, postea alia via famam amisit in eadem materia, scilicet quando crimen occultum alterius a te injuste evulgatum, postea aliis mediis independenter a tua prima detractione factum est publicum, seu notorium notorietate juris, vel facti, juxta late dicta *sect.* 3. §. 4. tunc omnino cessat obligatio restituendi famam a te primo læsam, secundum omnes. *Ratio est:* quia infamatus per illam aliam publicationem sui occulti criminis omnino amisit jus ad suam famam respectu illius criminis: ideoque tunc non magis teneberis ad restitutionem, quam si a principio tuæ detractionis eum in eo statu invenisses, ubi jam eum infamem invenis, cujus infamiæ causam nullo pacto dedisti. Ait Lugo *cit. n.*37.

§. II. *Remissio læsi.*

115 SEcunda causa liquido excusans a restitutione famæ (& similiter honoris) est, quando ipse infamatus sponte, expresse, vel tacite, remisit, vel condonavit; citra tamen præjudicium, vel injuriam aliorum. Communis, Molina *disp.*46. *concl.*5. Less. *c.* 10. *dub.*24. Laym. *cit. c.*7. *n.*5. Lug. *cit. n.*38. Ratio est: quia sicut quilibet est dominus famæ suæ, ut possit eam citra peccatum grave ipsemet prodigere, nisi sui infamatio cederet etiam in infamiam, vel injuriam aliorum, ut *Sect.*1. dictum, ita potest valide remittere, vel condonare alteri restitutionem famæ suæ, quantum ad se attinet: dummodo ejus infamatio non redundarit in aliorum præjudicium, vel infamiam, v. gr. Religionis, aut alterius complicis &c. tunc enim ejus condonatio vel remissio aliis præjudicabit, & infamans manebit obligatus adhuc aliis inde infamatis famam reparare: ut omnes observant. Exempla obvia.

116 Dixi *expresse*, *vel tacite:* sicut enim in aliis materiis, v.g. debitis pecuniariis, ita etiam in hoc debito restitutionis famæ, vel honoris, ad eam obligationem tollendam, sufficit etiam tacita, præsumpta, vel interpretativa voluntas læsi, seu illius, qui condonare potest, qui si in tali dispositione sit, vel eo affectu in infamatorem, vel contumeliosum, ut si interrogaretur, vel rogaretur, facile condonaret, adeo ut non sit nunc invitus, saltem quoad substantiam, quod sibi fama, vel honor non restituatur, id omnino sufficiet, ut talis restitutio omitti possit. Idque a fortiori verum est in casu non raro; sicut enim aliqui, qui, cum infamati sunt, postea ægerrime ferunt eorum memoriam refricari, maluntque rem totam tacite dissimulari: tunc enim, prætermissa retractatione, vel veniæ petitione præstabit aliis officiis, laudando, honorando, benefaciendo hominis animum demulcere: ut ex communi notant *Molin. Laym. Lugo cit.* Atque hac ratione puto ego communiter homines, maxime plebejos inter se excusari a restitutione famæ: cum enim plerumque sciant, ab aliis passim detrahi, neque unquam restitui, nec ipsi restitutionem exigant, censeri possunt sibi invicem velle remittere debitum restituendi: aut certe velle, uti mutua compensatione in non restituendo, juxta probabilem sententiam, de qua mox. Hoc tamen in particulari ex circumstantiis personarum prudenter dijudicandum.

§. III. *Compensatio mutua.*

117 TErtia causa excusans a restitutione famę satis communiter allata, est justa compensatio mutua: quando scilicet a te injuste infamatus, te vicissim infamavit, & is tibi famam restituere nolit; neque tu teneberis restituere, quousque restituat ille. Ita valde communiter DD. *Tolet. Sot. Angel.* aliosque innumeros allegantes Molin. *disp.*49. Lessius *c.*9. *dub.*25. Laym. *c.*7. *n.*5. Diana *p.*2. *tr.*5. *miscel. res.*30. & ob auctoritatem tot Doctorum probabilem censet Lugo *disp.*15. *sect.*3. *n.*44. Ratio tota sumitur a simili: quia sic possum non restituere debitum pecuniarium creditori meo compensando illud cum alio debito, quod is mihi aliunde ex contractu, vel delicto debet, & recuperare alio modo facile non possum; sic possum non restituere tibi famam, seu non satisfacere tibi pro infamia illata, si tu non vis restituere, & satisfacere mihi pro infamia, quam mihi sive prior, sive posterior intulisti: ut proinde etiam hic locum habeat communis regula, quod non cogaris jus suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum. *Ita Doctores illi.* Intelligentes tamen 1. de restitutione famæ, quæ in alios non redundat: nam si in alios etiam redundet tua infamatio, non poteris ita compensare, ut ex se patet. 2. Ut servetur æqualitas: si enim gravius infamasti eum, qui te sive antea, sive postea infamavit non ita graviter, non poteris simpliciter uti compensatione, sed teneberis restituere excessum, seu id, in quo superasti alterius infamiam etiam tibi illatam, ut sic utraque infamatio æqualis reddatur: quia excessum illum injuste detines; non enim licet uti compensatione cum graviori damno alteri illato. 3. Si vero non possis satisfacere quoad partem, vel excessum illum, nec laude, vel honore compensare; adhuc posse te nihil restituere, sicut si accepisti ab altero annulum valentem centum florenos, poteris interim retinere, donec alter restituat tibi vas argenteum, valens quinquaginta tantum: docent plerique ex citatis. 4. Denique restituente tibi altero famam tuam, utique etiam restituere debebis; nisi forte jam ex pacto facta esset compensatio utriusque injuriæ, tunc enim uterque manebit liber. Ita communis illa Sententia (fateor cum *Lugo* intrinsece ob auctoritatem tot Doctorum) omnino probabilis: at vero intrinsece sistendo in ratione acquiescere nunquam potui: eamque simpliciter rejiciunt DD. mox citandi. Adeoque

118 Verius omnino est, non licere ita compensare famam per se directe, & præcise per modum compensationis. Ita Major *in* 4. *d.*15. *q.*16. Navar. *man. c.*18. *n.*47. Petr. Nav. *c.*4. *nu.* 395. Cajet. 2. 2. *q.*62. *ar.*3. Valentia *ibid. disp.*5. *qu.*4. *punct.* 5. Tanner. *disp.*4. *de just. q.*6. *dub.*6. *n.*155. Lugo *Sect.*3. *n.*44. alii apud ipsos. Ratio a priori est: quia diversa longe est ratio compensationis in debitis pecuniariis, quam in debitis famæ; nam in debitis pecuniariis, seu bonis fortunæ, compensatio ordinatur ad recuperandum omnino id, quod tuum est, & ad ponendam æqualitatem: si enim debes alicui centum, & ille totidem tibi debet, retinendo centum, retines quod tuum est, & ponitur æqualitas clara: unde ulterius in debitis pecuniariis ita licita est compensatio, ut non solum licite possis retinere, seu non restituere, quod debes; ut modo dictum, sed etiam possis aliquid de novo accipere occulte de bonis debitoris ad compensandum tibi juxta communem doctrinam in materia de furto *c. seq.* Atqui in debitis famæ hoc minime reperitur: nam per infamiam alienam non restituendo, & quasi detinendo apud te famam alterius a te infamati, tu nullo modo recuperas famam amissam ab altero ablatam, nec formaliter, nec æquivalenter, sed ambo manetis æque infames apud audientes, sicut antea: ergo illa retentio, seu non restitutio famæ alienæ non ordinatur, nec tendit ad ponendam æqualitatem, nec ad rem recuperandam per modum compensationis, sed ad læsionem proximi continuandam, per quam satisfiat tuæ indignationi per modum vindictæ, quam tu propria auctoritate non potes sumere. Et hinc ulterius hæc tota ratio est: cur ad eum finem compensationis non liceat de novo infamare eum, qui te prius infamavit: quia scilicet per id non recuperas famam tuam: sicut non licet repercutere eum, qui te percussit: quia per hoc non recuperas damnum tuum; ideoque utrobique non est compensatio, sed vindicta. Et hoc secundum sane fatentur Adversarii; ideoque minus consequenter loqui, bene arguit *Lug. cit.* si enim ad compensandam famam tuam ablatam licet detinere, seu non restituere famam alienam, cur ad eum finem, infamatorem tui non liceat de novo infamare, ejus famam auferendo? sicut dictum est licere in compensatione debitorum pecuniariorum: in cujus compensationis tamen similitudine fundatur opposita Sententia.

Dixi autem: *id non licere per se directe per modum compensationis præcise:* nam per accidens, indirecte, & per modum defensionis id licere aliquando, libenter fatemur. Sic 119
enim intra, vel extra judicium infamatus, vel infamandus graviter ab alio, licite detegis occultum crimen infamatoris tui: non solum quando id juvat ad enervandam, & extenuandam ejus fidem, circa calumnias, vel crimina, quibus te infamavit injuste: ut ex communi diximus *sect.* 3. §. 4. sed etiam ad eum finem, ut eum compellas, ut desiderio suæ famæ recuperandæ desistat a te infamando, tibique famam jam ablatam restituat; tuque vicissim postea famam restituas ipsi: ut bene infert Lugo *cit. nu.*52. Quia sicut ob defensionem tui potes eum infamare, vel famam ablatam non restituere, ad debilitandum ejus testimonium, sic poteris ob eandem defensionem eum infamare, vel famam non restituere, ut resipiscat, & cesset ab injuria tuæ famæ inferenda, vel continuanda: nam injustum aggressorem utroque titulo, & motivo potes licite percutere, tum ad eum debilitandum, ne possit te occidere; tum ut ipse metu vulneris, vel mortis sibi inferendæ desistat a te invadendo, uterque enim modus comprehenditur sub justa, & necessaria defensione. Similiter est in proposito, ut ad eundem finem famam jam antea ipsi ablatam interim retinere possis, quousque ipse a te infamando cesset, famamque tibi restituat.

§. IV. *Impotentia moralis.*

QUarta causa certo excusans a restitutione famæ, saltem ut differri possit ad tempus, quamdiu durat, est impossibilitas, cum ultra possibile nemo teneatur: intelligendo non tantum de impossibilitate physica, ut si auditores tuos, apud quos alteri detraxisti, nullo modo amplius convenire possis, sed etiam de morali; quando nimirum restitutio famæ, vel honoris fieri non potest absque notabiliter graviori proprio damno: tunc enim alter non potest esse rationabiliter invitus, sed rationabiliter ex lege, & ordine Charitatis contentus esse debet, sibi non fieri restitutionem, sicut & ipse vellet fieri secum, adeoque permanente eo casu, restitutionem remittere. Et hinc 120

121 I. Nullus tenetur famam, vel honorem restituere cum evidenti periculo vitæ propriæ, nisi eo solo casu, quo infamans per calumniam falsum crimen imponendo, infamatum ultra infamiam, etiam in periculum mortis injuste conjecisset, de quo jam supra dictum. Communissima *DD. sup. cit.* Ratio sumitur ex regula illa communi: bona inferioris ordinis non esse restituenda cum detrimento bonorum superioris ordinis: sed vita est bonum multo superioris, & altioris ordinis, quam fama; sicut & fama, quam bonum fortunæ: ergo sicut bona fortunæ non sunt restituenda cum detrimento gravi famæ, ex dictis suo loco, ita & fama non erit restituenda cum periculo vitæ propriæ: si nimirum agatur de sola fama alterius: secus si etiam agatur de vita alterius per calumniam injuste infamati, quia tunc in pari causa melior evadit conditio innocentis, ut supra dictum.

122 II. Adverte tamen, illam regulam: *bona inferioris ordinis non esse restituenda cum detrimento bonorum altioris ordinis:* esse sane intelligendam, quando nimirum jactura bonorum altioris ordinis in prudenti æstimatione est longe majus detrimentum, quam damnum inferioris ordinis, pro quo deberet restitutio fieri, alioquin regula non erit vera, ut alibi ostensum de obligatione adulteræ: nimirum eam quidem regulariter non teneri aperire suum crimen cum periculo vitæ, nisi quando ita necesse esset ad impediendum majus damnum bono communi imminens ex eo, v. g. quod in principatu, vel regno succedat filius spurius, cum magno Reipublicæ damno, ob ejus perditos mores, vel hæresim. Sic in proposito licet infamans regulariter non teneatur restituere famam cum periculo vitæ propriæ, nisi quando infamato simile periculum vitæ imminet ex infamia; addendum tamen est, aut nisi ingens damnum Reipublicæ, vel communitati immineret ex tali diffamatione, cui tamen merito vita privati postponi debet. Unde merito docent *Sotus, Angel, Azor. & alii apud Tanner. cit.* etiam quandoque in casu singulari solam famam læsam esse restituendam cum periculo propriæ vitæ, quando infamatus ex sola infamia incurreret majus damnum, quam sit mors infamantis: ut si amplissima familia perpetuo infamiæ nota aspersa maneat ex malitia injuste infamantis. Sed credo esse casum metaphysicum, certe raro occurrentem.

123 III. Nullus etiam tenetur alteri restituere famam injuste læsam cum notabiliter graviori detrimento propriæ famæ, ob eandem rationem mox ante datam. Unde persona illustris, vel Superior, si ex restitutione famæ personæ inferiori injuste ablatæ magnam deberet subire infamiam, cum detrimento auctoritatis suæ, seu status, vel communitatis, non erit cogendus ad restitutionem famæ, sed satisfaciet aliis beneficiis, vel officiis offensum demulcendo, apud audientes honorando &c. ut in simili supra dictum.

124 IV. Sed numquid fama injuste ablata restituenda erit cum jactura pecuniæ, vel bonorum fortunæ, seclusa omni propria infamia? Certe hoc fieri vix potest, nisi infamans sponte offerat pecunias in compensationem famæ injuste ablatæ; aut judex in pœnam infamationis factæ mulctam pecuniariam injuste infamato applicandam, infamatori decernat, vel decreturus esse timeatur. Et hinc exurgit tandem

Dubium notabile.

125 UTrum, quando fama, vel honor non potest ullo modo restitui ob aliquam ex dictis justam causam excusantem, infamans teneatur ex justitia infamiam alteri illatam pecunia compensare; & consequenter si is nolit satisfacere, etiam infamatus in pecunia illius sibi compensare possit.

126 I. Affirmant quidam gravissimi DD. D. Th. *q.62.a.2.* Scot. *sup. cit. q. 4. a. 1. Richardus, Cajet. Sotus, Valent.* & alii; quos citat, & ut probabiliorem sequitur Tanner. *q.6. d.6. n.* 150. Ex illo principio, qui restituere non potest quantum debet, restituere debet quantum potest, ut si quis debeat mille aureos, & non possit reddere mille, possit autem reddere quingentos, vel trecentos &c. tenetur reddere, quot potest: ergo similiter, qui non potest alteri restituere ipsam famam ablatam, tenebitur ei restituere in pecunia, si possit, ad moralem æquivalentiam arbitrio boni viri, & consequenter, eo nolente, infamatus poterit sibi ipsi compensare.

127 II. Contrariam tamen sententiam negativam, nimirum talem ex justitia commutativa non teneri compensare famam pecunia, sed a restitutione omnino excusari, ut longe veriorem docent *Sylvest. Nav.* uterque *Less. Filliuc.* aliisque cit. Laym. *cit. c.7. n.3.* Lugo *disp.15. sect.3.* Ratio solida est, quia justitia commutativa suapte natura non aliud exigit, quam ut restituatur res ablata in se, vel in æquivalenti, seu quod rei secundum veram communem æstimantionem æquivalet, ita nimirum, ut læsus recipiat id, quod ei ablatum est in specie, vel in valore: & hac ratione locum habet compensatio, si alter reddere nolit: item axioma illud: qui restituere non potest, quantum debet, debet restituere, quantum potest; nimirum in rebus communi æstimatione æquivalentibus, & ejusdem ordinis, ut inter se functionem, seu commutationem recipiant; atqui pecunia nulla ratione æquivalet famæ ablatæ, cum nulla recta hominum æstimatione fama inter res venales, seu pretio æstimabiles meretur; atqui quantavis recepta pecunia, infamatus nullo modo, nec ulla hominum æstimatione recipit id, quod est ablatum, scilicet famam; manet enim infamis sicut antea, & supponimus famam nec directe, nec indirecte restitui posse: ergo infamans non potens restituere ipsam famam, non tenetur ex injustitia commutativa compensare pecunia, nec consequenter infamatus poterit uti compensatione in pecunia infamantis. Et hoc concesso, heu! quæ confusio? quanti enim uniusquisque æstimabit suam famam ablatam in auferenda pecunia?

III. Atque hic longe verior est sententia utriusque *Navar. Valent. &c.* etiam per se non licere uti compensatione pro infamia, non restituendo famam alteri, sicut licet in debitis pecuniariis, ut supra latius ostensum est. 128

IV. Dixi autem semper talem infamantem non teneri pecunia compensare famam ablatam, *ex justitia commutativa*, & in foro conscientiæ; nam certe tenebitur ex justitia vindicativo in foro externo, si Judex in pœnam criminis infamatori imponat pecuniariam satisfactionem ex æquitate infamato applicandam. Item per accidens etiam ex justitia commutativa tenebitur infamator infamato pecunia compensare damna temporalia ex infamatione consecuta, ut si exinde officium, dignitatem, servitium, vel lucrum amisit, ut §. 1. *dictum*. Item ex Charitate, & æquitate naturali potius, quam alius, tenebitur infamator in aliqualem compensationem injuriæ illatæ, pecunia vel ope succurrere infamato in necessitate constituto, ut omnes admonent. 129

SECTIO VI.

De *injusta læsione honoris proximi; ejusque restitutione.*

SUMMARIUM.

130 & 131 *Læsio honoris, seu inhonoratio est duplex,* negativa, & positiva.
132 *Inhonoratio negativa, seu honoris omissio per se tantum veniale est, non mortale,*
133 *Nisi simul sit contra justitiam,*
134 *Aut quandoque per accidens, quando scilicet sit ex maligno affectu &c.*
135 *Contumelia est injusta ablatio, vel diminutio honoris,*
136 *Facta in præsentia, vel quasi præsentia patientis illam.*
137 *Estque peccatum mortale ex genere suo contra justitiam.*
138 *Ad contumeliam formalem, & mortalem, non semper necessaria est intentio directa, sed sufficit etiam indirecta.*
139 *Contumelia materialis est tantum peccatum veniale.*
140 *Quandoque etiam omnino nullum.*
141 *Contumelia quatuor modis fieri solet* I. verbo.
142 II. Lusu, *seu illusione, irrisione &c.*
143 III. Facto, *seu vi illata &c. &*
144 IV. Scripto, *seu libello famoso affixo, sparso &c.*
145 *Quocumque autem ex his modis fiat, per se semper est ejusdem speciei.*
146 *Et quatenus, vel quando est illativa damni, inducit obligationem reparandi honorem.*
147 & 148 *Non vero quatenus, vel quando solum infert injuriam.*
149 *Assignantur quatuor modi, quibus honor læsus sufficienter restitui potest.*

LÆsio honoris, seu inhonoratio duplex est, una *negativa*, & per omissionem honoris exhibendi alteri: ut viro honorato non assurgere, caput non aperire &c. altera *positiva*, & per commissionem alicujus contra honorem alterius, dicto, facto, vel scripto &c. quo scilicet protestamur, seu manifestamus malam, seu nullam bonam nostram de altero existimationem. Et hæc dicitur contumelia late sumpta. 130

ASSERTIO VI.

LÆsio honoris, seu inhonoratio negativa tantum, per se, & ordinarie tantum veniale est contra observantiæ virtutem: positiva vero inhonoratio, seu contumelia est injusta ablatio, vel diminutio honoris alterius, facta in præsentia vel quasi præsentia patientis illam; peccatum mortale ex genere suo contra justitiam: fitque verbo, lusu, facto, scripto; per se semper ejusdem speciei: ideoque etiam inducit obligationem justitiæ honorem læsum reparandi, quatenus revera damnum patitur inhonoratus, seu quatenus damnum infert; non vero quatenus præcise infert injuriam. Ita omnes passim. 131

§. I. *Inhonoratio negativa per se veniale.*

NImirum omissio honoris exhibendi per signa protestantia bonam nostram existimationem de alterius excellentia, vel bonitate in circumstantiis debitis personæ, loci, temporis, & modi honorandi, per se ordinarie est tantum veniale peccatum contra virtutem observantiæ: ut ex communi docet Lessius *c.12. dub. 27.* & optime explicat Lugo *cit. sect.11. disp.14.* Ratio est: quia virtus observantiæ affirmative non obligat, nisi in certis circumstantiis ad honorem exhibendum, quæ circumstantiæ raro concurrunt. Neque obligat 132

obligat graviter, cum ex omissione talis honoris per se, exiguum, vel nullum damnum proximo sequatur, nisi alia obligatio, vel malitia concurrat: ergo per se solum veniale erit.

133 Erit autem etiam mortale, quando simul est contra justitiam: quando nimirum ipsa justitia obligat ad honorem alteri exhibendum: ut Principi in recognitionem suæ excellentiæ, & potestatis supremæ super nos, ex justitia debetur honoratio, seu protestatio, vel professio nostræ de eo existimationis, & submissionis: adeoque graviter peccaret, qui Principi occurrenti voluntarie, & deliberate non exhiberet honoris signa. Deinde quando omissio honoris cederet in dehonorationem proximi apud alios, quia & ideo illi de ipso etiam minorem existimationem concipient: & maxime si fieret directa intentione inhonorandi ita alterum; quia etsi ex justitia tu pro te non tenearis actum positivum honoris exhibere alteri, ex justitia tamen teneris scienter alterius apud alios honorem non impedire, vel auferre; ideoque peccabis contra justitiam ex genere suo mortaliter, æque sicut in detractione.

134 Per accidens denique peccatum mortale erit, & utique sæpe est, quando omittitur honor exhibendus ex maligno affectu, odio, inimicitia, vindicta, contemptu proprio, vel ad inducendum in contemptum aliorum. Item quando accedit scandalum aliorum, maxime cum honor negatur Superiori, Sacerdoti, Religioso &c. palam coram aliis, etsi ex nulla prava intentione fieret, sed levitate, vel negligentia tantum: sæpe enim potest oriri grave scandalum, vel aliorum videntium, vel ipsius personæ honorandæ, utpote ejus gravis indignatio, iracundia &c. Vide *Lessium*, *& Lugo* locis cit. Et nos plura supra *c.* 1. *de scandalo*. Deinceps ergo de sola inhonoratione positiva, seu contumelia sermo erit.

§. II. *Contumelia est injusta ablatio, vel diminutio honoris.*

135 Significatur essentialis differentia contumeliæ a detractione: per detractionem enim propalando alterius falsum, vel verum occultum crimen, aufertur alicui fama, seu de facto jam habita bona existimatio de ejus excellentia, bonitate apud audientes: per contumeliam vero exhibendo alicui signum protestativum malæ, vel nullius existimationis de ejus dignitate, vel bonitate, aufertur illi honor, non quidem quasi jam habitus, sed honor habendus, nimirum auferendo vel minuendo ei statum suæ dignitatis, vel excellentiæ æstimatæ, unde ei honor ab omnibus debebatur; & constituendo eum quasi in statu indignitatis, vel dedecoris, quasi ei honor amplius non debeatur, seu nemo debeat amplius contestari existimationem de illius excellentia: unde contumelia semper quidem est injuriosa; non tamen semper, sed tantum, si sequatur effectus, ut ratione tuæ contumeliæ ei revera honor negetur, vel negari possit, etiam erit damnosa cum onere restitutionis: ut amplius dicam §. 4. Quamvis autem detractio, & contumelia, seu læsio famæ, & honoris ordinarie conjunctæ sint, aut in ipso actu, ut si alteri coram aliis crimen in faciem objicias, aut saltem in effectu; semper enim ex eo, quod alteri coram aliis contumeliam inferas, auferri, vel minui potest apud alios bona fama, seu existimatio habita de illo; sæpe tamen etiam separari possunt; ut si alicui soli in occulto crimen objecisti, alapam inflixisti, subsannasti &c. idque occultum mansit; non læsisti famam per detractionem, tamen graviter læsisti honorem per contumeliam. E contra: si alicui in præsentia coram aliis crimina, vel defectus objecisti, nemine tamen credente; non læsisti famam per detractionem in effectu; nec consequenter restituere teneris famam; læsisti tamen graviter honorem per contumeliam, eumque reparare obligaberis. Similiter si alicui absenti gravia crimina imposuisti, gravis est detractio contra famam: at vero non semper gravis est contumelia contra honorem, maxime si caveas, ne alter resciat, eo ipso enim ipsum honoras aliquo modo, & revereris, ideoque contumelia non erit, sed solum detractio: & ideo in definitione addidi,

Facta in præsentia, vel quasi præsentia patientis illam.

136 Sicut enim honor, seu protestatio bonæ existimationis nostræ de alterius excellentia, vel dignitate: ita etiam contumelia, seu contraria protestatio malæ existimationis nostræ de indignitate, vel utilitate alterius necessario debet fieri ea intentione, & modo, ut alter intelligat se honoratum, vel inhonoratum esse: adeoque necessario debet fieri in aliquali ejus præsentia, sive in persona, sive in signo, vel imagine, sive saltem in intentione agentis: ut nimirum contumelians intendat, & velit hoc alterum scire, quod si enim, ut dictum est, ille caveat, ne alter resciat, hoc ipso ipsum honorat, ideoque desinit esse contumelia, & manet pura detractio, vel saltem maledicentia, quæ est altera differentia inter detractionem, & contumeliam; quod contumelia, seu læsio honoris per modum rapinæ, ordinarie in manifesto fieri soleat contra præsentem; quamvis etiam fieri possit in absentem corporaliter, ut dictum est: v. gr. inhonorando ejus signum, imaginem, statuam, aut obtrectando coram aliis, ex intentione, ut resciat, vel quasi præsens esset. Detractio vero, seu læsio famæ per modum furti ordinarie fieri solet in occulto, & contra absentem, quamvis etiam facta præsenti, maneat vera detractio simul, & contumelia: ut si alicui coram pluribus occultum vitium objicias, hoc ipso simul detractio ista induit rationem contumeliæ, ut supra diximus. Jam quoad malitiam dixi:

Peccatum mortale ex genere suo contra justitiam.

Omnes cum S. Thoma *cit. art.* 2. & sumitur nimis clare 137
ex illo Matth. 5. *qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis:* gehenna autem est pœna solius peccati mortalis: ergo. Et Apostolus *ad Roman.* 1. contumeliosos numerat inter illos, quos Deus in reprobum sensum dedit. Ratio clara est: quia lædens alterum in jure suo ad magnum aliquod bonum, peccat mortaliter contra justitiam; sed per contumeliam læditur proximus in jure suo ad magnum bonum, scilicet honorem accipiendum, qui bonis fortunæ longe antefertur; ergo est peccatum mortale contra justitiam. Sed nunquid gravius detractione? Affirmant *Lessius*, *Tannerus*, & alii multi: & verissimum est, quando contumelia simul includit detractionem, seu læsionem honoris, & famæ simul: ut si alicui præsenti coram aliis in faciem objicias crimen, vel defectum occultum: si vero contumelia sola sit, & solam læsionem honoris contineat, probabilius negant cum aliis *Laym. & Lugo cit.* cum plus sit ipsa bona fama, & existimatio, quam lædit detractor, quam protestatio, vel confessio tantum bonæ existimationis de alio, seu honor, quem aufert contumelia.

Cæterum ad contumeliam formalem, & mortalem non 138
semper requiritur intentio directa, & formalis, ipsius operantis inhonorandi, seu lædendi honorem alterius; sed etiam sufficit intentio indirecta, virtualis, & ipsius operis: ut nimirum quis scienter talem actionem exerceat, ex qua alterius honor suapte natura minuitur: ut si virum honestum fuste percutias: licet honori ejus derogare non intendas expresse, mortalem tamen contumeliam infers. An vero sufficiat intentio indirecta seu voluntarium indirectum in causa culpabiliter posita: ut si quis voluntarie se inebriet, sciens tamen se in ebrietate solere alios contumeliis afficere, & sic ebrius revera afficiat, percutiat, illudat, &c. Resp. Non sufficere ad contumeliam mortalem proprie dictam: eo quod tunc in communi saltem humana existimatione prudenti non multum censeatur lædi honor alterius: sufficere tamen ad hoc, ut homini voluntaria imputetur injusta læsio honoris, & damnum secutum, juxta dicta de homicidio.

Contumelia ergo materialis tantum excusatur a mortali, 139
& venialis tantum erit; in primis ex imperfectione actus, ut si fiat ex inadvertentia, indeliberatione, subita passione aut etiam joci causa, qua ratione plerumque excusatur communissima illa appellatio *stulti*. Deinde ex parvitate materiæ: ut si contumelia, vel in se ipsa levis sit, vel comparatione personæ, cui infertur, vel a qua infertur: quod hic particulariter attendendum est: eadem enim contumelia, v. g. alapa, specialiter erga parentem, Dominum, virum gravem, peccatum mortale est: erga æqualem, subditum, puerum, fæminam &c. venialis tantum esse potest adeo ut eo gravior censeatur contumelia, quanto & majori & a minori infertur: & e contra eo levior, quanto & minori, & a majori infertur: inter æquales autem attendenda est materia secundum se gravis, vel levis. *Ratio autem est*: quia cum honor debeatur alicui propter excellentiam, seu bonum aliquod, eo turpior erit inhonoratio, quo fit majori a minori, & e contra minus turpis, quo fit minori a majori.

Denique omnino excusari possunt a peccato contumeliæ, 140
vel convitia, si fiant aut joci causa ad convenientem animi recreationem, v. g. alicui leves defectus objiciendo, &c. tunc enim est urbanitatis, ait D. Thomas *q.* 72. *ar.* 2. dummodo non sit periculum alterum contristandi, vel ad iram concitandi; tunc enim induet rationem scandali contra Charitatem. *Navar. Molina*, alii cum Laym. *cit. c.* 6. *n.* 2. Aut si fiant ad justam correctionem ab eo, qui corrigendi jus habet: qua ratione ipse Christus Luc. 24. discipulis in Emaus dixit, *o stulti, & tardi corde*. Et Apostolus ad Galat. 1. *o insensati Galatæ*. Et alibi passim. Monent tamen omnes hic cautelam adhibendam esse, & optime Cardinalis Cajetanus ib. cit. ar. 2. *Repræsentatur enim subditis, quod non ex Charitate sed ex passione procedant: fiuntque deteriores, non suscipientes disciplinam, leviusque verbera, quam verba contumeliosa suscipiunt. Unde Tullius de offic. ait: omnis animadversio, & castigatio contumelia vocari debet*. At vero contumeliam, vel convitium inferenti numquam licet convitium referre vindictæ causa; sicut nec percutientem repercutere. Secus, si fiat ad justam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ: ut scilicet non plus regeras, quam ad injuriam arcendam necessarium sit, ut si convitium injuste inferenti coram aliis ad enervandam hominis fidem, necessario debeas dicere, eum mentiri, vel mendacem esse, aut etiam retorsione uti: ex communi supra *de detractione* diximus.

§. III. *Fitque*

§. III. *Fitque 4. modis, verbo, lusu, facto, scripto.*

I. Verbo.

141 Contumelia verbo facta, seu verbalis est, qua alicui quodvis vitium, vel defectus objicitur in ejus inhonorationem, seu dedecus. Et dividitur in contumeliam strictam, convitium, improperium, maledictum. Contumelia stricte sumpta est, qua objicitur alicui vitium culpæ, vel pœnæ, ut vocando furem, adulterum, mendacem, furca dignum &c. per contemptum. Convitium proprie dicitur, cum alicui objicitur vitium naturale corporis, vel animi, ut vocando stultum, ineptum, cæcum, gibbosum, truncum &c. quo spectant vulgaria dicteria germanica, a patria præsertim desumpta. Improperium proprie dicitur, quo alicui per contemptum objicitur, vel exprobratur defectus natalium, aut defectus indigentiæ in bonis animæ, corporis, famæ, vel fortunæ, velut ab ipso objiciente sublevatæ v. g. quid haberes? quid scires? quid esses? &c. nisi ego dedissem, docuissem &c. vulgare vitium beneficiorum destructivum, ut bene distinguit D. Thomas *cit. q.72. ar.*1. Omnia tamen hæc continentur generali nomine contumeliæ: & si fiant serio per contemptum, aut animo inhonorandi, mortalia sunt ex genere suo. Secus, si fiant ex levitate, joco, in re levi, vel ad correptionem debitam, juxta paulo ante dicta. Neque refert, an objecta vitia vera sint, vel falsa, ut ex communi notat *Laym. cit.* Et si occulta ejusmodi vitia objiciantur audientibus aliis, erit simul contumelia, & detractio: quo casu ex circumstantiis personæ sæpe contingere potest, ut idem convitium sit veniale in ratione detractionis, puta ex parvitate materiæ & mortale in ratione contumeliæ, ut si viro honorato, vel Superiori tuo levem licet defectum coram aliis in faciem objicias. Similiter e contra: si vili personæ grave crimen coram aliis in faciem objicias, veniale erit in ratione contumeliæ; mortale vero in ratione detractionis, ut ex dictis constat. Maledictum denique est vitium, quo alicui in contemptum mala imprecamur; quod si serio fiat, & animo, ut eveniat, est peccatum mortale ex genere suo duplici malitia, & contra Charitatem, & contra honorem alterius. Eadem tamen ratione, ut supra, ex circumstantiis personarum potest esse mortale contra Charitatem, & veniale solum in ratione contumeliæ, & e contra, ut si Superiori, parenti, viro honorato leve malum in faciem imprecaris, aut e contra personæ vili grave malum. Cæterum regulariter excusatur a mortali, & ex levitate materiæ, & ex imperfectione actus, passione, levitate, consuetudine, & non animo, ut eveniat.

II. Lusu.

142 Contumelia lusu facta, seu ludicra dicitur, cum quidpiam ludicre repræsentatur ad alterius honorem, vel pudorem lædendum, quo spectant irrisio, illusio, & subsannatio. Irrisio proprie dicitur, qua aliquis contemptim ridetur, vel risui verbis, vel factis exponitur. Illusio est, qua aliquis ludibrio habetur, vel risui exponitur, mediante aliqua deceptione; uti factum Christo a Judæis velata facie percusso, & interrogato, *prophetiza nobis* &c. Subsannatio est, qua quis ludibrio habetur motibus corporis, vel membrorum, uti itidem factum Christo ibidem Matth. 26. *plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus, & genuflexi ante illum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum:* quo spectant vulgaria signa illusoria, monstrare ficum, asinum &c. Omnia autem deliberate, & serio facta in contemptum, vel animo inhonorandi, irritandi &c. mortalia sunt ex genere suo, nisi rursus levitas materiæ, imperfectio actus, jocus &c. excusent. Etenim præter injustam læsionem honoris ex genere suo mortalem contra justitiam, etiam continent incussionem pudoris, seu verecundiæ, privando eum bono pacis, & serenitatis animæ, ac conscientiæ, quæ est gravis offensa contra Charitatem. Item gravius peccatum est irrisio, quam contumelia serio facta, quia ita ludicre agendo proximus magis contemnitur, & irritatur, ac offenditur, quam si ei defectus sui serio proponerentur, vel objicerentur, ut quilibet experitur. Item gravius adhuc peccatum est irrisio, vel subsannatio facta parentibus, vel iis, quos loco parentum colere debemus: quippe accedente speciali malitia impietatis contra virtutem pietatis, & observantiæ. Unde Prov. 30. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Denique omnium gravissimum peccatum est irrisio, illusio, vel subsannatio facta homini ob exercitium virtutis; cum perversissimi animi sit, virtutem ipsam contemptum ludibrio exponere, & homo fragilis exinde a studio virtutis ad vitia perducatur; adeoque scandalum formale datur, quod in Scriptura vocatur *peccatum grande nimis:* 1. Reg. 2. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a Sacrificio Domini.*

III. Facto.

Contumelia opere facta, seu realis dicitur, qua quis ipso facto læditur in persona propria, vel admodum conjuncta, vel ejusdem potestati, vel affectui subjecta: ut subditis, consanguineis, uxori, sponsæ, liberis, amico singulari &c. ut si quis pulsatus, verberatus, vi inclusus, despoliatus per rapinam, vel domus ejus vi intrata sit, juxta L. 5. *ff. de injuriis*. Est peccatum mortale ex genere suo duplici malitia contra justitiam, seu duplici injusta læsione, & honoris, & in bonis corporis, vel fortunæ: rursusque ex circumstantiis personarum accidit, ut in ratione unius sit mortale, & in ratione alterius veniale tantum; & e contra: ut si viro honorato violenter auferas rem levem, v. g. pileum, mortale est in ratione contumeliæ; veniale in ratione rapinæ: e contra si homini vili, v. g. rustico violenter auferas rem gravem, veniale est in ratione contumeliæ: at mortale in ratione rapinæ. In ratione contumeliæ notanda est doctrina Justiniani Imperatoris *institut. de injuriis* §. *atrox*, ubi ait: quandam injuriam censeri atrocem, graviusque puniendam, quæ æstimari debeat: *vel ex facto, veluti si quis vulneratus sit, aut fustibus cæsus: vel ex persona, ut si magistratus injuriam passus sit; vel si Senatori ab humili persona injuria facta sit, aut parenti; vel ex loco, velut si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu Prætoris injuria facta sit &c. Nonnunquam & locus vulneris atrocem injuriam facit, veluti si in oculo quis percussus fuerit.* Hæc Imperator. 143

IV. Scripto.

Contumelia scripto facta, seu famosa, dicitur in jure libellus famosus, quo quis animo infamandi, alterius crimen, vel defectum, scripto domui appenso, vel injecto, aut publico loco affixo, vel in vulgus sparso evulgat (quo spectat etiam pictura famosa; ut alterius januę cornua, patibulum &c. appingere, animo diffamandi.) Peccatum mortale gravissimum contra justitiam, scilicet læsivum simul graviter, & famæ, & honoris alterius. Atque non tantum, qui composuit, edidit, verum etiam qui inventum non laceravit, vel igne absumpsit, sed manifestavit, capitali pœna plectitur Jure civili. *L.5.ff. de injur.* & *L.1. C. de famos. libell.* Jure autem Canonico perpetuæ infamiæ pœna plectitur a Gregor. XIII. constitutione facta. Excipiunt tamen DD. communiter, & tam a culpa, quam a pœna incurrenda excusant, si quis libello famoso crimen verum objiciat, quando alius modus publicum scandalum, vel detrimentum avertendi non suppetit: immo actus Charitatis erit, ejusmodi scripto publicum alicujus crimen, vel defectum, eo tempore, & loco manifestare, ut soli ejusdem Superiori, vel communitati privatæ ad debitam correctionem innotescat. Vide *Molin. Lessium, Laym. loc. cit.* 144

Per se omnia semper ejusdem speciei.

Omnes præfatæ, & similes contumeliæ seu injuriæ contra honorem proximi, quantum est ex hoc capite, per se sunt ejusdem speciei peccata; cum objectum formale, scilicet injusta læsio, vel diminutio honoris proximi, in omnibus idem sit: ut ex communi notant Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 6. n.* 5. Tamb. *l. 9. Decal. c.* 3. §.8. *n.*3. Adeo ut in confessione non sit opus explicare illos varios modos, quippe materialiter tantum differentes; sed sufficiat dicere: contumeliam gravem intuli proximo. Dico autem *quantum est ex hoc capite per se*: aliunde, & per accidens sæpissime accedit alia peccati species necessario in confessione explicanda: si enim contumeliam inferas simul lædendo famam, utique explicare debebis: si contumeliam inferas, vel illudas alteri ex odio, contemptu, vindicta &c. manifeste peccas distincto peccato odii: si alicui, quem advertis (vel forte intendis) commotum iri ad iram, vindictam, blasphemiam &c. addes peccatum speciale scandali contra Charitatem: si alicui, qui exercet actum virtutis, vel pietatis Christianæ, addes speciale peccatum contra virtutem Religionis, spectans ad peccatum in Spiritum Sanctum: si parenti, Superiori, ipsi Deo, vel Sanctis, addes speciale peccatum blasphemiæ, vel impietatis: si contumeliam facias occidendo, verberando, spoliando, virginem in vitam, vel consanguineam constuprando; jam vides specialia distincta scelera, homicidii, rapinæ, stupri, incestus &c. 145

§. IV. *Ideoque inducit obligationem reparandi honorem.*

I. Nimirum quatenus contumeliosus revera damnum infert inhonorando, non vero quatenus præcise injuriam infert. Hic ex supra dictis rursus valde notanda est differentia inter læsionem famæ, & honoris, quoad restitutionem: fama enim, seu bona existimatio de aliquo est aliquid jam existens in bonis illius, cui detrahitur: Unde per injustam detractionem semper aufertur alicui id, quod jam possidet; & sic ei semper damnum infertur, & detrahens semper ad restitutionem obligatur. Honor autem non est aliquid prius existens in bonis ejus, cui aufertur; cum juxta commune dictum, honor sit in honorante: 146

ideoque

ideoque qui alterum positive, vel negative inhonorat, non aufert ei aliquid, quod jam possiderat, sed solum negat ei id, ad quod ab ipso accipiendum jus habet: unde per se loquendo solum infertur ei injuria, non autem damnum proprie loquendo.

147 II. Quod si ergo læsio honoris negativa, vel positiva solum inferat injuriam, & nullum damnum: ut si cui, secluso omni damno, vel contemptu ab aliis inferendo, neges signa honoris debita: si quem solum nemine audiente, voces stultum, adulterum, spurium, percutias, illudas &c. Et universaliter quandocumque inhonoratio, vel contumelia privatim facta est, neque in aliorum notitiam culpa tua pervenit, nulla erit obligatio restitutionis proprie loquendo, sed solum satisfactionis, v. g. veniam petendo: ut ex communi recte docent cum aliis Molin. *tr.* 4. *disp.* 46. & ex eo Laym. *c.* 7. *n.* 6. Ratio est: quia juxta alibi dicta pro sola injuria, secluso damno, nulla est restitutio facienda ante Judicis sententiam ex justitia commutativa, sed solum ex Charitate satisfactio, seu reconciliatio fraterna: atqui ex inhonoratione, vel contumelia privatim facta, nullum infertur damnum inhonorato, ut patet, sed mera injuria, & offensa; ut nimirum eum contristes, & a te alienes: ergo exinde non teneris ad restitutionem honoris proprie ex justitia, sed solum ad satisfactionem ex Charitate, seu reconciliationem, ut nimirum erratum agnoscendo, veniam petendo, aliove competenti modo ipsius animum offensum tibi reconcilies, juxta præceptum Christi Matth. 5. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te &c. vade prius reconciliari fratri tuo.* Idque fatetur alioquin adversarius Lug. *disp.* 15. *sect.* 4. dicens, quæstionem esse de nomine.

148 III. At vero ordinarie læsio honoris per inhonorationem, vel contumeliam etiam est damnosa inhonorato, quatenus nimirum per inhonorationem, vel contumeliam coram aliis irrogatam, privatus est honore ab aliis communiter exhibendo: quia nimirum, ut supra dictum, aufertur ei status suæ excellentiæ, vel dignitatis ab aliis æstimatæ, unde ei honor ab omnibus debebatur, & constituitur velut in statu indignitatis ab aliis æstimandæ, unde ei honor amplius non debeatur: & ideo semper accedit etiam læsio famæ, seu bonæ existimationis suæ: & talis tenetur utique ex justitia inhonorato coram aliis honorem læsum restituere, seu reintegrare, conando alios, quantum in se est, omni modo, & ratione congrua permovere, ut de homine, sicut prius, bene, honorificeque sentiant, eique consuetum honorem exhibeant &c.

149 IV. Modus autem restituendi honorem ille requiritur, & sufficit, qui secundum gravitatem injuriæ, qualitatem personarum, consuetudinem locorum, aliasque circumstantias, prudentis judicio reputatur sufficiens ad reparandum honorem apud alios læsum. *Primus*, & efficacissimus modus restituendi honorem est, coram aliis ab inhonorato veniam petere cum signo doloris: & maxime convenit inferioribus erga majores, ac etiam æqualibus: Superiores enim, Principes, Domini, Parentes &c. non tenentur veniam petere a subditis, vel inferioribus offensis; *ne, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas*: ait Sanct. Augustin. in Regula. Sufficit ergo ipsis alia signa honoris, vel benevolentiæ exhibere. *Secundus* modus restituendi honorem, maxime conveniens inter æquales, est, inhonorato notorie extraordinaria signa honoris, & benevolentiæ ostendere, verb. grat. ad mensam invitando, locum honoratiorem tribuendo, ei vel aliis in sanitatem ejus propinando &c. ut prudentis judicio novus honor exhibitus apud alios omnino deleat priorem dehonorationem, vel contumeliam illatam. *Tertius* modus restituendi honorem competens majoribus, vel Superioribus, maxime erga inferiores, est, aliqua signa honoris, & benevolentiæ exhibere inhonorato, quæ alias tali personæ non solerent exhiberi: ut honorifica salutatione, allocutione, amica conversatione, beneficio, vel obsequio aliquo speciali, aliis signis, verbis, vel factis significando inhonoratum antea, non amplius despici a se, sed velle omnino in suo debito honore esse apud se, & alios. Quos modos bene notet Confessarius, ut pœnitentibus juxta conditionem personarum suam obligationem discrete significare possit. *Quartus* denique modus est, si per inhonorationem, vel contumeliam verbalem maxime, etiam fama læsa fuit, utique & hæc restituenda erit, juxta dicta *sect.* 4. sicut etiam si per contumeliam quodvis aliud damnum illatum fuit in bonis corporis, vel fortunæ, v. g. gravi percussione, rapina &c. & illud damnum compensandum esse nullus dubitat, & ex ante dictis nosse debes.

CAPUT V.

IN SEPTIMUM, ET DECIMUM PRÆCEPTUM DECALOGI

Textus.

Non furtum facies.

Et non concupisces rem proximi tui.

Explicatio Septimi Præcepti.

Septimo hoc præcepto formaliter negativo nomine furti late accepti, prohibetur omnis injuria, seu injusta læsio, vel damnificatio proximi in bonis temporalibus fortunæ: & ex consequenti, eodem Præcepto, quatenus virtualiter, & implicite affirmativum est, præcipitur cuivis jus suum quoad bona temporalia tribuendum esse. Est communis interpretatio DD. cum D. August. lib. qq. super Exodum q. 71. dicente: *Furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit; sed utique a parte totum intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximo aufertur.* Hæc S. Doctor. 1

Declaratur. Quemadmodum in Sexto Præcepto, *non mœchaberis*, nomine *mœchiæ* proprie adulterium tantum significantis, per quandam antonomasiam omnia peccata carnis intelliguntur prohibita, ita & hic sub nomine furti proprie significantis ablationem occultam rei alienæ invito Domino, comprehenditur tamen omnis injusta læsio, vel damnificatio proximi in bonis fortunæ. Cæterum ad idem Præceptum, eandemque virtutem spectat & prohibere, ne alterius jus lædatur per injuriam, ac præcipue obligare, ut alteri cuivis jus suum tribuatur per restitutionem, vel alios modos. Jam vides explicationem hujus latissime patentis Præcepti petendam esse ex universa ferme materia de jure, & justitia. Itaque in gratiam juniorum incipiendo a facilioribus, hoc ultimo Capite proponam propriam, & directam materiam præcepti negativi, sex Sectionibus. *Prima* furti definitio, divisio, malitia, & materia gravis, ac levis. *Secunda*, furta minuta respectu ejusdem, & diversorum: ubi simul de furtis domesticorum, Uxorum, Filiorum, Religiosorum, famulorum, sartorum &c. *Tertia*, accepta ob occultam compensationem. *Quarta*, accepta propter necessitatem. *Quinta*, acceptio personarum, ac munerum: ubi de acceptis ob opus alias debitum, & ob turpem causam. *Sexta*, defraudatio vectigalium, gabellarum &c. ubi etiam strictim de criminibus falsi. Sit in nomine Domini 2

SECTIO I.

Furti definitio, divisio, malitia, materia gravis, ac levis.

SUMMARIUM.

4 Usque ad num. 11. *Explicatio, & definitio furti proprie, & theologice sumpti.*
11 & 12 *Furti divisio.*
13 *Rapina quid.*
14 *Quid contractus damnosus.*
15 *Quid damnificatio injusta.*
16 Usque ad n. 21. *Alia inculpata, alia culpata &c.*
21 *Furtum est peccatum ex genere suo mortale.*
22 *Veniale evadit I. tam ex parte furantis v. g. indeliberate agentis.*
23 *Quam II. ex parte Domini, v. g. non multum inviti &c.*
24 & 25 *Ex cujus parte etiam augetur, saltem in ratione offensæ, si is multum invitus sit.*
26 *III. Maxime ex parvitate materiæ veniale fit.*
27 & 28 *At quæ sit materia gravis, quæ levis, sic distinguendum est.*
29 *Materia gravis* absoluta *respectu cujuscumque etiam opulentissimi, aut Regis potentissimi, sunt duo circiter ducati, materia vero gravis* respectiva *ad conditiones personarum, est quantitas sufficiens ad victum unius diei tali personæ.*
30 Usque ad n. 34. *Probatur, & declaratur pulchre.*

Furti sic late sumpti, prout generatim prohibetur septimo Præcepto, *non furtum facies*: pro omni nimirum injuria proximo illata circa bona fortunæ seu temporalia externa, communiter numerantur tres species: *furtum proprie dictum*, *rapina*, & *damnificatio injusta*; quibus merito annumeratur quarta, *contractus damnosus*: nam omnis injuria, seu læsio proximi in bonis fortunæ, aut fit lucrose, scilicet acquirendo, auferendo, vel usurpando rem alienam invito domino: & hoc primo, vel occulte per dolum, & ignorante domino, & dicitur *furtum proprie* dictum. Secundo, 3

vel

vel aperte per vim præsenti, scienti, ac nolenti domino illatam; & dicitur *rapina*. Tertio aut medio modo, vel non omnino ignaro, vel non omnino invito domino, & erit *contractus damnosus*. Quarto, aut denique quocumque istorum modorum, fit non lucrose, nihil scilicet sibi acquirendo, auferendo, vel usurpando, sed solum destruendo, vel deteriorando rem proximi, & dicitur, *damnificatio injusta*, seu damnum injuste datum.

ASSERTIO I.

4 *Furtum proprie, & theologice dictum, est contrectatio rei alienæ externæ occulta rationabiliter invito domino. Rapina est contrectatio rei alienæ violenta præsente, ac invito domino. Contractus damnosus est contrectatio rei alienæ, vel non omnino ignaro, vel non omnino invito domino. Damnificatio injusta, seu damnum injuste datum est occulta, vel violenta destructio, vel deterioratio rei alienæ invito domino.* Ita in re omnes. Solum opus est explicatione. Sit igitur

§. I. *Furtum*.

5 *Est contrectatio:* hoc est acceptio, & detentio rei alienæ, seu simul, seu seorsim: quamvis enim omnis injusta ablatio, vel acceptio rei alienæ fiat propter detentionem, usurpationem; interdum tamen possunt ab invicem separari, & realiter, & formaliter in ratione peccati: nam si fur in flagranti deprehensus re furto ablata statim spolietur, est tantum ablatio, adhuc tamen contrectatio rei alienæ, & verum furtum. Contra, si rem alienam tibi commodatam, vel depositam, vel casu apud te relictam injuste detineas, erit tantum detentio, non ablatio injusta, adhuc tamen verum furtum, & contrectatio rei alienæ. Item si quis bona fide accipiat rem alienam, putans esse suam, postea superveniente mala fide, jam resciens esse alienam, adhuc tamen detinet, & injuste possidere vult; non quidem accipiendo, sed detinendo, peccat vero furto. Contra, si quis mala fide per errorem accipiat rem revera suam, putans tamen esse alienam, postea, comperto errore, utique retinebit, accipiendo tantum, non detinendo peccat. Item, si quis intendens parum furari, aufert marsupiolum, postea repertum, multum, v. g. aliquot aureos detinet, auferendo peccat tantum venialiter, detinendo vero mortaliter. Contra, si intendas multum furari, parum reperis, & detines, auferendo peccasti mortaliter, detinendo venialiter tantum.

6 II. *Rei alienæ:* hoc est, ad alterum jure aliquo spectantis, quocumque tandem, sive dominii pleni directi, vel utilis tantum, sive quoad solum usum, vel detentionem legitimam; non enim tantum, qui vero domino aufert rem propriam, sed etiam qui usurarium, commodatarium, conductorem, depositarium &c. invitum privat usu, vel possessione rei sibi concessæ, furtum committere censetur, etiam in Jure; *L. cujus interest, ff. de furtis*. Quin etiam ipse dominus directus, si rem suam auferat ab eo, qui jus illa re fruendi, utendi, vel detinendi habet, ut in commodato, locato, pignorato, deposito, furtum committere censetur: sed & ipse commodatarius, conductor, depositarius, pignus obtinens, si contra ratione conventionis, sine expresso, vel præsumpto consensu domini ejusmodi re utantur, quasi furtum committunt. *L. qui furtum, ff. de conductione furtiva*.

7 III. *Externæ:* Excluduntur bona animæ, corporis, famæ, vel honoris: quæ aliis injustitiæ speciebus læduntur: Unde si quis a te furetur, seu furtive accipiat artificium aliquod secretum de aliqua arte, vel medicamento, proprie furtum non committeret, quamvis sic tibi damnum inferret, vel lucrum auferret, damnificationem faceret, & ad restitutionem obligaretur. Item, si quis surripit hominem liberum, faciendo sibi, vel alteri servum, non diceretur eum proprie furari: quia ea damnificatio est contra bonum corporis, & libertatis, non contra bona externa, ut notat Lugo *disp. 16. de just. sect. 1. n. 18.* Secus est, si fureris mancipium a suo domino: mancipia enim computantur inter bona externa dominorum. Furari autem filium a patre, probabilius non videtur furtum proprie dictum, sed tantum damnificatio injusta, ut contra alios cum aliis docet idem Lug. cit. *Ratio est:* quia ex una parte filius non computatur inter bona externa patris: ex altera autem parte, cum propter ejus absentiam privetur pater illius servitiis, vel emolumentis, damnum injustum sine dubio patitur pater.

8 IV. *Occulta:* vel fraudulenta, saltem sine vi illata, id est: aut omnino ignaro domino quoad ipsum factum, ut plerumque fit; aut quoad injuriam saltem facti: ut si quis videret quidem auferri rem suam, non tamen putaret esse suam ob dolum, vel artificium furantis, aut saltem sine vi illata, nam etiamsi sciente, & vidente domino, minime tamen consentiente, aliquid sine vi auferas, adhuc furtum committis, non rapinam: quemadmodum solet fieri, quando dominus famulum, aut pater filium scienter permittit furari, aut etiam exposita pecunia, vel clave in cista relicta, furandi occasionem præbet, ut illum in furto deprehensum emendet, aut sibi caveat imposterum, quod etiam, salva Charitatis lege, licite fieri posse, supra dictum est *cap. 1. sect. 3. num. 65.* sine dubio adhuc vere furantur. Per hanc ergo particulam præcise differt furtum a rapina.

V. *Invito domino:* id est, minime consentiente, quin potius omnibus modis contradicente, saltem habitualiter, seu animi dispositione: utpote, licet de facto ignarus rei actu non contradicat, tamen si sciret rem suam auferri, certissime contradicturus esset. Non ergo erit furtum, si scias, vel credas, vel probabilem rationem habeas putandi dominum consentire: aut non fore invitum, rem talem sibi auferri: qua ratione sæpissime a furto excusantur filiifamilias, Uxores, Famuli, Religiosi, amici, familiares &c. aliquid non valde grave invicem accipientes, ut infra videbitur. Dico tamen, si probabilem rationem ita credendi, vel putandi habeas: nam si solum dubius sis, vel nescias, an dominus sit contentus, vel invitus; præsumendum est, esse invitum: nam ex frequenter contingentibus, scimus neminem velle sua dispergere. Additur denique notanter 9

VI. *Rationabiliter invito domino*, ut nimirum is aliunde non debeat esse rationabiliter contentus, ac consentire, ut talis res sibi auferatur. Non ergo furtum committit, qui rem aufert alterius, sciens illum, etiamsi sit, non tamen debere esse invitum rationabiliter. Ut, qui accepit rem alienam tamquam sibi debitam ad justam compensationem; vel ut necessariam in extrema necessitate, de quibus infra. Item qui aufert aliena, ipso Deo supremo rerum Domino facultatem dante, qua ratione Israelitæ spoliarunt Ægyptios. Qui aufert gladium a furioso, vel aliis occisuro. Qui aufert libros hæreticos a non habente legendi facultatem. Item si uxor marito surripiat pecunias, quas in lusu perderet &c. in his, & similibus casibus dominus esset irrationabiliter invitus, sibi rem talem auferri. Ita DD. passim. 10

Furtum porro hic definitum ratione rei ablatæ, dividitur in simplex, & qualificatum, cui scilicet specialis malitia adjungitur: cujus species sunt: *Sacrilegium*, scilicet furtum e loco sacro, aut rei sacræ e loco non sacro, aut non sacræ e loco sacro, prout distinguitur in jure Canonico *c. quisquis causa 17. q. 4. Peculatus*, furtum rei pertinentis ad Fiscum Principis. *Plagium*, id est, furtum hominum sub potestate aliorum constitutorum, ut servorum, liberorum. Abigei dicuntur in jure, qui insidiantur animalibus, aut jumentis. Item in Jure fit magnum discrimen inter furem diurnum, qui sole lucente furatur, ut agnosci possit, & furem nocturnum, qui furatur de noctu, ut agnosci non possit; nam præter alia hic in foro externo impune occidi potest, ille minime. 11

Denique dixi initio, definiri hic furtum *theologice:* quod scilicet Theologi in foro conscientiæ pro vero furto habent quoad rationem peccati, & obligationem restitutionis. Juristæ enim longe strictius furtum definiunt; & multa a furtis excludunt, quæ theologice in foro conscientiæ verissima furta sunt, vel rapinæ. In primis solam injustam usurpationem rerum mobilium, non item immobilium, volunt esse proprie furtum, vel rapinam. 2. Ob honorem conjugii negant esse furtum inter conjuges, si sibi invicem furentur (sicut nec inter patrem, & filium &c.) nec actionem famosam furti concedunt, sed aliam mitiorem amotarum rerum. 3. Negant esse furtum, si quis aliquid auferat ex hæreditate nondum adita ab hæredibus, quod ea bona nondum censeantur habere proprium dominum, sed vocant crimen tantum expilatæ hæreditatis. 4. Similiter non dant actionem furti adversus Tutorem res pupilli injuste usurpantem, sed aliam mitiorem de rationibus distrahendis &c. Textus juris videre potes apud auctores, *Lugo, Tamb.* mox citandos. Theologi autem illa omnia habent pro veris furtis, & restitutioni obnoxiis, nisi aliunde excusentur. Unde si forte excommunicatio, vel peccati reservatio feratur contra furtum, cum omnino intelligi debeat de furto theologico, & non juridico tantum, vel civili, sub ea excommunicatione, vel reservatione omnia hæc enumerata comprehenduntur, tanquam vera furta theologica. Vide Lugo *tom. 1. de just. disp. 16. sect. 1. n. 4.* Tamb. *lib. 8. Decal. tr. 2. cap. 1. n. 7. & 8.* 12

§. II. *Rapina*.

Est contrectatio rei alienæ violenta invito domino. Differt a furto sola particula, *violenta:* quod nimirum per furtum auferatur res aliena occulte, & dolose sine vi, domino ignorante; per rapinam autem domino vidente, ac nolenti, & rem suam servare volenti, violentia, adeoque specialis injuria, & contemptus infertur: ac proinde specie differre furtum, & rapinam, docet communissima DD. cum S. Thoma, *q. 66. ar. 4.* Ratio jam tacta est: quia nimirum præter injustitiam furti, scilicet injustam usurpationem rei alienæ, rapina continet aliam speciem injustitiæ, circa personam, & honorem proximi: nam vim alicui inferre, est species contumeliæ lædentis honorem proximi. Unde fieri potest, ut aliquis a persona illustri rem exiguam per vim auferens, venialiter tantum peccet in genere furti, mortaliter vero in genere contumeliæ: & e contra potest mortaliter peccare in genere furti, & venialiter tantum in genere contumeliæ: ut si rustico videnti, & reluctanti, vel resistere non audenti rapias ovem, v. g. contumelia levis, 13

levis, & venialis est, furtum utique mortale. Porro vis hæc, vel violentia rapinam constituens, non solum infertur manibus, vel armis, sed etiam verbis, utpote minis, incussione metus injusti: unde ad rapinam pertinet, quidquid per metum injustum ab altero quis extorquet; utpote 1. quod v. g. latro mortis metu intentato accipit. 2. Injustæ tributorum exactiones a potentibus factæ. 3. si ministri publici, justitiæ maxime, aliquid sibi postulent, quod rogati ob metum recusare non audent: quod dicitur crimen concussionis. 4. Si alterum cogas ad inæqualem, seu injustum contractum tecum ineundum. Sed de hoc mox seorsim.

§. III. *Contractus damnosus*.

14 E*St contrectatio, vel usurpatio rei alienæ, vel non omnino ignaro, vel non omnino invito domino*, adeoque dupliciter fit. 1. Per dolum, ut dum quis alterum decipit circa rei substantiam, qualitatem, valorem, vel pretium: ut si alteri vendas vitrum coloratum pro gemma: annulum ex aurichalco pro aureo &c. is usurpat rem alienam, non ignaro omnino domino, videt enim ipsum factum, sed non videt injuriam sibi factam; ideoque talis contractus formaliter spectat ad furtum, licet materialiter deficiat. 2. Fit per vim, metum, dum quis alterum quocumque metu injusto cogit ad contractum quocumque modo injustum, & ei damnosum; v. g. ad emendum, solvendum pretio excessivo, vel vendendum pretio justo minori, ad mutuum accipiendum cum usura &c. is usurpat rem alienam domino simpliciter quidem sciente & factum, & injuriam sibi factam, at non omnino invito, cum simpliciter velit, & consentiat in contractum istum; etsi cum admixto involuntario secundum quid: quia nimirum nollet ita contrahere, nisi metus, vel necessitas eum urgeret: & talis contractus injustus spectat ad rapinam materialiter, quatenus videnti, vel scienti infertur injuria: etsi deficiat formaliter, quatenus non simpliciter nolenti, vel invito injuria facta est. Atque rursus apud Theologos in foro conscientiæ eadem est ratio & culpæ, & restitutionis, in ejusmodi contractibus damnosis, ac in furto, vel rapina: quidquid in foro externo Juristæ distinguant.

§. IV. *Damnificatio injusta*.

15 S*Eu damnum injuste datum dicitur, occulta, seu violenta destructio, seu deterioratio rei alienæ invito domino*. Unde dicitur damnificatio non lucrosa, quod scilicet ex ea nullum lucrum, vel commodum ad damnificantem perveniat: dividiturque in inculpatam, & culpatam, culpa vel theologica, vel civili tantum.

16 I. Damnificatio inculpata dicitur, quando nulla omnino culpa interveniente damnum infertur: vel quia damnificans non est capax culpæ, ut si infans, vel furiosus domum incendat: vel quia justa causa est damni inferendi, ut in bello justo defensivo, vel offensivo, quo ob necessariam defensionem, publicam vindictam, aut hostes debilitandos &c. damna inferuntur: item si domus incensa in parte nondum ardente destruatur, aut ædes contiguæ, ne ignis latius diffusus majus damnum inferat; ut etiam jura statuunt: quibus casibus utique nulla restitutionis, seu damni resarciendi obligatio contrahitur.

17 II. Damnificatio culpata per culpam theologicam, seu verum peccatum dicitur, qua damnum infertur cum aliqua voluntate nocendi: seu damnum proximo inferendum aliquo modo intenditur, aut directe, & ex proposito volendo nocere; aut saltem indirecte, & in sua causa posita, vel non amota: ut si animadverso periculo damni inferendi ex tua actione v. g. homicidii ex jaculatione, incendii ex incustodia luminis &c. nihilominus non caveas, nec actione illa abstineas, cum possis, eo ipso censeris velle ipsum damnum secutum; qui enim vult causam, etiam indirecte saltem vult effectum prævisum: atque ex hac damnificatione theologice culpabili, omni jure naturali, & positivo oritur obligatio restituendi, seu damni resarciendi: eaque obligatio, etiam ante litis contestationem, ad hæredes transmittitur jure naturali, civili, & Canonico. Vide late Molinam *hic tr.3. de just. disp.*43. Laym. *tr.3. p.1. c.6. n.3.*

18 III. Damnificatio culpata per culpam civilem, vel politicam tantum, dicitur, qua seclusa omni voluntate nocendi proximo, omnique actione, vel omissione culpabili coram Deo, ac in conscientia, nihilominus damnum proximo infertur ex actione, vel omissione culpabili, vel defectuosa contra exactum modum agendi humanum. Definitur enim culpa politica: *Defectus ab eo, quod bonum, & æquum est, & humana diligentia præstari potest*. Et quidem in foro externo quisquis ex culpa civili tantum damnum alteri dedit, ad ejus integram compensationem compelli potest per actionem Legis Aquiliæ *de damno dato ff. & instit. ad L. Aquiliam*. E. g. si inconsulto aliquid e domo ejeceris, vel effuderis: si candelam ardentem extinguere, furnum claudere, canem alligare oblitus sis &c. unde damnum proximi rebus evenerit. Eadem ratione, si cujus servus, vel animal damnum dedit, etsi ignaro domino, nihilominus compellitur ad damnum compensandum, aut servum, vel animal noxæ dandum: unde actio noxalis dicta est in jure. Item ut Nauta, Caupo, stabularius &c. teneantur de damno dato a suis famulis, vel iis, quorum opera usi sunt, statuunt Jura *L. ultima ff. nautæ, apud Laym. cit. n.* 2.

IV. Attamen jure naturali in foro conscientiæ, & ante judicis sententiam non oriuntur ejusmodi obligationes: atque nihil obligatus est, qui absque culpa theologica, & peccato injuriæ per culpam civilem tantum, per se, vel per suos, quodcumque damnum dedit, nisi præcesserit pactum, aut sequatur sententia Judicis. Ita contra *Covarr. Adrian. Angel.* & alios nonnullos docet communissima DD. *Sylv. Navarr.* uterque, *Molin. Less.* aliisque citat. Laym. modo *cit. nu.*2. Ratio est: quia talis obligatio in foro conscientiæ oriretur, aut ex legum civilium constitutione, aut ex pacto aliquo antecedente &c. non primum: quia leges illæ ad cives cautiores, ac diligentiores reddendos institutæ, respiciunt quamcumque omissionem cautelæ, vel negligentiæ in hujusmodi damnis, adeoque quasi pœnales sunt: atqui legibus pœnalibus omnibus commune est, ut non obligent ante Judicis sententiam seu condemnationem; quod in proposito, vel ex eo manifestum est, quod post mortem eorum, quorum culpa civili tantum damnum datum est, actio adversus hæredes non concedatur, nisi lis jam antea contestata fuerit; ut habetur in jure LL. allegatis apud Mol. *tr.* 2. *disp.* 713. Neque secundum: quia supponitur hic omnino nullum pactum intercessisse: quod si autem pactum aliquod intercesserit, v. g. commodatum, locatum, depositum &c. communis DD. Sententia est, damnificantem obligari ex culpa etiam civili, juxta cujusque contractus naturam: v. g. commodatarius ex culpa civili etiam levissima; conductor ex culpa levi: depositarius ex sola culpa lata, & dolo. Sed de his jam alias tr. 4. latius & mitius: hic obiter insinuasse sufficiat. 19

ASSERTIO II.

F*Urtum est peccatum mortale ex genere suo: excusatur tamen multipliciter tum ex parte ipsius furantis, aut domini, cui res sua aufertur: tum maxime ex parvitate materiæ: materia autem gravis sufficiens ad mortale furtum, absoluta quidem respectu cujuscumque, est duorum circiter ducatorum, respectiva autem est victus unius diei talis domini, vel personæ rei*. Communis doctrina, ut patebit explicando per partes. 20

§. I. *Furtum est peccatum mortale ex genere suo*.

CErtum de fide, & expresso præcepto Decalogi: omnia enim præcepta Decalogi, quippe quorum observantia necessaria est ad salutem æternam, sine dubio obligant sub mortali ex genere suo: ergo. *Deinde*: omne peccatum directe repugnans Charitati, & Justitiæ est mortale ex genere suo, furtum autem directe repugnat utrique; Charitati quidem quatenus fur proximo malum infert: justitiæ vero, quatenus infert injuriam, ut nimis manifestum: ergo. Quod autem dicitur Prov. 6. *Non est grandis culpa, cum quis furatus fuerit &c.* partim excusat furtum ob necessitatem furantis saltem a tanto; nam sequitur: *furatur enim, ut esurientem impleat animam*; partim comparat furtum, ut minus peccatum cum majori peccato adulterii: sequitur enim ulterius, *qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam*. Porro constat, furtum ex genere, & objecto suo levius esse peccatum, omnibus aliis peccatis in Decalogo prohibitis, cæteris paribus; peccata enim contra Præcepta primæ tabulæ cum versentur circa ipsum Deum, ejusque cultum, utique sunt graviora furto versante circa hominem tantum. Alia autem Præcepta secundæ tabulæ cum versentur, aut circa proximi personam, aut bonum vitæ, famæ, honoris, etiam ex genere suo majora peccata sunt furto versante circa bona externa fortunæ proximi, quæ sunt inferioris longe ordinis, ut per se patet. 21

§. II. *Excusatur a mortali ex parte furantis, & domini, &c.*

FUrtum ex genere suo mortale in primis excusatur, & fit veniale ex parte ipsius furantis, tum ob imperfectionem actus; ut si fiat absque sufficienti deliberatione, ex aliqua præcipitantia, vel metu minuente voluntarium: tum ex ignorantia facti, ut si ignores rem esse alienam, etsi non omnino inculpabiliter ob defectum sufficientis inquisitionis. Tum ex ignorantia, vel errore juris, etsi non inculpabili: ut si absque sufficienti inquisitione tibi persuadeas, licere tibi auferre, vel usurpare rem alienam, vel ob necessitatem non sufficientem, vel ob compensationem non satis debitam, vel quod falso putes dominum non fore invitum ad ablationem rei suæ; vel quod falso credas, rem inventam in publico licite a quolibet auferri, &c. Denique ignorantia invincibilis, & inculpabilis juris, vel facti, sicut in omni alia peccatorum, ita & in furti materia peccatum omnino tollit; cum omne tollat voluntarium. Omnia certa apud omnes ex materia de actibus humanis, & peccatis. 22

Rursus furtum ex genere suo mortale excusatur, & fit 23

venai-

veniale, vel omnino nullum, ex parte domini, cui res sua aufertur; quippe qui sciatur, vel probabiliter putetur parum, aut omnino non esse invitus, sibi talem rem auferri, utpote quam parum, aut omnino non curat: adeoque qui aufert rem etiamsi alias notabilem, si tamen dominus non sit notabiliter involuntarius, sed æque parum curet, ac si res esset parvi momenti, non peccat mortaliter, sed venialiter tantum: si autem rem omnino pro neglecta habere dominum constet, omne peccatum cessabit. Communis DD. Ratio patet: quia furtum formaliter eatenus peccatum est contra justitiam, seu injuria contra jus proximi, quatenus fit invito domino, nolente scilicet juri suo cedere: ergo quo minus invitus est dominus, quoque magis suo juri cedit, eo minus erit peccatum, seu injuria: consequenter peccatum mortale non erit, quando rem ablatam, etsi magnam, non magis tamen curat, quam si esset res modica: quod si vero omnino cesset esse invitus, & juri suo omnino cedat, clare cessabit peccatum omnino; cum non fiat invito domino, saltem quoad rem ipsam, licet esset invitus quoad modum.

24 E contra autem similiter augebitur peccatum, quo magis dominus rationabiliter invitus est, vel ægre fert, rem suam sibi auferri: adeo ut si quis auferens rem alienam, etsi de se modicam, & materiam furti venialis, sciat tamen dominum ea valde affici, delectari, vel opus habere, ut ex ejus amissione magnam molestiam capturus sit, æque ac si esset res magni momenti, peccabit mortaliter, æque ac si auferret rem magni momenti: v. g. si auferas diviti nummum, vel monetam valde antiquam, & charam: immo florem aliquem ob raritatem, & singularem, rationabilem tamen affectum, tanti æstimatum, ut mallet perdere aliquot taleros: item si famulus contra præceptum domini auferret primos fructus ex arbore, vel vite, speciali affectu expetitos, puta, ad honorandos amicos, vel offerendos Ecclesiæ, &c. *Ratio est:* quia licet res in se parvi momenti sit, quia tamen dominus eam sibi auferri non omnino irrationabiliter æque invitus, ac involuntarius est, eandem molestiam capturus, ac si res magni momenti fuisset, æque graviter peccabit: ut docent Doctores communiter, *Sylvester*, *Navar.* uterque. *Lessius*, alii cum Laym. *hic cap.* 1. *n.* 3.

25 Ubi tamen graviter nota, illud argumentum peccati talis in ablatione rei levis, sed magni æstimatæ, non esse in specie furti contra justitiam, sed potius in genere offensæ tantum contra charitatem: quia furtum in ratione injustitiæ eatenus est peccatum mortale, quatenus proximo notabile damnum infertur in bonis fortunæ: at in illa ablatione rei levis, quamvis magni æstimatæ ab invito domino, nullum tamen notabile damnum infertur in bonis fortunæ, ut semper supponimus; ergo non est peccatum mortale furti, sed in ratione furti contra justitiam veniale manet, mortale autem evadit in ratione offensæ contra Charitatem, quatenus domino iniquam vexationem, vel molestiam creat, sæpe etiam in gravia peccata, blasphemias, vindictas, &c. præcipitat. Et certum apud omnes, eum, qui ejusmodi rem abstulit, non teneri postea domino restituere tantum, quanti ipse eam rem æstimavit, sed solum æstimationem communem rei in se.

§. III. *Et maxime ex parvitate materiæ.*

26 Furtum ex genere suo mortale maxime excusatur, & veniale fit ex parte materiæ, seu ob parvitatem, vel levitatem materiæ, cum versetur circa bonum hominis infimi ordinis, & maxime divisibile, seu magis, & minus suscipiens, quod proinde adeo minorari poterit, ut amplius peccati mortalis, & reatus æternæ damnationis capax censeri recta ratione non possit, in quo omnes conveniunt, præter solum, quem sciam, nostrum Gabrielem *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 3. §. 5. docentem, qualemcumque rei modicæ acceptionem esse mortale, si fiat ex affectu nocendi proximo, aut ea cupiditate possidendi rem alienam: sed rejicitur ab omnibus fundamentum ejus, hoc scilicet, quod ex genere suo est tale, semper est tale. Verum enim est de genere metaphysico, vel logico, falsissimum autem de genere morali peccati; peccatum enim mortale ex genere suo dicitur, non quod semper debeat esse peccatum mortale, sed quod ex proprio objecto, seclusa quavis alia malitia, possit esse peccatum mortale, & etiam sit, positis requisitis, utpote voluntario pleno, materia sufficiente, & capaci tanti reatus: de quo in materia de peccatis. Certum est hic, posse nos assignare materiam certo gravem, & sufficientem pro peccato mortali, v. g. centum aureos, aut certe talem, ob quam, vel Jure Canonico excommunicatio, vel Jure Civili pœna capitis infligi possit, per se loquendo: cum nec excommunicatio, nec pœna capitis infligi juste possit, nisi ob peccatum mortale. Certum item est, posse nos assignare materiam furti certo levem, & solius culpæ venialis per se capacem, v. g. unum, vel alterum obolum, &c.

27 At difficultas tota in assignanda quantitate materiæ determinata, & media consistit, quæ nimirum sit gravis, ut in ea, vel ultra illam sit culpa gravis, & mortalis, & qua minor, & infra quam sit materia, & culpa levis, ac venialis tantum. In hac quæstione maxime practica tot fere sunt sententiæ, quot capita. Nimis stricte *Navarrus* solum dimidium regalem, vel julium requirit, id est, unum nostrum pacium, vel paulo plus. *Corduba*, & alii, unum regalem, scilicet duos nostros pacios circiter. *Mol. Rebellus*, *Lessius*, aliique multi duos regales, id est, quatuor, vel quinque nostros pacios. *Valentia*, *Sayrus*, alii apud Dianam *hic res.* 57. tres regales vel julios, scilicet medium nostrum florenum circiter. Alii communiter cum Sanc. *lib.* 7. *mor. c.* 20. quatuor regales, scilicet nostrum medium talerum vel florenum circiter. Nimis autem laxe generatim loquendo, *Sotus*, *Sylvester*, *Angelus*, alii, unum, vel duos aureos, seu ducatos. Ab omnibus autem explosa est opinio quorumdam Veterum, etiam centum aureos furari valde diviti, secluso omni damno, vel incommodo domini, non constituere materiam gravem, vel etiam peccatum mortale.

Denique post longam inquisitionem materiæ gravis, & furti mortalis, omnes ingenue fatentur, non posse aliquam regulam certam, & fixam constitui, sed totum pendere ab æstimatione morali, & judicio prudentis ex circumstantiis in particulari definiendum esse: nimirum non ex sola quantitate rei ablatæ, sed etiam a circumstantiis personæ ditioris, vel egentioris, cui ablata est, indeque majori, vel minori damno causato. Unde materia gravis furti alia statuenda est *absoluta*, absque relatione particulari ad personam ditiorem, vel egentiorem: alia *respectiva*, quæ scilicet non secundum se absolute, sed solum habita relatione, & respectu ad circumstantias personæ læsæ, gravis est, & sufficiens ad peccatum mortale. Qua quantitate gravi assignata, facile patebit materia parva, & excusans a mortali. 28

§. IV. *Materia gravis, & levis.*

Materia furti gravis, & sufficiens ad peccatum mortale *absoluta*, & respectu cujuscumque etiam opulentissimi, aut Regis, vel Principis potentissimi, sunt duo circiter ducati. *Respectiva* vero ad conditiones personarum est illa, quæ sufficeret ad victum unius diei tali personæ, cui ablata est: veluti si a mercatore valde divite fureris duos florenos circiter: a cive mediocriter divite florenum, ab opifice dietim victitante tres, vel quatuor pacios, ab operario diurno labore victitante unum, vel alterum pacium: a paupere mendico aliquos cruciferos, vel nummos, quibus se uno die utcumque aluisset. Ita fere Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. alii apud ipsum, & re ipsa fere coincidunt *Bonacina*, *Petrus Navarrus*, alii cum Lug. *disp.* 16. *sect.* 2. & reipsa consentit noster Marchant. *tribun. p.* 2. *tr.* 8. *tit.* 1. *q.* 5. Ratio est: 29

I. Quia sicut alia peccata Reipublicæ perniciosa prohibentur graviter ut intrinsece mala, non propter damnum actuale præcise, quod adferunt semel facta, sed etiam, & multo magis propter damnum habituale, & consecutivum, quod adferrent semel licita, seu sæpius repetita, si semel sine gravi culpa licerent, v. g. pollutio voluntaria prohibetur graviter ut intrinsece mala, in omni casu: quia licet semel facta in raro casu ad evitandam mortem, vel gravissimam infirmitatem, non afferret grave damnum speciei humanæ, afferret tamen gravissimum consequenter ex eo, quod si semel in aliquo casu liceret, homines ad illam delectationem proclives, fingerent sibi necessitates, & causas valde frequentes, in maximum detrimentum speciei humanæ, dum illa voluptate contenti, minus curarent de matrimonio. Item revelatio Sigilli Sacramentalis prohibetur graviter ut intrinsece mala in omni casu; quia licet semel facta ob gravissimam causam, v. g. proditionis detegendæ non afferret detrimentum Sacramento, afferret tamen gravissimum, & exosum redderet Sacramentum ex eo, quod si vel in uno casu ob gravissimam causam liceret, semper metueret pœnitens, ne forte occurrat talis causa, aut ne Confessarius talem causam apprehendens peccata sua revelet, & ideo vix ullum gravius peccatum auderet confiteri, & ita in cæteris omnibus. Atque eadem ratione in proposito furtum prohibetur ut intrinsece malum, & grave ex genere suo, non præcise ob damnum actuale, quod afferret semel factum furando, v. g. Principi opulenti aliquot ducatos, sed etiam, & multo magis ob damnum habituale, & consecutivum, quod afferret sæpius repetitum, si semel citra grave peccatum liceret in tanta quantitate furari. Jam subsumo. 30

II. Atqui licet revera furtum unius, vel alterius ducati a Principe, vel alio ditissimo, unius floreni ab alio divite, &c. semel factum, eidem nullum, vel exiguum afferret detrimentum, afferret tamen detrimentum maximum, si semel in tanta quantitate citra grave peccatum liceret, tunc enim ex hominum malitia, & avaritia innata multiplicarentur ejusmodi furta, ex quorum frequentia maximum detrimentum etiam ditissimis sequeretur; ergo furtum in tali quantitate assignata censeri debet prohibitum graviter, & sub peccato mortali. Accedit, quod hæc sit communis hominum etiam prudentum persuasio, valorem unum, aut duos ducatos excedentem esse gravem absolute, ut vix aliquis etiam potentissimus reperiatur, qui spectatis omnibus impendiis, tantæ pecuniæ jacturam, ut sibi damnosam non justissime ægre ferat. Secus est de furtis minoris quantitatis, non enim sequitur tantum detrimentum ex eo, quod homines 31

mines sciant, se sine peccato mortali posse aliquid minutum furari: quia minus peccatum veniale, licet minus absterreat, tamen ob minus lucrum etiam minus invitat ad illa furta minutiora.

32 III. Respective vero ad conditiones personarum re sua indigentium, per se notabile damnum infertur auferendo eis tantam quantitatem, quæ ad victum unius diei sufficeret, prout supra specificatum. Quin etiam operario pauperi, qui in diurno labore ad sui sustentationem plus lucrari non potest, furari unum pacium mortale erit: quia furto majus damnum infertur tali pauperi, quam diviti furando integrum florenum, vel ducatum. Item valde pauperi etiam aliquot nummos furari, quibus ad victum valde indigeret, lethale erit eadem ratione; nam sicut testimonio Christi Marci 12. Vidua illa, quæ duo æra minuta in gazophylacium misit, plus omnibus dedit, quia totum victum suum dedit: ita qui illi hæc duo æra minuta furto abstulisset, non quid modicum, sed totum victum abstulisset, ideoque grave damnum intulisset. Item eadem ratione peccatum mortale committetur auferendo alicui rem quantumvis modicam, si ipsi exinde grave damnum emergat, vel lucrum cesset, ut si auferat pauperi sartori acum, sutori subulam, scribæ calamum, aliive aliud instrumentum, cum tamen scias illum aliud non habere, nec brevi acquirere posse ad opera sua necessario exercenda. Ut ex communi notant Navarr. *c.* 17. *num.* 2. Laym. *cit. cap.* 1. *num.* 3. Lugo *cit. sect.* 3.

33 IV. Denique apud omnes constans est, eum, qui furatur quantumvis minimam rem, sed animo accipiendi quid magnum, peccare mortaliter in intentione, & affectu, etsi non in executione, & effectu. Unde si pœnitens confiteatur, se modicum quid furatum esse, aliquando a Confessario interrogandus erit, an forte non defuerit animus plura surripiendi, si copia vel occasio fuisset. Quia, ut dicit Sanctus Hieronymus in Epistola ad Titum cap. 2. relatus cap. ult. 14. quæst. 6. *Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur, non enim id, quod furto ablatum, sed mens furandi attenditur.*

SECTIO II.

De furtis minutis multiplicatis, seu continuatis respectu ejusdem, & diversorum. Ubi simul de furtis domesticorum, &c.

SUMMARIUM.

34 *Furta minuta sunt, seu constituunt mortale tripliciter.*
35 & 36 *I. Ex intentione principali per ea ditescendi.*
37 Usque ad num. 40. *II. Ex intentione directa, vel indirecta ea continuandi, animadversa jam notabili materia concrescente, &*
40 & 41 *III. Ex sola injusta detentione notabilis materiæ jam sic congregatæ.*
42 & 43 *Idem probabilius est de furtis minutis factis ab eodem diversis;*
44 *(Admissa tamen majori quantitate materiæ.)*
45 & 46 *Immo & factis eidem a diversis communi consilio, & cooperatione, &c.*
47 *Secus, si non ita communi consilio, vel influxu, cum aliis quis modica furetur.*
48 Usque ad num. 51. *Furta domesticorum sunt vera furta: ut tamen mortalia sint, requiritur major quantitas materiæ, quam in furtis extraneorum.*
51 *Unde, & uxores mortaliter peccant surripiendo notabilem quantitatem de bonis mariti.*
52 *Eis tamen pro parvitate materiæ respective multum admittitur.*
53 *Et insuper ex diversis capitibus citra peccatum de bonis mariti quid auferre, vel disponere possint.*
54 *Quas eleemosynas, vel donationes facere possint uxores, & quantum sibi ipsis applicare.*
55 *Refertur, & resolvitur casus astutæ uxoris.*
56 *Etiam filiifamilias mortaliter peccant surripiendo notabilem quantitatem de bonis patri subjectis.*
57 *Ad id tamen longe major quantitas requiritur, quam in furtis extraneorum.*
58 *Auferendo autem esculenta, & poculenta, tam ipsi, quam Religiosi, & servi, raro peccant mortaliter, si ipsimet absumant.*
59 & 60 *Ac etiam sine peccato de bonis paternis aliquas congruas expensas facere possunt.*
61 *Similiter Religiosus notabilem quantitatem de bonis Monasterii surripiens dupliciter peccat mortaliter, peccato furti, & proprietatis contra votum,*
62 *Cui communiter ad mortale non concedunt (nisi in esculentis, & poculentis) majorem quantitatem, quam furi extraneo.*
63 *Alii tamen æque probabiliter concedunt ei tantum, quantum filiosfamilias,*
64 *Pro qua tenetur etiam ad restitutionem.*
65 Usque ad num. 68. *Idem ferme est de furtis famulorum, & ancillarum.*
68 *Quid de furtis sartorum, textorum, molitorum, &c.*

ASSERTIO III.

Furta minuta facta eidem ab eodem ad notabilem quantitatem pervenientia constituunt peccatum mortale triplici ratione. 1. *Ex intentione principali per furta minuta ditescendi, vel congregandi magnam quantitatem.* 2. *Ex intentione directa, vel indirecta continuandi furtum minutum, animadversa jam notabili materia concrescente.* 3. *Ex sola detentione injusta notabilis materiæ de furtis minutis ab eodem diversis: immo & factis eidem a diversis communi consilio, cooperatione, vel influxu unius in reliquos.* Explico particulatim. 34

§. I. *Ex intentione principali ditescendi.*

Qui furtis repetitis semper furatur quid modicum, ne forte notetur, sed ex intentione surripiendi tandem magnam quantitatem, & inde ditescendi, is primo, & singulis furtis peccat mortaliter. Omnes. Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 12. *dub.* 7. Sanch. *lib.* 7. *moral. cap.* 31. Laym. *lib.* 3. *c.* 1. *num.* 6. Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. *de just.* Ratio clara est: Quia qui habet propositum proximo nocendi in re gravi, peccat mortaliter, & media semper participant malitiam sui finis: atqui talis habet, & retinet semper propositum nocendi proximo in re gravi, & singula furta minuta procedunt ex illo proposito tamquam ejus continua executio, singulaque tanquam media ordinantur ad acquirendam rem notabilem, ut finem mortaliter malum; ergo talis singulis furtis minutis peccat mortaliter; non tamen (quod bene nota) committit tot distincta furta mortalia, quot sunt furta minuta, sed unum tantum, quia omnia furta minuta simul sub una intentione principali uniuntur, tanquam continua una executio illius intentionis mortalis. Quod etiam in furtis gravibus repetitis, & sub una intentione unitis usu venit. De quo in materia peccati. 35

Quare judica, mortaliter peccasse eum, qui mensuras, & pondera falsificando modice, vino aquam, aliisve mercibus deteriorem materiam miscendo, notabile lucrum collegit: item qui alienas vineas circumcursando uvarum multitudinem congregavit, quia in his casibus unum est malignum propositum circa objectum grave, & mortale, etsi successive, & minutatim congregando. Non autem ita facile judicabis mortaliter peccasse eum, qui hodie ab uno non ita divite duos pacios furatus est, & absumpsit, ac deinceps abstinere proposuit, nihilominus post aliquot dies iterum nactus occasionem duos pacios eidem, vel alteri abstulit, & eodem modo sæpius post propositum abstinendi pervenit ad summam unius, v. g. taleri, vel floreni: quia talis non unum propositum retinet, quippe quod sæpius revocavit: unde nec unum peccatum committit, sed plura dissoluta, & venialia, nisi denique perveniat ad quantitatem valde notabilem, v. gr. trium, vel quatuor florenorum; tunc peccatum mortale non effugiet: si non ratione ablationis, saltem ratione injustæ detentionis, ut mox videbis amplius. 36

§. II. *Ex intentione continuandi, &c.*

Qui successive repetitis vicibus furatur quid modicum v. g. singulos denarios, &c. absque quidem prævia intentione congregandi magnam quantitatem, vel ditescendi, attamen advertens concrescere magnam summam domino notabiliter nocituram, quæ nimirum simul ablata sine controversia sufficeret ad peccatum mortale: v. g. unius ducati & cætera, eo statu sciens, & volens, insuper aliquid modicum auferat, sciens, vel excedens illam quantitatem, etiam unicum denarium, ipso illo ultimo furto minuto peccat mortaliter, seu ipsum ultimum furtum illud minutum, alioquin seorsim secundum se sumptum veniale tantum, hic & nunc ratione conjunctionis volitæ cum præcedentibus est peccatum mortale: seu potius, & recte sonantius loquendo, intentio, seu voluntas illas continuandi furtum per illud minutum usque ad quantitatem notabilem, lethalis est. Quia nimirum censetur consentire in totum damnum, ut supponitur, graviter domino nociturum. *Ratio ergo est:* Quia illud opus, quo injustum notabile damnum proximi completur, mortale est: atqui per illud ultimum furtum, quo quis advertit se pervenire ad summam notabilem, v. g. furando ultimum pacium complentem talerum, vel ducatum respective, completur notabile damnum proximi: ergo illud ultimum furtum mortale est, non quidem secundum se absolute, sed cum habitudine ad furta præcedentia consideratum. Certe potest quis etiam comedendo, vel bibendo pretiosa aliena, peccare mortaliter, ubi sane ultima comestio, vel ultimus haustus secundum se non est quid grave, tamen cum præcedentibus constat damnum, & peccatum grave. Atque docet jam communis DD. *Major, Medina, Sotus, Valentia, Vasquez*, aliisque cit. Sanch. *cap.* 21. *num.* 5. Laym. *cit. cap.* 1. *num.* 6. Lugo *supra sect.* 3. & nos fusius *tract.* 1. *de peccatis*. Contrarium tamen docuerunt Navarrus *cap.* 17. *num.* 139. Lessius *supra dub.* 8. & noster Marchant. *tribun. p.* 1. *tract.* 3. *tit.* 1. *q.* 5. & alii negantes ullum ex illis furtis minutis fuisse peccatum mortale, quamvis fateantur talem sub mortali 37

teneri

teneri restituere illam quantitatem per furta minuta congregatam; ideoque non quidem auferendo unquam, sed detinendo tantum peccare mortaliter: quod ipsum quidem posse fieri, patebit mox §. sequenti. Sed hic interim confirmemus nostram Sententiam. Talis ergo secundum omnes sub mortali tenetur restituere summam notabilem furtis minutis congregatam (cum ab Innocentio XI. damnata sit hæc propositio 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*) Non quidem sub mortali totam illam summam, sed solum illam partem, quæ constituit quantitatem notabilem in grave damnum proximi, quaque restituta, non retinetur amplius quantitas notabilis cum gravi damno proximi: secundum communem DD. apud Lugo *cit. num.* 41. Atqui, quod sub mortali restituendum est, etiam sub mortali non auferendum erat: seu cujus retentio est mortalis, illius etiam ablatio fuit, vel saltem potuit esse mortalis, cum hæc duo moraliter idem sint: ergo si illa pars complens summam notabilem sub mortali restituenda est, eandem auferre fuit, vel saltem potuit esse mortale, nisi tunc inadvertentia excusasset, juxta mox dicenda §. sequenti. Atque hæc sententia etiam in aliis materiis locum habet, ut in Horis, Jejuniis de Feriis, &c. prout universaliter docuimus in materia de peccatis.

38 Dices 1. multiplicata venialia nunquam faciunt mortale. *Distinguo*. Si sint omnino disparata, absque omni connexione ad invicem in materia, vel effectu causato (ut in cogitationibus inutilibus, verbis otiosis, mendaciis jocosis, &c. etiam in infinitum multiplicatis) *concedo*. Si autem sint ita connexa, ut in nostro proposito, *Nego assumpt.* neque etiam in proposito, peccata venialia ut talia in individuo faciunt unum mortale: sed ultimum furtum, quod secundum se solum esset veniale, hic, & nunc adjectum præcedentibus furtis fit mortale, quod valde notandum est. 2. Ultimus actus furti est ejusdem rationis cum præcedentibus: ergo venialis tantum, sicut actus præcedentes. Distinguo *antecedens*: est ejusdem rationis ex objecto, & per se, *concedo*: est ejusdem rationis ex circumstantia, & per accidens, nego *antecedens cum consequentia*. Ratione enim connexionis cum præcedentibus furtis habet ut ultimus actus aliquam circumstantiam, complentem scilicet materiam, & damnum notabile domini, quam non habent actus priores. 3. Ultimum furtum non plus nocet, quam præcedentia: ergo omnia sunt venialia tantum. Iterum *distinguo antecedens*. Non plus nocet absolute secundum se sumptum: *concedo*. Non plus nocet respective, & ut est conjunctum cum furtis præcedentibus: *nego*. Nam ultimo furto minuto aufertur jam integer florenus, vel ducatus, qui non ablatus erat furtis præcedentibus. 4. Quomodo ergo salvabuntur famuli Magnatum continuo auferentes, consumentes, vel male impendentes aliqua modica, & nunquam restituentes? *Respondeo*: excusari plerumque a mortali, & onere restitutionis, partim per inadvertentiam, quia nunquam advertunt, vel se reflectunt ad damnum domini notabile concrescens: partim quia domini Magnates in his non censentur valde inviti, nec suos famulos tam stricte obligare velle ad eam exactam curationem rerum suarum, etiam quoad modica. Alioquin & illi peccant, sicut alii homines.

39 *Petes*. Quid, si quis post notabilem quantitatem minutis furtis comparatam, usque ad peccatum mortale commissum rursus incipiat, & pergat furari modica? ita distinguendum est cum *Lugo supra cit.* Aut enim talis nondum pœnituit de furtis præcedentibus, nec restituere proposuit, & sic denuo furando modica ab eodem, peccat mortaliter toties quoties, quia tunc semper habet explicitam, vel implicitam saltem voluntatem augendi damnum notabile proximi, & retinendi notabilem quantitatem rei alienæ semper majorem, & majorem. Aut talis jam pœnituit de furtis præcedentibus, & vel de facto restituit, vel restituere, data occasione, proposuit: & tunc denuo furando minuta peccat tantum venialiter, donec rursus attingat quantitatem notabilem sufficientem ad mortale furtum: quia tunc per pœnitentiam, & restituendi propositum abrupti continuatione furtorum præcedentium cum sequentibus, & sequens materia furti non concrescit amplius cum præcedenti, sed manet per se sola, & venialis, donec rursus etiam concrescat cum alia materia sequenti furtim subtracta.

§. III. *Ex sola injusta detentione*.

40 EX pluribus furtis minutis, & singulis de facto venialibus tantum, accrescente tamen notabili quantitate sufficienti ad mortale, adhuc exurget peccatum mortale ratione injustæ detentionis tantum. Ita nimirum: ut licet quis furtis minutis sæpissime repetitis usque ad notabilem summam, quia nunquam recordatus præcedentium furtorum, non advertit, vel attendit ad accrescentem quantitatem, singulis furtis, etiam ultimo solum, peccaverit venialiter, & nunquam mortaliter ratione ablationis, postea tamen advertens aliquando quantitatem notabilem aggregatam; peccabit mortaliter ratione injustæ detentionis, seu non restitutionis rei alienæ. Communis, & certa doctrina apud citatos. *Ubi* rursus advertere debes, in furtis duo esse. Unum est injusta ablatio rei alienæ invito domino: alterum est injusta detentio, seu non restitutio rei alienæ invito domino. Et quamvis per se ordinarie ablatio, & detentio ejusdem rei alienæ constituant unum numero peccatum, cum utrumque per modum unius intendatur: nemo enim vult rem furari, quin saltem ad tempus eam detinere, ejusque usu, & possessione dominum spoliare intendat: per accidens tamen quoad rationem peccati sæpe multum differunt, v. g. accepisti mutuum a domino valente certo tempore restituendum: abstulisti gladium furioso ad impedienda damna aliis inferenda, postea finito termino, vel furore, repetenti domino non restituis; non peccasti auferendo, retinendo autem peccas mortaliter ex genere suo. Contra, furatus es equum suo domino: postea ab eodem domino æquale, vel majori damno affectus non vis reddere: peccasti mortaliter auferendo: at non peccas detinendo, sed justa compensatione uteris, si alter damnum illatum quoque resarcire nolit. Item abstulisti bursam intentione furandi aliquot denarios tantum, postea repertos aliquot aureos detines: peccasti solum venialiter auferendo, sed detinendo mortaliter. Similiter & in opposito: Ita in proposito; si furtis minutis, & venialibus sæpe repetitis, omnino disparatis, nec ulla intentione unitis, conquisivisti notabilem summam sufficientem ad peccatum mortale, peccasti semper venialiter tantum auferendo: at vero postea peccabis mortaliter compertam summam notabilem non restituendo invito domino. *Ratio est*: quia velle detinere alienum in magna quantitate, semper est mortale; atqui per plura furta repetita minuta, etsi omnia, & singula venialia tantum, ut puta, si furans nunquam recordatus furtorum præcedentium, non advertit ad materiam mutabilem concrescentem; aut licet adverterit, tamen de præcedentibus jam pœnituit, & restituere proposuit, nihilominus re ipsa aggregatur materia notabilis cum gravi damno proximi, v. g. ad unum, vel alterum ducatum, ideoque scienter retinens, vel restituere nolens, peccabit mortaliter: ergo ex pluribus furtis minutis, etiamsi omnia, & singula quoad ablationem fuerint venialia, tamen accrescente materia notabili sufficiente ad mortale, ratione injustæ detentionis exurget peccatum mortale, & obligatio restituendi sub mortali, secundum omnes Doctores citatos.

Dices: Ex delicto veniali tantum non potest oriri obligatio restitutionis sub mortali, ut ex communi Sententia alibi diximus; atqui in nostro casu ex delictis mere venialibus orietur obligatio restitutionis sub mortali. Nec satisfacit dicere, obligationem illam mortalem restituendi non oriri ratione acceptionum venialium, sed ratione injustæ detentionis rei alienæ in quantitate notabili aggregatæ. Non contra: supponamus talem furem, postquam advertit, se jam accrescente materia notabili, grave damnum intulisse, statim pœnitere, ac concipere propositum restituendi, & efficaciter velle restituere, quamprimum poterit; tunc certe neque detentio ulla erit mortalis: ergo tunc ex solis ablationibus venialibus consurgit obligatio restituendi sub mortali. *Respondetur*. Negando assumptum primum, & hanc consequentiam, vel enim talis statim restituit, quamprimum potuit; & tunc nullam contraxit obligationem restituendi sub mortali, sed statim restituendo eam præcavit, & extinxit. Vel non restituit statim, quando potuit, & ecce jam exurgit detentio nova injusta mortalis; & inde obligatio restituendi sub mortali: quod valde notandum est. 41

§. IV. *Furta minuta ejusdem respectu diversorum*.

FUrta minuta, & venialia prædictis modis constituunt peccatum mortale cum obligatione restituendi sub mortali, non tantum cum fiunt ab eodem eidem (prout hactenus suppositum fuit) sed etiam cum fiunt ab eodem diversis dominis. Et quidem quoad primum modum, cum quis ex directa, & formali intentione ditescendi, seu notabilem summam congregandi, furatur a diversis modica, videtur esse extra controversiam: talis enim intentio est peccatum mortale, ex qua singula sequentia furta minuta, tanquam continua illius intentionis executio, eandem malitiam mortalem participant: & tunc domini quam maxime censentur inviti. Quoad secundum vero modum, cum quis absque ejusmodi intentione principali, magnam quantitatem congregandi, a diversis furatur modica, usque ad notabilem summam scienter concrescentem: equidem *Joannes Medinas*, *Angelus*, Navarr. *cit. cap.* 17. *num.* 139. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 16. & alii putant talem nunquam peccare mortaliter. 42

Contrarium tamen longe verius docent DD. communiter. Lessius *lib.* 2. *de Justit. cap.* 22. *num.* 7. Molina *to.* 3. *disp.* 686. Sanchez *lib.* 7. *Moral. cap.* 5. Laym. *lib.* 3. *par.* 1. *cap.* 1. *n.* 6. Lugo *cit. disp.* 16. *sect.* 3. §. 1. Ratio est: quia licet talis minuta furando a diversis dominis non inferat notabile damnum singulis seorsim, & actualiter, infert tamen notabile grave damnum omnibus collective, seu ipsi Communitati, vel Reipublicæ, saltem habitualiter, & consecu- 43

secutive, quatenus nimirum, si talis modus furandi non esset graviter prohibitus, maxima sequerentur incommoda, & inconvenientia contra bonum commune, ac indemnitatem civium: si enim cuilibet citra peccatum mortale liceret ditescere tali modo, seu furtim magnam copiam congregare ex alieno, quæ foret facies Reipublicæ? qui mores? quæ securitas? Deinde sequeretur, posse aliquem sine peccato mortali in venditionibus uti ponderibus, & mensuris modice falsificatis, & diminutis, quod tamen in omni Republica bene instituta merito gravissime prohibitum est. Item sequeretur, non peccare mortaliter eum, qui ex granario, vel cellario totius Communitatis furaretur magnam quantitatem; aut qui sine justo titulo tributa, seu gabellas etsi minutas exigeret a tota populosa Communitate, &c. quia talis singulos non graviter, sed leviter admodum læderet, quæ tamen omnia omnium sensu sunt absurdissima: ergo.

44 Cæterum in favorem ejusmodi furunculorum aliqua hic advertenda sunt Confessario. I. Universaliter, sive quis furtis minutis furetur ab eodem, sive a diversis, ad contrahendum peccatum mortale majori quantitate opus est, quam illa, quæ simul ablata constitueret peccatum mortale: v. g. ad minimum plus dimidio. Quia scilicet domini non sunt ita inviti ad furta successive, seu per intervalla facta, quam ad furtum rei notabilis simul factum; & ordinarie non tantum damnum infertur. Vide *Molinam*, *Sanch. Lugo citatum*. II. Major item requiritur quantitas, si plura furta minuta diversis, ac pluribus contingant, quam si eidem. Quia tunc omnes, & singuli non tam grave damnum patiuntur actualiter, & communiter minus inviti sunt. Molin. cit. *disp.* 689. determinat duplo, vel adhuc majorem quantitatem requiri in furtis diversis dominis, quam uni factis. *Laym. ibid.* a mortali excusat eum, qui a triginta mercatoribus singulos pacios auferret, etsi uni ablati sine dubio mortalis quantitas essent. III. Eo etiam major requiritur quantitas in furtis factis, sive eidem, sive diversis, quanto fiunt per majora temporum intervalla: quia eo magis deficit unius damni connexio, & domini minus inviti censentur, cum minus advertant. Unde licet florenus v. g. simul, vel successive brevi tempore ablatus constitueret peccatum mortale, puta, respectu mediocriter divitis, tamen successive per longum tempus, utpote duorum vel trium annorum, surreptus non concrescit in peccatum mortale. Et si pluribus tanto temporum intervallo, absque ditescendi proposito, talia furta minuta fierent, etiam duo vel tres aurei non sufficerent ad mortale peccatum. Quæ tamen omnia prudentis, & probi viri, vel Confessarii judicio relinquuntur. De quo late videri possunt *Molin. & Sanch. citt.* IV. Addit *Joan. Medina*, probabiliter censet Lessius *cit. dub.* 7. etiam requiri, ut taliter successive, & præsertim a pluribus auferens non sit valde pauper, & egens, alioquin excusabitur semper a mortali, & restitutionis debito gravi. Jam restat dubium in Assertione indicatum.

Quid de furtis minutis factis eidem a diversis.

45 Exempli gr. plures transeuntes vineam, singuli paucos botros decerpunt: plures intrantes cellam vinariam singuli modicum furantur vinum, vel furtive bibunt: plures famuli eidem domino modicam pecuniam subtrahunt, &c. ita tamen, ut omnia simul sumpta conficiant quantitatem notabilem in grave detrimentum domini. Quæritur, quantum singuli peccent, & ad quid obligentur.

Hic certum est, si plures communi consensu, consilio, cooperatione ita furentur, singulos peccare mortaliter, & obligari ad restitutionem in solidum, scilicet in defectu aliorum, quia singuli sunt causa moralis totius damni. Quod si unus primus incipiens ejusmodi furtum minutum, solo exemplo suo aliis causa fuit, ut alii grave damnum inferrent, utique peccavit mortaliter, & ex charitate saltem sub mortali tenetur ad compensandam partem a se ablatam, si spes sit probabilis, etiam alios damnum compensaturos, uti cum aliis observat Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 3.

46 Quæstio ergo, & difficultas solum est, utrum, quando quis sciens, alios quoque modica furari, vel furatos esse, nihilominus & ipse modica furatur, absque omni consensu tamen, cooperatione, vel influxu in furta aliorum, peccet mortaliter, & restituere teneatur suam partem, ex eo quod advertat, suo, & aliorum furtis proximo notabile damnum inferri. Affirmativa sane communis est Sententia, *Navarr. Medina, Major, Corduba, Angelus, Sayrus. Vasq.* alii cum *Mol.* supra, Filliucio *tr.* 32. *cap.* 10. *nu.* 149. Ratio tota est: quod talis sciens cooperetur ad grave damnum proximi.

47 Probabilior tamen videtur Sententia opposita negativa Lessii *lib.* 2. *cap.* 12. *d.* 9. Sanch. *lib.* 7. *mor. cap.* 21. Tann. *tom.* 3. *d.* 4. *qu.* 6. *dub.* 9. Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. §. 2. Dian. *p.* 2. *tract.* 17. *res.* 42. Ratio est, quia talis nec infert grave damnum ratione sui furti secundum se, quod exiguum, & veniale esse supponitur, nec ratione sui furti ut conjuncti cum furtis aliorum, quia suo furto nullo modo cooperatur ad furta aliorum, & grave nocumentum ex omnibus resultans non causatur per tuum furtum, sed per furta aliorum, quibus nullo modo causa fuisti. Alioquin sequeretur, quod posito ad furtum mortale sufficere viginti pacios, & Titius jam abstulisset octodecim, tu autem conscius absque ulla cooperatione auferres solum duos pacios, peccares mortaliter, & Titius venialiter tantum, quo nil absurdius: ergo eo casu non peccas mortaliter, nec consequenter sub mortali obligaris ad restitutionem aliquam. Aliud est, si unus, & idem tali modo furetur, tunc enim ipse solus totius damni causa est. Aliud etiam est, de eo, qui jam ægrotum, vel vulneratum, alioquin supervicturum, denuo leviter vulnerans occidit, quia infert gravissimum detrimentum, quod morbus vel vulnera priori non intulissent. Fundamentum ergo oppositæ Sententiæ, seu principium illud: *Omnis scienter cooperans ad grave damnum alterius, peccat graviter;* verum solum est, quando quis influit in totum damnum moraliter, jussu, concursu, &c. aut per se graviter damnificat; non item si leviter tantum.

ASSERTIO IV.

Furta domesticorum, Uxorum, filiorum, Religiosorum, famulorum, &c. facta invito marito, patre, Prælato, domino, &c. sunt vera furta: ut tamen mortalia sint, regulariter requiritur major materiæ quantitas, quam in furtis externorum. In hoc omnes consentiunt. Et 48

Ratio est, quia ex una parte omnes illi vere usurpant rem alienam invito domino; ideoque vera furta committunt: ex alia autem parte paterfamilias, v. g. non ita invitus est, quod res sua a domesticis surripiatur, quam si surriperetur ab extraneis: nec vult jus suum ita stricte tenere adversus domesticos, sicut adversus extraneos: aut si valde invitus esse videatur, graviter succenseat, plerumque tamen non tam ratione rei acceptæ, & quoad substantiam invitus est, quam ratione modi accipiendi, scilicet clam, furtim, non petita licentia, aut ratione mali finis, v. g. ut lusu, potatione, &c. perdant, uti observat communis *DD. Navarrus* uterque, *Molina*, *Lessius*, *Lugo citati*. Unde etiam contra tales personas domesticas, uxorem, filios, amicos, &c. in foro externo non conceditur actio pœnalis, & famosa furti, sed alia mitior amotarum rerum. Neque contra famulos, vel ancillas actionem instituere potest paterfamilias, si furta modica sunt. Secus est, si sunt immodica, vel nimis multiplicata: ut ex communi DD. notat Julius Clarus *lib.* 4. *sent.* §. *furtum num.* 22. apud Laym. *cit. cap.* 1. *num.* 4. Illud autem operosum est decernere, quænam in ejusmodi domesticorum furtis quantitas requiratur, necessaria, ac sufficiens sit ad peccatum mortale. Variis varia prolixe disputantibus tandem communi sapientum consensu est hæc 49

Regula generalis: In ejusmodi domesticorum furtis nullam posse dari certam regulam, quænam quantitas requiratur, & sufficiat ad peccatum mortale, sed consideratis circumstantiis prudentis Confessarii judicio decernendum esse. Nam minus invitus erit, & rationabiliter præsumetur esse dominus dives, liberalis, amicus, quam pauper, avarus, parum amans, &c. minus invitus, si domestici furentur ad proprios usus, quam si ad dandum aliis: minus, si panem, vinum, esculentorum reliquias, quam si pecuniam, vestes, alia pretiosa: minus, si quid modicum, & raro, quam si frequenter, vel nimis magnum, quid surripiant: si sis multum utilis, & industrius, quam si negligens & parvi momenti: & ita de sexcentis. Notat etiam Lugo *disp.* 16. *sect.* 4. *n.* 67. pietatem patris v. gr. in filium, itemque mariti in uxorem, Prælati in subditum, &c. diminuere involuntarium: is enim non facile credendus est velle esse ita invitus, ut filiis illa furta non nimis gravia imputentur ad peccatum mortale, & consequenter ad æternam damnationem. His ergo, & similibus expensis discernendum erit, an præfati domestici peccaverint mortaliter cum obligatione restitutionis, nec ne. Claritatis tamen gratia & frequentis praxi, breviter percurramus singulos. 50

§. I. Uxores.

Peccat mortaliter uxor peccato furti, si notabilem quantitatem surripit de bonis mariti, quorum scilicet ipse habet dominium, vel saltem administrationem, seu usufructum, uti sunt ipsa bona dotalia, & lucra communia: nimirum graviter, rationabiliter, & quoad substantiam, non modum tantum, invito marito. *Omnes*. Ratio jam dicta est: quia revera usurpat rem alienam, scilicet ad maritum jure dominii, vel administrationis spectantem, juste invito domino: ergo peccat peccato furti, & quidem mortali, si notabilis sit quantitas, semper tamen major, quam alias, consideratis circumstantiis personarum, facultatis, magnitudine dotis allatæ, aliisque judicio prudenti æstimandis, juxta paulo ante dicta. Atque apud omnes in confesso est, uxorem in tali quantitate notabili surripientem etiam teneri ad restitutionem sub mortali. At quomodo restituet? Respondetur: vel statim restituat de bonis propriis paraphernalibus, si habeat, vel post mortem mariti restituet hæredibus ex dote, vel aliunde acquisitis: si neutrum possit, saltem aliis modis, obsequiis, officiis, &c. aut ipsi marito, aut postea hæredibus compensare conabitur 51

Tandem si nil possit, excusabit impotentia, juxta communem doctrinam in materia de restitutione. Insuper aliqua hic advertenda sunt.

52 I. Pro parvitate materiæ excusante uxorem a peccato mortali furti, servari potest regula, quam cum *Bannes* aliisque tradunt Diana *p.2. t.15. res.34.* & Tamb. *l.8. c.3. §.4. n.2.* Nimirum uxorem divitis posse auferre, & expendere singulis annis partem vigesimam lucri annui, seu annuorum redituum: loquentes de expensis in eleemosynas, & honestas donationes: eadem ergo quantitas poterit excusare a peccato mortali in furtis uxorum, saltem quando patrimonium viri mediocre, & non nimium est. Nam universaliter loquendo, hoc ipsum nimium videtur Lugoni *cit. n.64.* & merito. Nam uxor Principis habentis v. gr. ducenta millia annuorum redituum, posset quotannis inscio marito decem millia usurpare, vel furto auferre, citra mortale, quod certe vel ditissimorum consuetudo non probat.

53 II. Insuper citra omne peccatum, & licite uxor de bonis mariti auferre, ac disponere poterit ex diversis capitibus. Communis DD. Navarr. *c.173. n.3.* Laym. *l.2. de Charitate c.6.* Diana *par. 5. res.34.* 1. Quando ipsa uxor bona administret, & familiam gubernat, vel consentiente viro, ut sæpe fit, vel viro absente, ægroto, amente, aliave causa impedito; quo casu potest facere honestas donationes, eleemosynas, & similes expensas, quas ipse vir gubernans faceret, vel facere deberet, non autem notabiliter majores, ut notat Navarr. *cit. nu.144.* 2. Si vir ita concedat expresse, vel tacite, aut rogatus facile concederet, aut saltem rationabiliter concedere deberet, ut si pro necessitatibus familiæ (maxime quando maritus tenax non sufficienter, vel libenter dat) pro suo victu, vel cultu, juxta suum statum accipiat: si faciat donationes liberales, maxime remuneratorias, & eleemosynas secundum consuetudinem aliarum suæ conditionis fœminarum: si quid alicui det ad avertendum damnum corporale mariti, &c. tunc enim præsumitur adesse ejus voluntas, exemplo Abigaelis 1. *Reg.* 25. 3. Quandocumque occurrit casus, aut necessitas, in qua ipsemet maritus deberet, ac teneretur facere aliquas expensas, vel eleemosynas, v. g. in extrema, vel gravi necessitate proximi, immo etiam in communi necessitate, si maritus habens bona superflua, nunquam vellet dare eleemosynam, servato debito moderamine, potest, & debet facere uxor: tunc enim quoad hoc quasi viri locum, ejusque defectum supplet, idque ipso jure divino, quo uxor data est in adjutorium viri, uti observat noster Marchant. *tribun. tr.2. tit.4. sect.2.* 4. Si det aliquid patri, matri, immo fratri, sorori, aut filiis ex alio marito, quando hi egent alimentis, & ipsa aliunde non habet bona propria, quibus eos alat: attamen hoc casu ex jure communi soluto matrimonio debebit ipsa, quæ dedit, restituere ex sua dote hæredibus mariti, ut docet communis. Ratio est, quia quoad hæc, damnum infert marito, cujus consensum rationabiliter præsumere non potest.

54 III. Ex eo porro, quod uxor ex bonis mariti possit expendere per annum vigesimam circiter partem annuorum redituum in moderatas eleemosynas, aut donationes liberales juxta statum suum, recte colliges cum *Mol. Tambur.* & aliis, eam posse illas eleemosynas, vel donationes simul aggregare, & totam summam uni simul pauperi, aut amico largiri, secluso alio inconvenienti, de quo mox. At numquid licebit uxori ejusmodi summam aggregatam ex eleemosynis, vel donationibus, quas posset facere aliis, sibi ipsi, suisque usibus applicare, aut in futurum reservare? Curiosa quæstio, tamen practica. Respondetur cum distinctione, non licere quoad eleemosynas: hæ enim debentur pauperibus, qualis ipsa non est; neque maritus quoad hoc potest censeri esse contentus: licere autem quoad donationes, vel expensas liberales: has enim sicut potest reservare pro aliis, cur non etiam pro seipsa? ait *Tambur.* merito tamen excipiens aliud inconveniens. Cum enim ad decorem familiæ, ipsiusque mariti honorem spectet eleemosynas, & hujusmodi donationes facere pluribus, non poterit licite ita se gerere uxor, ut semper prorsus uni tantum congreget, vel etiam sibimet applicet, quia sic merito invitus esset maritus: non igitur semper, non ordinarie, sed parce, moderate, & sine offensione decoris hac arte congregandi uni tantum, vel sibi ipsi, uti poterit uxor.

55 III. Pro ampliori declaratione dictorum de uxoribus, accipe casum, & praxim uxoris nequiter providæ prædivitis viri, quæ exiguam, vel nullam dotem attulerat marito. Advertit hæc liberos se non suscipere, & inde fore, ut tempore viduitatis egere debeat; ideo partim ex pecuniis marito surreptis citra omnem ejus licentiam; partim ex eleemosynis, & liberalibus donationibus, quas juxta statum suum facere poterat, sibi cumulatis; partim ex privato opere, & labore suo: partim, quæ sibi ex concessis subtrahebat, utpote contenta tot annis unico panneo indumento, cum licite potuerit accipere duo, vel tria, eaque holoserica, & pretiose ornata, ac similibus, &c. intra paucos annos matrimonii collegit summam trecentorum ducatorum, quos per fidelem servum negotiationi applicuit, atque felici successu intra aliquot annos tria millia aureorum aggregavit, sibique redditum, seu censum annuum honestissimum emit pro viduitatis tempore reservandum: Potuitne eam summam, censumque sibi reservare, an vero hæredibus mariti defuncti restituere tenebatur? Respondetur: nec totum posse retinere, nec totum teneri restituere, sed utrinque partem, pro diversitate bonorum ablatorum. 1. Restituenda est pecunia clam surrepta inscio, & nullo modo consentiente marito, una cum interesse, si quod accepit; non item restituendum est lucrum ex hujus surreptæ pecuniæ negotiatione acquisitum, quia pecunia de se est sterilis, & lucrum, quod parit, tanquam merus fructus industriæ, totum cedit industriæ negotiantis. 2. Non restituenda, sed licite retineri potest pecunia ex labore ejus extraordinario comparata, vel fraudando se suo genio sumptibusque licitis parcendo reservata ab uxore, una cum lucro ex ejusmodi pecuniæ negotiatione acquisito. 3. Restituenda est tota pecunia ex eleemosynis alioquin dandis reservata, non item ex ejusdem negotiatione lucrum, ut ante dictum. 4. Pecunia autem ex liberalibus donationibus, quas facere potuisset, reservata, non restituenda est tota (de lucro nihil) sed solum eatenus, quatenus, exinde familia passa esset detrimentum, tanta scilicet pars, quæ recte expensa suffecisset ad familiæ honorem conservandum arbitrio boni viri.

§. II. *Filiifamilias.*

I. ET hi peccant mortaliter peccato furti, si invito patre notabilem quantitatem surripiant de bonis patris, quorum scilicet dominium, vel saltem administratio, & ususfructus ad patrem spectat, ut sunt ipsa etiam bona filii adventitia, & profectitia. Certum apud omnes: ex illo Prov. 28. *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Ratio est eadem, quia vere usurpat rem alienam, invito domino: ergo peccat peccato furti, & quidem mortali in sufficienti materia; atque sub eadem culpa obligabitur restituere, aut ipsam rem ablatam, si existat, aut æquivalens ex bonis propriis, si habeat, aut postea adducere in divisionem cum fratribus: a quo tamen excusatur, si fratres similiter furati sunt, aut remittunt: aut si ipse pater, vel jam condonavit, vel probabiliter putatur fuisse condonaturus, si fuisset rogatus a filio, qui præ verecundia rogare non est ausus, & summa non excedat id, de quo pater disponere poterat sine præjudicio, & injuria aliorum filiorum, utpote sine diminutione portionis legitimæ. Communis DD. apud citt. *Lugo, Laym. Lessius.* 56

II. Omnes conveniunt, ad furtum grave filiorum, & obligationem gravem restituendi, multo majorem requiri quantitatem, quam in furtis extraneorum, ob rationem in Assertione allatam. Quænam autem quantitas sufficiat ad peccatum mortale, prudens Confessarius arbitrari debet non solum ex materia ablata, sed etiam ex circumstantiis personarum: scilicet ex statu, & facultatibus parentis, ejus genio, & affectu in filium, ex filiorum pluralitate, vel paucitate, ex filii accipientis ætate, & rei acceptæ usu, &c. semper tamen vitando extrema, ut nec temere peccati mortalis scrupulus iis injiciatur, nec etiam ansa præbeatur ad furandum nimium de bonis parentum: una enim certe mensura assignari non potest, quidquid conentur Doctores. Audi aliquorum placita: *Lessius, Navarr. Filliuc.* & alii volunt, filium non esse condemnandum peccati mortalis, si duos, vel tres aureos auferat a patre divite: secus si a mechanico exiguæ fortunæ. *Salas* de hoc rogatus respondit, filium unicum patris habentis quingentos aureos annuos, posse sine mortali auferre singulis annis triginta aureos. *Bannes* dicit, minus quam quinquaginta aureos, non sufficere ad furtum mortale filii a Parente divite: quod de furtis filiorum Magnatum etiam concedit Lug. *disp. 16. sect. 4.* 57

III. Id etiam apud omnes in confesso est, filiosfamilias quemadmodum Religiosos, & servos rarissime peccare mortaliter auferendo esculenta, seu poculenta, dummodo ipsimet absumant, & non aliis divendant, vel prodigant. Immo Sanch. *lib. 7. mor. c. 21.* absolute negat, furta parva esculentorum, & poculentorum commissa a filiisfamilias, Religiosis, & famulis, etsi successive ad magnam quantitatem perveniant, unquam fieri peccatum mortale. Quod quidem verum esset, si pater, Dominus, vel Prælatus invitus non sit quoad substantiam, sed solum quoad modum, secluso gravi damno familiæ, seu Monasterii. Secus omnino est, si is rationabiliter invitus sit quoad ipsam substantiam, eo quod inde gravia damna domui, vel Monasterio inferri possint: ut, si filii, Religiosi, vel famuli, quotidie a cellaria unam, vel alteram mensuram vini surripiant, præsertim ubi vinum in pretio est: quis neget spatio unius mensis, vel anni, grave damnum illaturum, & mortaliter peccaturum? 58

IV. Cæterum citra peccatum aliquas expensas de bonis paternis facere poterunt filii, præsertim ad eleemosynas, donationes, recitationes, vel ludos honestos suo statui congruos. In primis de interpretativo, vel præsumpto parentis consensu, in levibus facile præsumendo. 2. In extrema, vel gravi necessitate proximi, si parentes ipsi nolint nec alii succurrere velint, aut possint. 3. Quando peregrinantur, vel extant in scholis exteris. 4. Quando a parentibus habent deputatam summam pro sua sustentatione, quod superest, vel subparcunt, licite in pauperes, & alias eleemosynas, aut alios prædictos usus erogant. 59

§. III. Re-

§. III. *Religiosi*.

60 NOn est sermo de furto Religiosi forte facto ab extraneo, vel ex bonis omnino alienis: in hoc enim perinde se habet, ac cæteri fures, utique nulla concessa majori quantitate a mortali excusante. Sed sermo est de furtis Religiosi ex bonis Monasterii, vel Conventus sui. De hoc accipe breviter.

61 I. Religiosus subditus notabilem quantitatem surripiens de bonis ipsius Monasterii, utique peccat mortaliter dupliciter, peccato furti contra justitiam, & simul peccato proprietatis contra votum paupertatis. *Omnes*. Ratio est; quia licet Religiosus sit Membrum Monasterii, vel Conventus, & quasi filiusfamilias, quia tamen ex voto paupertatis omnis proprietatis omnino incapax effectus est, quidquid absque expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia Superioris surripit, usurpat, vel consumit, tanquam vere alienum surripit, usurpat vel consumit; adeoque peccat peccato furti, & violatione paupertatis: idque pro ratione materiæ mortaliter, vel venialiter, æque, immo gravius, quam sæculares tali voto non adstricti, sed rerum temporalium capaces.

62 II. Quoad quantitatem autem mortalem, communis est sententia DD. apud Molin. *disp.* 86. Sanch. *lib.* 7. *moral. c.*20. *n.* 5. Laym. *lib.* 3. *tr.*3. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 5. in Religioso eandem quantitatem sufficere, & ad furtum mortale, & ad mortalem transgressionem voti paupertatis, quæ sive simul, sive successive ablata, sufficit ad furtum mortale sæcularium (exceptis tamen usu consumptibilibus, esculentis, poculentis, in quibus, quia Superior plerumque magis invitus est, quoad modum, quam quoad substantiam, major requiritur quantitas ad mortale, qua nimirum Monasterio, vel Communitati notabile aliquod damnum inferatur, ut Superior etiam quoad substantiam merito invitus esse, & censeri debeat) Ratio est, quia quoad alias res, pecunias, v. gr. supellectilem &c. Prælatus æque censetur, immo magis invitus, eas auferri a Religioso subdito, quam ab extraneo: non item quoad res usu consumptibiles, comestibiles, potabiles, nisi quatenus inde damnum grave Monasterio inferretur, ut paulo ante dictum. In hac ergo communi sententia peccati mortalis damnabis Religiosum, si de bonis Monasterii tenuis surripiat unum florenum: in Monasterio opulento ducatum.

63 III. Nihilominus probabilis videtur sententia opposita ad peccatum mortale tam furti, quam violationis paupertatis in Religioso requiri eandem quantitatem, quæ requiritur in filiofamilias, ut peccet mortaliter furando de bonis patris. Ita *Rebellus*, *Ledesma*, *Fagundez*, *Cenedo* apud Tamb. *l.* 8. *Decal. cap.* 4. *n.* 8. & sequentibus. Ratio est, quia Religiosi inter filios computantur in Jure Can. *c. licet de sepulturis*, saltem in favorabilibus. Deinde non sunt Prælati credendi magis inviti quoad rem clam acceptam a Religiosis, sed solum quoad modum, quam parentes carnales circa filios, cum illi non minus, sed magis subditos suos tanquam spirituales filios diligere debeant, ut proinde non censeri debeant inviti quoad rem acceptam ejusdem quantitatis, in qua pater carnalis honestæ conditionis invitus non censeretur: ait *Rebellus* apud *Sanch. cit.* Qui tamen cum communi Sententia contrarium tenet, a qua & ego non censeo recedendum in praxi. Eademque ratione discurrendum erit de peccato solius proprietatis, ac violationis voti paupertatis, quando Religiosus absque ulla licentia accipit, & usurpat res ab aliis oblatas, vel donatas. Sed hæc non sunt hujus loci.

64 IV. Religiosus denique de rebus Monasterii notabilem quantitatem surripiens, tenebitur ad restitutionem, si res ablata adhuc existat: si autem jam absumpta, vel alienata sit, excusabitur ut plurimum ob impotentiam: cum restitutio debeat fieri de proprio bono: Religiosus autem nihil proprium habeat. Nihilominus obligatus manet aliis modis sibi competentibus damnum Monasterii resarcire, v. gr. accuratiori executione sui officii, si quod habeat, aut si quid extraordinaria industria Monasterio lucrari, vel acquirere possit. Atque si alteri donavit bona fide accipienti, tenetur eum monere, quod non possit rem acceptam retinere, sed restituere debeat, si adhuc existat; secus, si jam bona fide absumpserit. Sin autem alter rem sibi donatam mala fide acceperit, quippe probe sciens, Religiosum nil donare, vel alienare posse, is semper manet obligatus ad restituendum in specie, vel æquivalente: juxta communem doctrinam in materia de restitutione possessoris malæ fidei, *tract. præced. cap.* 2. *Sect.* 4. per totum.

§. IV. *Famuli*, *Ancillæ*, *Opifices*.

65 I. SErvi, seu famuli, & ancillæ, notabili quantitate surripientes de bonis Domini, sine dubio committunt furtum mortale; iterum tamen aliquanto majori quantitate requisita, quam in furtis extraneorum. Ratio est, quia partim vere usurpant rem alienam invito domino; partim domini censentur minus inviti circa sibi servientes; sciunt enim, attenta fragilitate humana, non posse ita fideliter ab iis administrari res domesticas, ut aliquid subinde non adhæreat manibus contrectantium: sicut qui conducit operarios in vineam, scit pro certo uvas ab iis comedendas, nec posse bovi trituranti os obturari.

II. Quoad quantitatem sufficientem ad mortale, rursus certa regula assignari nequit, sed a Confessario prudenter expendi debet ex circumstantiis; maxime domini opulentia, tenacitate, largitate &c. minor enim quantitas sufficit in furto notabili simul facto, quam in furtis minutis successive factis, ut supra generaliter notatum. Rursus minor longe quantitas sufficit in furtis pecuniariis, quam in furtis cibariis, & poculentis, raro enim peccant mortaliter surripiendo esculenta, vel poculenta suæ præsertim curæ commissa, ob rationem datam: immo sæpe excusantur per modum compensationis ob exiguam tractationem: de quo infra. Sed vide, quæ de hoc notavi *supra* §. 1. *N. III.* 66

III. Gravi ergo ejusmodi furto facto, famuli aliique domestici sine dubio contrahunt obligationem restituendi: a qua tamen sæpissime excusantur per impotentiam; &, si absque magna difficultate restituere non possint, præcipiat eis Confessarius, ut extraordinariis sedulitatibus, officiis, laboribus, obsequiis &c. quoad fieri potest, compensare studeant. Quomodo autem famuli minus justo stipendium habentes, aut insufficientem sustentationem, uti possint occulta compensatione, mox videbis *Sect. sequenti*. 67

IV. Denique dubium restat de Opificibus, quibus materia elaboranda datur, ut sunt sartores, textores, molitores, aurifices &c. & retinent, vel surripiunt fragmenta, vel reliquias materiæ datæ; an concrescente materia notabili peccent graviter, & ad restitutionem obligentur. Respondetur breviter; per se loquendo, idem omnino dicendum esse de his, quod supra dictum est de furtis minutis ab uno factis eidem, vel diversis; eadem enim est ratio, si fragmenta sint alicujus momenti, & a dominis curentur, vel repetantur. Secus, si fragmenta sint parvi momenti, & a dominis non multum curentur, vel pro derelictis habeantur; idque maxime, si ipsi inde nil lucrentur, sed rursus aliis, præsertim pauperibus, applicent, uti post alios notavit etiam Lugo *cit. disp.* 16. *sect.* 4. §. 2. & Diana *par.* 2. *tr.* 6. *resol.* 16. Per accidens tamen excusat Sanchez *lib.* 2. *consil. cap.* 7. *dub.* 2. posse sartores fragmenta alicujus momenti reservare, vendere, vel inde sibi lucrari partim, quod domini eorum moris conscii minus censeantur inviti, partim vero ad occultam compensationem, cum sartores etiam timoratæ conscientiæ querantur communiter, sibi a dominis sufficiens pretium non solvi, quibus tamen ob sartorum copiam, si se, suosque alere velint, necessario laborare debeant. Intellige semper, dummodo notabile damnum domino evitetur. 68

SECTIO III.

Furta excusata, seu accepta per occultam compensationem.

SUMMARIUM.

70 *Occulta compensatio debiti certi licita est.*

71 *Si adsint certæ conditiones. Scilicet I. ut quod accipitur, sit debitum ex justitia, & actu, seu hic, & nunc.*

72 *II. Ut debitum hoc justitiæ sit omnino liquidum, & certum, & non dubium tantum.*

73 *III. Ut compensatio fiat ad æqualitatem.*

74 *IV. Ut debitum non possit commode alia via recuperari.*

75 *V. Ut quantum fieri potest, compensatio fiat in eadem re, vel specie.*

76 *VI. Ut res, in qua fit compensatio, non sit depositum.*

77 *VII. Ut caveatur damnum spirituale, & temporale debitoris, &*

78 *VIII. Periculum aut ipsius compensantis, aut scandali, aut alicujus tertii.*

79 Usque ad n. 82. *Traduntur quatuor modi licite compensandi: ubi, an possis tantumdem a debitore mutuare etiam cum promissione, & juramento reddendi; vel intercipere rem debitoris ad alium missam, vel apud alium jam existentem &c.*

82 & 83 *Quomodo famuli, ancillæ, & Officiales licite uti possint compensatione,*

84 *Et quando non.*

ASSERTIO V.

JUsta, & licita est occulta compensatio debiti certi, utpote vel ipsam rem tibi debitam occulte rapiendo, aut æquivalens ex bonis debitoris auferendo, aut ex ejusdem bonis apud te existentibus retinendo: dummodo adsint debitæ conditiones: eaque licite utitur quivis creditor modo opportuno; etiam famuli, & Officiales minus justo stipendium capientes, nisi Domini justa ex causa minus stipendium pacti sint. Tota communis. Explico more solito. 69

§. I. *Justa, & licita est occulta compensatio debiti certi.*

CErtum apud omnes meos citatos, etsi ex parte contradicat Henricus *Quodlib.* 6. *q.* 26. qui licet concedat posse rem debitoris apud te jam existentem retineri, negavit 70

vit tamen, posse rem apud debitorem existentem auferri, eo quod non liceat injuriam injuria compensare. Sed rejicitur ab omnibus. Ratio est: quia eo casu, servatis debitis conditionibus, nulla infertur injuria ipsi debitori, quia solum aufertur ab eo, quod non suum, sed jure alterius est. Neque enim est injuriæ vindicatio, sed defensio justa ab injuria, quæ te continuo vexat debitor, rem tuam, vel tibi debitam injuste detinendo, scilicet id, ad quod jus habes ex justitia, v. g. mutuum, pretium, mercedem &c. Neque est vindicatio injuriæ, quæ nulli privato licita est propria auctoritate, sed solum est compensatio, vel recuperatio illius, quod tuum est, vel tibi debetur, & ab altero injuste detentum, aliter recuperare non potes commode; quod jure naturæ omnibus licere debet, quo cuique licet se indemnem servare quovis modo citra novam injuriam alterius; sed hic agitur de tua indemnitate, seu recuperatione justi debiti, alias non facile recuperandi, ut supponimus, idque citra omnem injuriam alterius, servatis enim debitis conditionibus, nulla infertur injuria debitori: ergo. Unde nec est præjudicium judicis, quia supponitur debitum per Judicis Sententiam commode recuperari non posse, sive ob defectum probationis, sive ob iniquitatem debitoris, & etiam ipsius Judicis: quo casu, & jus naturæ permittit, & rationabiliter præsumitur, leges humanas non prohibere occultam compensationem facere, alias per sententiam Judicis faciendam: & si prohiberent, certe injustæ essent. Unde sequitur, talem occulte compensantem, minime esse furem in conscientia, neque incurrere excommunicationem, aut aliam pœnam forte in furantes latam: immo in judicio conventus potest licite jurare se nihil abstulisse: intelligendo, *injuste*, seu nihil alienum, quod sibi non debebatur. Insuper is statim atque rem per compensationem sibi vindicat, facit eam omnino suam: unde si forte postea pereat, sibi perit, non debitori, (quidquid in contrarium dicat Medina) quia nimirum omnis res, quæ perit, suo domino perit. Ita communis DD. Vide Navarr. *cap.* 17. *num.* 112. Molinam *disp.* 690. Lessium *lib.* 1. *cap.* 12. *d.* 10. & alios apud ipsos.

§. II. *Dummodo debitæ conditiones adsint.*

Conditiones ergo ad justam compensationem requisitæ sunt sequentes:

71 I. Ut id, quod accipitur, sit debitum ex justitia, & actu, seu hic, & nunc: utpote sive ex delicto, & injusta læsione, sive ex aliquo contractu emptionis, mutui, conductionis, commodati &c. Non ergo juste accipi potest, quod solum debetur ex Charitate, vel gratitudine: aut quod debetur, quidem ex justitia, sed nondum pro hic, & nunc solvendum est, sed in futurum tantum: quamdiu tamen spes est, te rem tuam, jure alterius finito, commode recuperare posse. Communis DD. apud citatos. Ratio est: quia compensatio fit ad recuperandum id, quod alter tibi tenetur restituere: sed alter tenetur restituere ex sola justitia, & pro ratione contractus eo tantum tempore, quo ejus jus rem detinendi cessat: ergo illud solum juste accipi potest, quod ex justitia, & actu hic & nunc debetur. Quamvis etiam præoccupari possit debitum in futurum, v. gr. mutuum, commodatum, & locatum &c. ante tempus præfinitum auferendo, aut aliunde ex bonis ejus compensando juxta modos §. *sequenti*, quando morale periculum est, quod quis postea rem suam non sit recuperaturus: ut ex communi docent Tannerus *disp.* 4. *qu.* 6. *dub.* 4. Lugo *disp.* 16. *sect.* 5. Diana *p.* 2. *tr.* 16. *resol.* 46. Tamb. *lib.* 8. *tr.* 2. *c.* 5. §. 1. Ratio est, quia cuilibet licet, quando res sua est in periculo, illius assecurationem quærere, seque indemnem servare. Quod si tamen per anticipatam acceptionem tuam debitori lucrum aliquod cessaret, vel damnum emergeret, debebis omnino compensare, quia alias subiret debitor pœnam, antequam peccatum moræ committeret, ut notat *Tamb. cit.*

72 II. Conditio. Ut debitum justitiæ sit omnino liquidum & certum, & minime dubium: non enim æquum est pro debito incerto velle solutionem certam: & in dubio melior est conditio possidentis: ergo qui dubitat, an res talis revera sit sua, vel ipsi debita, sive dubio mere negativo, sive etiam positivo, dum quis scilicet habet quidem probabilem rationem pro se, stante tamen simul probabili ratione in oppositum, non potest juste uti compensatione, seu auferre rem ab alio, cum & ipse Judex tali casu deberet adjudicare rem possidenti, & auferendo inferret injuriam: non tamen deberet restituere, nisi post veritatem cognitam: de quo inferius.

73 III. Conditio. Ut compensatio fiat ad æqualitatem: ut scilicet non plus accipiatur, quam debitum sit: alioquin auferens peccabit contra justitiam commutativam cum obligatione restituendi excessum, cum factus sit ditior invito domino.

74 IV. Ut debitum non possit commode alia via recuperari intra, vel extra judicium, sive ob defectum probationis, sive ob malitiam Judicis, aut debitoris, aut non absque alio incommodo, molestia, expensis, amissione favoris, aut benevolentiæ Judicis, vel ipsius debitoris, aut Lessius *cit. dub.* 10. nisi res eadem existens furto ablata esset: alioquin, si res alia via commode possit recuperari, aut petendo ab ipso debitore, aut Judicis officium implorando, occulte compensans peccat quidem transgrediendo ordinem a jure constitutum, tamen communiter non graviter: cum nec grave scandalum, nec gravis Reipublicæ perturbatio inde communiter oriatur, ut cum aliis docent **Lugo**, & *Diana cit.* Neque committit furtum, vel injustitiæ crimen aliquod restitutioni obnoxium: ut contra aliquos habet communis DD. cum S. Th. *qu.* 66. *art.* 5. *ad* 3.

V. Ut, quantum fieri poterit, compensatio fiat in eadem re, vel specie functionem recipiente, utpote pecuniam pro pecunia, triticum pro tritico, vinum pro vino auferendo &c. 75
hoc enim, cum commode fieri potest, injuste compensatio fieret in diversa specie, v. g. pro pecunia auferendo equum, pro tritico vinum, vel e contra, quia tunc absque justa causa debitor invitus cogitur ad alium contractum venditionis, vel permutationis ineundum, & hac ratione difficilius attingitur æqualitas debiti, & accepti, faciliusque gravatur debitor, cum compensans plerumque nolit accipere minus, & æquale difficulter tangat. Quod si tamen compensatio in eadem specie fieri nequeat ob defectum rei, vel impedimentum aliquod, ut sæpe accidit, saltem in foro conscientiæ (quidquid sit de foro externo) juste, & licite fieri potest compensatio in quibuscumque aliis rebus, servata semper æqualitate, v. g. si debitos tibi sex florenos in pecunia recuperare non possis, possis autem in vino, vel frumento, accipias ejusdem valoris urnam vini, vel scapham frumenti: si equum tibi debitum consequi nequeas, accipias pecuniam, quanti ille juste æstimatur, ut ex communi notant Vasq. *de rest. c.* 1. *dub.* 8. Laym. *c.* 1. *nu.* 9. *fin.* & *alii*. Neque eo casu, si alium modum compensandi non habeas, nisi accipiendo rem specie diversam cum gravi debitoris damno, abstinere cogeris: debitori enim imputabitur tale damnum, dum is debita solvere non laborat, dummodo tamen ejus damnum non esset notabiliter majus, quam tuum debitum, tunc saltem ex Charitate abstinere debes, ut in simili mox iterum notabo. Vide *Molinam*, *Navarrum*, *Rebellum* apud Dianam *p.* 2. *tr.* 16. *resol.* 48.

VI. Ut res, in qua fit compensatio, non sit depositum. 76
Ita habetur utroque Jure *c. bona fide de depositis*, & *L. ult. C. depositis*. Quamvis *Petrus Navarrus*, *Lessius*, *Tannerus*, & *Lugo cit.* probabiliter putent, eas leges solum habere locum in foro externo: aut intelligendas esse, si aliter compensatio fieri possit. Alioquin in foro conscientiæ secus facientem, servatis aliis conditionibus, non esse damnandum peccati. Quare rem tui debitoris ab ipso apud te depositam in compensationem debiti tui sine scrupulo retinebis: quin etiam rem tui debitoris apud alium tertium nude depositam, alioquin pleno dominio ad ipsum spectantem, in compensationem tui debiti alio modo non impetrandi, licet auferes, quia dummodo res sit tui debitoris, nec ad alium pertineat, parum refert, ubi materialiter inveniatur, ut notat Tamb. *cit. c.* 5. §. 4. *n.* 3. Cæterum per se constat, te in compensatione tui debiti non posse auferre rem alicujus tertii apud tuum debitorem depositam, vel ei in pignus datam, vel locatam, aut commodatam, quia sic liquido alienam raperes.

VII. Ut caveatur damnum spirituale, & temporale debitoris. 77
Spirituale quidem, quatenus is conscius, se nondum solvisse debitum, manebit adhuc in mala fide, & conscientia peccati mortalis. Temporale vero, quatenus ob eandem ignorantiam fortassis ipse debitor, vel ejus hæres, idem debitum postea iterum solvet, cum constet de debito, non vero de solutione: ad utrumque cavendum monendus erit de obligatione ablata, aut remissio simulanda: dicendo v. g. jam esse solutum, te jam esse contentum, cum ipso, &c. id tamen solum teneris ex Charitate, non ex justitia, quia neutrum damnum intendis, sed tuo jure usus es. Unde solum teneberis ita cavere, si facile & sine tuo incommodo possis, & tunc negligendo peccabis quidem contra Charitatem; at non contra justitiam, nec ad ullam restitutionem obligaberis, nisi ex re accepta, si debitor tibi secundo debitum solvisset, hanc enim secundam solutionem sine dubio ex justitia reddere teneberis.

VIII. Ut etiam evitetur periculum, aut ipsius compensantis, utpote propriæ infamiæ, ne forte deprehensus in foro externo fur censearis, aut tanquam rei alienæ violentus invasor puniaris, ut etiam notat *D. Th. l. c.* aut scandali aliorum existimantium te furatum esse, aut alicujus tertii, v. g. ne forte tunc alius tanquam de furto suspectus habeatur, vel puniatur. Idque rursus solum ex Charitate, non ex justitia, quia uteris jure tuo, & damnum tertii per accidens, & præter intentionem tuam sequitur actionem tuam, ut notat *Lugo l. c.* ideoque ad id non obligaberis, nisi facile, & sine tuo gravi incommodo possis. Poteris autem, & certe ex Charitate teneberis tale damnum proximi præcavere, saltem omittendo interim compensationem, si tuum debitum exiguum sit, v. g. paucorum aureorum, & probabile sit, furtum alteri imputandum esse, cum periculo gravissimi damni, infamiæ, pœnæ, fustigationis, & maxime mortis; tunc enim, si non præcaveas, etsi non pecces contra justitiam, nec ad ullam obligeris restitutionem, ut dictum, graviter tamen peccares contra Charitatem, quæ præcipit, ne ob parvam tuam commoditatem gravissimum proximo damnum inferas. Quare in his, & similibus magnopere expendenda sunt, & conferenda, tua utilitas, & proximi periculum. Vide Molin. *to.* 3. *disp.* 69. 78

Deni-

Denique eadem ratione dicendum in casu, quo debitor tuus ob tuam occultam compensationem fiat impotens ad solvendum aliis anterioribus, aut magis privilegiatis debitis, ac creditoribus suis: quia id damnum aliorum creditorum per accidens sequitur ad tuam compensationem, & res, quam accipis, non est adhuc eorumdem creditorum, sed debitoris tui, ut supponimus; ideoque ordine Charitatis tibi præ aliis prospicere poteris sine justitiæ peccato: etsi similiter possis peccare contra Charitatem, si nimirum tu non multum, vel nihil egens re tua omittendo compensationem, nullum, vel exiguum damnum patereris, alius vero creditor pauper v. gr. multum egens re sua, grave damnum incurreret, ut notant *Doctores citati*.

§. III. *Eaque licite utitur quivis debitor modo opportuno.*

79 PRimus modus securissimus compensandi occulte, est, rem proximi apud te existentem in æquivalenti detinere, ut jam indicatum est. Item debitori tuo simile debitum a te sive antea, sive postea, etiam de industria, & directa intentione compensandi contractum denegando, ut omnes consentiunt. At quid si eo casu tu a Titio v. gr. tibi debente centum aureos pro merce vendita, subito occasione oblata vel prætensa, mutues alios centum, expresse: promittens vel etiam jurans, te velle ad certum terminum solvere (casum specifice appositum habes in secundo Præcepto de juramentis) poteritne nihilominus compensatione utendo, postea non solvere? Juristæ multi absolute negant, multi absolute affirmant. Theologi rectius ita distinguunt. Si juratus promisisti non solum solvere, sed etiam non uti compensatione, idque vel explicite in terminis, vel saltem implicite ad petitionem debitoris, qui forte timens, ne ob compensationem ipsi non solvas, ob securitatem ita petiit, tunc omnino teneberis juramento, & compensatione uti non poteris, ut omnes fatebuntur: omne enim juramentum implendum est, quando sine peccato impleri potest: in proposito autem potest impleri sine peccato: ergo. Si vero juramento promisisti tantum solvere ad certum terminum, minime vero non velle uti compensatione: utpote quia tunc de compensatione excludenda nil cogitasti, & maxime si etiam expresse inclusisti, saltem reservatione mentali (juro tibi solvere ad istum terminum, & si tu mihi solveris, alias non;) tunc potes adhuc uti compensatione. Ita cum aliis Molina *disp.* 360. & Lugo *disp.* 16. *sect.* 6. *n.* 117. Ratio est, quia tunc juramentum solum confirmat promissionem, & auget obligationem solvendi, & nil aliud, seu ad nullum aliud objectum se extendit: atqui promissio & obligatio solvendi quantacumque secundum se non excludit compensationem, nam qui compensat, vere solvit remittendo prius æquivalens debitum: ergo sic satisfacit etiam juramento, quo se ad solvendum obligavit. Alia est ratio de juramento solvendi usuras, quod omnino obligare decernitur *cap. debitores de jurejurando:* qui enim jurat solvere usuras, clare intendit solutionem realem usurarum, alioquin nullum esset objectum promissionis. Unde si mutuatarius haberet aliunde jus contra usurarium, qui nimirum aliunde ei aliquid debeat, non obstante juramento de solvendis usuris, potest adhuc compensare remittendo illud aliud debitum pro usuris promissis: sic enim adhuc in æquivalenti solveret usuras, adeoque adhuc plene satisfaceret juramento.

80 *Secundus modus* priori vicinus, & communis compensandi est, auferendo de bonis debitoris apud ipsummet debitorem existentibus, servatis conditionibus supra positis, de quo nil speciale dicendum superest. At quid si debitor tuus mittat pecuniam tuam ad alium sive dono, sive pro emenda aliqua merce, sive forte in solutione alicujus debiti, poterisne auferendo illam tibi compensare tuum debitum? *Respondetur*, si pecunia illa missa a tuo debitore nondum sit acceptata ab illo tertio, adhuc poteris illam auferendo tibi compensare: quamdiu enim res nondum acceptata est ab alio, manet adhuc sub dominio mittentis, ideoque adhuc vere compensas tibi de bonis debitoris tui. Similiter, & e contra, si tertius aliquis mittat pecuniam, vel aliam rem, ad tuum debitorem, sive dono, sive in solutione debiti, sive in alium finem; siquidem tuus debitor illam pecuniam jam acceptavit per se, vel per alium, ipsum v. g. bajulum a se missum, adhuc compensando auferre poteris, quia accipis rem debitoris tui, in quam jus habes. Si autem pecunia, vel res illa nondum est acceptata a tuo debitore, non poteris auferre, quia tunc auferres rem tertii, in quam jus non habes, ut cum *Vasq. & Lugo* resolvit Tamb. *hic l.* 8. *tr.*2. *c.* 5. §. 4.

81 *Tertius modus* compensandi occulte est, auferre de bonis debitoris tui apud alium tertium existentibus seu casu, seu etiam simplici deposito, ut §. *præcedenti in conditione sexta* annotatum est. Certum autem est, te non posse auferre rem tui debitoris apud alium tertium existentem, si ei aliquo speciali jure obligata est, utpote ipsi in pignus data, commodata, locata &c. antequam ejus jus extinguatur: tunc enim ipsi, qui tibi nil debet, veram injuriam, immo damnum inferres verissimo peccato furti, ut ex definitione furti supra explicata liquet. Unde etiamsi Princeps sit tuus debitor, poteris in compensationem defraudare gabellas ipsimet. At certe non poteris easdem defraudare jam alteri venditas, vel locatas, propter rationem modo dictam. Quia tunc huic tibi nihil debenti injuriam, & damnum inferres. At quid, si tertius aliquis sit debitor tui debitoris? v. g. Titius debet Cajo centum aureos; Cajus similiter tibi: poterisne compensando auferre a Titio? *Respondetur:* nequaquam posse: sic enim auferres pecuniam, quæ est adhuc Titii, in quam nullum omnino jus habes. Sed neque poteris, inscio, ac invito debitore, propria auctoritate pecuniam illam a Titio exigere, vel recipere, sed debebis a Judice petere per sequestrationem illius debiti, ut tibi satisfiat, vel certe inducere tuum debitorem, ut tibi jus suum in Titium cedat, juxta communem Juristarum, & Theologorum. Vide pulchre Lugo *disp.* 16. *sect.* 6. *a num.* 120.

Quartus modus, & gradus compensandi, potest esse ex bonis debitoris tui defuncti, quæ tamen apud te inveniuntur deposita. Et certum est, licere per se loquendo. Dubium autem, & valde controversum est, an etiam liceat cum præjudicio creditorum anteriorum, vel magis privilegiatorum. *Respondetur* breviter, quod sic: idque non solum, quando debita sunt ejusdem rationis, v. gr. defunctus debeat tibi pecuniam, tu vicissim ab eo vivo accepisti pecuniam æqualem, licite retinebis occulte compensando, censetur enim facta æquivalens solutio per pecuniam tibi antea datam a defuncto: verum etiam, quando debita essent diversæ rationis, v. g. defunctus debebat tibi centum in pecunia, tu autem vicissim ab eo accepisti alias res, vel merces ejusdem valoris, & adhuc habes sive in pignus (& tunc consentiunt omnes, te posse retinere, cum ad eum finem res data sit in pignus, ut detineatur, donec debitum solvatur) sive alio titulo, depositi, locati, &c. ubi contra communiorem apud Lugo *cit. sect.* 6. *num.* 127. *pluribus cit.* docent Dian. *p.*3. *tr.* 5. *miscell. res.* 10. & Tamb. *cit.* §. 6. *nu.* 5. Ratio est, quia quando tu rem illam vivente tuo debitore habuisti, cum potuisses tunc tibi eam appropriare in compensationem tui debiti, remansit apud te quasi in pignus: juste enim dicere poteras, jam sum de meo debito securus, res mei debitoris apud me est, certe si meum mihi non reddat, neque ego reddam ei rem suam: ideoque virtualiter, & æquivalenter res illa est pignus tuum: atqui pignus actuale eo casu licite tibi retinere posses, non obstante præjudicio anteriorum, vel magis privilegiatorum creditorum, secundum communem DD. cum *Lug. cit.* ergo & hoc quasi pignus virtuale æquivalens licite retinebis, occulte compensando, saltem in foro conscientiæ, de quo nos loquimur; in foro autem externo, in re valde controversa, oportebit te accommodare legibus loci, & sententiæ Judicis. 82

§. IV. *Etiam famuli, & officiales minus juste stipendium capientes.*

QUando nimirum liquido constat de inæqualitate stipendii comparatione laborum, obsequiorum, & commodorum, quæ dominis præstant famuli, & officiales, licite sibi de eorum bonis occulte compensant ad æqualem æstimationem, servatis semper conditionibus supra positis. Ita communis DD. Nav. uterque, Mol. *tr.* 2. *to.* 3. *disp.* 509. & 548. Less. Laym. *tr.*3. *l.*3. *c.*1. *n.*10. Lugo *sæpe cit. sect.*4. §. 2. Ratio est, quia famulis, & officialibus ex justitia debetur æquale stipendium suis laboribus, & commodis, quæ præstare debent: nisi ipsimet sponte remittere, vel pro minori servire velint, sicut possent gratis servire: ergo, sicut qui errore inductus, vel necessitate coactus mercem minoris justo vendidit; in foro conscientiæ potest pretii defectum exigere, & si aliter recuperare non possit, occulte compensare: ita eadem ratione famulus, vel officialis, qui ob errorem, necessitatem, vel aliam similem causam operam suam minoris justo locavit (& maxime, quando Dominus pactam mercedem in toto, vel in parte solvere nollet, secundum omnes) quia saltem secundum quid involuntarius fuit, adeoque animum donandi non habuit, poterit defectum stipendii jure exigere, & si aliter habere nequeat, occulte compensare, & Dominus sibi ipsi imputet, quod minori pretio famulum servire cogens, occasionem præbeat occultæ compensationis. Idemque dicendum, quando dominus famulis, & ancillis, considerato eorum labore, loci consuetudine, & necessitate, non præbens sufficientem victum, atque illi alia via, utpote dominum monendo, orando &c. quod sibi debitum esset, consequi non possunt; tunc etiam licite aliqua occulta compensatione uti poterunt, maxime in esculentis, cum fames stimulat, ut notant DD. apud *Laym. cit.* Sed sequitur tandem 83

Exceptio.

Nisi domini justa ex causa minus stipendium pacti sint.

VAriæ enim sunt causæ, ob quas domini famulis, vel officialibus minus stipendium juste paciscantur, ut illi ideo alia compensatione uti non possint. 1. Quia dominus expresse, vel tacite promittit, aut spem præbet, se servitium sedulo præstitum aliunde remuneraturum, ad majora promoturum, officium, vel beneficium procuraturum, aut matrimonium utile procuraturum &c. tunc enim quamdiu 84

diu probabilis spes manet, dominum promissis suis satisfacturum, famuli alia compensatione uti non poterunt. 2. Quando famulus non totam operam domino impendit, sed interim etiam permittitur aliquam artem addiscere, vel aliud quippiam commodi sibimet acquirere, ut ex *Navar.* utroque notat *Laym. cit.* 3. Quando Dominus famuli opera non multum indigebat, sed rogatus eundem conduxit: tunc enim facile conqueri non poterit de stipendii exiguitate, quia sicut merces, ita & operæ ultroneæ vilescunt. 4. Quia tametsi opera famuli dominus indigeret, multi tamen aderant, qui eandem conditionem libenter acceptassent, & tunc quoque, si officio famulus discederet, plures adessent, eodem minori stipendio, vel salario servituri, neque ergo hoc casu stipendium minus justo censeri debet, quia sicut multitudo vendentium mercium pretia minuit, ita & multitudo operam locantium minuit quantitatem stipendii, sive mercedis. Ita communis DD. apud *Laym. cit.* Qui tamen recte monent, non ideo semper minorem mercedem juste effici, quia si unus accipere nolit, alter non deerit, qui accipiat, quia posterioris acceptatio ex mera necessitate, & non ex copia locantium, vel æquitate rei acceptæ provenire potest. Tandem etiam maxime cavendum est, ne famuli, ancillæ, officiales sint iniqui, & excessivi æstimatores suarum operarum, laborum, obsequiorum, cum quilibet in propria causa cæcutiat. Qua ratione merito ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio 37. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

SECTIO IV.

Iterum furta excusata, seu accepta propter necessitatem extremam, vel gravem.

SUMMARIUM.

85 & 86 *Quæ dicatur necessitas extrema, & quæ gravis.*
87 *In extrema necessitate potest quis licite pro ejus exigentia auferre rem alienam*
88 *A quocumque alio in simili necessitate non constituto.*
89 *Immo per se loquendo, etiam obligatur auferre necessaria ad conservandam vitam.*
90 *Idque, si opus sit, facere potest etiam publice, & per vim.*
91 & 92 *Aut si per se ipsum non possit auferre, potest ejus loco quivis alius, ex proprio subvenire non potens.*
93 *Et cum extrema necessitas egenti tribuat jus rem alienam faciendi suam:*
94 *Ideo licet Dominus rei, antequam pauper eam occupet, illam ei dare non teneatur ex justitia;*
95 *Tenetur tamen ex justitia auferentem non impedire, & oblatam non eripere,*
96 *Sed insuper ex Charitate, & misericordia ultro dare.*
97 *Cui Charitatis obligationi Dominus rei probabiliter satisfacit, dando rem non gratis, sed cum pacto suo tempore restituendi, vel solvendi, quo inito, pauper obligatur.*
98 *Accipiens rem sine pacto, sed per seipsum, clam &c. si extreme egens re solum, pro hic, & nunc, non spe, utpote sperans, vel alibi habens bona, rem accipere debet, cum intentione, & obligatione restituendi: non vero, si re & spe simul sit egens extreme.*
99 *Unde licet hic, re absumpta, postea ultra spem ad meliorem fortunam perveniat, non tamen tenetur restituere.*
100 *Secus, si res absumpta non sit.*
101 *Qui rem accepit ante extremam necessitatem, sive furto, sive ex contractu, & dein in extrema necessitate absumpsit, ea peracta, probabiliter restituere tenetur:*
102 *Tamen æque probabilis est sententia negativa.*
103 *Idipsum licere etiam in necessitate gravi, affirmant aliqui, non tantum quando simul adest periculum labendi in necessitate extrema,*
104 *Sed etiam, quando nullum adest tale periculum.*
105 *At hoc ultimum modo est omnino improbabile, & damnatum ab* Innocentio XI.

85 EXtrema necessitas dicitur, qua homo periclitatur in natura, & esse simpliciter: seu (quod optime circumscribit *Lugo cit.*) quæ versatur circa ea, quæ natura æquali jure omnibus voluit esse communia, ut vita, fama, libertas, ut si sis certe moriturus, gravissimo morbo conficiendus, fame, vel frigore necandus, ab hoste, vel latrone occidendus, aliudve gravissimum, & morti moraliter æquivalens malum incursurus, v. gr. perpetuam captivitatem, infamiam, triremium pœnam &c. nisi tibi pecunia, veste, medicina, cibo succurratur. Necessitas gravis dicitur, qua homo solum periclitatur in statu, & esse meliori, utpote, si deberet amittere statum suum, laborare, servire, mendicare, nisi opportuno subsidio adjuvetur. De necessitate communi tantum, qualis est nostrorum communium pauperum, vel mendicorum, hic nulla habenda est ratio.

ASSERTIO VI.

86 *IN extrema necessitate licitum est auferre rem alienam, quatenus ad eam sublevandam necesse est: adeo ut dominus rei ex justitia teneatur auferentem non impedire, non tamen ex justitia, sed Charitate tantum, ultro dare; neque auferens postea ad restitutionem rei tunc acceptæ, & absumptæ obligabitur: id ipsum licere in necessitate vere gravi non improbabiliter asseritur, sed verius negatur.* Explico per partes.

§. I. *Licitum est in extrema necessitate auferre rem alienam, quatenus ad eam sublevandam necesse est.*

ADeo ut talis neque furtum committat, neque peccet. 87
Omnes cum S. Thom. 2. 2. *q. 66. a. 7.* Scoto *in 4. d. 15. qu. 2.* & late, ac optime explicat Lugo *disput. 16. sect. 6.* per totum. Ratio communis est, quia res temporales sunt a Deo datæ, ut vita omnium rerum temporalium nobilissima conservetur, cui juri vitæ conservandæ non potuit præjudicari per divisionem rerum jure gentium introductam. Ratio ergo fundamentalis est, quia concurrentibus eodem tempore duobus præceptis incompossibilibus, quæ scilicet ambo servari non possunt, majori cedit minus, & obligare cessat: atqui in proposito concurrunt duo ejusmodi præcepta, scilicet conservandi vitam propriam, & non furandi: quorum primum tanto majus est secundo, quanto bonum vitæ rationalis præfertur bono temporali; præceptum enim conservandi vitam naturalissimum, immediate fundatur in ipsa natura; præceptum autem non furandi, etsi quoque naturale sit, non tamen immediate fundatur in ipsa natura, cum primævo jure naturæ omnia sint communia, sed fundatur in voluntario humano, scilicet divisione rerum, & appropriatione in particulari, jure humano gentium introducta: iniqua autem fuisset divisio rerum, alioquin communium, jure gentium introducta, nisi ea conditione facta esset, ut tamen pro extrema necessitate omnia communia manerent, ac cuilibet integrum maneret jus naturale ad accipiendum, & usurpandum ea, quibus extreme indiget, adeoque quilibet habet verum jus auferendi, & quasi occupandi illam rem, ejusque acceptæ, vel occupatæ acquirit verum dominium, seu jus in re, vel ejus usu, ut notat D. Thom. a. 7. ergo in tali vere extrema, vel quasi extrema necessitate constitutus juste, & licite potest sibi accipere, & usurpare quantum, & quatenus ad eam necessitatem sublevandam necessarium est. Adde, & infer ulterius

I. A quocumque alio non in simili necessitate constituto talis accipere potest. Nam quamvis extreme egeas, 88
fame, v. g. non tamen poteris auferre ab alio simili extrema necessitate laborante, quia tunc sine controversia melior est conditio possidentis: ideoque is habet potius jus utendi re sua, ne pereat, quam tu. Quin neque tu extrema necessitate laborans poteris accipere ab alio in gravi tali necessitate constituto, ut illa re ablata ipse deberet incidere in necessitatem extremam, seu in gravia mala, quæ ipsi morti æquiparantur: poteris autem, si non ita gravia mala incursurus sit; quo sensu intelligendus Sanch. *lib. 1. Consil. c. 2. dub. 5. n. 28.* id absolute concedens. Denique si accepisti antea rem proximi nondum egentis, tunc postea superveniente extrema necessitate, absumere poteris, nihil obstante, quod pristinus dominus rei in simili necessitate positus sit: immo illi in tali casu etiam parentes, filios, vel fratres tuos præferre poteris, ita exigente ordine Charitatis, vel saltem permittente, ut cum *Toleto*, & aliis, docet Laym. *cit. n. 7.*

II. Talis in necessitate extrema constitutus, non tantum 89
licite potest; sed etiam per se loquendo, obligatur auferre sibi necessaria ad vitam conservandam, nec potest abstinendo mortem suam permittere: esset enim occidere se ipsum sine justa causa, quod nunquam licet. Secus dicendum, si adesset rationabilis causa, & honestus finis: utpote si timeret grave scandalum, si non posset rem auferre, nisi occidendo dominum rem suam injuste defendentem &c. tunc enim ad cavendum spirituale malum proximi, licite, & meritorie permitteret mortem propriam corporalem. Quamvis conveniat, eum, qui extremam necessitatem patitur, prius postulare a domino, quam auferre, & si a nullo impetrare possit, petat a Magistratu, & non propria auctoritate auferat, ut statuunt Leges civiles, quia quando est spes obtinendi necessaria tali convenienti modo, non censetur necessitas sufficiens rapiendi aliena: nihilominus, qui talem modum prætermittit, secluso scandalo, non peccabit graviter contra justitiam, quia non peccatur quoad rem ablatam, sed tantum quoad modum auferendi, ut notat Less. *cit. dub. 12.*

III. Talis necessaria ad vitam tuendam, si aliter obtinere non possit, etiam publice, & per vim auferre potest, 90
quia utitur jure suo, & alter negans, vel impediens auferre necessaria, utitur vi injusta: licet autem vi vim repellere, consequenter eo casu egenus poterit se vi tueri tanquam contra injustum aggressorem: immo servato moderamine inculpatæ tutelæ, etiam impedientem occidere poterit, juxta communem doctrinam in materia de homicidio, seu occisione injusti aggressoris, supra *cit. sect. 3.*

IV. Si extrema necessitate laboranti nullus dare vellet, 91
sicut posset tunc ipse auferre, ita in iisdem casibus, quisque

que alius ex proprio subvenire non potens, ex alieno auferre potest, quantum opus est ut misero subveniatur, ut docet communis DD. cum *D. Th. & Scoto cit.* Ratio est, quia tunc is surripit nomine indigentis, & velut ejus instrumentum: atqui quod quis per se facere potest, per alium etiam fieri licet: ergo &c. Quod si vero ille alius habeat ex suis bonis sufficienter, quo proximo subveniat, non poterit, nec in toto, nec in parte ad eum finem auferre ab alio, ut cum aliis docet Vasq. *opusc. de Elem. c.2. n. 1. 2. & 3.* Ratio est, quia tu tunc, si habeas superflua, ipsemet obligaris succurrere proximo extreme egenti, utique de tuo, non de alieno. Quod tamen limitat Lugo *cit. sect.* 7. si tu habeas apud te bona alterius, isque, æque ac tu, superflua habeat, ideoque æque possit, ac debeat subvenire, ac tu, posse te partim ex tuis, partim ex bonis alterius subvenire, sicut ipse indigens posset sibi tunc æque ex alterius, ac ex tuis auferre, nec tunc apparet ratio, cur tu solus tenearis ex tuo integre subvenire.

92 *Dices* contra Assertionem in nulla necessitate, etiam ad servandam vitam licet mentiri, fornicari, pollutionem procurare: ergo etiam neque furari. Respondeo negando consequentiam ex allata probatione Assertionis, quia mentiri, fornicari, & cætera, est intrinsece malum, spectata natura rationali absolute: furari autem non est ita intrinsece malum, sed solum supposito voluntario humano divisionis rerum, quæ divisio rerum non potuit se extendere ad casum extremæ necessitatis. Sed clarius respondebis concedendo totum: in proposito enim non est furtum, sed est acceptio ejus, ad quod jus habet.

§. II. *Dominus rei ex justitia tenetur auferentem non impedire, non tamen ex justitia, sed ex Charitate tantum, ultro dare.*

93 QUamvis extrema necessitas tribuat egenti verum jus, ut possit accipere rem alienam per modum occupationis, isque rei acceptæ dominium, seu jus in re, vel ejus usu, in quantum necessarium est, acquirat: ideoque pristinus dominus obligetur extremo egentem, ac volentem rem suam accipere, non impedire, vel rem jam acceptam non auferre, alioquin obligabitur ad compensationem damni secuti, si egenus moriatur, vel pereat: ipse tamen dominus non est ex justitia, sed solum ex Charitate, & misericordia, etsi strictissime, obligatur rem suam dare proximo in extrema necessitate constituto: uti optime distinguit, & contrarias confusas opiniones conciliat Lugo *cit. disp.16. sect.7.* Dian.*p.2. tr.3. miscel. res.29.* Tamb. *l.8.c.6. tr.2. §.2. a n.4.* Ratio est, quia extrema necessitas non facit egenum actu dominum rei alienæ, nec alios privat dominio rei suæ, sed solum tribuit egeno jus ad occupandam, & suam faciendam rem alterius, sicut si in nullius bonis esset: hoc enim sensu dicitur extrema necessitas facere res communes, hoc est, facit, quod sicut posset quis valide, & licite accipere res communes, quæ in nullius bonis sunt, sic egens extreme possit valide, & licite accipere rem alterius ac si in nullius bonis esset: ergo sicut ad rem communem, Petrus non habet actuale jus justitiæ, ratione cujus alii ex justitia obligentur ad eam Petro offerendam, sed ipsa solum occupatione comparat sibi actuale jus, ratione cujus alii ex Justitia obligentur eum non impedire a re occupanda, vel occupata: ita in proposito, ratione extremæ necessitatis pauper non habet actuale jus in rem alterius, privans alterum dominio rei suæ, vel cogens alterum ad rem suam pauperi offerendam, sed solum habet jus, & titulum, ut eam per occupationem possit facere suam, vel sibi propriam, alterum solum obligans ad non impediendum pauperem ab occupatione, vel usurpatione rei suæ, sicut si in nullius bonis esset: ipsa vero occupatione acquirit actuale jus, & dominium, quod sine injuria impediri non potest. Ergo ulterius

94 I. Antequam pauper occupet rem alterius, dominus rei quamvis gnarus extremæ necessitatis illius, non tenetur ex justitia rem suam illi dare: & hoc solum vult communis sententia DD. absolute negans hic talem obligationem justitiæ, *Navar. Sanch. Less. Coninch.* alii apud *Lugo cit.* Unde ex eo, quod proximo extreme egenti non obtuleris rem tuam, cum non peccaveris contra justitiam, ut probatum est, sed solum contra Charitatem, & misericordiam, ut mox dicetur, non teneberis postea ad restitutionem illius rei, quam debuisses dare, nec ad compensationem damni secuti, si egenus moriatur, cum solius justitiæ violatio obligationem restitutionis inducat, ut suo loco visum.

95 II. Quando extreme egens de facto utens jure suo tentat rem proximi occupare, vel jam occupavit, jam nemo sine injuria potest eum impedire: ideo ut ipse dominus rei ex justitia teneatur eum non impedire, vel non auferre rem ab eo occupatam, quia, ut dictum, extreme egens habet jus occupandi illam rem, sicut si nullius esset domini, & post occupationem fit dominus rei occupatæ. Alioquin vere peccabit contra justitiam, & jam obligabitur ad restitutionem damni secuti, si egens, v. g. moriatur, captivus abducatur &c. quo sensu rigorose verum est illud D. Ambrosii: *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti.*

96 III. Insuper ex Charitate, & misericordia strictissime obligatur dominus rei etiam ultro dare proximo in necessitate extrema constituto rem suam necessariam, juxta certissimam omnium sententiam in materia de Charitate: hoc enim in casu omnium maxime obligat præceptum divinum naturale Charitatis, ac misericordiæ benefaciendi proximo, & succurrendi in necessitate constituto, toties, tamque severe in Scripturis inculcatum, utique in materia tam gravi obligans sub mortali: generaliter enim mandavit Deus unicuique de proximo suo.

97 IV. Sed restat quæstio, utrum tali casu dominus rei obligationi suæ ex Charitate, & misericordia subveniendi pauperi in extrema necessitate satisfaciat non gratis dando, sed mutuando, vel credito vendendo rem necessariam, cum pacto restituendi, vel solvendi in futurum, cum ad meliorem fortunam redierit; isque, nimirum pauper, eo pacto inito obligetur. Negant *Sotus, Bannes, Medina, Valent. Coninch.* & alii apud *Lugo cit.* hac ratione, quia præceptum eleemosynæ maxime obligat in extrema necessitate, sed eleemosyna debet gratis dari, quod enim mutuo datur, non est eleemosyna: ergo talis non satisfacit mutuando. Sed æque probabiliter affirmant *Navar. Cov. Adrian. Sanch. Vasq. aliique cit.* Dian. *sup. cit.* Tamb. *cit. c.6. §.2. n.8.* Lugo *c. sect.7. n.167.* Ratio est, quia Charitas solum obligat ad subveniendum necessitati proximi: atqui in proposito succurritur sufficienter necessitati proximi mutuando, cum pacto restituendi tempore melioris fortunæ: ergo non est obligatio dandi gratis, & quia spes hujus restitutionis ab homine modo extreme egente, valde exigua, & incerta est, satis commode dicitur dare eleemosynam, qui ita dat, ut compensationem vix sperans, pro donato habeat, & habere velit, si restituere nequeat. Non enim loquimur hic de mutuo stricte, & absolute, sed imperfecto, & conditionato, scilicet cum conditione: *Restitues, si ad meliorem fortunam perveneris.*

98 *Dices*: ergone, quando extreme egens accipit ipse sibi necessaria de rebus alterius, tenebitur ita accipere per modum mutui, cum intentione, & obligatione restituendi postea, si ad pinguiorem fortunam pervenerit? Resp. cum distinctione: si extreme egens re, & spe pauper sit, ut nulla, vel exigua spes sit emergendi ad meliorem fortunam, omnino poterit accipere absolute sine illa intentione, & obligatione, quia utitur jure suo, ut dictum est, & ipsi domini tunc de illa obligatione tam incerta non solent curare. At vero si extreme egens solum per accidens hic, & nunc re, & non etiam spe pauper sit, utpote quia alibi habet bona, vel in futurum habere potest, & sperat, certum videtur, non posse auferre absolute alienum, sed cum onere, transacta necessitate restituendi, quia tunc non est necessitas simpliciter auferendi alienum, sed potius emendi, vel mutuandi tantum. Et certissimum est, nullum dominum tunc debere, immo neque velle dare gratis, ut recte observat Lugo *cit. n.* 170.

§. III. *Neque auferens postea ad restitutionem rei tunc acceptæ, & absumptæ obligabitur.*

99 I. QUando nimirum extreme egens, vere re, & spe pauper, (secluso pacto inito, de quo supra) ipso tempore extremæ necessitatis rem alterius, in quantum necessaria fuit, & accepit, & absumpsit, postea, etsi ultra spem, pinguiorem fortunam sortiatur, nunquam tenebitur restituere. *Communissima.* Ratio patet ex dictis: quia is usus fuit jure suo, & rei tunc acceptæ, quatenus sibi necessaria fuit, dominium sibi comparavit.

100 II. Secus autem dicendum, si res accepta in extrema necessitate, non sit absumpta, sed etiamnum existat, ut equus, vestis &c. hæc enim, superata necessitate, restituenda erit secundum omnes. Ratio est, quia extrema necessitas non tribuit plus juris in rem alterius, quam necessarium sit ad illam sublevandam, sed in proposito non erat necessaria res adhuc existens, sed solum ejus usus: ideoque egens occupando illam, solum comparavit sibi dominium utile illius rei, dominio directo adhuc remanente penes pristinum dominum: ergo res adhuc existens post necessitatem domino restituenda erit.

101 III. Si vero egens accepit rem alienam ante necessitatem extremam, sive ex delicto, furto, v. g. sive ex contractu, utpote deposito, commodato, locato, vel quovis alio titulo, & in extrema necessitate absumpsit, tunc peracta necessitate, si ad meliorem fortunam redierit, omnino in æquivalenti restituere tenebitur. Ita *Scot. Gabriel. Medin. Nav.* aliisque cit. Less. *l. 2. c. 16. n. 9.* Ratio est: quia tunc egenus rem illam, seclusa necessitate, alio titulo debet domino suo: quæ obligatio per supervenientem necessitatem extremam non extinguitur, sed solum sopitur: ergo superata necessitate domino compensanda erit, æque ac antea compensari debuisset; idque maxime, si antea res furto ablata fuit. Quia iniquitas nulli debet prodesse; sed prodesset hoc casu, si is rem antea furto ablatam, postea in extrema necessitate absumptam, non teneretur restituere, quando superata necessitate ad pinguiorem fortunam pervenerit. Pia, ac probabilis Sententia. Sed

102 IV. Æque probabilis est opposita jam communior Sententia DD. negans, rem quomodocumque acceptam, sive ex

ex delicto, sive ex contractu non transferente dominium, utpote, vel furto ablatam, vel depositam, impignoratam, commodatam, locatam &c. postea in extrema necessitate absumptam, nunquam debere restitui. Sic Ang. Sylv. V. *furtum*, Jul. Clar. *l.* 5. §. *furti*. *Pet. Nav.* aliisque cit. Laym. *c.* 1. *n.* 7. Ratio est: quia qui rem alienam bona fide absumpsit, liberatur a restitutione, secundum omnes, sed talis extrema in necessitate bona fide rem alienam, quin immo tanquam dominus ejus effectus, absumpsit: ergo nunquam tenetur pro ea restitutione: neque ei patrocinatur iniquitas, si rem antea furatus fuit, sed superveniens extrema necessitas. Dixi autem notanter. *Si antea accepit ex delicto vel contractu non transferente dominium rei*. Secus esset de eo, qui rem emptione, mutuo, vel alio contractu transferente dominium, acceptam, in extrema necessitate absumpsit: hic enim rem non ut alienam, sed ut suam absumpsit, adeoque sibi soli periit, & ad pretii solutionem redeunte meliori fortuna obligatus manet, ut cum *Vasquez*, *& aliis* observat *Lugo loc. cit.*

§. IV. *Idipsum licere in necessitate vere gravi, non improbabiliter asseritur; sed verius negatur.*

103 I. Certum equidem videtur ita licere, quando necessitas gravis ejusmodi est, ut adsit simul periculum labendi in necessitatem extremam, ut, si morbus gravis probabiliter sit futurus lethalis, aut perpetuus, nisi remedio tempestive ei occurratur: si sis in probabili periculo incidendi in captivitatem, vel infamiam gravissimam, nisi equo alieno adjutus elabaris, & his similia, ut optime distinguit & probat Lug. *sæpe cit. disp.* 16. *sect.* 7. *a n.* 170. Ratio est, quia pari modo naturæ inditum est, ut gravem necessitatem, quæ facile vergit ad extremam, æque ac ipsam extremam necessitatem, a se quisque, quoquo modo potest, avertat.

104 II. Sed quæstio, & difficultas est, an ita liceat in gravi necessitate tantum, quando nullum adest periculum labendi etiam in necessitatem extremam, ut, si morbus non lethalis, non diuturnius tolerandus: si nobilis, vel honoratus vir suum statum non tueri, aliquot diebus famem pati, laborare, servire, vel etiam mendicare cogatur. Affirmabant non improbabiliter *Angelus*, *Sylv. Navar.* uterque *Lessius*, *Bonac.* aliisque congestis Dian. *p.* 2. *tr.* 3. *misc. res.* 29. Ratio est, quia cum dives quilibet in gravi obligetur necessitate ex lege Charitatis ad ultro largiendum egeno, irrationabiliter invitus est, si, eo non largiente, clam auferat sibi necessaria, gravem necessitatem patiens. Sententia, inquam, non improbabilis videretur, cui libens adhærerem, nisi deterreret periculum excessus, & abusus, cum quilibet sibi facile fingeret necessitatem gravem. Itaque

105 III. Communior, probabilior, & plane verior, immo modo verissima est sententia, id licere negans. Ita *Major*, *Sotus*, *Cajet. Sayr. Reginald. Valent.* aliisque cit. *Laym. c.* 1. *n.* 8. & Lugo *cit. sect.* 7. *n.* 160. & sumitur ex c. si quis, de furtis, *Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit, non cogatur jejunare*. Ubi supponitur in tali gravi necessitate rem alienam esse furtum, & illicitum, ideoque pœnitentia dignum. Et tandem novissime ab Innoc. XI. in terminis damnata est hæc proposit. 36. *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*. Ratio autem a priori est: quia divisio, & appropriatio rerum jure gentium introducta, licet non potuerit comprehendere casum extremæ necessitatis ob conservandum majus bonum vitæ, & rarius contingentem, potuit tamen, & debuit comprehendere casus solius necessitatis gravis, quippe sæpius contingentes, & faciles abusus contra bonum commune, & pacem inter homines: non ergo necessitas gravis tantum, sicut extrema, facit res communes, nec tribuit homini in ea gravi necessitate jus accipiendi rem alterius, sicut tribuit necessitas extrema; ergo in gravi tantum necessitate constitutus auferens rem alterius, ei, ut merito invito, injuriam facit, & furtum committit. Nec urget fundamentum oppositæ sententiæ; nam, quia dives non ex justitia, sed solum ex lege Charitatis, tenetur ad largiendum pauperi constituto in gravi necessitate, licet non possit esse invitus, quantum est ex virtute Charitatis, & præsumi possit facilis ad largiendum, si petatur, potest tamen esse invitus ex virtute justitiæ, nec potest præsumi facilis in permittendo sibi rem suam auferri.

106 IV. Duo tamen addenda sunt. *Unum*: quod licet ob necessitatem gravem auferre rem alterius licitum non sit, licitum tamen est ob talem necessitatem gravem rei jam habitæ restitutionem differre. Quia plus est rem alienam auferre (quippe repugnans præcepto negativo, *non furaberis*) quam debitum non restituere, quod repugnat præcepto affirmativo restituendi alienum, quo non obligamur pro semper, sed per moralem impotentiam excusamur, ut latius dictum suo loco. *Alterum*: Sed neque facile peccati mortalis condemnandus est, qui a divite, præsertim antea rogato, clam aufert, quantum ad gravem necessitatem suam sublevandam vere necessarium est, quia certum est, circumstantiam necessitatis multum minuere de malitia furti, idque excusare, si non in toto, saltem in tanto, atque etiam ipse dominus, cui aufertur, minus invitus esse potest, & debet, ut cum aliis notat Laym. *cit. n.* 8. Tandem licet pauperes in necessitate gravi non habeant actionem directam ad petenda sibi necessaria, possunt tamen implorare officium Judicis Ecclesiastici ad cogendum divites ad largiendum, ut ex communi docent *Sylv. Navar. Laym. cit.*

Hic consequenter agendum esset de usurpatione rerum communium, vacantium, derelictarum, incertarum, perditarum &c. sed quia res prolixioris tractationis est, seorsim tract. sequenti de dominio, & acquisitione rerum.

SECTIO V.

De acceptione personarum, ac munerum. Ubi generatim de acceptis ob opus alias debitum, & ob causam turpem.

SUMMARIUM.

108 *Acceptio personarum generaliter locum habet in administratione justitiæ distributivæ.*
109 *Specialiter I. in collatione beneficiorum,*
110 *Et II. officiorum sæcularium, ac*
111 *III. In judiciis, &*
112 *IV. In distributione bonorum.*
113 *Est peccatum ex genere suo mortale.*
114 *Præsertim si officia, vel beneficia conferantur indignis,*
115 & 116 *Quæ per concursum conferenda, sub mortali conferri debent digniori,*
117 *Immo etiam mortale esse, beneficia majora, præsertim curata, conferre dignis, prætermissis dignioribus, docent DD. communiter.*
118 *Cujus oppositum docent alii.*
119 *Modo tamen damnavit* Innocentius XI.
120 & 121 *Acceptio munerum quid?*
122 *Munera* gratis oblata *acceptare, etiam ob opus ex justitia debitum, v. gr. in judicio &c.* per se *illicitum non est*, intellige,
123 *Secluso juramento,*
124 *Vel scandalo,*
125 *Aut periculo subvertendi judicium, & justitiam, aut*
126 *Prohibitione contraria legis positivæ.*
127 *Acceptare autem munera* ex pacto *ob opus ex justitia debitum, mortale est, & restitutioni obnoxium.*
128 & 129 *Nisi justa causa excuset. Quæ*, & *quando talis?*
130 *Secus est de acceptis ob opus debitum ex alia virtute.*
131 *Ob opus enim ex quacumque alia virtute debitum, licite quid accipitur, & retinetur.*
132 & 133 *Nec restitui debet ex justitia.*
134 *Accepta ob turpem causam, vel opus turpe patrandum, ante ejus impletionem licite retineri non possunt.*
135 *Post opus vero turpe jam impletum, pretium pactum licite accipitur, vel jam ante datum, retinetur.*
136 *Sic meretrix post copiam corporis sui factam, pretium non tantum licite recipit, sed etiam in foro externo exigere potest.*
137 *Idem dicendum, etsi opus turpe patratum sit contra justitiam.*
138 *Ut si uxor pro pretio commisit adulterium, custos sylvæ sinit arbores scindi: sicarius tuum inimicum occidit, Judex sententiam tulit &c.*
139 *Sicut & tale pretium promittens, non solum licite illud solvit, sed jure naturali solvere tenetur opere impleto: juxta communiorem sententiam.*
140 *Cujus contrarium docent quidam alii, sed inefficaciter.*
141 *An, & quando virgo, vel fœmina munera liberaliter oblata ab amasio accipere, vel retinere possit.*

ASSERTIO V.

Acceptio personarum est peccatum, quo quis in distributione communium bonorum, vel onerum, ut in jure dicendo, aut honoris exhibitione, non attendit causam, sed personam, vel potius personæ conditionem ad rem, vel causam non pertinentem, v.g. divitias, potentiam, consanguinitatem, amicitiam, aut denique ipsa munera. Locum ergo habet generaliter in administratione justitiæ distributivæ; & specialiter in collatione beneficiorum, & officiorum, in judiciis, in honoris exhibitione, ac proinde est peccatum mortale ex genere suo contra justitiam distributivam, & sæpe etiam commutativam, & sine dubio gravissimum, si conferantur beneficia, vel officia indignis, prætermissis dignis: non ita grave; & forte veniale tantum, si conferantur vere dignis, prætermissis dignioribus. Descriptio peccati satis patet ex terminis: reliqua autem breviter explico, & probo per partes. 107

§. I. *Generaliter locum habet.*

In administratione justitiæ distributivæ, cum in distributione bonorum communium non attenditur proportio dignitatis, vel in distributione onerum communium non attenditur proportio facultatis singulorum, sed alia conditio impertinens: dum scilicet aut conferuntur officia, vel beneficia indignis, vel minus dignis, prætermissis dignis, vel dignioribus, aut onera communia tributorum, servitiorum, laborum, &c. 108

impo-

imponuntur inæqualiter, plus æquo gravando eos, qui sunt minoris facultatis, contra vero parcendo iis, qui majoris facultatis existunt. Et quidem hoc posterius peccatum est simul etiam contra justitiam commutativam, cum obligatione restitutionis, ut omnes observant, quia sic subditis indebite gravatis per veram injuriam damnum infertur in propriis bonis, ac juribus, auferendo ipsis aliquid, quod suum est. Prius autem in distributione bonorum communium, per se solum est contra justitiam distributivam, & secluso alio damno, de quo mox infra, nullam inducit obligationem restituendi ipsis dignis, vel dignioribus prætermissis, quia hi ad illa bona, officia, vel beneficia ipsis merito conferenda, nullum adhuc habuerunt jus proprium, & particulare, sed solum jus commune, & legale, quo ejusmodi bona communia potius debentur dignis, vel omnino indignis. De quo latius suo loco.

Non ergo acceptio personarum locum habet in mera gratuita propriorum bonorum, vel favorum distributione, cum scilicet nulli potius, quam alteri gratia debetur ex aliquo debito: juxta illud Matth. 20. *Amice, non facio tibi injuriam, tolle, quod tuum est. An non licet mihi, quod volo facere?* Unde apud Deum, qui nullius debitor est, etsi unum hominem præ alio majoribus gratiis præveniat, non habet locum acceptio personarum: ad Rom. 2. *Numquid acceptio personarum est apud Deum? Absit.*

§. II. *Locum habet specialiter.*

109 I. IN collatione beneficiorum Ecclesiasticorum, dum conferuntur aut indignis, prætermissis dignioribus, quod etiam cedit in detrimentum Ecclesiæ. De quantitate peccati mox §. *sequenti*.

110 II. Locum etiam habet in collatione officiorum sæcularium: nam etiam officia sæcularia non sunt bona propria Principis, sed communia Reipublicæ, quæ ea commisit Principi providenda, & conferenda communis tantum utilitatis causa. Quare ut recte infert Lessius *l.2. c.23. dub.3.* peccat mortaliter Princeps scienter providens indignum, aut qui putatur male administraturus officium aliquod, & tenetur Reipublicæ resarcire omnia damna inde secuta, nihil tamen tenetur restituere dignis prætermissis, ob rationem supra indicatam.

111 III. Etiam locum habet in judiciis, quatenus in his debita forma, & proportio inter partes non servatur, tam in modo procedendi, quam in ferendo sententiam: juxta illud Levit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis; juste judica proximo tuo.* Et si fiat notabilis aliqua inæqualitas cum detrimento partis, erit peccatum mortale, cum strictissima obligatione resarciendi damnum injuste datum, secundum omnes.

112 IV. Etiam locum habet in distributione honorum, non tantum communium, ut in Choro, Capitulo, Senatu: sed etiam privatorum in privatis congressibus, ut pulchre notat Jacob. 2. *Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri JESU CHRISTI gloriæ; etenim si introjerit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introjerit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum: nonne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis judices cogitationum iniquarum?* Ratio est, quia ex virtute observantiæ honor debetur cuivis secundum proportionem excellentiæ in bonis dignioribus: ergo qui in honorando alterum, non attendit ad excellentiam boni dignioris, sed ad aliud, v.g. divitias, nobilitatem, aut quod stultius, vestium pompam &c. posthabito alio in bono digniori excellente, vere dicitur accipere personam, adeoque peccabit, sed raro graviter per se, secluso scandalo, odio, contemptu, contumelia proximi, aut simili peccato contra Charitatem, vel justitiam.

§. III. *Est peccatum mortale ex genere suo.*

113 CErtum apud omnes: tum quia graviter prohibetur in Sacra Scriptura Eccl. 42. *ne accipias personam, ut delinquas.* Jacob. 2. *si autem personas accipitis, peccatum operamini.* Tum quia graviter adversatur justitiæ, saltem legali, & bono communi, bona, & onera communia non distribui secundum proportionem dignitatis, & facultatis singulorum, sed attendere solum personam, vel ejus conditionem aliquam ad rem non pertinentem, seu propter quam hoc, quod ei datur, non sit ei debitum. Dixi autem *esse mortale ex genere suo*, potest enim subinde excusari a mortali ex aliqua parvitate materiæ; ut si res ipsa distribuenda, vel indigno collata, in se levis, vel parvi momenti sit, v. g. simplex, & tenue beneficium, si electus ad aliquod officium, vel beneficium valde leviter, & parum indignus sit, defectu aliquo non multum nocivo: si merita unius, & alterius parum se invicem superent &c. Nunc certiora statuamus.

114 In primis sine dubio mortale gravissimum est, si conferantur officia, vel beneficia vere, & notabiliter indignis, posthabitis dignis. Ratio communis omnium est, quia hoc est verissima acceptio personarum in re gravissimi momenti, inde enim gravissima damna inferuntur Ecclesiis, Communitatibus, & iis, circa quos munia exercenda sunt: Unde taliter conferens contrahit gravissimam obligationem restituendi damna Ecclesiis, Communitatibus, ac subditis ex provisione talis indigni consecuta: non tamen ipsis personis dignis, vel dignioribus prætermissis, quippe qui nullum adhuc actuale jus ad illa beneficia habuerunt, ut jam supra notatum est.

Deinde certum est apud omnes, quando officia, vel beneficia Ecclesiastica, curata maxime, conferuntur per concursum, collatorem sub mortali obligari, ut conferat digniori ex concurrentibus, posthabitis minus dignis, alioquin peccare mortaliter contra justitiam, cum obligatione compensandi damnum digniori. Ratio clara est, quia posito, quod hi concurrant, seu conveniant ad examen, pactum cum illis initum fuit, quod dignior repertus, palmam sit reportaturus: ergo magna fieret injuria vincenti, si promisso bravio non potiatur. Adde, in beneficiis curatis sancte ejusmodi concursum institutum fuisse, ut & Ecclesiis, quoad fieri potest, de dignissimis provideatur; quam institutionem tam serio a Conc. Trid. *sess. 12. c. 14. de Reform.* requisitam prævaricari, grave quid esse, non est dubitandum. 115

Denique certum etiam est apud omnes in libera electione, vel collatione, beneficia conferre vere quidem dignis, sed prætermissis notabiliter dignioribus, peccatum esse, ad minimum veniale. Semper est enim aliqua inordinatio contra justitiam distributivam, cum aliquali detrimento, vel saltem diminutione boni communis Ecclesiæ, vel Communitatis. Sed numquid mortale? Assertio nostra consulto ita habet. 116

§. IV. *Non ita grave, & forte veniale tantum.*

NOn ita grave esse (sicut si conferrentur indignis) omnes consentiunt: attamen adhuc peccatum mortale esse, officio, & maxime beneficia curata majora, ut Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Decanatus, Parochias insignes &c. conferre dignis, prætermissis dignioribus, docet sane communissima, & sine dubio probabilissima Sententia DD. cum Div. Th. 2.2. *q.63. art.2. S. Antoninus, Cajet. Sylv. Armil. Angelus, Gabriel, Nav.* alii innumeri: quos citant, & sequuntur Sanch. *l.2. Consil. c.1. dub.2.* Less. *lib.2. c.34. dub.14.* Fill. *tr. 41. in appendice c.4.* Lugo *disp. 35. de just. sect. 2.* & sumitur ex Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reform.* ubi loquens potissimum de collatoribus ejusmodi beneficiorum majorum decernere intendit; *eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiis magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Ratio est: tum quod beneficia sint bona communia, ideoque distribuenda juxta proportionem dignitatis, & meritorum: tum quia videtur gravis deordinatio, beneficia, saltem majora, non conferre dignioribus. 117

Nihilominus probabilis quoque visa est quibusdam opposita sententia negativa, non esse mortale, dummodo vere *dignis* conferantur beneficia illa etiam majora. Sic Doctores non pauci apud *Lug. cit.* qui ipse, quoad beneficia minora admittit, & probabilem censet *Fill. cit.* sequiturque Tamb. *l. 8. Decal. tr.3. c.4. §.4.* & favet ipsum Concilium Trid. *sess.7. cap.3. de reform.* dicens: *Inferiora beneficia Ecclesiastica præsertim curam animarum habentia personis dignis, & habilibus conferantur.* Et ipsa allegata Sect. 24. c. 1. loquens de beneficiis majoribus ait: *Omnes &c. qui ad promotionem præficiendorum jus &c. habent, monet* (S. Synodus) *ut* in primis meminerint, bonos pastores, & Ecclesiæ *gubernandæ idoneos promoveri &c.* Ecce; *bonos* dicit, non meliores, vel optimos; *idoneos*, non magis, vel maxime idoneos. Quod vero mox addat verba supra allegata de *dignioribus*, & magis *utilibus* eligendis: commode explicari potest, Concilium phrasi latina non inusitata sumere ly *digniores*, non comparative ad positivum, ut excludat dignos alios, sed positive, ut excludat solum indignos, inutiles, inidoneos: sic Tamb. *n.* 8. 118

Verum hanc sententiam, & explicationem nimis universalem probat novissime Innoc. XI. propos. damn. 47. *Cum dixit, Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium, vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit* digniores, *ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Ratio eorum erat, quod Ecclesiarum regimini adhuc sufficienter sit provisum, si præficiantur vere digni, ideoque digniores prætermitti, non censeatur gravis inordinatio, nec graviter Ecclesiæ nociva: siquidem ad humanam, & moralem diligentiam adhibendam homines obligantur, quam certe vere dignus præstare potest: non ad summam, seu omni ex parte perfectam, quia id esset onus humanis viribus intolerabile. Et quæso te: fac, Episcopum, Prælatum, Parochum electum, esse dignissimum, sed in officio se gerere tamquam dignum, non tamen tamquam dignissimum, vel diligentissimum: ea nimirum pro utilitate suæ Diœcesis, vel Ecclesiæ operando, quæ sufficiunt ad ejus diligentem gubernationem, non autem diligentissimam, certe hunc non condemnabis de peccato mortali, quia non obligatur nisi humano modo moralem diligentiam adhibere: si igitur ego do, vel eligo Ecclesiæ Pastorem dignum, qui similia possit operari, cur ego condemnandus ero peccati mor- 119

mortalis? ipse certe, si deficiat, condemnabitur, cum possit non deficere: non ego, ait *Tamb. cit.* addens: sic homines satis, immo magis excitandos ad scientiæ, & virtutis studia, si sciant etiam digno cuique conferri posse beneficia, ac Prælaturas, quam si scirent sub mortali conferri debere solis dignioribus: tunc enim multi desperantes, posse assurgere super alios, a sui cultura, vel studiis desisterent. Hæc quidem DD. cit. sed tu jam audivisti sententiam damn. ab Innoc. XI. cui te accommoda: sicut & ego me lubens submitto. Volunt quidem aliqui, hanc damnationem stare solum de promotis ad officia suprema, qualia sunt Papatus, Episcopatus &c. de quorum tantum promotionibus ibi Trid. *sess. 24. c. 1.* agit, non vero de beneficiis inferioribus etiam curam animarum habentibus, quæ juxta idem Trid. *cit. sess. 7. c. 3.* etiam dignis conferri possunt; notant idem Concilium, dum ibi ait. *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus conferantur &c.* solum velle, quod talis collatio sit valida, & non irritanda in foro externo, non vero quod sit sine peccato, & ita intelligi debere DD. dicentes, sufficere, si ad beneficia inferiora promoveatur *idoneus*. Ita Less. *de just. l. 2. c. 34. dub. 14. n. 69.* Petr. Tolesan. *in parti. Jur. Can. lib. 1. tit. 29. c. 1. n. 1.* & alii. Adeoque vides, utrobique esse peccatum, conferre digno, relicto digniore. Sed de hoc fusius lege Jo: de Carden. *in sua Crisi ad dictam Prop. damn. Diss. 20.*

Acceptio Munerum.

120 Acceptioni personarum affinis valde, & sæpissime implicita est acceptio munerum: vel maxime enim fit acceptio personarum ob oblationem, vel acceptionem munerum, & specialiter pro electionibus, præsentationibus, collationibus, resignationibus beneficiorum Ecclesiasticorum dare, & accipere munera ex pacto per modum pretii, venditionis, & emptionis, ipsissima est simonia in jure damnatissima, de qua in materia de virtute Religionis & nos ad finem primi Præcepti, *tr. 2. c. 10. §. 4.* Generatim autem loquendo sermo non est de acceptione munerum, plane gratuite oblatorum: hæc enim est donatio; nec de acceptione munerum, propter opus licitum, vel honestum aliunde non debitum; hæc enim est contractus saltem innominatus: *do, ut facias; facio, ut des:* sed de acceptione munerum, sive gratuito, sive ex pacto ob opus alias debitum maxime ex justitia, vel ob opus turpe, seu illicitum, v. g. ut Judex ferat iniquam sententiam; ut sicarius occidat inimicum; fœmina corporis copiam faciat &c. Sit ergo

ASSERTIO VIII.

121 *Munera gratuito oblata propter opus quodcumque debitum, etiam ex justitia, vel in judicio, acceptare per se illicitum non est, secluso juramento, scandalo, periculo subvertendi judicium, ac prohibitione contraria: at vero acceptare ex pacto expresso, vel implicito ob opus alias debitum ex justitia, mortale est ex genere suo, & restitutioni obnoxium, nisi justa causa excuset: secus est de acceptis ob opus debitum ex alia virtute: Item de acceptis ob turpem causam, post impletum opus turpe, vel illicitum contra quamcumque virtutem, etiam justitiam, salvo jure restitutionis respectu tertii injuste læsi.* Assertio magni momenti indiget accurata explicatione.

§. I. *Munera gratis oblata acceptare per se illicitum non est.*

122 Etiam ob opus debitum ex justitia in judiciis &c. quando nimirum partes offerunt munera ad conciliandum Judicis, vel officialis animum, ut quoad licet, in sui favorem procedat, ipsi & valide recipiunt, acceptique dominium acquirunt, etiamsi citra suum dolum, nihil in favorem dantis efficiant; & licite recipiunt per se loquendo retento semper proposito justitiæ servandæ: nec consequenter ullam restitutionis obligationem contrahunt, *Omnes*. Ratio patet ex terminis, quia sic nullum adest caput ullius culpæ, vel pœnæ. Dixi autem notantissime: *per se loquendo:* per accidens enim tales acceptantes, nimis sæpe & gravissime peccant: unde in Assertione addita, tam ampla, & quatrimembris limitatio.

123 I. *Secluso Juramento*. Ubi enim Officiales justitiæ, vel curiæ emittunt juramentum de non acceptandis muneribus, durante lite, ut fit in celeberrima Curia Cameræ Spirensis & alibi laudabilissime, id omnino observandum erit. Quamvis etiam tunc juramenti prævaricatores ante sententiam judicis non teneantur ad restitutionem munerum acceptorum; cum non peccaverint contra justitiam commutativam, liberaliter oblata acceptantes, sed tantum contra virtutem Religionis juramenti, & obedientiam præcepti, vel ad summum contra justitiam legalem.

124 II. *Secluso scandalo*: hoc enim sæpissime hic intervenit, præsertim respectu pauperum. Ubi sane gravissime contra Charitatem, & dupliciter peccant munerum acceptatores, cum videant pauperes, & viduas ejusmodi, etsi gratuitis tamen non omnino voluntariis muneribus largiendis, valde gravari. Unde ejusmodi acceptio munerum toties damnatur in veteri, & Novo Lege, maxime ob causam mox sequentem.

125 III. *Secluso periculo subvertendi judicium, & justitiam*: nam Exodi 23. dicitur: *Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Unde si Judex, vel Officiales accipiant munera oblata, ut in injustitiam inclinetur, vel ut proximum sit periculum pervertendi justitiam, sine dubio peccant mortaliter accipiendo, quia qui amat periculum tam proximum, & potenter nimis alliciens, utique peribit in illo. Insuper ante causam expeditam tenebitur illa munera restituere. Ratio est: quia tunc Judex obligatur ad removendum illud periculum subversionis: atqui nunc ipsa munera retenta adferunt illud subversionis periculum: ergo tenetur illa removere: & qua alia ratione, nisi restituendo? Nec excusandus est Judex ab hac restitutione ex eo capite, quod inurbanus videretur, si munus remitteret offerenti: nam præterquam, quod sola inurbanitas non possit eum excusare a cavendo periculo proximo graviter delinquendi, cui se exponit retinendo munera; etiam revera ex illa remissione, vel restitutione munerum non inurbanitatis notam, sed honorem potius, ac laudem ob affectum justitiæ apud omnes bonos, & prudentes conciliabit. Dixi tamen *ante causam expeditam*. Nam si pars litigans vere dedit liberaliter illa munera, transtulit dominium in Judicem, & finita causa, non est amplius locus illius periculi: ergo nulla causa restitutionis: salvo tamen semper jure restitutionis respectu alterius partis injuste læsæ. Communis; *Molin. Vasq.* aliique citatis Lugo *to. 2. de just. d. 37. sect. 11. num. 134.* Tamb. *lib. 9. cap. 2. §. 1. n. 9.*

IV. *Seclusa prohibitione contraria legis positivæ*. Nam ejusmodi acceptiones munerum severe prohibent leges positivæ, tam civiles, quam Ecclesiasticæ. Attamen DD. cit. probabile censent, illas leges non obligare sub mortali, neque restitutionem deberi ante sententiam Judicis: cum in illis legibus clara verba non inveniantur significantia obligationem sub mortali, vel clare impedientia translationem dominii acceptorum: ideoque restitutio in illis legibus videtur imposita in pœnam; & consequenter non urgere in conscientia sub mortali ante sententiam Judicis, sed bene post, quia justæ sententiæ semper standum esse, apud omnes in confesso est. Excipitur autem ab omnibus; *Nisi ista munera accepta sint ab Ecclesiasticis Visitatoribus ratione visitationis:* hi enim sine dubio peccant mortaliter, & ad restitutionem acceptorum obligantur, ex speciali, & gravissima prohibitione Sacrorum Canonum, & Conc. Trident. *sess. 24. cap. 3. de Reform.* Exceptis necessariis pro uno, vel altero victu moderato. Lege dictum caput Concilii. 126

§. II. *Ex pacto acceptare munera ob opus ex justitia debitum mortale est, & restitutioni obnoxium.*

Quando nimirum quis pacto implicito, vel explicito, munera, seu quodvis notabile, & pretio æstimabile exigit, ut faciat, vel omittat id, quod alioquin ex justitia gratis præstare tenetur, ver. gr. Judex, ut justam sententiam ferat: uxor, ut viro debitum conjugale reddat; ne adulterium committat: latro, ne hominem accidat: ut quis depositum restituat, rem inventam suo domino reddat, vel quodvis debitum solvat &c. hi enim, & similes peccant contra Justitiam; insuper pactum nullum est: nullum rei datæ dominium acquirunt, sed in totum restituere tenentur. Communissima DD. Nav. *c. 17. n. 39.* Less. *lib. 2. c. 34.* Lugo *disp. 18. n. 63.* Ratio clara est, quia nullus potest vendere alteri rem alterius, sed qui ex pacto munus, vel pretium accipit pro eo, quod ipse ex Justitia debet facere, vel omittere, vendit id, quod non est suum sed alterius: res enim, quæ ex justitia debetur, Petro v. g. perinde est, ac si esset ipsius, v. g. si Judex accipiat munera tamquam pretium ex pacto, ut justam sententiam ferat pro Petro, vendit revera rem non suam, sed ipsius Petri, quippe quæ ex justitia ipsi debita est, quasi res ipsius; ergo peccat contra justitiam, & vere alienum rapit, nec retinere potest. Hic verissime est universitas iniquitatis apud Magistratus, Judices, Advocatos, Tabelliones, similesque Officiales Cameræ, vel Justitiæ, qui cum ex officio constituti, vel sufficienti, immo plerumque excessivo stipendio conducti ex justitia tenerentur præstare obsequium, vel officium; etsi expresse in pactum non deducant, hoc ipso tamen pactum implicitum ineunt, cum ita se gerunt erga partes, vel alios, ut ii facile intelligant, eos officium suum non satis præstituros, nisi continuis muneribus axim inungant; sicque vero pacto implicito ejusmodi munera tamquam debita, & pretia pro eo, quod alias ex officio, & justitia tenerentur præstare, exigunt, & recipiunt, vel potius extorquent, cum grandi injuria, & damno clientum: quippe qui, vel maxime in hoc sunt involuntarii, & quasi coacti dant. 127

Addidi in Assertione: *nisi justa causa excuset*. Juste enim possunt subesse causæ, ob quas prædicti Officiales, Judex, Advocatus, Tabellio, Medicus, &c. ex officio, & justitia obligati aliquid præstare, jure exigere possint aliquid a partibus, vel clientibus. In primis si a Republica conducti sunt ad ea munera, sed absque sufficienti stipendio, tenebuntur quidem ex justitia præstare operam petentibus, juste tamen mercedem exigere possunt proportionatam usque ad sufficiens stipendium, secundum circumstantias personarum, locorum &c. prudenter judicandum. Deinde licet justum stipendium habeant, tamen cessante scandalo, & prohibitione legis, exigere, & recipere possunt aliquid tamquam pretium laboris, & diligentiæ extraordinariæ, ad quam adhibendam alioquin obli- 128

obligati non fuissent; ut si Judex, vel Advocatus augendo laborem, alicujus causam, sine aliorum præjudicio, vel damno, velocius expediat: qua tamen licentia caute utendum, monet *Molina* apud *Laym. cit.* plerumque enim intervenit damnum aliorum, ut si Officialis propter oblatum sibi munus, unius causam citius expediat, posthabitis aliis, qui diutius expectarunt, & ante alios expediri deberent de jure; nam qui prior tempore, est potior jure. At posito plures adesse, qui æquali jure gaudeant, ut in Judicis arbitrio positum sit, quem cui præponat, si ex pacto oblati muneris, unius causam ante alios expediat; etsi res periculo non careat, damnari tamen non potest, quia cum omnes simul expedire nequeat; necessario unum præponendo aliis, nulli injuriam facit, & nova suscepta obligatio in gratiam unius munus offerentis ante alios expediendi causam illius, pretio æstimabilis est, ut post alios resolvit Laym. *cit. cap.* 4. *num.* 9.

129 Eadem porro ratione, qua de Judice, & Officialibus Justitiæ, etiam discurrendum est in aliis supra positis casibus & exemplis, ac similibus: & insuper notanda est limitatio Cardinalis de Lugo *cit. disp.* 18. *n.* 64. Si nimirum Judici, ut justam sententiam ferat: latroni, ne occidat: uxori, ne adulteret &c. ex pacto des munera in gratiam tui ipsius, vel etiam alterius proximi, tunc omnino accipiens non potest retinere, quia accipit pro re, quam gratis ex justitia præstare debet; adeoque vendit, quod suum non est, sed alterius. Quod si vero alicui tali des in gratiam ipsiusmet principaliter v. g. ne is peccet, vel periculo infamiæ, aut pœnæ se exponat, non curando de suo proprio jure, damno, vel injuria &c. tunc alter acceptans retinere poterit, quia alter nulli tenetur ex justitia, neque sibi ipsi, se ipsum servare indemnem a proprio damno spirituali, vel corporali. Sed de hoc satis.

§. III. *Secus est de acceptis ob opus debitum ex alia virtute.*

130 Cum quis scilicet accipit aliquid, ut quidpiam faciat, vel omittat, ad quod non ex justitia, sed ex præceptis aliarum virtutum, utpote Religionis, Charitatis, Temperantiæ &c. obligatur, v. g. ut die festo Missam audiat, die præcepto jejunet, tempore obligationis confiteatur, vel communicet; pauperi in extrema necessitate succurrat &c. item ut opus malum omittat, ne blasphemet, fornicetur, se inebriet, immodice ludat &c. hæc licite recipi, & retineri posse, negant sane permulti apud infra citandos; eo quod sic crimen simoniæ committatur; nimirum opus bonum, Deo gratum, & debitum, præsertim ex virtute Religionis pretio temporali vendatur, & ematur. Alii varie & operose distinguunt, ut videre est apud *Tanner. & Lugo* mox citandos. Sed secus esse, breviter ostendamus.

131 I. Accepta propter opus debitum ex quacumque alia virtute, præter justitiam, licite accipiuntur, & retinentur: (adhibita tamen exceptione infra adferenda.) Ita cum aliis Lugo *disp.* 18. *sect.* 3. *a n.* 66. Tamb. *l.* 7. *Decal. cap.* 5. §. 3. *n.* 21. Ratio est: quia quamvis ille obligetur ex aliis virtutibus illa bona opera facere, vel illa mala non committere, non tamen ex justitia sunt ea mihi debita: ergo si ea in gratiam mei sub nova hac obligatione agat, vel omittat, licite, & juste pretium, & quasi præmium recipiet, & retinebit. Unde hic non committitur crimen simoniæ, saltem regulariter: non enim, seu dantis, seu accipientis intentio est, opus bonum Deo gratum emere, & vendere pretio temporali, sed potius illam novam obligationem tale opus faciendi, vel omittendi. Immo regulariter, quæ sic dantur ad homines alliciendos ad bonum, vel avertendos a malo, gratis donari censentur ob causam piam, vel sub conditione, si ita fecerint, vel omiserint; non autem in pretium operis pii: quis enim condemnet patremfamilias, vel heros, si filios, vel famulos muneribus alliciant ad diligenter audiendum Sacrum, ad confitendum tempore debito, pueros, vel puellas ad Religionis ingressum &c.? Qua ratione etiam a simoniæ labe excusantur, qui ad redimendam vexationem iniquam dant pecuniam Sacerdoti malitiose alias nolenti baptizare infantem, vel providere moribundum: aut militi hæretico, ut Sacramentum Eucharistiæ non conculcet &c. non enim mens dantium est Sacramentum pretio emere, sed impiam vexationem redimere, vel impedire: de quo in materia de scandalo, *supra cap.* 1.

132 II. Nihil tali modo acceptum restituendum est ex justitia. De hoc non videtur posse dubitari: ut cum aliis docet *Lugo cit.* Ratio est eadem, quia nimirum tunc non peccatur contra justitiam; cum nec dando, nec accipiendo alicui fiat injuria, saltem in exemplis allatis, consequenter non est obligatio restituendi ratione injustæ acceptionis: sed neque ratione rei acceptæ, quia translatum est dominium rei a potente transferre in accipientem, ut supponitur. Sed neque est obligatio restituendi taliter accepta ex virtute Religionis, quasi simoniace accepta sint, ut jam visum. Erit autem obligatio restituendi ejusmodi accepta, quando acceptio pretii facit, quod opus ex aliqua virtute, v. g. Religionis, vel Charitatis debitum, non ponatur totum, secundum substantiam, vel qualitates debitas: alias nunquam. Quam exceptionem, & regulam sapienter tradit *Lugo cit. n.* 70. Exemplis cape. Ex voto, aliove capite ex virtute Religionis, Ecclesiæ teneris dare calicem quadraginta aureorum, atque ut tandem solvas, ab alio accipis decem aureos. Sic accipiendo non solvis totum votum tuum, nec das integrum promissum DEO, & debitum Ecclesiæ, quia quartam partem calicis valde notabilem non das gratis, sed solutam ab alio: adeoque ex eadem virtute Religionis teneris restituere illos decem aureos, ut promissum DEO integre reddas. E contra ex eadem virtute Religionis teneris audire Missam, jejunare, communicare &c. ex virtute Temperantiæ non inebriari, non fornicari &c. si ut ista præstes, pretium accipias, valide, & licite accipis & quia pretium acceptum non impedit, quominus opus promissum totum ponas, integram Missam audias, debite jejunes &c. ideo nulli restitutioni obnoxius manes. Et ita in similibus.

§. IV. *Idem de acceptis ob turpem causam.*

Accepta ob turpem causam dicuntur, quæ dantur, & accipiuntur ab alio ob peccatum aliquod patrandum vel jam patratum, ut si meretrix, vel levis fœmina accipiat pretium ob copiam corporis: Judex, ut injustam sententiam ferat: sicarius, ut hominem occidat: & similia infinita. De his dicamus breviter, & distincte. 133

I. Accepta propter ejusmodi opus turpe patrandum, ante impletionem operis non possunt licite, & juste retineri, sed rescisso contractu, ex consequenti necessario restituenda sunt: *Secundum omnes*. Ratio manifesta est, quia invalidum est omne pactum de re inhonesta, vel turpi patranda: cum implicet pacti obligatio ad faciendum aliquod illicitum, vel peccatum: quando ergo fœmina, exempli gratia, accipit ducatum ob fornicationem futuram, judex munus ob sententiam injustam ferendam, sicarius centum aureos ob inimicum tuum occidendum &c. talis tenetur rescindere hunc contractum, & non stare promissis, nimirum non peccare: atqui rescisso pacto, jam non habet titulum retinendi illud acceptum. Res clara, aut enim meretrix, v. g. habet animum dandi usum corporis, & sic peccat contra castitatem pacto irrito: aut non habet animum dandi usum corporis, & sic peccat contra justitiam accipiendo, & retinendo pretium, cum tamen nolit, nec possit præstare id, propter quod pretium datum est; ergo utroque casu restituere tenetur pretium acceptum, & ita in cæteris. Secus dicendum, si alter donasset liberaliter, etsi ex intentione alliciendi fœminam ad usum turpem, ut infra in fine notabo. Et hinc in Assertione notanter dixi. 134

II. Post impletum jam opus turpe, is qui præstitit, quamvis peccaminosum, pretium tamen pactum, seu antea jam datum, seu postea primo dandum, jam licite recipit, & retinet: quin etiam non datum, jure naturali, & in foro saltem conscientiæ juste exigere potest: idque generaliter in quovis genere peccati, seu opere turpi, contra quamcumque virtutem, etiam justitiam (de quo tamen specialiter *num. seq.*) Ita communiter mox citandi. Ratio communis est, quia pretium illud non datur, & accipitur pro ipso peccato formaliter, peccatum enim cum nihil sit neque licite possibile, non est vendibile, sed datur, & accipitur pro actu ipso materiali, quatenus danti utilis, vel delectabilis, accipienti autem aliquo modo laboriosus, vel periculosus est; adeoque ex utroque capite omnino pretio æstimabilis, ac vendibilis est: ideoque licet actus per peccatum positus sit, quia tamen pretio æstimabilis est ratione utilitatis, vel delectationis, aut etiam ratione laboris, vel periculi alterius, solutio, & receptio pretii minime erit contra justitiam, & consequenter licite recipi, & retineri, immo etiam juste exigi poterit. Non sunt quidem separabilia materiale, & formale peccati in perpetrando, sunt tamen separabilia in exigendo, & solvendo pretio pro jam patrato, ut nimirum non exigatur, & solvatur pretium pro peccato formaliter, seu ipsa malitia (quod esset contractus plane diabolicus, non humanus) sed pro materiali tantum, seu actione illa tibi delectabili, vel utili, alteri autem aliquo modo laboriosa, vel periculosa. 135

Sic ergo 1. meretrix, postquam non sine peccato sui corporis copiam fecit, non tantum pretium, vel quodvis ob eam causam datum, vel promissum licite recipit, & retinet, sed etiam omni jure, etiam civili in foro externo exigere potest: juxta *L. quartam ff. de conditione ob turpem causam*. Ita communissima DD. cum S.Th. 2.2. *q.*62. *art.*5. & plurimis congestis Less. *l.*2. *c.*14. *dub.*8. Mol. *t.*1. *tr.*2. *disp.*34. Laym. *c.*4. *n.*8. Diana *p.*2. *tr.*2. *Miscel. res.*40. Lugo *disp.* 18. *sect.*3. Ratio jam dicta est, quia ibi non solvitur peccatum, sed delectatio, seu utilitas quædam conducta ab alio, quæ est naturale quid, & pretio æstimabile: nec alteri gratis debitum. 2. Eadem est ratio de quacumque fœmina etiam honesta, virgine, vidua, nupta, ut contra *Abbatem, Angelum*, & quosdam alios, habet jam communis DD. apud cit. Et ratio eadem est, quia nimirum etiam honesta fœmina non vendit tunc peccatum, sed commoditatem illam & obsequium corporis, immo & honorem suum, periculum infamiæ, & subinde etiam vitæ, quæ sane sunt pretio æstimabilia. 3. Hoc tamen discrimen est inter meretricem & honestam fœminam, quod meretrix, præsertim publica pro mercede exposita, etiam in foro externo possit petere suum pretium juxta Legem citatam; at fœminæ honestæ in foro conscientiæ tantum, licite petunt, recipiunt, & retinent pretium, in foro autem externo puniuntur, & in pœnam delicti etiam pretio privantur per sententiam Judicis. 4. Eademque est ratio in aliis peccatis contra alias virtutes (sal- 136

(saltem præter justitiam) ut si accipias pretium, ut te cum alio inebries, ut blasphemes &c. etsi enim pecces contra alias virtutes, Temperantiam, Religionem &c. nullo tamen respectu peccas contra justitiam, ideoque vendendo operam tuam alteri utilem, vel delectabilem, juste recipis, & retines pretium, secluso omni onere restitutionis.

137 III. Idem omnino dicendum, etiamsi opus turpe patratum sit contra Justitiæ virtutem: manente tamen obligatione restitutionis respectu tertii injuste læsi. Ita contra alios non paucos communis DD. meique cit. omnes. Ratio est: quia pretium adhuc accipitur pro re emptori grata, & pretio æstimabili, & ad quam venditor non tenebatur, & licet is peccarit contra justitiam respectu alicujus tertii, eique ad compensationem damni obligetur, non peccat tamen contra justitiam respectu dantis, quippe qui libere vult & valide potest dare, ut supponimus: ideoque etsi injuste accipiat respectu illius tertii, quem læsit in gratiam dantis, non tamen injuste accipit respectu dantis, quin etiam juste ob eo exigere potest.

138 Exemplis res manifesta fiet. I. Uxor, commisso adulterio, utique peccavit contra justitiam respectu mariti, eique, vel prolibus legitimis, resarcire tenetur damnum inde secutum, si proles spuria familiæ intrusa fuit; at non peccat, sed licite recipit, retinet, immo & exigit pretium pactum ab adultero: nec obstat, quod maritus sit dominus corporis uxoris, ideoque pretium acceptum ipsi acquiri, & restitui debere ab uxore adultera (minus recte, & scrupulose nimis docent *Mol. Reginal. Bannes*, & alii apud *Dianam* mox citandum) vir enim non est dominus corporis uxoris absolute in quemcumque usum, sed solum ad usum conjugalem debitum, & licitum, uti rectius docent *Bonac.* aliisque cit. Diana *p.2.tr.17.resol.7.*Tamb. *l.7.Decal.c.5.§.3.n.22.* 2. Custos nemoris, vel gabellæ, accepto pretio sinit arbores scindi, vel gabellam defraudari: peccat utique contra Justitiam respectu domini sylvæ, vel gabellæ, & obligatur ei totum damnum resarcire: attamen pretium ob favorem illum exhibitum licite, & juste recipit, nec iis, a quibus accepit, restituere tenetur. 3. Promisisti sicario centum aureos, ut inimicum tuum occidat: ante impletum opus, scis jam, nullam esse obligationem, at postquam ille facinus non sine labore, & periculo suo in tui gratiam patravit, licite a te pretium pactum exigit, recipit, retinet; eo quod ille labor, & periculum in tui gratiam susceptum pretio æstimabile sit, quamvis peccaverit contra justitiam, homicidium patrando, & obligatus manet, in tui defectum, ad compensanda damna hæredibus occisi inde secuta. 4. Eadem ratione, si pactus es cum Judice, ut non sine periculo suo in tui gratiam suscepto, injustam sententiam ferat, quamvis gravissime peccet contra Justitiam respectu partis injustæ sententiatæ, cui tenetur omne damnum compensare, attamen non peccat contra justitiam respectu tui, sed juste, ac licite recipit, retinet, vel exigit a te pretium promissum pro opere quamvis injusto in tui gratiam facto. Idemque est de conducto similiter falso teste, Advocato, & similibus sexcentis. Loquimur autem semper in Jure naturali, & foro conscientiæ; semper excipiendo, nisi leges prohibentes reddant inhabiles tales ad dandum, vel accipiendum, ac ipsum tale pactum, vel promissionem irritaverint: ut certe fecerunt in pactis, & promissionibus simoniacis in beneficiis, Sacris ordinibus, & Religionis professione, ac secundum multos, in ministris Justitiæ, quoad ea, quæ ultra stipendium accipiunt, sed de his mitius jam dixi §. 1. *in fine*. Insuper

139 IV. Qui pactus est, vel promisit alteri pretium pro quocumque opere turpi, v. g. meretrici, vel cuivis fœminæ etiam conjugatæ ob usum corporis, etiam contra Justitiam, ut Judici, sicario &c. in exemplis allatis, non solum licite solvit, sed etiam obligationem naturalem contrahit, ac jure naturali tenetur solvere post opus turpe, vel injustum jam patratum, nisi leges reddant inhabiles tales ad dandum, vel accipiendum in certis casibus jamjam notatis. Ita communior DD. quos congerunt, sequuntur Mol. *t.1. disp.94.* Sanch. *l.3.moral. c.9. n.27.* Less. *Laym. Lugo*, *Dian. Tamb. l. c.* Ratio patet ex dictis correlative: si enim alter opere turpi impleto potest juste a te exigere, ut probatum, certe tu quoque teneberis solvere pretium promissum: si enim tu promisisti, & ille ex sua parte rem vendibilem, utpote tibi commodam, vel delectabilem posuit, non est, unde tu ab obligatione solvendi promissum liber evadas. Confirmat efficaciter *cit. n.59.* negari posset pretium pactum pro re turpi, negare licite posset juvenis matrimonium promissum puellæ defloratæ, cui persuadendæ illud vere promiserat, & tamen omnes Doctores clamant, negare non posse, ac etiam in foro externo compelli debere: ergo.

140 Contrarium tamen, neminem scilicet obligari ad solvendum alteri, quod pro re turpi patrata illi promissum est, secluso juramento saltem in his, quæ per leges puniuntur, ut fornicatio fœminæ honestæ, adulterium, homicidium, sententia injusta &c. docent non ignobiles Doctores, & nominatim *Nav. c.* 17. *man. n.* 41. Ratio ipsius est, quia putat, tunc dationem, & acceptionem pro re turpi patrata, esse novum peccatum, & approbationem peccati commissi; qui enim dat, vel accipit pretium propter peccatum commissum, videtur de novo approbare, atque in eo complacere, quod utique mortale est. Sed infirmum fundamentum facile negatur: potest enim stante perfecta pœnitentia, & detestatione peccati commissi, tamen dans velle servare promissum, & accipiens velle lucrum suo facto promeritum, ut optime observat Lugo *n.* 55. Ratio aliorum est: quia promissio illa de re turpi patranda fuit nulla, nec ullo modo obligans, utpote quia peccaminosa: ergo nec ex obligatione servanda. Sed facile respondeo distinguendo *ant.* promissio illa fuit nulla, nec ullo modo obligans respectu ipsius operis turpis patrandi: concedo *ant.* juxta dicta numero primo. Fuit nulla, nec obligans respectu pretii promissi ad solvendum, supposito, quod opus turpe pretio æstimabile, jam impletum sit; N. *ant. & conf.* Quamvis enim pactum a principio fuerit invalidum, nec ullam induxerit obligationem ad opus turpe implendum, attamen opere inhonesto, & pretio æstimabili jam impleto, pactum respectu pretii solvendi convalescit ob rationem supra datam. *Denique* huic sententiæ plane favet, & adhærere videtur S. August. *Epist. 24. ad Macedonium.* Sed forte locutus solum secundum leges positivas, quibus ejusmodi pacta infanda sceleratorum hominum, Judicum præsertim iniquorum, severe prohibentur, & graviter puniuntur; & rei promissæ, vel acceptæ restitutio fisco, Ecclesiæ, vel pauperibus adjudicatur: quæ tamen (exceptis simoniacis supra indicatis) in foro externo tantum locum habet, & non in foro conscientiæ, ante sententiam Judicis, ut contra quosdam Juristas ex communi probant *Lessius*, *Layman*, *Lugo cit.* Sermo fuit toto §. de acceptis ob turpem causam ex pacto, vel promissione prævia. De acceptione autem donatorum liberaliter ob ejusmodi turpem causam, patet ex generaliter dictis §. 1.

Sed restat delicatus scrupulus. Quid si virgo, vel fœmina 141
honesta, v. g. accipiat ejusmodi munera liberaliter oblata ab amasio, quando ei moraliter certo constat de ejus libidinosa intentione; ipsa tamen minime consentiens ejus maligno intento: poterit ne licite accipere, ac juste retinere? Respondeo. 1. Regulariter loquendo peccare mortaliter puellam ejusmodi munera acceptantem: quia sic fovet impurum ejus amorem, ac desiderium, & spem copulæ aliquando obtinendæ, verissimo scandali peccato: & quamvis dicat expresse puella, se quidem accipere, sed nolle tamen consentire in aliquid turpe, nihilominus adhuc alter semper putabit, admisso munere a puella, eam facilius tandem expugnari posse, eaque spe pugnare pergit. Quod si tamen in raro casu hoc non esset: sicut etiam, si puellæ non certo constet de libidinosa affectione donantis, tunc utique licite accipiet. Respondeo. 2. Eo casu munera sic liberaliter donata ab amasio, & quamvis illicite accepta ob ejus notam libidinosam intentionem, puella non tenebitur restituere, sed licite retinere poterit: sic *Molina*, *Rebellus*, aliisque cit. *Diana* supra Lugo *cit. n.49.* Ratio est: quia accipiendo non peccavit contra justitiam; jam enim liberaliter dedit impurus amator, sciens puellam non acceptare cum pacto copulæ, ut supponimus, quamvis eam speraverit. Quare si sua spe frustratus amasius munus prodegit, sibi imputet, suæque credulitati: sicut quando quis gratis servit, vel munera largitur Principi, aut Episcopo, aut Prælato &c. intentione, ac spe acquirendi officium, vel beneficium, postea spe sua frustratus, certe Principem, vel Episcopum nullo jure ad restitutionem coget; sed suam inanem spem miser deplorabit. Lege *Lugo l. c.* ubi a restitutione liberavit Heroinam nobilissimam, quæ monile ingentis pretii a grandi amasio accepit, non dubie advertens ejus pravam intentionem.

SECTIO VI.

Defraudatio tributorum, vectigalium, gabellarum, cum appendicula de criminibus falsi.

SUMMARIUM.

142 *Tributum, vectigal, gabellæ &c. quid.*
143 *Ut tributa vectigalia &c. justa sint, quatuor requiruntur conditiones.*
144 I. Auctoritas legitima.
145 II. Justa causa.
146 III. Modus debitus, &
147 IV. Persona subdita.
148 *His conditionibus concurrentibus, licita est tributorum exactio.*
149 *Ad quæ solvenda, esto multi velint, non esse obligationem in conscientia,*
150 *Vera tamen, & communior est sententia opposita, scilicet, esse obligationem in conscientia ea solvendi, si justa sint.*
151 *Quid de ementibus ab iis, quos sciunt defraudare vectigal, & tamen ii non vilius vendunt.*
152 *Non est obligatio in conscientia solvendi tributa, vectigalia &c. non tantum, quando constat esse injusta.*
154 *Sed probabilissime etiam, quando de eorum justitia dubitatur.*
155 *Ubi tamen Officiales adhuc juste exigunt.*
156 *Quid in his consulendum a Confessariis.*

TRibutum late sumptum dicitur omne id, quod Principi, 142
vel Episcopo, vel Reipublicæ tribuitur, vel penditur ad onera communia sustinenda: sicque comprehendit vectigalia, gabellas, & alia &c. *Vectigal* dicitur, quod pro rebus in civitatem, vel provinciam invectis, vel advectis solvitur: alias etiam dictum portorium. *Gabella* dicitur, quod Principi, vel Magistratui solvitur ex rebus venditis mobilibus, vel immobilibus: dicitur *pedagium*, quod a transeuntibus, vel equi-

equitantibus solvitur pro conservatione pontis, viæ, vel custodiæ, &c. Tributum stricte sumptum, prout distinguitur a prædictis, est pensio, quæ subditis imponitur, Principi, vel Magistratui solvenda, ut & statum, & dignitatem suam tueri, & communibus necessitatibus Reipublicæ, vel utilitatibus prospicere possit: estque duplex, unum dictum *capitatio*, quod singulis capitibus, vel personis imponitur absque proportione facultatum. Alterum dicitur *census*, quod secundum æstimationem, & proportionem facultatum a subditis exigitur. Et hoc rursus duplex. Unum ordinarium, quod certam quotanis recurrentem ex communi lege pensionem, vel præstationem continet. Alterum extraordinarium, quod propter supervenientem causam, sive necessitatem extraordinarie imponitur, & dicitur *collecta, seu tallia*. Huic simile est subsidium charitativum, quod Episcopi, occurrente aliqua necessitate, petere, & exigere solent: de quo cap. cum Apostol. de censibus ex Conc. Later. dicitur: *sustinemus pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis* (Clericis Episcopi) *valeant auxilium postulare*. Atque ut justum sit, ac obliget subsidium charitativum, easdem conditiones requirit, ac tributum. Videndum ergo breviter, quas conditiones requirat, & qualiter obliget tributum.

ASSERTIO IX.

143 *TRibuta, vectigalia, gabellæ, subsidia charitativa &c. ut justa sint, quatuor conditiones requiruntur. 1. auctoritas legitima exigentis. 2. justa causa exigendi. 3. modus debitus imponendi. 4. persona subdita. Ea, si justa sint, subditi (immo respective & extranei) tenentur solvere in conscientia, etiam antequam petantur; adeo ut non solventes, vel defraudantes notabiliter, peccent mortaliter, & ad restitutionem obligentur. Secus, si constat ea injusta esse; & probabilissime etiam, quando de eorum justitia dubitatur.* Explico more solito.

§. I. *Ut justa sint, quatuor requiruntur conditiones.*

144 I. *AUctoritas legitima* imponendi tributa, & vectigalia originarie est penes Principes supremos, videlicet Imperatores, Reges, Respublicas, seu Magistratus in terris suis alium Superiorem non agnoscentes, aut eos, qui a summis Principibus privilegio, aut legitima consuetudine jam præscriptam facultatem hanc tributa, & vectigalia imponendi, consecuti sunt. Vide *cap. super quibusdam, de verborum significatione*. Adeoque qui absque legitima auctoritate ejusmodi nova tributa, vectigalia, gabellas in terris suis imponunt, præter peccatum gravissimum, & summe noxium Reipublicæ, quippe omnes injuste lædentes, & certissimam obligationem restituendi, ipso facto incurrunt excommunicationem latæ sententiæ in Bulla Cœnæ, quam late explicant *Alphonsus de Castro*, Navar. *cap. 27. num. 61.* Cautissime hic procedant Confessarii circa telonarios, & similes officiales, qui inscio Principe propria auctoritate certas expensiones sibi exigunt, & in consuetudinem deducunt, nunquam, aut difficulter abrogandam. Expertus loquor. Quamvis tamen aliquando excusari videantur ob justam causam, vel compensationis ob defectum stipendii, vel extraordinarii laboris, & molestiæ: vel quod homines benevolentia, vel gratitudine ultro liberaliter donare videantur, omnia tamen periculosa, & caute trutinanda a Confessario.

145 II. *Justa causa* exigendi, ac imponendi tributa, & vectigalia, est. 1. Sustentatio Principis, vel Magistratus, considerato statu, dignitate, ac meritis ejus in Rempublicam. 2. Necessitas, vel magna utilitas Reipublicæ; cui alia ratione subveniri non potest, nisi subsidio ejusmodi tributorum, & exactionum, quatenus tamen opus est necessarium: adeo ut si causa necessitatis, vel utilitatis perpetua sit, v. g. conservatio murorum, pontium, custodia civitatis &c. exactio perpetuat: sin vero temporalis tantum, tempore belli defensio contra hostem, reparatio destructorum per hostes, ea cessante, etiam exactio cesset, juxta communem, & certam DD. Sententiam *Cajet. Angeli, Lessii, Nav.* apud Laym. *hic l. 3. tr. 3. cap. 3. num. 2.* quem vide. 3. Id maximum locum habet in vectigalibus, & tributis, quorum causa facile cognosci potest. Quod si vero tributum antiquum fuerit, quod a tempore immemoriali sine murmure, & querela a populo exactum fuit, præsumptio erit pro justitia causæ, ac tituli; adeo ut quamvis constet primam causam exigendi cessasse, præsumendum tamen sit, aliam loco ejus successisse, v. g. restauratio ærarii exhausti, merita singularia Principis &c. uti ex communi notat Laym. *ib. num. 2.* 4. Licet autem sæpe contingat, ut cessante causa una extraordinaria tributi antea impositi, ejus loco alia necessitas occurrat, ob quam prius illud tributum adhuc durare possit, ac debeat, quod si tamen sufficiat, nec debet, nec potest Princeps juste aliud novum tributum imponere ejus occasione, ut proh! passim fit, nemine audente contradicere. Absque ergo ejusmodi justa causa tributa imponentes, continuantes, augentes &c. sine dubio gravissime peccant, & ad restitutionem obligantur ut raptores, saltem diminutione aliorum tributorum, si ærarium aliunde sufficiat. Omnia certa apud omnes quoad doctrinam, sed valde perversa in praxi. Vide *Laym. cit.* & Lugo *disp. 36. sect. 4.*

III. *Modus debitus* imponendi tributum est, ut exactio sit moderata, & juxta mensuram causæ, vel necessitatis, ob quam contribui debet, & secundum proportionem facultatum singulorum, ut non alii plus, alii minus graventur, quam justum sit. Idemque dicendum de compulsione civium ad mutuandum Principi ob ejusmodi causas. Cajetanus *v. vectigalia*, aliam hic addit conditionem ex parte materiæ, ut scilicet vectigal non imponatur in iis rebus, quæ necessariæ sunt ad familiam alendam, vel agrum colendum, sed in iis rebus, quæ negotiationis causa invehuntur, & emuntur, & venduntur; juxta *L. universim C. de vectigal.* quæ conditio licet æquissima sit, & alicubi servetur, contrarium tamen ob justam causam statui potest, & de facto introductum est, ut contra *Angelum* notant DD. communiter *Navarr. Sylvester, Lessius, Laym. & alii cit.* 146

IV. *Persona subdita*: tributa enim, & vectigalia juste exigi possunt directe a solis subditis, cum tributa pendere maxime sit signum subjectionis, ut indicat Apostolus *ad Rom.* 13. Datur enim id Principi, ut suum, ac Reipublicæ statum tueri possit; quod utique eorum tantum interest, qui ejusdem Reipublicæ membra, adeoque subditi sunt. Indirecte vero, & per accidens, etiam exiguntur ab externis: nam in primis invehentes merces in Regionem coguntur vectigal solvere propter concessum jus mercimonii: quæ tamen exactio quoad effectum in subditos redundat, quibus tanto carius merces postea venduntur. *Deinde*, qui merces ex provincia evehunt, coguntur solvere vectigal, partim propter dictum jus mercimonii ipsis in ea Provincia concessum; partim propter expensas pontium, ac viarum, & securitatis præstandæ obligationem, quæ domino loci incumbunt. *Ulterius*, si vectigal, vel similis exactio imposita sit super vino, frumento, & his similibus fructibus, ac mercibus, quæ in ea Regione, vel civitate venduntur, tunc etiam extranei, sicut & Clerici indirecte gravantur: ut si ibi emere velint pari cum incolis, & laicis jure utantur, ut cum aliis notat *Laym. cit.* 147

His ergo conditionibus concurrentibus licita, & justa est exactio tributorum, gabellarum &c. Ratio clara est: cum enim Principi ex officio incumbat administrare Rempublicam, curare bonum commune, communibus necessitatibus, ac utilitatibus prospicere &c. quæ absque sumptibus præstare non potest; nec sumptus sufficienter suppetunt, nisi mediantibus ejusmodi tributis, & vectigalibus, jure potest Princeps, vel Magistratus exigere illa, quatenus ad ipsiusmet, & officialium suorum competentem sustentationem, & necessitates, vel utilitates publicas curandas necessarium, & sufficiens est: quæ quidem decernere ad Consiliarios, subinde & Confessarios Principum spectat, gravissime oneratis eorum conscientiis. 148

Quæstio nunc communissima, & in quotidiana praxi summe necessaria est, quando subditi obligentur ejusmodi tributa, vectigalia, gabellas &c. solvere Principi, vel Magistratui, an in conscientia, ex justitia sub mortali, sic ut ea defraudantes peccent contra justitiam, & ad restitutionem obligentur. Est Sententia satis multorum, & gravium Doctorum, subditos non obligari in foro conscientiæ solvere ejusmodi tributa, antequam petantur ab exactoribus. Ita *Angelus, Tabiena, Nav. Sotus*, & alii apud citandos, & probabilem censent *Lessius*, Bonac. *de contract. disp. 2. q. 9. pun. 1.* Saltem pœnitentes non esse cogendos in conscientia ad restitutionem post factum censet Sa *v. gabella num. 6.* & Malderus *tr. 5. cap. 6. dub. 15.* Saltem quoad gabellas pro rebus usualibus excusari a mortali, & onere restitutionis, consentiunt *Nav. Cajet. Less. Molina, Bonac.* Ratio horum Doctorum est: quia lex pœnalis non obligat in conscientia, nisi ad pœnam post Judicis condemnationem; sed lex vectigalium solvendorum pœnalis est, Magistratus enim intentio esse videtur, ut subditi, vel negotiatores aut vectigal solvant, aut si non solvisse deprehenduntur, pœnam solvant; quæ communiter debet esse pœna commissi, vel caducitatis, seu confiscationis mercis: nec per hoc derogatur bono communi; nam unus defraudans, deprehensus abunde solvet pro viginti occulte elapsis. Quæ sententia licet per accidens, & in praxi plerumque vera sit, ut patebit, tamen per se, & ex natura rei loquendo, dicimus 149

§. II. *Ea, si justa sint, subditi, immo & respective extranei, tenentur solvere in conscientia, etiam antequam petantur.*

HÆc est communior, & re ipsa vera Sententia DD. *Alphons. a Castro, Gabriel, Sylv. Covar. Cajet. Medina, Sotus, Sayrus, Corduba, Turrianus, Vega*, aliique congestis Suar. *l. 5. de legibus c. 18.* Vasq. *de restit. c. 6. §. 4. dub. 2.* Sanch. Mol. *cit. disp. 674.* Less. *cit. c. 33. dub. 8.* Laym. *l. 3. tr. 3. c. 3. n. 5.* Lugo *sect. 4.* Dian. *p. 1. tr. de legibus res. 19.* Sumitur ex Scriptura in his supponente, vel indicante debitum conscientiæ, ad Rom. 13. *Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Et Matth. 21. Christus ostenso sibi numismate census, dixit. *Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.* Ipsoque exemplo suo docuit Matth. 22. pro se, & Petro tributum solvens. Ratio certe manifesta est: nam justitia commutativa obligat semper in conscientia, etiam antequam petatur debitum: atqui justa tributa, & vectigalia sunt debita Principi, vel Magistratui ex justitia commutativa, tamquam jure naturæ debitum sti- 150

pen-

pendium ad suum statum, & bonum publicum sustinendum: etenim justitia commutativa postulat Principi, seu Magistratui publica onera compensari ab iis, quorum gratia sustinet ea: quod licet directe, & per se solum concernat subditos, tamen indirecte, & per accidens etiam spectat ad extraneos, ut supra dictum est. Et quamvis quantitas, & munus tributi pendendi non jure naturæ, sed lege positiva Principis taxetur, posita tamen ea justa taxatione, tributum taxatum jure naturæ debetur Principi, vel Magistratui. Quod optime confirmat, & declarat Vasquez exemplo decimarum: quo cum fideles jure naturæ teneantur Ministris Ecclesiæ stipendium ad eorum sustentationem, etsi jure naturæ determinatum non sit, postquam tamen Ecclesia eam quantitatem, scilicet decimam partem fructuum determinavit, jam jure naturæ, & in conscientia debentur decimæ Ministris Ecclesiæ: ergo justa tributa, vectigalia, gabellæ &c. solvenda sunt Principi, vel Magistratui in foro conscientiæ, etiam antequam per exactores exigantur; adeo ut peccent mortaliter, non tantum qui ea defraudant notabiliter, occultando, vel subducendo merces ex industria, aliisque fraudibus utuntur ad subterfugiendam tributi solutionem: sed etiam, qui ultro non indicant secundum legem, vel consuetudinem loci; ut nimirum ea solvantur, etiam non petita. Secus esset, si lex, vel consuetudo loci obtineret, ut certa tributa, vel vectigalia solvantur tantum exactoribus petentibus. Neque solum peccant ipsimet defraudantes, vel non solventes justa tributa, & vectigalia, sed etiam ad id cooperantes, & specialiter ipsi exactores absque justa causa non exigentes, dissimulantes, non accusantes eos, qui ita injuste defraudant.

151 Sed quid dicendum de ementibus ab iis, quos sciunt defraudare, vel non solvere vectigalia, aut gabellas, & tamen nihil vilius vendentes? Resp. cum distinctione: *aut* enim talis emptor positive cooperatur ad defraudationem gabellæ, utpote suadendo, ut mercem sibi occulte, & ideo vilius vendat, juvando merces secreto deportare, & subducere teloniis, seu dominis publicis, vel exactoribus: & tunc, quia talis venditori positive cooperatur ad fraudem, & damnum Principis, sine dubio peccat contra justitiam, & venditore non restituente, ipse secundo loco ad restitutionem obligatur. Et hoc sensu intelligendi sunt Doctores id absolute affirmantes. *Aut* talis emptor positive nullo modo cooperatur ad defraudationem vectigalium, sed simpliciter emit, etsi probe sciat, venditorem non solvere, vel non soluturum gabellas, etiamsi is merces occulte in domum tuam importet, & emendas ferat, & bene scias, eum id facere animo non solvendi gabellas, dummodo secrete non procures, sed simpliciter emas, per se loquendo non peccas contra justitiam, neque ad restitutionem obligaris, in defectum venditoris, quia tua emptione non positive, sed tantum negative, & materialiter cooperaris ad fraudem alterius; quippe cum stante tua emptione venditori adhuc liberum sit solvere gabellas: neque tibi ex justitia incumbit venditorem cogere, vel monere ad solvendum; aut non solventis fraudem aperire, vel deferre Magistratui, ut supponimus. Et ratio a priori est, quia debitum vectigalium non est onus simpliciter reale, & ipsis mercibus affixum absolute, cum Princeps de facto non compararit dominium mercis in toto: vel in parte (unde aliud est de emente rem alienam, vel furtivam,) sed est onus reale simul, & personale: scilicet debitum quidem de tali re, at non a quovis habente illam rem, sed a solo venditore solvendum secundum leges: ergo qui venditori non cooperatur ad fraudulentam venditionem, subtractis gabellis, sed simpliciter emit, nec contra justitiam peccasse, nec restitutioni obnoxius censeri debet. Dixi autem *per se loquendo*. Aliud enim esset, si emptor adverteret ex ejusmodi frequentatis emptionibus occultis, & fraudulentis, aliis passim exemplum suum sequentibus, Principi, vel Reipublicæ grave damnum emergere: tunc enim contra justitiam, & pro rata sua restituere teneretur. Atque hoc sensu intelligendus est Sanchez, & alii absolute negantes tales emptores debere restituere, ut optime explicat Lugo *cit. sect.* 4. *a n.* 65.

§. III. *Secus si constet, ea injusta esse.*

152 Quando nimirum, aut certo constat, aut probabiliter existimatur vectigal injustum esse in toto, vel in parte: utpote quia noviter impositum absque satis nota auctoritate, vel causa justa, quia fama, & persuasio in populo est (ut revera est his temporibus) tributa sub prætextu alicujus necessitatis imposita, in non necessarios usus converti, vel asservari; aut certe longe majori quantitate exigi, quam necessitas, vel justa causa postulet, reliquo in privatos usus converso: tunc secundum omnes, solutionem in toto, vel in parte subterfugere, aut etiam occulta compensatione uti, licitum, & justum erit, modo semper absit scandalum: item mendacium, & perjurium, quæ nunquam licita sunt. ita post alios *Molina, Laym. Lugo cit.* Ratio manifesta est, quia cuivis jure naturæ concessum est injuriam, & damnum suum injustum impedire, vel resarcire, quatenus licite fieri potest, sed eo casu exactionis injustorum tributorum, injuriam, & damnum injustum patiuntur subditi, quod alia ratione impedire non possunt, nisi subterfugiendo solutionem, vel, si jam solvere coacti sint, occulte compensando; ergo licitum, & justum erit secluso scandalo, vel alio peccato.

At quid dicendum in dubio, quando vere dubitatur de justitia tributorum, vectigalium, vel gabellæ alicujus: sive dubio negativo, dum scilicet simpliciter dubitatur de justitia vectigalis absque eo, quod sit aliqua ratio probabilis pro, aut contra: sive dubio positivo, dum dubitatur, an justa sint, ex eo, quod pro utraque parte sint rationes probabiles, eritne adhuc obligatio solvendi? Tributum adhuc solvendum esse affirmant *Sotus*, *Lessius*, *Malderus*, alii apud *Sanch. &* *Lugo cit.* Ratio est, quia in dubio justitiæ legis, sententiæ, vel præcepti, est præsumendum pro justitia, & parendum legislatori, Judici, Superiori, secundum communem in materia de legibus, & conscientia dubia: in proposito autem Princeps, vel Magistratus est legislator, Judex, & Superior; ergo in dubio, an juste tributa, vel vectigalia exigat, pro justitia, & pro ipso præsumendum, eique parendum erit. Sententia utique tutior. At nos dicimus denique; 153

§. IV. *Et probabilissime etiam, quando de eorum justitia dubitatur.*

Verior, & in praxi tuta videtur opposita communis DD. Sententia negans, in tali dubio esse obligationem solvendi tributa, si post diligentem inquisitionem dubium perseveret. Ita *Cajet. Sylvest. Medina*, *Armilla*, *Gabriel*, *Corduba*, aliisque plurimis cit. Sanch. *l.6. moral. c.*4. Azor. *p.*3. *c.*22. *q.*7. Dian. *p.*7. *tr.*17. *ref.*59. Lugo *disp.*36. *sect.*6. Et consentit Mol. *cit. disp.*644. Ratio fortis est, quia in dubio debiti melior est conditio possidentis, & ei, qui petit, incumbit probatio debiti: atqui in proposito subditus possidet res suas, Princeps petit tributum, ut debitum: ergo quousque probetur justitia tributi, subditus non tenetur solvere. Unde & *in cap. provexit de censibus*, dicitur in omni censu, vel tributo oportere, ut ad quid, & quando persolvi debeat, præsciatur. Ad rationem oppositam facile respondetur parendum quidem esse, & præsumendum pro Principe, Legislatore, Judice, Superiore, sed excepto eo casu, quo agitur de interesse, aut ipsius Superioris, qui tunc præsumi potest partialis, aut de interesse ipsius inferioris, seu subditi, cujus rem suam possidentis meliori conditioni præjudicari non debet. 154

Cæterum recte notant DD. *cit.* & ex iis Laym. *cit. l.*3. *tr.*3. *c.*3. *n.* 6. quod licet existant in ejusmodi dubio publico de justitia solvendi, subditus licite subterfugere possit. Officiales tamen, si præceptum exigendi commode declinare non possint, juste exigunt. Quia quamdiu non adest certitudo moralis de injustitia causæ, præsumere possunt Officiales, quod Princeps ita præcipiens, justam habeat causam ipsis incognitam, prout in simili de subditis in bello dubio militantibus supra suo loco dictum. Alia est ratio de Consiliariis Principum, ad quos pertinet de justitia tributi cognoscere: hi enim non possunt Principi consulere, suadere, vel approbare tributi impositionem, vel exactionem, nisi affirmative cognoscant, saltem probabilitatem justæ causæ, uti cum *Vasquez* recte notat *Laym. cit.* Similiter in dubio positivo de justitia tributi, cum scilicet utrinque sunt rationes probabiles, fieri potest, ut & Princeps juste, ac licite exigat, & subditus juste, & licite neget, vel subterfugiat tributum: quia uterque sequitur sententiam probabilem. Et hac ratione dari potest bellum justum ex utraque parte propter ignorantiam veritatis ex una parte, & rationes utrinque probabiles, *Sanch. Lugo*, *Diana cit.* 155

Denique pro praxi Confessarii, omnino placet consilium *Molina cit.* valde laudatum a Cardinali de Lugo dicta *disp.* 37. *sect.* 4. *n.* 43. Quod quando evidenter, vel satis probabiliter non constat de justitia tributi, vel vectigalis, ante factum, populum semper monendum esse, & consulendum pœnitentibus, ut tributa solvant, & non defraudent, ut sic Reipublicæ pax, & Principibus debita obedientia, ac reverentia conservetur; alioquin semel laxata conscientia homines avari sine dubio valde exorbitarent, & abuterentur, cum gravissimo Reipublicæ, & Principum damno; post factum autem, & defraudatum jam tributum, si pœnitens certo, vel probabiliter sibi persuadeat, in tanta nostri temporis tributorum multitudine, & varietate, esse aliquid injustum, vel nimium, quod ipse solvat, vel multitudinem ipsam nimiam esse & excessivam: per se considerata qualitate suæ personæ, & negotiationis, reliquis suis tributis omnino sufficienter contribuere pro sua persona, quantum justitia exigit ad Principis, & Reipublicæ necessitates, non esse cogendum a Confessario ad restitutionem, sed omnino dissimulandum. Quod a fortiori docent omnes DD. oppositæ Sententiæ. *Ratio est*, quia cum tot conditiones requirantur ad justum tributum imponendum, vel augendum, in tanta tributorum multitudine merito præsumitur, multa esse incerta, & dubia, quæ fraudare, etsi non sit suadendum, certe tamen etiam compensare non sint cogendi miseri pœnitentes. Et sane nimis grave redderetur Sacramentum Pœnitentiæ, & viam salutis multis præcluderet, qui esto a Confessariis moneantur, non tamen restituent, adeoque æternæ damnationis periculo se se exponent. Ego jam a quadraginta, & amplius annis, non nisi, quantum memini, quinquies justam causam restituendi reperi. 156

A P-

APPENDIX.

Crimina falsi.

SUMMARIUM.

158 *Crimen falsi quid?*
159 *Quadrupliciter committitur, falsificando I. res.*
160 *II.* Instrumenta, (*testamentum, codicillum, chyrographum.*)
161 & 162 *III.* Litteras: *imitando, aperiendo &c. Casus notabilis.*
163 *IV. Monetas.*
164 *Quæ omnia sunt mortalia ex genere suo.*
165 *Cum obligatione restituendi damna inde illata.*

ASSERTIO X.

157 *CRimen falsi est perversio veritatis cum dolo, & alterius jactura: quoad materiam præsertim hoc septimum Præceptum concernentem, quadrupliciter potissimum committitur: Falsificando res, instrumenta, litteras, monetas: omnia mortalia ex genere suo; cum obligatione restituendi damna illata, vel inde secuta proximo.* Est tota nimis certa apud omnes.

§. I. *Est perversio veritatis cum dolo, & alterius jactura.*

158 CRimen falsi tria essentialiter includit, veritatis perversionem, dolum operantis, damnum alteri inde proveniens. Res clara erit in exemplis mox afferendis: & quia illud damnum plerumque est in bonis fortunæ, ut patebit iisdem exemplis, ideo hoc crimen communiter refertur ad septimum Præceptum: si vero esset damnum in bonis corporis, ut si Judex pro reo necando, clam dimisso substitueret alium innocentem &c. ad quintum: in bonis famæ, ad octavum præceptum referendum esset, uti sunt crimina falsi eorum, qui falsum testimonium proferunt, testem falsum in judicio producunt, Judicem corrumpunt: Item Advocati partis suæ causam parti adversæ prodentis. *Lege 1. & sequentibus, ff. de crimine falsi.* Nunc sistendo in materia septimi Præcepti,

§. I. *Quoad materiam quadrupliciter potissimum committitur.*

159 I. CRimina falsi falsificando *res* committunt. I. Venditores, qui falsis, vel falsatis ponderibus, & mensuris utuntur, aut materiam adulterinam minus utilem mercibus admiscent. II. Qui alienum partum alicui supponit. III. Qui signum adulterinum facit, vel sculpit. *L. penult. ad leg. Corneliam de falsis.*

160 II. Crimina falsi falsificando *instrumenta*, committunt, qui testamentum, codicillum, chyrographum, aliudve instrumentum, vel scripturam immutant, supprimunt, lacerant, rasura falsant, signum amovent. Item qui ejusmodi instrumenta adulterina confingunt, & pro veris supponunt. *L. cit. ff. & cap. ad legem Corneliam de falsis.*

Sed quæstio hic delicata incidit, utrum, amissa scriptura, instrumento, chyrographo de hæreditate, nobilitate, legitimatione, & maxime de debito aliquo magni momenti &c. liceat similem novam scripturam conficere in suum commodum tantum, citra alterius injuriam: aut si quis conveniatur de mutuo accepto, vel alio debito, quod jam legitime solverat, sed aliter probare non potest, liceat instrumentum factæ solutionis confingere sine crimine falsi. Resp. Simpliciter non licere. Ita ex communi Laym. *l. 3. tr. 3. c. 4. n. 3.* Ratio est: quia licet non sit crimen falsi contra justitiam particularem, & commutativam, quia nemini jus suum læditur, unde nec aliqua restitutionis obligatio inde contrahitur: est tamen crimen falsi contra virtutem veritatis, & justitiam legalem: est enim mendacium ex se perniciosum Reipublicæ; unde & legibus severe prohibetur: & cum prohibitio justa sit, etiam in conscientia obligat. Neque urget ratio proprii damni evitandi, cum talis jure possessionis servetur, & probatio adversario incumbat. Quamvis in his bona fides facile a mortali excusare possit, præsertim vere urgente damno proprio.

161 III. Crimina falsi falsificando litteras committuntur non tantum, etsi principaliter, imitando alterius manum, vel chyrographum *L. quid sit ff. ad Legem Juliam;* sed etiam ab eo, qui alienas litteras dolose aperit, & legit, cum ejusdem, vel tertii damno, & injuria; & si litteræ fuerint Papales, incurritur excommunicatio reservata summo Pontifici non tantum in Bulla Cœnæ, sed etiam in jure communi *cap. ad falsariorum de crimine falsi.* Et si in Religionibus litteræ sint a Superiore ad subditos, aut vicissim, est casus reservatus in decreto Clementis VIII. Dico autem, qui dolose aperit. Secus si casu fiat, aut justa causa aperiendi subsit; ut jure belli, aut justæ defensionis gratia contra inimicum insidias molientem, ut notat Navar. *c. 8. n. 53.* aut si Magistratus, Prælatus, Paterfamilias suspicentur, aliquid mali patrandi in litteris contineri: aut quando Religionis status licentiam aperiendi litteras Regularium Prælato tribuunt, ut fere in omnibus Religionibus fit.

Occurrit hic rursus scrupulus, Quid si aliquis litteras alicujus momenti, quas multum refert secretas esse, in publicum abjiciat laceratas, alius vero reperta, & collecta fragmenta legit in suum commodum, seu inde sibi prospicit? peccabitne talis crimine falsi, vel aliter? Casus singularis contigit Venetiis. Mercator acceptas litteras ex Oriente significantes de futura penuria aromatum, laceratas abjecit, has repertas collegit alius mercator, & statim copiam aromatum coemendo illum prævenit, eique lucrum eripuit. Quæritur, utrum injuriam illi intulerit. Resp. negative cum Sylvestro V. emptio, & Laym. *cit. cap. 4. n. 4.* Ratio est: quia mercator cum litteras laceratas abjecit, & vere pro derelictis habuit, hoc ipso omnibus colligendi, legendi, & in suum commodum utendi potestatem fecisse censendus est. Et recte dixit Sylv. cit. *Si quis litteras in publicum abjectas legit solum, ut sciat, curiositas est: si ut sibi provideat, commodisque suis studeat, humana, non vitiosa prudentia est.* Quod si abjiciens inde damnum incurrat, sibi imputet. Tenebitur tamen talis ex charitate, immo etiam ex justitia ejusmodi litteras apertas non ostendere aliis, quos intelligit, ea notitia usuros esse in damnum injustum alterius; maxime, si alterius fama inde patiatur. Quemadmodum si Titio hominem quærenti ad necem injustam, tu locum ostendas, ubi latitet, homicidio cooperari censeberis. 162

IV. Crimina falsi falsificando *monetas* committunt. I. Qui monetas etiam sinceras cudunt, non habentes auctoritatem *L. 1. & 2. Cap. de falsa moneta.* Quia nimirum usurpant jus Principis cum ejus injuria, & damno; id enim efficitur, ut ejus monetæ non tanto numero expendantur. II. Qui falsam monetam cudunt, utpote materia adulterina, vel pondere iniquo. III. Qui de justo pondere monetæ detrahunt abscindendo, radendo *L. quicumque ff. ad legem Corneliam.* Addit Laym. *cit. cap. 5. n. 5.* etiam id, quod justum pondus monetæ excedit, privata auctoritate abscindentes peccare, & ut falsarios puniri posse: Quia monetæ publicæ privata auctoritate detrahit cum damno Communitatis, quæ, cum æque sint multæ monetæ deficientes, quam excedentes in pondere, injuste illo ab alio privantur. IV. Qui adulterinæ materiæ nummos cupreos, stanneos, plumbeos tingunt, ut appareant aureæ, vel argenteæ. *L. cit. quicumque.* Quod si tamen quis monetam publica auctoritate cusam admixto cupro, quo apparente non libenter recipitur, argento vivo, vel sale madefacta illiniat ut facilius expendat, non erit damnandus peccati saltem gravis: ut notat *Laym. ibid.* V. Etiam, qui falsas monetas cupreas, stanneas &c. scienter expendunt, non obstante, quod antea, & ipsi iis ab aliis decepti fuerint. Ex communi Navarr. *cap. 16. num. 167.* apud Laym. *cit. nu. 6.* Quia nemo debet damnum proprium resarcire cum novo damno alterius innocentis. Quin etiam, si quis ignoranter, seu bona fide dederit alteri, tenetur tamen ei ad restitutionem, qui læsus fuit, ut habet communis doctrina. At quid si quis nummum adulterinum, ver. gr. talerum plumbeum alteri donet, vel det, quem scit eo animo accipere, ut alterum decipiat? Respondeo, eum peccare, eo quod cooperetur ad falsationes multas inde secuturas, saltem peccato scandali, non item injustitiæ, nisi ita cooperatus esset ad aliquem decipiendum. 163

§. III. *Omnia mortalia ex genere suo.*

NImirum & ratione falsitatis perniciosæ Reipublicæ, & ratione damni injuste illati proximo cum dolosam injustitiam contineat. Adde, aut saltem ratione inobedientiæ, ut si Religiosus falsificet sigillum Prælati ad evagandum extra Monasterium: casus reservatus in supra dictis. Dico tamen *ex genere suo:* nam a mortali excusat, ac veniale reddit, & levitas agentis, & parvitas materiæ, seu damni illati, uti apud omnes in confesso est. 164

§. IV. *Cum obligatione restituendi damna illata, vel inde secuta proximo.*

CErtum apud omnes, & liquidum ex terminis. Neque de his, & restitutione ex injusta læsione proximi in bonis fortunæ aliquid speciale dicendum superest, præter omnia dicta tr. 4. generaliter *de restitutione in communi:* & specialiter *de restitutione debita ex delicto formali, ratione injustæ acceptionis a possessore malæ fidei.* Atque hactenus dicta equidem sufficerent quoad materiam directam septimi Præcepti, quatenus negativum est: *Non furtum facies:* verum idem Præceptum, ut initio prænotavi, implicite, & virtualiter simul affirmativum est, præcipiens jus suum cuique restituendum, vel reddendum: & sic latissime patens, pro necessaria, & utilissima praxi tam intra, quam extra Confessionale plenam sui explicationem petit universa fere materia de Jure, & Justitia. Cum igitur successus hactenus non valde displicuerit, hic tandem finiatur, & pro necessario complemento, in nomine Domini mox etiam sequatur Tractatus sextus, & ultimus. 165

TRA-

TRACTATUS VI.

Pro necessario complemento septimi PRÆCEPTI.

DE DOMINIO ET ACQUISITIONE RERUM LEGITIMA:

Adeoque etiam de CONTRACTIBUS

In genere, & in Specie,

TRactatus hujus septem erunt capita. I. De Dominio, & modis acquirendi illud, usque ad Contractus. II. De Contractibus in genere, eorumque valore ex parte consensus personæ, & materiæ. III. De Contractibus gratuitis ad transferendum Dominium plenum, *Donatione*, *Testamento*, *Legato*, *Dotatione*. IV. *De Mutuo*, & *Usura*. V. De Contractibus onerosis transferentibus Dominium plenum, *Permutatione*, *Emptione*, & *Venditione*. VI. De aliis contractibus ad transferendum Dominium industriosis, *Censu*, *Cambio*, *Societate*, *Lusu*, & *Sponsione*. Ac VII. De reliquis contractibus partim gratuitis, partim onerosis conserentibus Dominium utile tantum, vel omnino nullum proprie, *Commodato*, *Precaria*, *Conductione*, *Locatione*, *Emphyteusi*, *Feudo*, *Fidejussione*, *Pignore*, *Hypotheca*, *Deposito*, &c.

CAPUT I.

De Dominio, & modis acquirendi illud usque ad Contractus.

CApitis hujus sex erunt Sectiones. 1. De Dominio, ejusque divisione, & speciebus. 2. De subjecto Dominii, seu quibus illud competat. 3. De objecto Dominii, seu quænam res sub dominio cadant: ubi de modis acquirendi generatim. 4. De Acquisitione rerum per occupationem, inventionem &c. 5. De Acquisitione rerum, vel dominii per præscriptionem, seu usucapionem. 6. De Acquisitione rerum, vel dominii per alluvionem, accessionem, confusionem, commixtionem, &c.

SECTIO I.

De Dominio, ejusque divisione, & speciebus.

SUMMARIUM.

1 *Jus varie sumitur.*
2 *Proprie sumptum definitur*, &
3 *Explicatur* Jus in re, &
4 Jus ad rem.
5 & 6 *Dominium* Jurisdictionis *quid*, & *quotuplex*.
7 Usque ad num. 10. *Quid*, & *quotuplex dominium* proprietatis.
10 Usque ad num. 13. *Explicatur dominium plenum*, & *perfectum*.
13 *Quinam prohibeantur, vel impediantur in suo dominio quoad actum secundum.*
14 Usque ad nu. 18. *Enumerantur quædam dominia imperfecta.*
18 *Usus fructus est I.* Jus utendi, &
19 *II.* fruendi
20 *III.* re aliena,
21 *IV. Salva rei substantia.*
22 *In quo conveniant usufructuarius*, & *usuarius.*
23 *Quibus modis ususfructus finiatur.*
24 *Quid si usufructuarius ingrediatur Religionem.*
25 *Usus rei quid.*
26 *Alius* juris, *alius* facti.
27 *Usus facti simplex omnino dependens a voluntate proprietarii*,
28 *Qualem etiam habent FF. Minores.*
29 *Habitatio quid.*
30 & 31 *Servitus quid*, & *quotuplex.*
32 *Servitus urbana*, & *rustica.*
33 *Quando servitutes acquirantur*, & *quando præscribantur.*

Explicatio terminorum.

Jus ad rem: Jus in re.

1 I. JUris nomen varie accipitur apud Doctos. 1. Pro scientia rerum, Legum, seu Jurium, quo sensu Jus ab Ulpiano definitur, *ars boni*, & *æqui*. 2. Jus accipitur pro loco, ubi fit justum, seu ubi Justitia administratur: quo sensu dicitur quis in Jus ambulare, in Jure comparere, aliquem in Jus vocare: Immo etiam accipitur pro sententia ipsa Judicis; Judex etiam sententiam pronuntians dicitur Jus dicere. 3. Jus accipitur pro ipsa re, seu lege, quæ est regula justi. Sic enim dividitur in naturale, & positivum, Divinum, humanum, jus Gentium, Civile, Canonicum. Et passim audis aliquid dici esse de Jure naturali, de jure positivo &c. De Jure sic accepto in materia de Legibus. 4. Ad propositum magis, jus accipitur pro justo, idest, adæquato, ac debito alteri: & sic est objectum Justitiæ, quæ præcipit cuilibet reddi, quod suum est: *Juste*, idest, adæquate ad æqualitatem; ut *tr.* 4. *c.* 1. *sect.* 2. patuit. 5. Principaliter, & propriissime Jus accipitur pro potestate, vel facultate legitima ad aliquam rem obtinendam, vel functionem exercendam, cujus violatio sit injuriari. Quo sensu dicitur aliquis, uti jure suo, aut Jus alterius violare: & hoc modo acceptum Jus est fundamentum Juris justi, & titulus, quem respicit justitia reddendo cuique suum: ideo enim justum, & debitum est, ut mihi aliquid detur, vel fiat, quia ad illud jus, seu facultatem habeo illud exigendi, eoque fruendi; & Jus sic acceptum est hujus loci, & communiter definitur.

II. *Jus est facultas legitima aliquid agendi, obtinendi, disponendi, usurpandi, vel in eo quomodolibet se habendi*, 2
cui si sine legitima causa contraveniatur, injuria fit eam habenti. E. g. ego habeo Jus comedendi proprium cibum, induendi propriam vestem, incedendi in publica via, &c. injuria fit, seu injuriam mihi infert, qui absque legitima causa me impedit. Quod si enim tali facultati ex legitima causa contraveniatur, non fiet injuria eam habenti, v. g. verum jus est, quod deponens habet, rem suam apud alterum depositam repetendi: quod si vero superveniente furia, vel periculo, ne deponens re sibi reddita, v.g. gladio, se ipsum, vel alium interficiat, ei non reddatur, sicque ejus facultati legitima de causa contraveniatur, nulla fit ipsi injuria: & sic de cæteris discurrendum. Jus porro communissime dividitur in *Jus ad rem*, & *Jus in re*: Et breviter dici posset: *Jus in re* esse facultatem jam actu habendi aliquam rem. *Jus ad rem* vero esse facultatem non adhuc actu habendi, sed solum acquirendi sibi aliquam rem, aut quodpiam. Sed accuratius, & Theologice,

III. *Jus in re* dicitur, quo rem ipsam nobis obligatam 3
habemus, ita ut apud quemcumque res ista existat, nostra tamen, nobisque adstricta maneat. Quale jus habet Dominus in suam pecuniam, vestem, domum, mancipium; & tale jus acquiritur quocumque contractu legitimo, secuta traditione. Unde hoc Jus in re parit actionem realem in Judicio, quæ dicitur *rei vindicatio:* Actio enim realis dicitur, quæ adhæret ipsi rei, ipsamque rem insequitur, adeo ut in cujuscumque potestatem res nostra, vel nobis obligata, devenerit, ab eodem reposci, & vindicari possit: competitque hæc actio omnibus speciebus dominii infra nominandis. Vide Laym. *lib.* 3. *tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 1.

IV. *Jus ad rem* dicitur, quod non quidem ipsam rem no- 4
bis adstrictam habet, sed etiam personam nobis obligatam habet ad rem illam nobis dandam. Quale jus acquiritur per promissionem, emptionem, aliosque contractus ante rei traditionem. Item per electionem, postulationem, vel præsentationem ad Beneficium, vel officium ante legitimam acceptationem. Item per sponsalia. Unde hoc jus ad rem in Judicio non realem, sed personalem tantum actionem parit, scilicet in ipsam tantum personam nobis obligatam, non immediate in ipsam rem: *Actio* enim *Personalis* dicitur, quæ proxime tendit in personam nobis obligatam ex promissione, contractu, vel delicto. Et licet consequenter etiam tendat per se in rem nobis tradendam, ita tamen adhæret eidem personæ nobis obligatæ, ut contra alium ejusdem rei acquisitorem, vel possessorem institui minime possit: v.g. si res promissa, vel vendita Petro ante ejus traditionem, & acceptionem, postea tradatur Paulo a Joanne, res manet Paulo, & Petrus prior emptor non contra Paulum, sed Joannem tantum, utpote solum sibi ex promissione, vel contractu obligatum, actionem instituere potest. Item si mutuo dedisti Titio centum aureos, quos postea tradidit Cajo; hoc casu actio personalis tibi contra Titium tantum, nulla autem

contra Cajum competit, juxta *leg. penult. Cod. de action. & obligat.* Unde patet, quod duo possint habere jus respectu unius, & ejusdem rei, unus scilicet *Jus in re*, alter *Jus ad rem*: v. g. Joannes vendens domum Petro, pretio nondum soluto, habet adhuc jus in domo: Petrus tantum jus ad domum. Sic in sponsalibus sponsus acquirit jus ad sponsam: in matrimonio vero rato acquirit jus in sponsa. Sic Justi in via habent jus ad gloriam: Sancti in Patria habent jus in Gloria.

Dominium Jurisdictionis, & proprietatis.

5 DOminium late sumptum, prout comprehendit omne dominium vix uno conceptu bene explicari potest, nisi velut disjunctive dicas: *Est facultas legitima agendi, vel disponendi aliquid circa rem aliquam, vel personam tanquam sibi subjectam.* Unde duplex est dominium prænominatum, *Jurisdictionis, & proprietatis.*

6 I. *Dominium Jurisdictionis* est potestas Superioritatis, ac jus gubernandi subditos (nimirum præcipiendo, prohibendo, permittendo, judicando, puniendo, præmiando) ad eorum in primis totiusque Communitatis utilitatem. *Aliud est Divinum, & increatum*, de quo Scholastici. *Aliud humanum, & creatum*, scilicet ab illo Dominio Divino, & absoluto, ac universalissimo derivatum, & homini communicatum: Idque duplex: *Ecclesiasticum, & Politicum*, seu spirituale, & temporale. Dominium Ecclesiasticum, seu spirituale est potestas gubernandi subditos convenienter in ordine ad eorum bonum spirituale animæ, finemque supernaturalem æternæ Beatitudinis. Talis est potestas Pontificia, Archiepiscopalis, Episcopalis, aliorumque inferiorum Pastorum animarum. Dominium politicum, seu temporale, est potestas gubernandi subditos convenienter in ordine ad eorum bonum temporale, & finem naturalem, scilicet pacem, & tranquillitatem procurans. Et hæc dominia non sunt hujus loci, sed spectant ad materiam de Legibus.

7 II. Dominium proprietatis est *Jus, seu facultas quædam disponendi de re tanquam sua, & in suum proprium commodum*; Et hæc est præcipua, & perfecta species Juris in re supra explicati. Dividitur *in plenum*, seu perfectum, & *non plenum*, seu imperfectum: & utrumque intelligi potest, vel ex parte subjecti, vel ex parte objecti. Ex parte *subjecti*, seu habentis dominium, & minus proprie, Dominium *plenum* dicitur idem, quod integrum, & omnino proprium habentis, cum quis scilicet, in dominio talis rei consortem non habet: Dominium vero *non plenum* dicitur idem, quod partiale, vel commune pluribus, cum quis scilicet in dominio talis rei consortem habet, sine cujus concursu de tali re pro arbitrio suo disponere non potest: quale est dominium hæredum respectu hæreditatis, antequam dividatur, quivis enim eorum habet dominium ejus hæreditatis, sed non plenum, eo quod adhuc sit pluribus commune: facta autem divisione accipiet dominium plenum suæ tantum partis.

8 III. Ex parte vero *objecti*, seu ipsius rei, & proprie loquendo, dominium plenum, ac perfectum est, quod complectitur simul proprietatem rei cum omni ejus usu, fructu, commodis, &c. quale dominium habet dominus in suam pecuniam, in rem emptam, ac traditam, &c. Dominium vero non plenum, ac imperfectum dicitur, quod complectitur, vel solam proprietatem rei sine ejus usu, & commodis, vel solum usum, ac commoda rei sine ejus proprietate. Et hinc dominium plenum, seu perfectum dividitur in *directum*, & *utile*. Dominium *directum* dicit solam proprietatem rei sine ejus usu, fructu, ac commodis: ita scilicet, ut penes illum sit proprietas rei, utilitas vero, seu ususfructus, ac commoda penes istum; unde is proprietarius, hic vero usuarius dicitur: prout fieri vides in commodato, locato, feudo, emphyteusi, &c. licet enim talis habeat verum dominium rei, non tamen plenum, quia solam rei proprietatem habet; omne autem jus utendi, & fruendi alteri competit. Dominium *utile* dicitur jus utendi, vel etiam fruendi aliqua re, salva ejus substantia, quippe cujus proprietas ad alterum pertinet. Unde habens tale dominium, non dicitur absolute Dominus rei, sed tantum usuarius, vel usufructuarius, & dominus ipsius usus, vel fructus capiendi. Exempli gratia, Titius proprium equum concedit Cajo sub onere certæ pensionis, ut eo utatur, & fruatur ejus commodis: ipse Titius retinet dominium directum sui equi: unde & absolute dominus equi, & proprietarius est: Cajus vero solum accipit dominium utile, seu jus equo utendi, & fruendi, salva ejus substantia, unde non dominus, sed usuarius dicitur. Dominii utilis velut species sunt *ususfructus, usus rei, habitatio, & servitus*. Definitiones singulorum sub unum aspectum pono, ac breviter explico.

ASSERTIO I.

9 DOminium plenum est *jus perfecte disponendi de re corporali, nisi Lege prohibeatur*. Ususfructus est *jus utendi, & fruendi re aliena, salva ejus substantia*. Usus rei est *jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia*. Habitatio est *jus habitandi domum, vel locum per se, vel per alium*. Servitus est *jus rei in rem*, quo scilicet una res alteri obligata est. Definitio dominii tradita a Bartholo recepta est ab omnibus Juristis, ac Theologis, seclusa tamen particula *corporali*; & merito, ut mox patebit.

§. I. I. Dominium plenum.

EST jus, seu facultas, vel potestas aliqua: Intelligitur autem jus *in re*: nam jus ad rem tantum non nisi remote, & imperfectissime potest dici dominium. Cæterum notum est, jus in re latius patere, quam dominium, adeo ut non omne jus in re dominium dici possit: nam illud jus, quod habet depositarius in rem depositam, creditor in pignus, vel hypothecam, est jus in re, cum ipsam rem sibi obligatam habeant illi; at certe non dominium, cum dominium illius rei simpliciter ad alterum spectet; est ergo jus in re imperfectum: dominium autem est jus in re perfectum, quo quis possit disponere de tali re. In hac ergo particula *Jus*, dominium plenum, ac perfectum convenit cum dominiis illis non plenis, & imperfectis, directis, vel utilibus tantum. Quod si velis definire Dominium proprietatis in genere, ut comprehendat omne dominium, plenum, & non plenum, tantum omissa particula *perfecte*, dic, *Dominium est jus disponendi de re aliqua, nisi lege prohibeatur*: & jam omnia dominia comprehensa habebis. 10

II. Perfecte disponendi.

DOminium plenum debet esse Jus, vel facultas, seu potestas disponendi de re aliqua. 1. Tam quoad substantiam, quam quoad ejus usum, & commoda, adeo ut intrinsece comprehendat & dominium directum, seu proprietatem, & omne dominium utile rei. 2. Idque ad quoscumque usus sibi placitos, & usus non prohibitos, sic ut de ea re pro libitu & uti, & frui, eam alienare, vendere, donare, abjicere, vel omnino destruere possit. 3. Idque principaliter ad suum proprium commodum: quo etiam differt a dominio Jurisdictionis, ut supra indicatum est. Deinde qui habet facultatem quamlibet disponendi de aliqua re, at non in suum, sed alterius commodum principaliter, non Dominus est, sed curator potius, vel administrator. Atque ita, ut ipsi in usu, vel dispositione talis rei nullus alius præferri debeat: nam si quis habeat facultatem ab alio domino utendi aliqua re quomodolibet, & convertendi in propriam utilitatem pro libitu, sed revocabiliter, utique ille non erit dominus, sed alius, qui facultatem concessam revocare potest, ac proinde illi in usu, & dispositione talis rei præferri debet. Jam ergo excluduntur a ratione dominii pleni, & perfecti omnia dominia non plena, seu directa, seu utilia; neque enim Dominus directus, seu proprietarius potest perfecte disponere de re sua, cum jus utendi, vel fruendi illa re spectet ad alterum: Neque usuarius, vel usufructuarius potest perfecte disponere de re, v. g. domo, agro &c. cum non possit illa alienare, minus destruere, & proprietas rei spectat ad dominium rei. Excluduntur & alia dominia imperfecta, quæ infra breviter annotabo. 11

III. De Re.

THeologi (quorum est principaliter spectare Divina, & spiritualia) intelligunt de re quacumque, & corporali, & incorporali. Res corporales apud Juristas dicuntur, quæ suapte natura tangi possunt, velut homo, fundus, aurum &c. Res incorporales sunt, quæ tangi non possunt, cujusmodi sunt jura particularia; ut jus hæreditarium, jus eligendi &c. Item libertas, fama, honor; adde res mere spirituales, ut actus liberi, virtutes, Angeli, anima rationalis. Quis enim neget Deum, ratione creationis, & conservationis habere perfectissimum dominium omnium rerum creatarum etiam incorporearum, & spiritualium, & hominem vere esse dominum suorum actuum liberorum, Beneficiatum vere Dominum sui Beneficii? De quo plura *Sect. subsequenti*. Bartholus autem strictius definiens dominium addidit: *De re corporali*, volens nimirum cum Juristis tantum rerum corporalium esse proprie dominium, rerum autem incorporalium, vel jurium, non esse proprie dominium, sed quasi dominium, sicut nec proprie possessionem, sed quasi possessionem: sed Theologi non agnoscunt tam strictam acceptionem, ut dictum est: communi enim loquendi usu cum omni proprietate dicitur quis habere dominium sui Beneficii, suæ libertatis, famæ &c. & abhorrent audire Deum non Dominum proprie dictum creaturarum omnium etiam spiritualium, Angelorum, ac animarum &c. 12

IV. Nisi Lege prohibeatur.

LEx enim interdum, aut conventio specialis, etsi non auferat dominium in actu primo, seu jus primum, & radicale disponendi de re sua, aufert tamen, vel potius impedit dominium in actu secundo, seu exercitium, & usum plenum dominii. Sic 1. Pupillus, quamvis sit vere dominus bonorum suorum, de iis tamen pro arbitratu suo disponere, vel ea (maxime immobilia, ne naturali quidem obligatione) alie- 13

alienare non potest, quamdiu sub tutoribus est, ut notavit etiam Apostolus ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus, & actoribus est usque ad prædefinitum tempus &c.* 2. Debitor licet vere maneat dominus rei datæ creditori in pignus, & hypothecam, tamen ex tacita conventione non potest eam rem alienare, quamdiu est in pignus, vel hypothecam. 3. Religiosus Societatis post vota biennii est vere dominus bonorum, & jurium suorum, de iis tamen pro arbitratu suo disponere non potest sine licentia Superiorum, obstante voto simplici paupertatis Religiosæ. 4. In multorum Sententia jus majoratus, primogenituræ, fideicommissorum, & similium, quæ bona vinculata dicuntur, est verum dominium, attamen alienari non possunt, quia voluntate testatoris, ac lege ita vinculata sunt, ut semper ad primum familiæ caput revolvantur, aut certe familiæ permaneant. Sed de hoc mox iterum. Hic obiter adnoto aliqua imperfecta, & non proprie, & simpliciter dicta dominia.

14 I. Prædictum jus majoratus, primogenituræ, ac fideicommissorum &c. non est proprie, & simpliciter dominium. Ita ex veriori Juristarum, & Theologorum Sententia Card. de Lugo *t. 1. de just. disp. 2. sect. 1. n. 6.* Ratio est: quia possessor majoratus, vel fideicommissi non solum lege prohibitus est alienare, sed prohibetur ex titulo obligante ex Justitia commutativa, adeo ut alienando inferat injuriam successoribus, vel familiæ, teneatur ad restitutionem: ergo ille non habet plenum jus Justitiæ in illa re; nam si esset plenum, nullus alius haberet jus Justitiæ ad eandem rem.

Dices: quis ergo habet dominium plenum, & directum bonorum illorum? Resp. Habet possessor, & simul tota familia, quæ tota licet non existat quoad successores, est tamen quædam persona politica fictione Juris: quemadmodum & hæreditas vacans antequam nascatur, vel animetur sorte, posthumus in utero matris est persona ficta a Jure repræsentans defunctum, in cujus dominio censentur conservari illa bona.

15 II. Imperfectum quoque est dominium bonorum dotalium durante matrimonio, tam ex parte mariti, quam ex parte uxoris. Maritus enim non dominium, & proprietatem, sed usum tantum, & administrationem habet illorum bonorum. Uxor autem habet quidem dominium proprietatis, non tamen omnino plenum: nam licet dos integra ei conservanda sit, & post mortem mariti denuo possit libere, & perfecte de illa disponere, durante tamen matrimonio non potest, sed, ut dictum est, usus, & fructus ad maritum pertinet.

16 III. Jus illud, seu dominium altum, & eminentiale, quod habet Princeps, vel Respublica in bona subditorum, ut ea in casu necessitatis possit usurpare, distrahere, vendere, destruere &c. non est proprie dominium perfectum, non enim potest Princeps de re subditi disponere perfecte pro suo libitu in omnem usum, in proprium commodum, sed solum ad necessitatem, qua cessante, res redit ad dominium proprium subditi: & si destructa sit, vel alienata, Princeps, vel Respublica tenetur subdito ad restitutionem ex re accepta, detracta tamen sua parte aliquota.

17 IV. Simillimum imperfectum, & quasi altum dominium est, quod habet pater in filium, ut eum nondum emancipatum possit vendere in servum: sine dubio enim non est dominium proprium, & simpliciter dictum, cum pater non habeat jus perfectum disponendi de filio pro libitu, quemadmodum Dominus habet in servum: non potest enim pater filium facere proprium servum, aut alteri servum donare, sed solum potest eum vendere, vel aliter commutare, quatenus necessarium est, ut subveniat propriæ necessitati: unde transacta necessitate, si filius adhuc non sit venditus, cessat totum illud jus. Quinimo si filius, etiam per revelationem sciret, necessitati patris aliter subventum iri, non tenebitur venditioni suæ consentire, cum jam cessante necessitate, cesset jus patris ad eum vendendum. Cæterum quale dominium sit Religiosorum, & Beneficiariorum respectu bonorum Ecclesiasticorum, videbimus *sect. sequenti*. De dominio pleno, & directo, seu ipsa proprietate rei, ejusque acquisitione agetur late in omnibus sequentibus. Hic consequenter breviter explico dominia non plena, & utilia tantum.

§. II. *Ususfructus*.

18 I. Est *Jus* (id est facultas legitima) *utendi*. Non enim hic definitur actualis usus rei, qui dicitur usus facti, sed usus juris, scilicet facultas legitima utendi. In hac ergo particula ususfructus convenit cum dominio, & aliis juribus: & jam excluduntur Jura nonnulla in re, quæ non concedunt usum rei, sed conservationem, vel possessionem tantum: quale jus habet creditor in pignus, depositarius in rem depositam, quibus re oppignorata, vel deposita (secluso speciali contractu) uti, vel frui concessum non est: & si utantur, vel fruantur, invito domino, tenentur restituere secundum æstimationem usus, vel commodi percepti.

19 II. *Et fruendi*: hoc est fructus omnes, seu commoda ex re fructifera, v. g. agro, vinea, pecore, fluvio percipiendi; quo excluditur usus rei tantum: nam usuarius nudus potest uti domo, vel prædio v. g. ad proprium usum, non tamen potest locare domum alteri, percipere, vel vendere fructus &c.

III. *Re aliena*. Agitur enim hic de usu formali, ac jure utendi, & fruendi tantum aliqua re, cujus dominium directum, & proprietas ad alium spectat, qui proinde dicitur Proprietarius: alter vero usufructuarius tantum, ut in locato, emphyteusi, feudo patet: nam si res fructifera, v. g. prædium, detur alteri utenda, & fruenda pro annua pensione ad breve tempus infra decennium est tantum locatum: si detur similiter pro annua pensione ad longum tempus, vel ad dies vitæ, est emphyteusis: si detur similiter ad longum tempus, aut dies vitæ, hæreditarie, sed absque annua pensione, pro solo obsequio fidelitatis, est feudum. Et hinc sequitur 20

IV. *Salva rei substantia*. Per hoc denique differt ususfructus a dominio pleno, & perfecto rei: nam Usufructuarius licet sit dominus omnium usuum fructuum, & commodorum rei, non tamen ipsius rei, fundi, &c. quia tenetur eam quoad substantiam integram, salvamque conservare. Et si habeat usumfructum gregis, tenetur loco capitum mortuorum, vel perditorum alia substituere, quibus grex integer maneat. Igitur ususfructus proprie solum potest constitui in rebus permanentibus, & ipso usu non consumptibilibus: in rebus autem usu consumptibilibus, seu (ut loquuntur Jura) functionem recipientibus, ut pecunia, frumento, vino &c. proprie non potest constitui ususfructus, cum hæ res ipso usu consumendæ fructificare ultra nequeant. In iis tamen quasi usumfructum quandoque constitui posse, decernitur in Jure *l. 1. & 2. ff. de usufructu rerum, quæ usu absumuntur*. Idque hac ratione: si v. gr. maritus uxori legaret usumfructum omnium bonorum suorum etiam usu absumptibilium, pecuniæ, frumenti, pecorum &c. illa æstimata uxori tradi debent, præstita cautione, quod usufructu finito, videlicet post mortem uxoris eorum æstimatio æquivalens hæredibus mariti restituenda sit. Vide Layman *cit. l. 3. tract. 1. cap. 6. num. 3.* 21

Ususfructus collatus cum usu rei tantum.

Conveniunt in hoc, quod uterque, Usuarius, & Usufructuarius utatur re aliena, salva ejus substantia; 22
adeoque neuter possit alienare, vendere, vel donare alteri rem ipsam, cujus usumfructum, vel usum tantum habet: immo neque usumfructum, vel usum, idest, ipsum jus utendi, vel fruendi illa re in alium transferre, vel alteri cedere absque Domini Proprietarii consensu potest. ita expresse §. *finitur instit. de usufructu*, ubi in fine dicitur: Si quis *extraneo*, id est, alteri, quam Proprietario, usumfructum cedit, *nihil agi*, seu irritam esse cessionem.

Differunt autem in tribus. 1. Quia, ut dictum est, Usufructuarius fructus omnes ex re fructifera percipere potest, etiam pensiones, ac redditus ex ædificiis, areis &c. Item venationes, & piscationes ad Usufructuarium pertinent. *L. usufructu Legato, ff. de usufructu. L. item si fundo §. aucupiorum ff. eod.* Item eruere metalla, lapides; si sint in fundo, ita tamen, ut agriculturæ nihil obsit. Ita juribus citatis ex communi *Laym. hic c. 6. cit. n. 2.* Usuarius autem solo usu rei contentus, nullam fructuum percipiendorum facultatem habet, ut mox dicetur. 2. Usufructuarius rem fructiferam, seu potius ipsos fructus, vel utilitates rei fructiferæ alteri donare, vendere, locare, concedere potest, etiam invito domino, ita tamen, ut ususfructus, seu ipsum jus percipiendi fructus (quod in alterum transferre non posse jam dictum est) semper maneat penes Usufructuarium, cujus nomine alter fructus percipere potest; ut ex communi notat Laym. *cit. n. 4.* Usuarius autem nudus nec jus suum, nec usum ipsum in alium transferre potest, inscio domino. Ut habetur *instit. de usu & habitatione*. 3. Usufructuarius tenetur facere expensas ad conservandam rei substantiam, cujus usumfructum habet, eique incumbunt collectæ, tributa, & similes reales præstationes, quæ pro re fructuaria, ipsisque fructibus debentur, juxta notissimam Regulam 55. Juris in 6. *Secundum naturam est, ut, qui sentit commodum, sentiat & onus*. Usuarius autem nudus nullas tenetur facere ejusmodi expensas pro conservanda substantia rei, cujus usum nudum habet, nisi singularis contractus intercesserit.

Ususfructus finitur

His modis. 1. cessione mutua, utpote si aut Usufructuarius usumfructum Proprietario cedat, aut Proprietarius proprietatem rei in Usufructuarium transferat; hoc 23
enim casu cessat ususfructus formalis, & fit causalis, consolidatus, scilicet cum sua causa, seu proprietate rei, ex qua suapte natura promanat, §. *Finitur Inst. de usufructu*. 2. Si res tota pereat: v. g. tota arx, vel domus incendio assumpta sit: tunc enim non remanent ususfructus in area. Ut habetur *L. repeti, §. rei, ff. quibus modus ususfructus*. 3. Si tempus finitum sit, ad quod ususfructus alteri concessus est, omni jure. 4. Morte ipsius Usufructuarii naturali, vel civili, cessat omnis ususfructus, cum sit jus personale, seu, ut ait Jurisconsultus in Leg. 2. ff. de usufructu. *Ususfructus Jus in corpore est, quo sublato, & ipsum tolli necesse est*. Et licet Dominus Proprietarius, vel testator expresserit, ut ususfructus ad hæredes quoque pertineat, mortuo tamen primo Usufructua-

ctuario novus in persona hæredis usussfructus constitui censetur: unde & de novo caveri, seu peti, & tradi debet.

24 At quid si Usufructuarius Religionem ingressus, profiteatur, ad quemnam usussfructus devolvetur? Resp. Cum distinctione: quod si usufructuarius profiteatur in Monasterio capaci bonorum in communi, ac reddituum perpetuorum, usussfructus devolvetur ad Monasterium, quo, ratione Monachi, quamdiu is vivit, frui poterit. Sic *Molina, Sanch.* aliique apud Laym. *cit.c.6. n.6.* Idem dicendum, si talis Religiosus transferatur ad aliud Monasterium ejusdem, vel alterius Ordinis bonorum stabilium capax: quia usussfructus sequitur personam, ut bene docet Sanch. *l. 7. mor. c.13. n. 62.* Unde etiam talis Religiosus ante professionem, sicut de aliis bonis suis, ita & de eo usufructu testari poterit, ut hæres ejusdem usussfructus commodis fruatur, quamdiu Monachus vivit. Ita *Sanch. Laym. cit.* Rodriq. *t.3. qq. Regul. q. 16. art.5.* At vero, si Religiosus ingrediatur Religionem incapacem bonorum stabilium, uti Fratrum Minorum est, quamvis noster *Rodriq.* modo cit. velit, tunc usumfructum ex intestato ad hæredes ejus pertinere, quamdiu Religiosus vivit: verior tamen est communis Sententia DD. cum *Sanch. & Laym. cit.* tunc facta professione usumfructum extingui, & cum proprietate Domini consolidari. *Ratio est:* Quia usussfructus est jus personale, quod una cum persona extinguitur, sive per mortem naturalem, sive per mortem civilem, qua persona omnino incapax fit usussfructus, seu cujusvis juris temporalis: atqui per professionem in ordine incapaci bonorum persona professa omnino incapax fit usussfructus tam in propria persona, quam in Communitate (secus est de Monasteriis capacibus bonorum, in quibus persona ratione Communitatis capax usussfructus remanet) ergo &c. Unde nec talis professurus testari poterit de tali usufructu, cum ejus professione velut morte quadam civili, ipse usussfructus extinguatur, & ad Proprietarium redire debeat, ut recte infert *Laym. loc. cit.*

§. III. *Usus rei.*

25 I. **E**st *Jus utendi tantum re aliena, salva ejus substantia.* Communis ex *l. 1. & 2. ff. de usu, & habitat.* Particulis supra explicatis, *Jus utendi re aliena, salva ejus substantia*, usus rei convenit omnino cum usufructu, a quo præcise differt per particulam *tantum*, quia nimirum usus rei tantum confert facultatem utendi ipsa re in proprium usum, & non etiam fruendi, seu fructus illius ad ipsum rei usum minime spectantes percipiendi, v. g. Cui nudus horti usus concessus est, potest tantum in eo ambulare, poma, olera, & alia, quæ ibi nascuntur, ad suum familiæque suæ usum accipere: non item ex eo omnes fructus percipere, suoque arbitratu absumere, vel alienare, sicut qui usumfructum horti accipit. Item, qui nudum usum habet jumentorum, potest tantum iis uti in equitando, currus trahendo, onera portando, agrum stercorando: non autem potest percipere pecorum fœtus, lanam, nec totum lac, caseum, butyrum, nisi quatenus in contractu exprimitur; hæc enim in fructu magis, quam usu numerantur. Pro pleniori dictorum intellectu aliqua breviter notanda sunt.

26 II. Usus generatim alius dicitur *facti*, alius *Juris*. Usus *facti* dicitur ipsa actualis rei usurpatio, seu jure, seu injuria facta: adeoque usum facti habere dicitur, qui solum utitur aliqua re; sicque etiam furibus, immo etiam brutis convenit, quæ utuntur herbis &c. Usus *Juris est* ipsum jus, seu legitima facultas utendi aliqua re; adeoque usum juris habere dicitur, qui & utitur, & potest ad libitum suum uti tali re, nam propterea dicitur habere jus utendi. Duplex autem est usus juris, *causalis, & formalis*. Usus juris causalis est jus utendi re sibi propria: ideo sic dicitur, quasi ab ipsa rei proprietate causatus: ex eo enim, quod habeam proprietatem alicujus rei, possum ea re pro libitu meo uti, nisi illud jus alteri cedere velim. Usus juris formalis, & proprie dictus est jus utendi re aliena, salva ejus substantia. Et hic tandem dividitur in usumfructum, & usum rei, modo explicatos. Usus juris *formalis* omnino debet esse independens a voluntate Domini Proprietarii, quo nimirum conceditur alicui jus, & facultas utendi aliqua re pro suo libitu, & independenter a voluntate, vel dispositione alterius, adeo ut quicumque, etiam ipse Dominus Proprietarius, injuriam inferat usuario, si eum in suo usu impediat. Unde usus juris perfectus, tam in usufructu, quam in usu rei, cum sit rei alienæ, salva ejus substantia, proprie non potest esse, nisi in rebus usu non consumptibilibus, quæ scilicet usu ipso non consumuntur, sed quibus adhuc permanentibus utimur; ut domus, ager, vinea, jumentum, &c. In his enim solum usus, seu jus, & facultas utendi distingui, ac separari potest a dominio, & proprietate rei, quippe post usum salvæ permanentis, ut Domino suo Proprietario adhuc salva cedere possit. In rebus autem usu consumptibilibus, quarum scilicet usus ipse est consumptio rei, ut pecunia, vinum, frumentum &c. certum, & evidens est, non posse esse usum juris proprie dictum: quia non est rei alienæ, salva ejus substantia: nec potest in his jus utendi ullo modo distingui a dominio, & proprietate rei ipsius, ut manifestum est: est enim usus jus, seu facultas utendi re: atqui ipso usu absumitur substantia talis rei: ergo eo ipso, quo conceditur usus talis rei, etiam conceditur dominium, & proprietas ipsius rei: nec nisi chymericum dominium reservari fingi potest, ut vel cæcus tangat.

III. Alius dari potest usus quasi juris permissivi, vel potius usus facti simplex, ac licitus, & omnino dependens a libera voluntate Domini Proprietarii, quo scilicet conceditur alicui facultas utendi re etiam usu consumptibili, sed omnino dependenter a libera concedentis voluntate, ita ut pro ejus libitu revocari possit. Et hic usus simplex facti, atque dependens omnino potest separari, & de facto separatur a proprietate, & dominio rei etiam usu consumptibilis, ut docet jam communissima DD. apud Lugo *cit. disp. 2. sect. 3. n.43.* Exempla sunt obvia. 1. Invitatus ad convivium habet facultatem utendi cibo, & potu proposito, nullum tamen dominium, vel proprietatem rei, sed omnia manent in dominio invitantis usque ad actualem absumptionem. 2. Filiifamilias utuntur bonis paternis, & servi Dominorum, in quibus tamen nullum dominium habent. 3. Quilibet Religiosus in particulari utitur rebus ad vestitum, & victum pertinentibus, in quibus tamen ipse in particulari nullum jus, dominium, vel proprietatem habet; in hoc enim consistit paupertas Religiosorum. 4. Sic denique FF. Minores nullum omnino jus, dominium, vel proprietatem ullarum rerum tam in communi, quam in particulari agnoscentes, usum facti simplicem, & dependentem habent rerum sibi concessarum, dependentem nimirum a voluntate Dominorum, vel dantium, qui datas a se eleemosynas, quocumque tempore absque ulla injuria revocare possent, cum revera in eorum proprietate, & potestate remaneant, donec absumptæ, vel alienatæ sint. Aliarum vero rerum permanentium, quarum Domini non existunt, vel se dominio abdicaverunt, dominium in se recepit Sedes Apostolica, & Ecclesia Romana. Et licet Joannes XXII. Pontifex eo dominio postea se abdicaverit, alii tamen Pontifices reassumpserunt. De quo vide late Bellarmin. *l. 4. de Summo Pontif. c. 3. & seq.* Lugo *cit. disp. 2. sect.2.* March. & alios Expositores in *c.4. de Reg. FF. Min.*

IV. *Dices* FF. Minores, aut juste, & licite utuntur rebus sibi concessis, aut injuste, & illicite: Non utique hoc secundum; ergo primum: Atqui quod juste, & licite fit, jure fit; ergo debent habere aliquod jus rerum, quibus utuntur. 28
Resp. *Conc.Maj. & disting. subsumpt.* quod juste, & licite fit, jure fit, jure legali, vel morali *Conc.* jure legali semper *Neg. subsumpt.* & similiter *disting. conseq.* Habent enim Fratres Minores jus morale, & naturale utendi rebus concessis, quatenus iis ex concessione dantium utuntur licite, & sine peccato: quatenus quilibet jure naturali (seu ut loquuntur Pontifices, jure *poli*) potest, & debet tueri vitam suam necessariis, & opportunis mediis, non autem habent jus legale, vel politicum utendi rebus sibi concessis, quo scilicet rem sibi concessam, vel ejus usum sibi proprium vindicent, ut etiam in Judicio eam defendere, & ablatam repetere actione civili possint. Unde auferens res Fratrum Minorum non infert injuriam directe ipsis Fratribus Minoribus violando aliquod ipsorum jus proprie dictum, cum ipsi revera ad illas res nullum jus habeant; sed infert injuriam directe, vel dantibus, vel summo Pontifici, qui sibi earum rerum dominium, vel reservant, vel in se assumunt. Potest tamen talis prædo etiam dici facere injuriam Fratribus Minoribus, quatenus eos vi, vel fraude impedit ab usu bonorum sibi concessorum: nam & ipsi & omnes homines habent jus naturale, & generale, ne quis eos invitos vi, vel fraude impediat a consecutione cujuscumque boni, etsi alias nullo jure debiti, ut obviis exemplis in eleemosyna, legato, collatione Beneficii &c. manifestum.

§. IV. *Habitatio, & servitus.*

I. **H**abitatio *est jus habitandi domum, vel locum per se, vel per alium.* Est solum usus rei specialis super nudum usum domus per conductionem, & locationem concessum, solum addens facultatem, talem domum, vel locum etiam alteri locandi, pretiumque locationis percipiendi. *L. cum antiquitas C. de usufructu.* Talis solet sæpe concedi, & legari ex pacto, vel consuetudine, ut in domibus locorum. 29

II. Servitus denique, aut active significat jus, quod quis habet in re aliena, vel persona, ut sibi aliquo modo suisque usibus deserviat, aut passive significat ipsam obligationem, qua res aliena, vel persona nostro usui obstricta est. Et dividitur in *personalem, realem, & mixtam*. Servitus *personalis* est jus personæ in personam, seu obligatio, qua persona personæ adstricta est ad serviendum ejus usibus: quale nimirum jus habet Dominus in suo servo, vel mancipio: de quo utpote vero dominio dicetur infra *sect. 3.* Servitus *realis mera* est jus rei in rem alienam, seu obligatio, qua res aliena rei nostræ obligata est, mox explicanda. Servitus *mixta* est jus personæ in rem alienam, seu obligatio, qua rei alienæ tuæ personæ, ejusque usibus adstricta est. Et dividitur in *usumfructum, usum rei, & habitationem*: de quibus jam audivisti. Sola ergo servitus realis, qua res rei obstringitur, tamquam ultima species dominii utilis, est hujus loci, ac duplex est, *urbana, & rustica*. 30

31 II. Servitus *urbana* dicitur, quæ urbanis prædiis inhæret, idest, domibus, vel ædificiis habitandi gratia extructis, ac annexis hortis, & areis. Et est vel *affirmativa*, v. g. ut ædium mearum stillicidium in tuum tectum, hortum, vel aream tuam recipiatur: ut tignum in parietem tuum immittatur: ut ex domo mea in, vel per domum tuam transitus pateat, &c. vel *negativa*: ut, ne altius ædes tuas tollendo prospectum ædibus meis adimas, vel ne fenestram in murum tuum versus meum, prospectum aperire liceat. At vero, seclusa tali servitute, pacto, vel præscriptione constituta, cuilibet in suo fundo licet ædificare usque ad cœlum, & in æde sua undequaque fenestras aperire, nisi lex aliqua obstet, aut ex malitia ad alterius despectum, vel detrimentum fieret. *L. altius C. de servitute*.

32 III. Servitus *rustica* dicitur, quæ inhæret prædiis rusticis, ut sunt agri, prata, pecorum stabula a domibus sejuncta. Hujusmodi servitus est, ut per agrum tuum transire currus, vel jumenta agere liceat. In prato tuo arenam fodere, calcem coquere, per fundum tuum canales, vel aquæductus ducere. Utraque porro servitus urbana, & rustica, aut est continua, vel quasi continua, quæ scilicet continuum actum, & usum habet, quantum est ex se; ut servitus aquæductus, stillicidia admittendi, tigni suscipiendi &c. aut est discreta, cujus scilicet usus, & actus sunt per intervalla, qui ab hominum actione pendent, ut arenæ fossio, pecorum ductus, vel pastus, venatio &c. in agro, vel fundo alieno.

33 IV. Servitutes omnes enumeratæ acquiruntur, aut pacto, aut contractu, aut usucapione, vel præscriptione, vel bona fide inter præsentes decem, inter absentes vero viginti annorum tempore. Aliqua tamen singulæ peculiaria habent. 1. Servitus realis affirmativa urbana, si continua, vel quasi continua sit, præscribitur dicto tempore ordinario, absque requisito aliquo titulo, sed requiritur sola scientia, & patientia Domini libere permittentis aliquem tali jure in suum præjudicium uti: ex eo enim tempore principalis talis actus inchoatur possessio servitutis. 2. Servitus autem hujusmodi affirmativa, si discontinua sit, solum cum titulo præscribitur dicto tempore ordinario: & si titulus desit, requiritur possessio temporis immemorialis cum bona fide, & hoc casu non requiritur scientia, & patientia Domini, quia possessio tanti temporis tribuit præsumptionem tituli. Servitutes reales negativæ præscribuntur quidem eodem dicto tempore ordinario; hoc solum iis peculiare est, quod possessio servitutis negativæ non antea acquiratur, quam Dominus in re sua aliquid agere conatur, & ego bona fide eum prohibeam: nam eo tempore incipit tempus usucapionis; utpote si vicinus meus domum suam altius attollere, vel fenestram aperire velit, & ego eum prohibeo, ratus mihi jus prohibendi competere, & ille acquiescat, ipso facto comparo mihi jus servitutis urbanæ in domo Petri. Et idem est in similibus casibus. 3. e contra similiter omnes servitutes reales, sicut & ususfructus, amittuntur, & extinguuntur per non usum dicti temporis, scilicet decem annorum inter præsentes, & viginti annorum inter absentes expresse *L. penult. C. de servit.* Hoc tamen discrimine, quod servitutes quidem rusticæ per solum non usum tollantur; at servitutes urbanæ, ut amittantur, non sufficit solum non usus, sed etiam requiritur actus contrarius, v. g. si domus tua serviat meæ in hoc, quod altius non tollatur, vel fenestra non aperiatur, ut ab ea servitute liberetur, nullus non usus sufficit, sed requiritur actus contrarius, ut nimirum aliquando ædes tuas altius tollas, vel fenestram aperias: ab eo tempore, altero præsente, & non contradicente per decennium, a servitute liber evades. *L. hæc autem jura, ff. de servitutibus Urban. præd.* Hæc summarie ex Laym. *l.3. tr.1. c.9.* Latius videre potes apud Molin. *t.1. tr.2. disp.66.* & Less. *l.2. c.6.*

SECTIO II.

De Subjecto dominii, seu quibus competat.

SUMMARIUM.

33 *Subjectum dominii duplex, remotum, & proximum.*
34 *Dominium habet, I. Deus absolutissimum omnium rerum.*
35 *II. Angeli proprie solum suorum actuum liberorum, &*
36 *III. Homo suorum actuum, & multarum rerum inferiorum.*
37 *De dominio uxorum.*
38 Usque ad n. 42. *De dominio, & peculio servorum, seu mancipiorum.*
42 Usque ad n. 47. *Explicatur dominium filiorumfamilias I. quoad* bona castrensia, & quasi castrensia.
47 *II.* Usque ad n. 51. *quoad bona* adventitia, &
51 *III.* Usque ad n. 56. *quoad bona profectitia; ubi resolvuntur varia.*
56 *Quoad bona paterna, filius nullum jus habet vivente Patre.*
57 *Nullus Religiosus solemniter professus potest habere dominium in particulari ullius rei temporalis.*
58 *Differentia inter votum simplex paupertatis, v.g. Scholasticorum Societatis Jesu, &*
59 & 60 *Inter votum solemne paupertatis in professione solemni Religionis.*
61 *In quo consistat paupertas Religiosa, ejusque obligatio.*
62 & 63 *Qui, quando, & qualiter peccent Religiosi contra votum paupertatis.*
64 Usque ad n. 72. *Exemplificatur in particulari variis casibus valde notandis.*
72 Usque ad n. 77. *An, & quomodo liceat Religioso habere, & ei a Prælato concedi possit proprium peculium.*
77 Usque ad n. 80. *Cui Religiosus acquirat, extra Monasterium Beneficium Ecclesiasticum habens, ad Monasterium non spectans.*
80 Usque ad n. 83. *An, & qualiter subsistat legatum, vel hæreditas relicta Monacho ea lege, ut ad ipsum, non ad Monasterium pertineat.*
83 Usque ad nu. 88. *Quale sit dominium Religiosorum in communi, & quarum rerum.*
88 & 89 *Quæ dicantur bona Clericorum.* I. patrimonialia,
90 & 91 II. Quasi patrimonialia. *Et*
92 III. Ecclesiastica, *seu* beneficialia: *& an eorum Domini esse possint.*
93 & 94 *Obligatio certissima, & gravissima Beneficiatorum superflua bona Ecclesiastica erogandi in pauperes, vel pios usus.*
95 *Clericus Beneficiatus acquirit plenum Dominium suorum redditüum Ecclesiasticorum congruæ sustentationi necessariorum: ita ut*
96 *Licet habeat propria patrimonialia, vel quasi patrimonialia, possit tamen in quemvis usum licitum ex redditibus Ecclesiasticis competentem sibi sustentationem accipere, ac*
97 *Illa etiam expendere tanquam verus Dominus, quæ parcius vivendo sibi subtrahit, vel subparcit.*
98 *Quænam proportionaliter censeantur requiri, & sufficere ad honestam, & decentem sustentationem Clerici.*
99 *Proponitur, &* usque ad n. 104. *probatur sententia tutior negans Clericum acquirere dominium redditüum superfluorum.*
104 *Proponitur, &* usque ad n. 109. *probatur sententia mitior, & probabilis, affirmans Clericos acquirere verum dominium suorum reddituum universim, etiam superfluorum.*
109 Usq; ad n. 113. *Solvuntur fundamenta sententiæ negativæ.*
113 *Obligatio illa Clerici sub mortali superflua expendendi in pios tantum usus, & non profanos, est juris naturalis ex virtute Religionis.*
114 *An sit obligatio restituendi pro redditibus, in profanos usus expensis.*

Dominii Subjectum duplex est: *remotum, & proximum.* 33
Subjectum *remotum* dominii dicitur ipsa persona, quæ est capax dominii, seu proprietatis rerum aliquarum. Subjectum vero *proximum*, & immediatum dominii, dicitur illa potentia, vel facultas animæ, qua quis potest libere disponere de rebus suis. Ex communi autem Sententia subjectum hoc proximum dominii est liberum arbitrium: adeoque omnes, & solæ substantiæ intelligentes, ac libertate præditæ sunt capaces dominii, tanquam subjecta remota. *Ratio* patet ex natura dominii, dominium enim est legitima facultas disponendi de re sua pro arbitrio: sed talis facultas, vel potestas necessario præsupponit libertatem; ergo &c. Excluduntur igitur bruta animantia, quæ non habent dominium super terræ gramina, quibus vescuntur, neque ipsius vitæ suæ. Unde qui ea a pastu prohibet, vel occidit, aut mutilat absque omni etiam causa, nullam facit injuriam ipsis brutis, sed tantum eorum dominis: & si is sit ipse dominus, nullam omnino injuriam faciet. Dicenda hac Sectione propter nimiam varietatem, non possunt una Assertione concludi. Do ergo per paragraphos disparatim.

§. I. *DEUS, Angelus, Homo, Uxor, Servus.*

Deus jure creationis habet dominium absolutissimum, 34
independens, & incommunicabile omnium rerum creatarum, quo potest liberrime disponere de omnibus rebus, mutando, transferendo, occidendo, annihilando &c. absque ulla dependentia a lege alterius, & absque ullius injuria: secluso solo pacto, vel promissione sua, quam servare debet ob infinitam, & immutabilem veracitatem, & fidelitatem suam. Idque proprie dicitur dominium Divinum, quia DEO ita proprium est, ut implicet contradictionem, DEUM eo se dominio abdicare respectu ullius rei, aut tale dominium alteri communicare; sicut implicat creaturam non esse creaturam. Sed de hoc DEI, & Christi, quatenus DEUS homo est, dominio rerum omnium, Scholastici in primo, & tertio Sententiarum.

Angeli.

Hi solummodo de facto habent dominium proprie dictum 35
suorum actuum liberorum: at vero rerum inferiorum, & corporearum non habent proprie dominium, sed solum potestatem gubernativam a Deo delegatam, ut contra aliquos ex communi docet Less. *l.2. c.4. de just. dub. 1.* Ratio est:

est: Quia Angeli non possunt disponere de iis rebus tanquam suis, & in suum commodum, quod proprium est dominii, sed solum de mandato Dei, ut Ministri Regii Provincias, & urbes, homines, eorumque res gubernant in ordine ad eum finem a Deo intentum, quod ipsum potest vocari dominium saltem Jurisdictionis late sumptæ. Unde & in Scriptura Domini, & Principes Regnorum appellantur. Verum & hoc Angelorum dominium non est ad nostrum propositum. Solum in praxi quæri potest, an sagæ, & magi acquirant dominium rerum a dæmone acceptarum, ut pecuniæ, auri &c. Resp. breviter ex Lugo *disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 9. eos non acquirere, nec legitime possidere eas res, si jam in alterius hominis dominio, & potestate fuerunt: v. gr. pecunias, quas ope cujusdam vermis ex aliorum cistis furantur. Secus, si fuissent inter res vacantes, vel plane derelictas, v. gr. ex fundo maris, vel fluminum, aurum ex visceribus terræ &c. harum rerum dominium acquirunt, etsi adhuc gravissime peccent ob damnatum cum dæmone commercium. Cæterum sine discrimine legitime recipitur, & possidetur, quod de facto Angeli boni subministrant; quia Angeli boni de facto semper operantur ut Dei Ministri, atque eadem auctoritate Dei Supremi omnium Domini dominia quarumvis rerum, etiam absque consensu priorum dominorum transferre, vel conferre possunt.

Homo.

36 HOmines habent dominium proprie dictum, & suorum actuum, & multarum rerum inferiorum, mox *Sect. seq.* de objecto dominii enumerandarum. Quin etiam pueri, & amentes habent, & retinent verum dominium rerum ad se pertinentium; juxta illud Galat. 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium.* Ratio est: quia dominium dicit potentiam, seu actum primum, quo quis secundum se aptus est uti, disponere de rebus suis secundum liberum arbitrium suum: neque requirit, ut actuali semper usu liberi arbitrii de rebus suis apte disponere possit: alioquin eo ipso, quod quis dormiret, vel inebriatus esset, amitteret dominium rerum suarum, quod est ridiculum: ergo pueri, & amentes vere habent, & retinent dominium suarum rerum, quantum ad facultatem, & actum primum; etsi tunc, impedito libero arbitrio, non possint exercere dominii actus. Quin etiam de novo legato, vel dono Principis iis, sicut & alteri cuivis, etiam nondum acceptanti, immo & nondum nato, conferri potest dominium, ut infra patebit. Unde nihil obstat, quod infans, vel amens non possit acceptare dominium per se: nam ejus loco, acceptat Respublica ex vi legum, immo ex vi primævi juris gentium, ac divisionis rerum, ut bene ostendit Lugo modo *cit. sect.* 1. Jam vero hic supersunt speciales difficultates quoad aliquas personas, vel status hominum, utpote uxores, servos, filiosfamilias, Religiosos, & Clericos, qua ratione sint, vel esse possint capaces dominii rerum. Uxores, & servos hic adjicio. De reliquis, distinctis paragraphis.

Uxores.

37 UXor habet verum dominium suorum bonorum paraphernalium, cujusmodi sunt: 1. Omnia, præter dotem marito traditam, habita, vel aliunde acquisita, utpote sibi ab aliis donata, legata, vel derelicta. 2. Quæ ipsa ultra debitam familiæ gubernationem sua industria, opere, & labore sibi comparat. 3. Quæ defraudando suum genium in concessis sibi a marito sumptibus pro victu, vestitu, honestis donationibus, recreationibus, & similibus sibi subtrahit, & comparcit. 4. Maxime, quando a marito uxori assignatur certa summa pro sua, & liberorum sustentatione, quod superest, vel subtrahit, ipsius est. Ipsius, inquam, sunt ejusmodi bona, tam quoad dominium proprietatis, quam quoad usumfructum, & administrationem, sic ut de iis pro libitu disponere, donare, eleemosynas facere libere, & licite possit, juxta communem DD. sententiam. *Ratio est:* Quia quoad ejusmodi bona sibi propria uxor se non habet ut uxor, sed ut homo condistinctus a marito, cum quo proinde de hujusmodi bonis paciscí potest. *Excipe.* Nisi forte ipsa velit administrationem horum bonorum marito tradere, quam administrationem tradidisse censetur, quoties, & quamdiu uxor maritum non excludit, ex *L. fin. Cod. de pactis conventis tam super dote.* Attamen ad exactionem debitorum uxoris in bonis ipsius propriis requiritur speciale mandatum ejusdem uxoris, vel certe ejus ratificatio: Secus, non erit debitor liber, ex *L. cum maritum, C. de solutionibus, & liberationibus.*

Cæterum quoad bona dotalia, quamvis eorum dominium directe & proprietas ad uxorem spectet, quia tamen rerum administratio, usus, & fructus durante matrimonio ad maritum jure pertinent, ideo si uxor auferat aliquid notabile ex illis bonis marito, serio graviter, & quoad substantiam invito, peccat mortaliter cum obligatione restitutionis; ut ex communi vidimus supra *tr. præc. c.* 5. *sect.* 2. in septimo Præcepto, simulque indicavimus, quantum uxor inscio marito auferre, & usurpare possit; aut citra peccatum mortale furti, aut citra omne peccatum ad honestas donationes, & eleemosynas; quæ hic non sunt repetenda.

Servi, seu mancipia.

I. CErtum apud omnes, servum habere jus, & dominium vitæ suæ, & membrorum. Item honoris, ac famæ suæ: atque in iis pati posse veram injuriam, non tantum ab aliis, sed etiam a domino, adeo ut in his servum lædens dominus teneatur ad restitutionem, seu compensationem damni illati, sicuti teneretur ex simili injuria alteri homini libero illata: *Ratio est:* Quia in his non consideratur ut servus, sed ut homo, & membrum contradistinctum Reipublicæ. Qua ratione inter servum, & dominum posse esse proprie justitiam, & injuriam, diximus jam supra. 38

II. Quoad bona vero temporalia certum est jure communi nullum prorsus servos habere dominium, vel peculium proprium, sed quidquid acquirunt, domino acquirere, ut habetur *L.* 1. §. 1. *Instit. De his, qui sui Juris, vel alieni sunt.* Ratio est: Quia servus ipse est de peculio domini sui, & inter ejus bona temporalia computatur; ergo multo magis ejusmodi erunt omnia temporalia servi undecumque acquisita. Vide late Molin. *tr.*2. *disp.*28. & alios passim. 39

III. Illæ tamen leges servum omni dominio temporali privantes ipso usu, & consuetudine legitima non nihil sunt mitigatæ, & ideo aliquot tituli, & casus enumerantur a Doctoribus, in quibus dominio rerum temporalium, seu proprio peculio, etiam in foro conscientiæ potiantur, adeo ut si ejusmodi res dominus, invito servo, usurpet, veram injuriam ei inferat, & servus possit occulte sibi compensare. Et *Ratio erit:* Quia eo ipso, quo conditio servilis per talem usum, vel consuetudinem mitigata est, quoad aliqua pecula, jam in iis servus respectu domini non consideratur ut servus, sed ut homo, ideoque eo peculio potiri, & in eo injuriam pati poterit. Nec inferas idem de Religioso: nam conditio, & ratio Religiosi quoad votum paupertatis omne prorsus dominium, vel proprietatem peculii excludens nullo usu legitime mitigata est, nec mitigari potest. 40

IV. Tituli, seu casus illi, quibus servus proprio peculio potiri potest, potissimum numerantur sequentes. *Primus* ab omnibus admissus est, si dominus ipse expresse consentiat, servum habere peculium: idque maxime, si dominus ipso servo aliquid donet, ut ipsius sit: aut aliquo pacto cum eo, ut homine, contraxit: v. g. ut de suis operibus quotidie tantum domino pendat, reliquum sibi servet: tunc enim naturali jure, & in conscientiæ foro servari debet. *Secundus.* Si quid servo ita donetur, vel legetur ea expressa intentione, ut ejus proprium maneat, & ad dominum non perveniat. Cujusmodi etiam videtur, si detur servo aliquid, quo se possit redimere. Praxis etiam modo apud Turcas servata. *Tertius.* Si quid servo relinquatur absolute, & non invito domino, ut ob industriam, vel obsequium a servo alicui exhibitum, aut servæ ob usum corporis. *Tambur.* etiam refert, si quid relinquatur servo ob ejus amorem, vel si consanguinei ejus longe dissiti mittant ei aliqua dona. *Quartus.* Si servo aliquid detur ob injuriam ipsi illatam. *Quintus.* Si quid servus suo proprio peculio lucretur, ludo, sorte, negotiatione; quia lucrum induit rationem, seu naturam capitalis. *Sextus.* Si quid servus sibi subtrahat ex his, quæ de consensu domini, vel sine ejus incommodo poterat libere absumere, vel expendere. *Septimus.* Si quid acquirat servus faciendo alia opera præter illa, quæ Dominus exigit, vel præscribit. De his vide late Sanch. *l.*7. *de matr. disp.* 22. Molin. *disp.* 38. Lugo *cit. disp.*3. *sect.*3. Tamb. *l.*8. *tr.* 1. *c.* 2. §. 1. Non juvat his immorari, cum sint in nostris partibus raræ praxes. 41

§. II. *Filiifamilias.*

HOrum peculium (sic dictum quasi pusillæ pecuniæ possessio, vel dominium, olim enim possessio, vel dominium rerum, generatim dicebatur *pecunia* a pecore, in quo maxime consistebant possessiones, ac divitiæ antiquorum: ut etiam notat D. Aug. *l. de Doctrina Christiana c.* 1.) Peculia, inquam, filiorumfamilias, seu bona ad ipsos pertinentia possunt esse quadruplicia: *Castrensia, quasi Castrensia, adventitia, & profectitia.* 42

I. Castrensia, & quasi Castrensia.

BOna, seu peculia castrensia dicuntur, quæ quis ratione militiæ acquirit, sive mobilia sint, sive immobilia: ut stipendia militum, prædæ ex hostibus, donationes Ducum, commilitonum, legata ratione militiæ, data a parentibus filio eunti ad bellum, vel obsequium Principis. Denique omnia lucra, quæ ex talibus bonis mediante fructu, vel contractu proveniunt. Vide Lugo *disp.* 5. *sect.* 2. 43

II. Quasi castrensia bona dicuntur, quæ licet ratione militiæ acquisita non sint, gaudent tamen privilegio castrensium, eo quod acquiruntur medio etiam ordinato ad bonum commune Reipublicæ: utpote illa, quæ filius acquirit ex quocumque officio publico, quod stipendium publicum habet. *L.*7. *cum multo C. de bonis, quæ liberis*; utpote Advocati, Medici, Consiliarii, Professores Theologiæ, Juris, Medici- 44

dicinæ, aut unius ex artibus liberalibus non mechanicis. Item, quæ filius Clericus acquirit ex Beneficio, vel Officio Ecclesiastico. Item, quæ filius acquirit ex donatione Principis, & quidquid datur expresse filio, ut sint quasi castrensia, quæ non possunt legitime fieri, nisi a Principe, vel Domino Superiore & patris, & filii.

45 III. Filiusfamilias plenum, & perfectum dominium habet bonorum suorum castrensium, & quasi castrensium, ita ut eorum dominium directum, seu proprietas, & dominium utile, ac ipsa administratio ad ipsum filium pleno jure spectet independenter a parente; adeoque de ipsis (nisi ætate, vel lege impediatur) libere possit disponere, donando, contrahendo &c. tum erga alios, etiam invito parente, tum erga ipsum etiam parentem, justitia simpliciter dicta, ut de his etiam possit dari lis in judicio inter patrem, & filium. *Omnes*. Statuitur expresse *L.* 2. *Castrense ff. de peculio castrensi*. Ratio est; Quia ita expedit bono communi Reipublicæ, ut filiusfamilias in bonis acquisitis ex bello, vel officio publico, sui juris, & a parentibus independens sit, ne alias ab obsequio boni communis retrahatur.

46 IV. Dixi in parenthesi: *Nisi ætate, vel lege impediatur:* Si enim ætas impediat, administratio, & usus eorum bonorum parenti cedit: Lege enim prohibetur filius impubes testari de quibusvis bonis, etiam castrensibus. Item lege prohibetur filius pupillus alienare de bonis suis. Sed in probabili Sententia talis alienatio saltem quoad mobilia, non irritatur, sed solum datur ad repetendum, seu, ut loquuntur DD. non tollitur obligatio naturalis in foro conscientiæ, sed solum obligatio civilis in foro judiciali. Quod si ergo filiusfamilias, vel pupillus aliquid tibi donet de bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus, quamvis sine consensu patris, vel tutoris, sine scrupulo poteris id retinere, donec repetatur; disponit enim de re sua. Idemque dic in quovis contractu, ludo &c.

II. *Adventitia*.

47 I. Bona adventitia filiorum dicuntur, quæ nec castrensia, nec quasi castrensia sunt, ita tamen acquisita a filio, ut nec a parente proveniant, nec parentis causa, vel intuitu principaliter sint data, sed omnino aliunde, utpote quæ filius acquirit artificio, industria, casu, fortuna, inventione, legato, donatione aliorum. Item jure hæreditario a matre, avis maternis, aliisve propinquis in linea materna.

48 II. Horum bonorum adventitiorum filiusfamilias solum habet dominium directum, seu proprietatem rei, dominium vero utile, usumfructum, administrationem habet Pater, dum vivit. *L. cum oportet, C. de bonis, quæ liberis*. Excipiuntur casus. 1. Si ipse pater usumfructum filio concedat. 2. Si ab aliis ipse ususfructus expresse filio relictus, vel concessus sit; tunc enim pater nil habebit: quia super usumfructum non potest statui alius ususfructus. 3. Quando pater noluit consentire filio adeunti aliquam hæreditatem; aut accipiat filia dotem, patre non consentiente: tunc enim non habebit usumfructum. 4. Quando pater contraxit incestuosas nuptias; aut minus legitimum divortium fecit: tunc enim ea bona filiis applicantur Auctoritate juris, & DD. vide apud citatos.

49 III. Hunc usumfructum in bonis adventitiis filii semel acquisitum semper retinet pater, quamdiu vivit, etiam mortuo filio, aut patriam potestatem egresso, etiam Religionem quamlibet professo: quia professione nullum patri jus auferri debet. Mortuo tandem patre, plenum dominium cedit filio. *At*, quid si pater Religionem profiteatur? *Resp.* Tunc quamdiu vivit professus, ususfructus eorum bonorum competit Religioni, si ea sit capax successionis, ac bonorum in communi: eoque mortuo, tandem cedit filio, vel ejus hæredi. Si autem incapax sit Religio, statim secuta professione, ususfructus cedit filio in sæculo remanenti, qui jam erat eorum bonorum adventitiorum dominus directus, ac proprietarius.

50 IV. Quod si bona adventitia filii sunt usu consumptibilia, ut pecunia, vinum, frumentum &c. cum jura nil specialiter decernant, bene docet Lug. *cit. disp.* 5. *sect.* 2. *n.* 35. tunc patri cedendum esse usumfructum minus proprium a nobis supra descriptum §. 2. Denique quod si aliquis instituat ex æquo hæredem Titium patrem, & Cajum ejus filiumfamilias, ita dividenda erit hæreditas, ut totus ususfructus pertineat ad patrem etiam ex dimidia illa parte, qua hæreditas proprietarie ad filiam pertinet; uti cum Sanchez, & aliis docet Lugo *ibid. n.* 34. Idemque dicendum, quando aliquid donatur, vel relinquitur filio partim intuitu filii, partim intuitu Patris. Item quando dubium est, an res sit donata intuitu patris, vel intuitu filii præcise, neutro adhuc possidente: alioquin melior erit conditio possidentis. Ex Molin. Lug. *ibid. n.* 38. Nec obstat, quod habetur argumento *authenticæ. Item hæred. C. de bonis, quæ liberis*. Ubi patre, & filio succedentibus alteri filio, ususfructus suæ portionis decernitur pertinere ad filium. Nam, cum hæc lex corrigat jus commune, non extendi debet a casu ad casum; & aliunde jure communi ususfructus hæreditatis advenientis filio, semper debet ad patrem pertinere.

III. *Profectitia*.

I. Bona seu peculia profectitia filii dicuntur, quæ a filio acquiruntur, vel ex ipsis rebus, vel substantia patris, utpote negotiatione, opera, industria in bonis paternis, de quibus mox: vel ab aliis principaliter intuitu ipsius patris data, quippe alias non danda, nisi respectu patris, vel ad ejus utilitatem: utpote quæ ab aliis dantur filio ad studia, ad sacros Ordines, ratione nuptiarum, filiæ ad dotem &c. nam quæ ab ipsis parentibus dantur filiis in patrimonium ad studia, ad nuptias, filiæ ad dotem &c. non sunt profectitia, nisi quoad hunc effectum, quod debeant postea in partitionem hæreditatis cum aliis fratribus afferri: dominium tamen eorum, & fructus percipiendi ad filium, vel filiam pertinent, neque ii fructus adferri debent in partitionem, uti ex Molina notat Lugo *cit. n.* 37. *in fine*. 51

II. Horum bonorum profectitiorum filiusfamilias nullum omnino habet dominium, nec directum, nec virtuale, sed utrumque ad patrem pertinet, filio solum concesso usu simplici, & dependente a patre; juxta communem DD. cum Navarro *c.* 1. *n.*142. Less. *l.*2.*c.*4. *de just.dub.*3. Molin. Lug. cit. Unde de ejusmodi bonis profectitiis (immo nec adventitiis, cum eorum fructus ad patrem spectet) nil potest filius alienare sine consensu patris: v. g. non potest pecuniam ludo exponere, alioquin tenebitur ipse, vel collusor evincens restituere, nisi censeatur pater remittere; ut certe censetur remittere in modica summa: quia sic est parvum damnum patris, & dedecus esset filio parvum illud restituere. Tamb. *l.*5. *c.*4. §.1. *n.*7. At, quid si filius ludo, & ejusmodi pecuniis paternis lucretur, cujusnam erit illud lucrum? Resp. In rei veritate adhuc esse bonum profectitium; ideoque in rigore loquendo esset totum patri tribuendum; ex alio tamen capite communiter loquendo poterit sibi filius retinere, nam nunquam solent ea lucra a filiis exigere patres, etsi bene scientes provenisse ex ludo; uti bene ex Rebello notat *Tamb. cit.* Loquimur autem de ludo licito: nam in ludo illicito, filius non est subditus patri, atque lucrum ex eo ludo habitum absque controversia sibi acquirere filium, notat *Rebellus*. Unde sequitur, posse te evincere a filiofamilias, quæ ipse a te in ludo illicito lucratus est. Sequitur ulterius hæc ludo, seu licito, seu illicito, acquisita, ita esse filii, ut non oporteat ea postea adducere in portionem hæreditatis. Unum, aut alterum magis dubium est. Propono breviter; 52

III. Quid de bonis, seu peculiis, quæ filius ex bonis paternis negotiando propria industria acquirit? *Bartolus*, *Baldus*, & alii apud Sanch. *l.* 2. *consil. dub.*9. *n.* 3. docent, lucrum illud esse mixtum, partim profectitium, quatenus est ex industria singulari, ac labore filii: ideoque proprietatem lucri partim pertinere ad patrem, partim ad filium. Contra *Sylvest. Azor. Less.* cum Molina *cit. disp.*234. docent, totum illud lucrum esse profectitium, & ipsius patris. Et omnino verum esse merito notat Lugo cit. *disp.* 5. *n.* 40. quando illud lucrum acquiritur ex bonis paternis non solum materialiter, sed etiam formaliter; quatenus nimirum bona patris sunt, ipso scilicet volente, ipsius nomine, & cum ipsius damno, vel periculo, negotiante filio: hæc enim est definitio peculii adventitii a Legibus usurpata, quod scilicet, vel ex substantia patris, vel ejus occasione filius acquirit: totum ergo, quod acquirit, patri acquirit. *At*, inquis, industria tota est filii, lucrum autem ex industria, ex bonis, etiam alienis, vel furtivis, cedit industrio. *Resp.* Ita. Sed nisi talis industrius censeatur eam industriam gratis exhibere in commodum alterius, ut est in proposito: filius enim ex amore patri debito censetur ei servire, ideoque eam industriam gratis exhibere in commodum patris: ut in simili mox iterum dicam *num. seq.* At vero quando filius lucratur industria, & negotiando de bonis paternis materialiter tantum, & non formaliter, quatenus ejus bona sunt, nec illius, sed suo nomine, sive deinde licite, sive illicite ejus res, vel pecunias accipiat, jam lucrum non erit profectitium, nec ipsius patris, sed filii: quia jam non concurrunt bona patris, sed filii, ut talia sunt, sed perinde se habent, ac si essent res alterius extranei. Unde si pecunia illa otiosa mansisset apud patrem, nec ullum damnum, vel periculum subiit pater propter illam acceptionem pecuniæ ad negotiandum, ad nullam restitutionem tenebitur filius. Alioquin adhuc quidem lucrum totum erit filii, tenebitur tamen ad restitutionem patri pro interesse, seu lucro cessante, vel damno emergente, juxta dicta suo loco *tract.* 4. 53

IV. Quid, quando filius cæteris plus laborat, & ministrat patri, plus operæ, & industriæ adhibet in administrandis bonis paternis, in opificio, officio &c. debetne ei pater stipendium laboris, & operæ suæ, & patre non solvente, poteritne filiusfamilias id postea a cohæredibus exigere? filiusfamilias, inquam, qui in domo paterna degens a patre alitur: Affirmant absolute plures, *Bart. Navarr. Lopez*, *Less.* ac plures apud Sanch. *cit. dub.*8. Ac probabilem censet Laym. *l.*3. *tr.*4. *c.*8. *n.*6. Dian. *p.*3. *tr.* 4. *Miscel. ref.* 66. Negant absolute alii cum *Molin.* & *Sanch. cit.* 54

Verum Lugo *cit. disput.*5. *sect.*2. *num.* 42. rectius ita distinguendum docet: Quando operæ, & obsequia illa sunt ex iis, quæ pater jure paterno potest exigere a filio, quæque proinde filius tenetur exhibere patri juxta personæ conditio- 55

tionem, & patris indigentiam, ut scilicet adjuvet patrem ad sustentandam familiam, gubernationem domus &c. (alia enim potest exigere a filio pater pauper, vel opifex, quæ non potest exigere dives, vel nobilis,) & tunc pro illis non potest exigere stipendium filius. Et sic est universaliter vera secunda sententia. *Ratio* patet: Quia operæ alias debitæ nihil potest deberi de novo ex justitia. *Adde:* Quia alioquin pater posset juste negare, aut hæredes postea detrahere a patre data in victu, vestitu, & aliis omnibus: nam censetur esse voluntas patris, casu, quo filius postea stipendium sui obsequii exigeret, ut sicut filius noluit patri gratis inservire, sic pater noluit gratis filium alere. Hinc filius opificis, qui patrem in officio adjuvat, non potest exigere stipendium, quia pater habet jus, ut a filiis juxta statum suum adjuvetur. Idem dicendum, si patri ægrotanti filius inserviat, & ministret; cum totum hoc ex pietate sit debitum patri; immo etiam matri, ut recte infert Lugo *cit. n.* 43. in fine. At vero, quando operæ, & obsequia illa non sunt ex illis ita debitis patri jure paterno, sed extraordinaria, & supra debitum filii, poterit utique filius velle sibi stipendium reddi: atqui si reipsa sic voluit, & protestatus est, se nolle in iis gratis servire, sed pro stipendio poterit omnino postea tam a patre, quam a cohæredibus exigere stipendium pro ejusmodi obsequio indebito, quantum daretur extraneo, detractis tamen impensis, quas pater tunc in illo alendo faciebat: facta enim tali protestatione, censetur pater consensisse in stipendium, adeoque id debitum esse ex contractu. Et sic vera est prima Sententia, quam probabilem censuit *Laym.* Cæterum, si filius in ejusmodi operis, vel obsequiis indebitis præstandis nil protestatus est de stipendio, censetur etiam ipsa filius gratis exhibuisse in commodum patris; & sic rursus nullum postea stipendium exigere potest, ut recte notat *Less. cit.* Ratio est: Quia quoties negotiatio, vel industria rationabiliter creditur gratis exhiberi, (ut certe in proposito censetur filius exhibere patri) negotii gestor non poterit pretium exigere, nisi protestatus sit se id gratis non facere, præsente eo, cujus negotium geritur: tunc enim forte nollet is ita fieri, quia inveniet alium, qui gratis faciat, vel forte faciet ipsemet per se: ergo multo minus filius poterit exigere stipendium pro negotio patri gesto, nisi ita protestatus sit. Interdum tamen contingit, ut licet filius revera patri nolit gratis laborare in ejusmodi operis non debitis, non audeat tamen de stipendio mentionem facere ob metum reverentialem, seu ob reverentiam patri debitam, & tunc, si ex eo nullum pater pateretur detrimentum (ut si moraliter constet, patrem ea negotia non facturum fuisse per seipsum, nec invenisse alium, qui gratis, vel minori pretio fecisset) tunc rursus locum habere poterit prima Sententia; nimirum filium adhuc posse exigere stipendium, quod alius extraneus exigeret, detractis tamen similiter alimentis tunc tempore perceptis a patre: quia dum operatur pro stipendio, ex quo vivere posset, non tenebatur eum pater alere.

IV. Bona paterna.

56 QUoad bona paterna ergo (cujusmodi sunt 1. Bona propria ipsius patris, vel matris. 2. Bona communia dotalia. 3. Bona profectitia hactenus explicata quoad plenum dominium. 4. Bona adventitia quoad commodum utile tantum) filiusfamilias nullum habet jus vivente patre reale, sed tantum potest habere usum facti simplicem, dependentem a voluntate parentum: adeo ut si insciis, vel invitis parentibus, absque omni eorum expressa, tacita, vel rationabiliter præsumpta licentia aliquid notabile auferat, absumat, alienet, etiam in eleemosynas donet &c. furtum ex genere suo mortale committet, ut jam explicatum habes in septimo Præcepto, *tr. præc. c.* 5. *sect.* 2. quæ hic recole.

§. III. Religiosi.

Primo in particulari.

57 I. NUllus Religiosus cujuscumque Religionis professus solemniter potest habere dominium ullius rei temporalis, scilicet pretio, vel pecunia æstimabilis in particulari, secundum omnes. Habetur expresse in jure Can. *c. Non dicatis* 12. *q.* 1. *c.* 6. cum ad Monasterium de statu Monachorum, ubi Innoc. III. sic loquitur: *Prohibemus quoque in virtute obedientiæ, & sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat &c.* Et infra: *Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo, se fecisse.* Et demum in fine sic concludit: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare.* Et Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de Regul. ita decernit: *Nemini Regularibus tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel retinere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur:* Ratio est evidens: quia Religiosus per votum Paupertatis in solemni professione abdicavit a se omne dominium proprietatis, adeoque incapacem se reddidit omnis dominii, & proprietatis rei temporalis, & particularis, & pro se. Quid in communi dicendum, videbimus infra in fine.

II. Notanda est hic magna differentia inter votum solemne Paupertatis in professione Religionis, & votum simplex Paupertatis, quale post biennium emittunt Scholiastici Societatis JESU; quia illud votum simplex non privat, sed stat cum dominio radicali, & in actu primo rerum antea habitarum, & acquirendarum, mobilium, & immobilium, sed solum privat dominio, ac jure actuali utendi, vel disponendi de iis pro libitu, sine consensu Superiorum, juxta Bullam Gregor. XIII. *Ascendente Domino.* Ratio est: quia paupertas Religiosa non consistit in eo, quod reddat hominem incapacem dominii radicalis, & velut in actu primo, quale etiam infans habet sub Tutore constitutus; sed quod privet hominem potestate res retinendi, iis utendi, de iis disponendi ad suum arbitrium, saltem licite: nam contra Mol. rectius docent Sanch. *l.* 7. *Moral. c.* 18. & Laym. *l.* 4. *tract.* 5. *c.* 7. *num.* 3. si talis Religiosus cum voto simplici paupertatis de bonis suis, vel antea habitis, vel postea acquisitis per hæreditatem, donationem, vel alio modo, absque consensu Superiorum disponat, donet, vel alienet &c. peccaturum quidem mortaliter contra votum Paupertatis, quo sibi facultatem ita disponendi interdixit, attamen dispositionem validam fore; quia retinet dominium bonorum suorum, donec eis se abdicet, & consequenter alter accipiens valide acquiret, nec restituere tenebitur, licet forte aliquando in culpæ pœnam iis privari possit per Judicem. 58

III. At vero votum solemne Paupertatis emissum in professione solemni Religionis privat hominem ipso dominio, & proprietate rerum habitarum, & acquirendarum tam radicali, & in actu primo, quam actuali, scilicet omni facultate tam valide, quam licite disponendi de rebus suis, vel alias res acquirendi. Sed hoc quo jure? Resp. Probabilius solum jure Ecclesiastico, non divino, vel naturali; ut ex S. Thoma docent *Azor. Vasq. Less.* aliisque cit. Tanner. *hic disp.* 4. *q.* 1. *dub.* 4. & optime Lugo *disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 75. Ratio sufficiens patet ex modo dictis: Quia nimirum votum solemne, & simplex in ratione voti, & obligationis naturalis sunt omnino ejusdem rationis essentialiter, ut patet: atqui votum simplex Paupertatis in Religiosis Societatis non privat dominio radicali rerum, immo nec facultate actuali disponendi valide, sed tantum licite, ut dictum est: ergo quod votum solemne Paupertatis omni prorsus dominio rerum, omnique facultate, etiam & valide de iis disponendi privet, non est ex natura voti, & jure Divino, sed solum ex jure Ecclesiastico, seu ex institutione Ecclesiæ, votum solemne ea tantum ratione exigentis, & acceptantis per Prælatos, ut professum omni dominio rerum ante habitarum privet, omnique, & acquirendi, & transferendi res incapacem reddat: ut habetur expresse *cap. unico de voto in* 6. Eadem nimirum prorsus ratione, qua votum solemne Castitatis emissum in professione Religionis (ac etiam in susceptione Ordinis Sacri, saltem implicite emissum) ex natura voti, & ipso jure Divino naturali reddit illicitum matrimonium: sicut & votum simplex; & solo jure Ecclesiastico reddit etiam matrimonium invalidum, seu est impedimentum dirimens matrimonii, in vera Sententia DD. nimirum Ecclesia per Prælatos tale votum solemne non aliter acceptante, quam ut voventem etiam inhabilem, & incapacem reddat matrimonii etiam valide contrahendi. 59

IV. Quoad Religiosos speciales etiam gravissimæ sunt difficultates. 1. Qualiter peccent contra votum Paupertatis. 2. An, & quomodo liceat Religioso habere proprium peculium. 3. Cui acquirat Religiosus Beneficium possidens extra Monasterium, & ad Monasterium minime spectans; nam si Parochia v. g. ad Monasterium spectet, eique incorporata sit, totum Monasterio acquiri, nimis clarum est. 4. An, & quomodo subsistat legatum, vel hæreditas, Ex. gr. tali Monacho ea lege, ut ad ipsum, & non ad Monasterium pertinere debeat. Et tandem 5. quale sit votum Religiosorum in communi. Do ordine, & quam possum, brevissime per quæstiones, quia una Assertione commode comprehendi non possunt. 60

QUÆSTIO I.

Qualiter Religiosus peccet contra votum Paupertatis.

REgula generalis. Paupertatis Religiosæ, ipsiusque Religiosi ex voto Paupertatis obligatio his tribus terminis includitur. 1. *Uti rebus tamquam non suis*, vel solum capiendo simplicem usum facti, excludendo omne prorsus jus, vel actionem politicam, sive in rem, sive in usum ejus; excepto solo universali jure naturæ, quo quilibet in extrema necessitate potest sibi providere in necessariis. Hoc est, quod docuit Christus in Evangelio: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest &c.* Hoc exercuerunt primi Christiani, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. 2. *Uti rebus de voluntate rationabili Superiorum:* seu de licentia explicita, vel implicita. Voluntas, vel licentia Superioris expli- 61

explicata, vel expressa est, quæ verbo, scripto, vel alio signo est manifestata. Implicita vero, tacita, vel rationabiliter præsumpta licentia dicitur, quando ex circumstantiis probabiliter creditur Superiorem velle, eique placere, me tali re uti: aut licet actu nesciat, & positive non velit, tamen ita dispositus est, ut, si sciret, omnino vellet, & licentiam daret, vel etiam quandoque licentiam dare deberet. Et sufficit omnino talis consensus tacitus, vel rationabiliter præsumptus, secundum omnes. Item sufficit consensus in rem; ut nimirum Superior contentus sit, me talem recipere, retinere &c. etsi invitus sit quoad modum, quod si occulte, eoque inconsulto recipiam, vel usurpem: quo casu non raro venialis saltem culpa committitur: at contra obedientiam potius, quam contra paupertatem, ut omnes notant. At minime sufficit consensus involuntarius extortus fraude, dolo, falsis informationibus, importunis vexationibus &c. Neque etiam sufficit consensus irrationabilis absque scilicet justa causa a Superiore præstitus. Qua ratione Superiores sæpe causa sunt damnationis subditorum, & relaxationis Ordinis. Unde notanter dixi: *Uti de voluntate Superiorum rationabili*. Debet ergo consensus Superiorum esse, *& voluntarius*, ut Superior libera voluntate consentiat; *& rationabilis*, ut propter justam causam, vel rationem aliquam consentiat. 3. *Uti rebus intra terminos liciti & honesti*; ac etiam juxta modos in Regula, vel constitutionibus cujusvis Religionis expressos, utpote moderate, non excessive, non superflua, curiosa, pretiosa, aut alia ratione, quam Regula, & constitutiones permittant. Peccato ergo proprietatis contra votum Paupertatis pro ratione materiæ æstimandæ, sicut in furto, mortaliter, vel venialiter peccant Religiosi, ut sequitur.

62 I. Quisquis utitur rebus tamquam suis, aliquod scilicet in eis jus, dominium, vel usum juris proprii prætendendo. Qua ratione maxime peccant ii, qui ante professionem, pecuniam, census, & similia sibi reservant, aut hæredes suos ad talia præstanda onerant, aut legata sibi facta hac ratione acceptant; idque quocumque prætextu, v. g. studiorum, Primitiarum, valetudinis, recreationum, &c. ut nimirum iis utantur post professionem suo arbitrio, & libitu, sine dependentia, licentia, & legitima voluntate Superiorum. Tales nimirum in ipsa professione DEO mentiti, quamdiu ita perseverant, sunt in continuo statu peccati mortalis, & æternæ damnationis periculo; utpote directissime proprietarii contra votum paupertatis. Quod si tamen reservatio illa non fieret ita possessive, ut nimirum professus propria auctoritate, & libitu de iis postea disponat, sed tantum applicative, ut nimirum talis pecunia postea cum consensu Superiorum in talis Religiosi usum expendatur, in aliis quidem Religionibus per se non est illicitum, & sæpe utiliter applicatur, at minime liceret in nostro Ordine: quia Regula ita abdicat omne, quod redditum, vel proprietatem sapit, ut ne quidem per modum providentiæ in futurum, liceat professo aliquid temporale sibi reservare quavis auctoritate, vel intentione, etiam simplicis usus tantum, uti declararunt Summi Pontifices *Nicolaus III. & Clemens V.*

63 II. Peccant quicumque quamcumque rem temporalem domi, vel foris, etiam ad victum, vel vestitum pertinentem citra Superioris licentiam, vel consensum expressum, vel tacitum, aut rationabiliter præsumptum, accipiunt, retinent, occultant, consumunt, distrahunt, permutant, donant &c. Ita omnes passim, & præ reliquis Navar. *c.17.n.*105. Less. *l.2.c.*41.*dub.*8.*&* 9. Sanch. *l.7.mor.c.*19. *&* 20. fusissime.

64 In particulari ergo exemplificando peccant, 1. Qui ab aliis data, vel donata recipiunt, & retinent contra, vel citra ullum, ne præsumptum quidem consensum, & licentiam Superioris, prout clare decernit *Conc. Trid.* supra allatum. Item qui res alias quomodocumque acquisitas, abscondunt, vel occultant, ne Superior sciat, vel auferat, nolentes permittere ejus liberæ dispositioni: aut si Prælatus abstulerit, tanquam injuriam passi remurmurant: immo etiam qui post Superioris licentiam aliqua accepit, postea abscondit, ne Superior, mutata sententia, aut forte tali re indigens auferre possit, & si auferre velit, vel abstulerit, obmurmurant, vel contradicunt. Item etiam qui comestibilia, vel potabilia tantum, absque licentia Superioris accipiunt, & absumunt: quia votum Paupertatis etiam usum proprium, seu consumptionem rei absque licentia Prælati excludit. Et si quidem fiat de rebus communibus Monasterii, etiam furti speciem induit; de quo satis dictum *tr. præc. c.* 5. *sect.*2.

65 §. 3. quæ omnino hic recole. 2. Peccant, qui absque ulla Superioris licentia res usu non consumptibiles, libros, supellectilem &c. sibi vindicant, & usurpant, aliis accommodant, domesticis, vel extraneis. Hic tamen sæpissime excusatur quis a mortali ob materiæ parvitatem æstimatam, etiam in rebus magnis: etsi enim liber v. g. valeat decem taleros, usus tamen talis libri temporalis tanti non æstimatur, ut mortalis peccati materia censeri possit, ut recte notat Laym. *lib.* 4. *tr.* 5. *c.*7. *n.*4. At vero Religiosis simpliciter interdicta est donatio, exceptis rebus vilibus. Item commodatio rerum intra, vel extra Ordinem: quia isti sunt actus veri dominii, qui a solo habente dominium, vel legitimam administrationem rei recte fieri possunt; ideoque donatio, vel permutatio rei notabilis pretii per se loquendo mortale peccatum est. Quoad donationem tamen excipitur, ipso jure donatio rerum vilium. Quoad commodationem vero etiam rerum alicujus pretii, sæpissime præsumitur Superiorem non esse invitum quoad res Religiosi usibus concessas, si v. g. permutet Breviarium cum veste &c. cum inde nullum, vel exiguum damnum sequatur Monasterio. 3.

66 Qui pecuniam, vel aliam quamcumque rem sive a Prælato destinatam ad certos usus contra ejusdem Prælati voluntatem ad alium usum expedit; ut, si Religiosus in Academia degens pecunias sibi transmissas pro victu, vel vestitu solvendas, pro Thesibus habendis &c. ille donando, ludendo, aut potando &c. consumat, & prodigat. Item qui esculenta, poculenta, aut alia, quæ singulis apponuntur, quantavis parsimonia, etiam proprium genium defraudando, reservat, ut alteri det contra Prælati voluntatem: cum enim ille dominii incapax sit, quamvis parcendo, & reservando, nil sibi proprium acquirit, sed omnia in bonis Monasterii remanent, ac sine Prælati consensu nulli dari, vel expendi possunt. Unde quod docet *Navar.* apud Laym. *cit. n.* 5. Religiosum extra Monasterium viventem ex designatis sibi redditibus pecuniam parcius vivendo collectam, posse dare amicis pauperibus, verum est, si fiat cum consensu, saltem tacito, vel præsumpto Prælati: aut si habeat is Beneficium a Prælato suo independens, vel alias liberam rerum administrationem independenter a Prælato v. g. dispensatus a summo Pontifice. 4. Quicumque res sibi ad usum concessas per 67

culpam, seu negligentiam latam, quæ dolo æquiparantur, amittit, vel destruit: quia est actus proprius dominii rem pro arbitrio destruere, vel perdere posse. Unde si talis Religiosus haberet aliunde proprium peculium, vel Beneficium, teneretur ad restitutionem Monasterio pro re destructa, vel perdita. Item procuratores, & cæteri Monasterii bonorum administratores, qui rem quamcumque, seu domestico, seu externo largiuntur, vel expendunt aliter, quam Ordinis Regula, aut consuetudo, aut voluntas Superioris postulat; ut notavit etiam S. Th. 2. 2. q. 32. ar. 8. dicens: *Oportet, quod ea, in quibus inferior Superiori subjicitur, dispenset non aliter, quam ei sit a Superiore commissum*. 5. Denique eadem ratione & ipsi Prælati, ac Superiores contra Paupertatem, & simul Justitiam peccant, si rem aliter expendant, quam Regula, vel consuetudo, vel aliorum Superiorum voluntas permittat: eo quod Prælati bonorum Monasterii non sint simpliciter domini, sed solum administratores, *C. Fraternitatem: De donatione*. Vide late Sanch. *l.*7. *c.*19. *n.*30. & Laym. *cit. n.*20.

III. Quicumque Religiosi notabiliter excedunt modum 68

in usu rerum sibi concessarum quoad abundantiam, superfluitatem, curiositatem, pretiositatem, peccant mortaliter; sicut & Superior sciens, & volens, id permittens. Hanc resolutionem ponit, & solide probat noster March. *Speculi p.*2. *trib. tr.*2. *tit.*1.*q.*4. Et Ratio fundamentalis est: Quia licet essentia, & quidditas religiosæ Paupertatis consistat tantum in abdicatione omnis dominii, proprietatis, & juris politici in re, & usu rei, tamen necessario annexas habet velut proprietates a se ratione ipsius Religiositatis emanantes, temperantiam, sufficientiam, humilitatem, fidelitatem, & exemplaritatem. *Temperantiam* nimirum, quæ tollat excessum, & superfluitatem in vestitu, supellectili, ædificiis, juxta illud ad Timoth. 6. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Humilitatem, & *modestiam*, quæ excludat pretiositatem, fastum, superbiam. *Fidelitatem*, quæ servet intentionem, & finem bonorum Monasterii DEO, & Christo consecratorum, quæ nimirum oblata sunt pro necessaria, & competenti dumtaxat sustentatione Religiosorum, DEO servientium in veritate. *Exemplaritatem* denique, qua omnibus, quæ scandalum generare possent, abstineat, qualis maxime est excessus nimius. Adeoque licet Religiosi prædictis modis notabiliter excedentes in usu rerum simplici non peccent directe contra essentiam, & quidditatem Paupertatis religiosæ, peccant tamen mortaliter contra proprietatem Paupertatis, seu virtutes prædictas paupertati religiosæ ex natura rei, & jure Divino, humanoque necessario conjunctas.

IV. Notandum denique, quod si Religiosus ullo prædicto- 69
rum modo peccet contra Paupertatem, expresse simul contradicente Superiore, semper etiam simul peccet contra obedientiam pro ratione materiæ, mortaliter, vel venialiter.

Pœnæ porro proprietariorum ipso Jure communi decre- 70
tæ duæ sunt. *Prima*. Privatio vocis activæ, & passivæ per triennium, Trid. *sess.*26. *De Regular. c.*2. *Secunda*. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si nimirum moriatur, ut proprietarius, & ante mortem non pœnituerit, *c. cum ad Monasterium: De statu Monachorum*; quæ tamen pœnæ non incurruntur, nisi per sententiam declaratæ sint.

Ad ultimum non prætermittam hic adferre doctrinam 71
singularem Card. de Lugo *de Justit. disp.*2. *sect.* 2. *a n.* 51. Nimirum Religiosum non peccare contra Paupertatem, si invitatus ad convivium sine licentia Superioris, pretiosa quæque comedat, aut bibat, domino præsente: quia tunc passive potius se habet Religiosus, quam active; nam ipse dominus consumit illos cibos per os Religiosi, sicut, si Domino præsente, & jubente, gemmam pretiosam in mare projiceret, aut aromata pretiosa combureret, non peccaret contra

pau-

paupertatem, quia nomine alieno projiceret, & combureret: ita in casu convivii. Sic *Lugo*: addens tamen merito non ita rem se habere, si dominus res pretiosas comestibiles, & potabiles ad Religiosum mittat, ipseque acceptet, & consumat: tunc enim peccabit contra Paupertatem, & acceptando, & consumendo, quia sic active se habens in suum commodum acceptat, & consumit, & non passive se habens, ac nomine alterius, sicut in convivio, præsente domino. Hoc posterius verissimum. Sed quoad prius, doctrina hæc singularis (pace tanti viri) certo placere non potest, & quam optime impugnat Tamb. *l.8.Decal. tr. 1.c.2.§....n.* 10. nam in primis Religiosus conviva comedens, & bibens non utitur istis speculationibus, sed more humano comedit, & bibit res: atqui more humano res illæ vere comeduntur ab homine in suum commodum absolute, & non tamquam ab instrumento alterius, vel in alterius commodum destruuntur: non ergo passive tantum, sed active tunc se habet Religiosus. Deinde omnium consensu Religiosus sine licentia acceptans res comestibiles, vel potabiles notabilis pretii, peccat contra votum: at invitatus, in convivio res appositas accipiens, comedens, vel bibens, nonne ipso expresso facto verissime acceptat in suum commodum, æque ac si ad ipsum domum mitterentur? Aut cur is res sibi missas, absente domino, non æque posset ejus nomine absumere, ut instrumentum ipsius, & etiam tunc se passive habere, sicut in convivio, domino præsente? Quæ enim hæc repugnantia, aut differentia? Cæterum latum est discrimen inter nostrum casum, & illam projectionem gemmæ, vel aromatum combustionem, nam hæc facere potest Religiosus absque ulla prorsus acceptatione pro se: at frui esculentis, seu poculentis in convivio sine acceptatione, qua conviva cibos, & potus ablatos sibi consumere, & applicare consentiat, humano modo fieri non potest. Vide dicta in simili de restitutione ejus, qui ad convivium invitatus res furtivas pretiosas etiam scienter comedit, & bibit, *tr.4.c.2.sect.3.a n.*110.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo Religiosis liceat habere proprium peculium.

Resolutiones.

72 I. Certum est, Religiosum professum incapacem esse habere proprium peculium juris perfecti, & independentis pro arbitrio suo disponendi: hoc enim esset proprie dictum dominium. Unde supra *cit. cap. Cum ad Monasterium*: dicitur, Abbatem super habenda proprietate non posse cum Monacho dispensare. *Et in cit. c. Monachi, & Abbates* 18. *q.* 2. *c. ult.* recte docetur: si quis professionem non aliter emittat, nisi conditione apposita, ut liceat ipsi habere proprium independenter a Prælati dispensatione, ipso jure esset irrita, & nulla.

73 II. Possunt tamen Religiosi habere peculium late sumptum, seu juris imperfecti, ac dependentis; scilicet quoad solam professionem, ac usum dependenter a voluntate Prælati, qui semel concessum restringere, vel revocare pro arbitrio suo possit. Ita DD. communiter cum Molina *tr.* 2. *disp.* 26. Laym. *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 7. *num.* 12. Sic v.g. bona mobilia, & utensilia, utpote vestes, libros, haud dubie Prælatus concedere potest, ut illius usui proprii sint: uti concedit etiam Trident. *sess.* 25. *cap.* 2. *De Regularib.* Sic, in quibusdam Religionibus Religiosi officiales habent certas portiones pecuniæ pro suis usibus &c. Sic Religiosus extra Monasterium degens in peregrinationibus, studiis, officiorum administratione ad Monasterium spectante, accipit concessum sibi peculium, & facultatem habendi pecunias in sui sustentationem, eleemosynas moderatas, aliosque usus congruos statui suo expendendas, saltem de præsumpta aliquando licentia Prælati. Item cum Religiosus de legitima licentia Prælati Parochiam administrat, vel aliquod Beneficium possidet extra Monasterium, ei competit administratio redituum ad sui decentem sustentationem, & pias causas applicandorum; De quo in quæst. sequenti.

74 III. Portiones autem, seu redditus annui Religioso ex bonis Monasterii (sive etiam parentum, vel amicorum traditione assignari soliti) quibus se in, vel extra Monasterium sustentet, dependenter tamen a voluntate prælati pro arbitrio revocare potentis, liciti erant jure antiquo, *cap. Insinuante. Et cap. de viduis*, 27. *q.* 2. Et docent *Innocentius III. Sylv. Major*, & alii antiqui.

75 At numquid hoc jus antiquum correctum fuit jure novo Conc. Trid. *cit. sess.* 25. *cap.* 2. *De Regularib.* contrarium insinuans? Ita affirmant *Petrus Navar. Azor.* alii apud Laym. *cit. n.* 13. eo quod Concilium utatur verbis præceptivis. *Nec deinceps liceat*: Adeoque novum jus condiderit: & ita declarasse sacram Congregationem Cardinalium in dictum *cap.* 2. Negant vero æque graves, & plures DD. Navarr. *comment.* 2. *De Regular. num.* 18. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 22. *nu.* 11. Emman. Sa. V. *Religio*, & alii apud *Laym. cit.* existimantes Concilium non voluisse novum jus condere: sed declarare antiquum, quo id Religiosis prohibetur in ordine ad usus superfluos, & independenter a voluntate Superiorum. Hanc sententiam probabilem, & tutam censent *Laym.* Diana *p.1.tr.6.res.*32. ut saltem, ubi talis consuetudo viget, absolute damnari non possit, sed tolerari queat: attamen de novo non introducenda absque urgentissima causa: qualis est depositio Abbatis, qui ex justa causa nolit manere in Monasterio, vel saltem in Communitate. Item necessaria reformatio Monasterii, quam aliqui ob justam causam subire nollent: ut in praxi fieri vidisti sæpius.

IV. Certum semper manet, Prælatum nec solum, nec cum consensu Capituli permittere posse Religioso bona, vel peculium in quoslibet usus, etiam prophanos, vel illicitos, expendendum: sed uterque tam Prælatus permittens, quam Religiosus acceptans, peccabunt contra votum paupertatis, & insuper contra justitiam cum obligatione restitutionis, si ea fieri possit; juxta communissimam DD. apud citatos omnes. *Ratio clara est*: Quia Prælatus subdito majorem facultatem concedere non potest, quam ipse habeat: ipse autem non est Dominus bonorum Monasterii, sed administrator tantum, *c.* 2. *De donationibus*: ideoque ea arbitratu suo expendere non potest, sed tantum in Monasterii, ac Religiosorum necessitatem, & utilitatem: ergo &c. Advertunt tamen *Nav. & Laym. cit.* neque ipsum Prælatum bona Monasterii inutiliter expendentem, neque Religiosum suum peculium cum licentia Prælati habitum inutiliter, vel illicite absumentem, etsi uterque peccet contra votum Paupertatis, neutrum tamen incurrere pœnas juris decretas in proprietarios: sed illos dumtaxat, qui clam, aut citra Prælati consensum aliquid detinent, vel usurpant, incurrunt ergo solum pœnas arbitrarias. Ubi etiam a peccato mortali sæpe excusat parvitas materiæ. Laym. *cit. n.* 14. merito non damnat peccati contra paupertatem Religiosum, qui in studiis degens aliquot mensuras vini cum sociis bibit de pecunia Monasterii a Prælato transmissa: Qui excessus in usu levis censetur, & præsumitur consensus Prælati: Esto possit peccare graviter contra Temperantiam, vel peccato scandali. 76

QUÆSTIO III.

Cui acquirat Religiosus, qui Ecclesiasticum Beneficium extra Monasterium, atque ad Monasterium minime spectans, obtinet.

Resolutiones.

I. Religiosus, vel Beneficiatus, dum Beneficium Ecclesiasticum legitime obtinet, nimirum auctoritate Episcopi cum consensu Prælati, habet plenam administrationem redituum: proinde ad suam sustentationem, & alias pias causas tantum expendere potest pro libitu, facultate ipsi a Jure Canonico concessa: Quia nimirum talis est institutio Beneficii Ecclesiastici ex ipso jure, ut tribuat ipsi jus administrandi reditus ad necessarios, & pios usus. Et est Regula generalis, quod Beneficiatus regularis (seclusa sola proprietate, seu dominio pleno) ita disponere possit de fructibus sui Beneficii, sicut potest sæcularis (de quo late §. *seq.*) Ita communis DD. *Nav. Molina*, aliique congestis Laym. *cit. n.* 17. quos vide. 77

II. Reditus, seu fructus Beneficii, qui post amotionem, vel mortem veram Beneficiati Religiosi, supersunt, de jure pertinent ad Ecclesiam, seu Beneficium, cui inservivit, & cujus intuitu acquisiti fuerunt, & non ad suum proprium Monasterium. Communis DD. apud modo cit. & sumitur *ex cap. Ne pro cujuslibet*, 16. *q.* 1. Ratio est. Quia Religiosus legitime translatus ad Beneficium, scilicet de consensu Prælati, & auctoritate Episcopi, desinit esse aliquo modo sub obedientia Prælati; & quoad fructus Beneficii desinit esse pars sui Monasterii, ut de iis nil ipsi debeat, sed ipsi Beneficio, vel Ecclesiæ suæ. 78

III. Quæcumque Religiosus beneficiarius extra Monasterium aliunde acquirit, videlicet ex hæreditate, legato, donationibus, eleemosynis, propria industria (de quibus nullum dubium) atque ex functionibus parochialibus, pro Sacris, Confessionibus, Nuptiis &c. saltem post mortem beneficiarii, acquiruntur ipsi Monasterio, si bonorum in communi sit capax. Ita communis DD. cum *Bartolo*. Less. *cit. l.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. *num.* 21. Laym. *n.* 18. Ratio est. Quia in his valet communis regula sumpta ex cap. *Abbates* 18. *q.* 2. Et cap. *Cum ad Monasterium*, de stat. Monach. *Quidquid regularis acquirit, Monasterio suo acquirit*: a qua communi regula sine speciali ratione, vel consuetudine non est recedendum. Secus est de Religiosis assumptis ad Episcopatum, vel Cardinalatum; quia ab Ordine suo omnino exempti, vel translati censentur: ideoque quidquid quovis modo acquirunt, ad eorum Ecclesiam, vel Beneficium, vel Cameram Apostolicam pertinere debet, *ex cap. statutum* 18. *qu.* 1. 79

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Qualiter subsistat legatum, vel hæreditas relita Monacho ea lege, ut ad ipsum, & non ad Monasterium pertinere debeat.

Resolutiones.

80 I. SI quidem testator cum expressa conditione relinquat Monacho, ut pertineat ad ipsum absolute sine dependentia a prælato, legatum corruit. Ex communi *Laym. & Diana* cit. Quia in ultimis voluntatibus (sicut in omni alia dispositione) *primum locum voluntas testatoris obtinet, eaque regit conditiones*, juxta jura apud Laym. *cit. n.* 21. Si ergo clare constet, noluisse testatorem aliter relinquere, nisi cum conditione, quæ impleri non potest, ut est in proposito, corruere debet relictum.

81 II. In terminis indifferentibus voluntas testatoris explicari debet eo modo, quo subsistere, & servari potest: nimirum, ut secluso dominio, vel proprietate rei, solus usus & commoditas ad Religiosum pertinere debeat cum dependentia, & consensu Prælati, cujus posito consensu jus dominii, seu proprietas Monasterio acquisitum est: At vero consensu negato corruit legatum, vel relictum. Sic *Bartol. Abbas, Ang.* aliisque citt. Sanch. *c.*7. *n.*4. Laym. *n.*20. Ratio est: Quia dispositionem quamcumque ita interpretari convenit potius, ut valeat, quam ut pereat, juxta communem DD. Legistarum, & Canonistarum. Et *L. Plenum* §. *equiti ff. De usu, & habitatione*, habetur, quod verba testatoris debeant intelligi secundum conditionem personæ, cui aliquid datur, vel relinquitur: atqui Monachus legati, vel hæreditatis aliter capax non est, nisi quoad solum usum, & commoditatem a Prælati voluntate dependentem; ergo &c. Applica de legatis relictis FF. Minoribus.

82 III. Si testator Monacho legatum relinquit ita, ut dominium ad ipsum, & non ad Monasterium pertineat, in dubio, an proprie sit dicta conditio suspensiva dispositionis, an vero solum modus adjectitius dispositioni absolute; hoc posterius præsumendum est in favorem ultimæ voluntatis, & conditio impossibilis pro non adjecta habenda: Nam secundum leges apud *Laym. cit.* decernitur, quod conditiones seu natura, seu jure impossibiles pro non adjectis haberi debeant. Et in simili jure Can. de conditionibus appositis statuitur, ut ejusmodi conditionibus impossibilibus rejectis, cum scilicet dubitatur, an sint suspensivæ contractus matrimonii, an vero adjectitiæ tantum, in favorem matrimonii judicetur.

QUÆSTIO V.

Quale sit dominium Religiosorum in communi.

83 SEponendi hi sunt FF. Minores de Observantia, & Capucini, qui ex voto altissimæ Paupertatis incapaces sunt omnis dominii directi & utilis, tam proprietatis, quam usus juris, tam in communi, quam in particulari, contenti solo usu facti simplici, & dependente a voluntate dantium, vel summi Pontificis, qui dominium rerum ipsis concessarum in se, & Sedem Apostolicam assumpsit, ut per occasionem supra jam dictum est. Sermo ergo est de aliis Religiosis, qui habent bona in communi, & quæstio est, quale sit illud dominium in Communi.

Resolutiones.

84 I. IPsa Monasteria, seu Communitates Religiosorum sunt capaces dominii, & de facto habent dominium bonorum suorum, etsi non omnino plenum, perfectum, vel absolutum. Ita contra aliquos infra citandos communis DD. Less. *l.*2. *c.*4. *dub.*5. Sanch. *l.*7. *moral. c.*18. Lugo *dist.* 3. *sect.*4. *a n.*74. Sumitur in primis ex modo loquendi Concil. Trident. *sess.*25. *c.*3. *de Regularibus*: ubi concedit omnibus Monasteriis utriusque sexus, etiam Mendicantium (exceptis Franciscanis, & Capucinis) ut possint possidere bona mobilia, ubique loquens de possessione juris, & dominii veri: nam verba legis in proprio sensu accipienda sunt. *Et extravag. Exiit, qui seminat. de verb. signif.* Nicolaus III. specialiter de Fratribus Minoribus dicit, quod non habeant dominium bonorum, quibus utuntur, sed illud ad Pontificem pertinere: eoque ipso supponit alios Religiosos habere dominium rerum, quibus utuntur. Et *Ratio clara est*: Quia quælibet Communitas fictione Juris est persona politica per se, & capax dominii distincti a dominio singulorum in communi; res notissima in Jure: atqui votum Paupertatis emissum a singulis non tollit tale dominium in communi; neque enim ex singulorum voto personali, quo quilibet a se abdicavit in particulari dominium, & proprietatem rei, per se repugnat, totam Communitatem habere dominium rerum in communi, ex quo singuli nihil habeant proprium in particulari, sed potius tale dominium supponit: nam eo ipso, quod subditus promittat, se non usurum bonis temporalibus, nisi dependenter a Communitate, seu nomine Communitatis res eas administrantis, supponit earum dominium apud Communitatem esse, & ideo ejus consensum necessarium esse sibi ad usum talium rerum. Et hinc dicitur, quod Religiosus Monasterio acquirat, quæcumque acquirit: quia scilicet Monasterium est capax dominii, licet Religiosus non sit.

II. Fatemur autem, & fatentur omnes Auctores hujus sententiæ, dominium non omnino esse plenum, perfectum, juxta dominii perfecti definitionem. Et sane evidens est: dominium enim plenum est jus perfecte disponendi de re aliqua tamquam sua in quosvis usus placitos, adeoque independenter ab alio: atqui neque Prælatus, Abbas, vel Superior; neque Religiosi cum Prælato, seu ipsa Communitas, possunt pro libitu disponere de bonis, & redditibus Monasterii tamquam suis in quoscumque usus placitos independenter ab aliis, ut passim probant jura: neque enim possunt res immobiles, vel mobiles pretiosas permanentes alienare, vel mutare, nisi de licentia Pontificis, nec aliter, quam ad majorem utilitatem Monasterii, nec aliter bona, vel reddditus administrare, vel dispensare possunt, nisi ad debitos fines, ad quos illa bona Monasterio fundata, oblata, donata, & acquisita censentur. Scilicet 1. ad substentationem Religiosorum. 2. Conservationem Monasterii, & Religiosorum. 3. De superfluo in subsidium pauperum, aut alias pias causas tantum ex concessione juris. Quos fines Abbas, vel Communitas notabiliter excedens bona Monasterii ad usus vanos expendendo, peccant gravissime contra pacta fundationum, & justitiam, ac tenentur ad restitutionem, secundum omnes; ergo non habeant dominium plenum, & omnino perfectum bonorum Monasterii. 85

III. Neque aliud videntur velle, certe nil plus probant, Auctores oppositæ sententiæ, Nav. *comment. cap.* 2. *de Regularibus*, Major. aliique plures, quos sequitur Marchant. *tom.* 3. *tt.* 2. *tit.* 1. 3. 4. *&c. speculi sui.* Nam & ipsi fatentur, illud esse verum jus politicum, ut eo contra invasores, impedientes, defraudantes in judicio agere possint; adeo ut eis contraveniendo vera, & directa fiat injuria; quod sane proprium est alicujus veri dominii, etsi non omnino pleni, perfecti, & absoluti. Sed tunc merito quæres, quisnam igitur habeat plenum dominium, perfectum, & absolutum bonorum, non solum Monasteriorum, seu locorum Religiosorum, sed etiam Ecclesiarum, sæcularium Beneficiorum. Resp. 86

IV. Bona Ecclesiastica Monasteriorum, ac Ecclesiarum, Parochiarum &c. tam immobilia, quam mobilia permanentia, ut sacra suppellex, pleno, & absoluto dominio, ad nullum purum hominem, sed ad solum DEUM, & Christum pertinent: eorum vero administratio suprema ad summum Pontificem, ordinaria vero, & ususfructus definitus ad Prælatos, Capitula, seu Communitates Ecclesiarum, vel Monasteriorum respective pertinet. Ita communis DD. *Major. Navarr. Azor.* aliisque citt. Tanner. hic *disp.* 4. *q.*1. *dub.*4. March. *cit. tit.* 1. *q.* 3. *a* §. 1. (contra alios asserentes dominium illud ad Communitatem pertinere.) Sumitur ex sacris Canonibus, quibus passim ejusmodi bona vocantur *res DEI, & Patrimonium Christi*. Ratio autem manifesta est ex dictis: Quia plenum, & perfectum dominium est facultas disponendi de re tamquam sua independenter ab alio: atqui res Ecclesiasticæ Ecclesiis, vel Monasteriis incorporatæ, ita a fidelibus Fundatoribus, seu offerentibus ipsi DEO oblatæ, & consecratæ sunt, ut nullus purus homo de iis plenarie, & independenter disponere possit: tenentur enim Prælati, & Communitates ea conservare, & ad posteros transmittere, ut non liceat alienare, nisi ad majorem utilitatem Ecclesiæ, & dependenter a summo Pontifice, qui nec ipse de iis aliter disponere potest pro arbitrio. Unde præcipit Urbanus Papa Epist. 1. ad Episcopos: *Res Ecclesiæ, non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore, non in alios, quam in præfatos, usus, sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, quo traditæ sunt*. Hæc autem omnia directe repugnant pleno, & absoluto dominio: ergo eorum bonorum nullus purus homo, sed solus DEUS & Christus plenum, & absolutum dominium habet. Cum autem eadem sint, & dicantur bona Patrimonialia Christi, utique ad ejus in terris Vicarium summum Pontificem eorum suprema spectabit administratio, protectio, & plena dispositio intra terminos honesti, & justi, juxta intentionem Fundatorum possibilem servari. Ordinaria vero administratio, dispensatio, & ususfructus definitus intra supra indicatos tres fines, spectat ipso jure ad Prælatos, vel Monasterium, ut sæpe dictum. 87

§. IV. *Clerici Beneficiati.*

HI triplicia bona possunt habere; *Patrimonialia, quasi Patrimonialia, & Beneficialia*, & proprie *Ecclesiastica*; prout omnes observant ex *Navar. q.* 1. Inter quasi Patrimonialia, & Beneficialia, quasi mediant distributiones inter præsentes. Explico breviter. 88

I. *Patrimonialia* dicuntur, quæ Clerici possident, secluso omni statu, vel officio Ecclesiastico, utpote ex hæreditate, arte, donatione, contractu, vel alia simili ratione, non aliter, ac si non essent Clerici, sed Laici. Quorum bonorum nemo dubitat, Clericos esse veros, & absolutos Dominos, atque ut tales de ipsis liberrime posse disponere donando, 89

legan-

legando, alienando, & in quoslibet usus absumendo &c. absque præjudicio justitiæ, vel juris alicujus.

90 II. *Quasi Patrimonialia* bona dicuntur, quæ Clerici acquirunt non ratione Beneficii Ecclesiastici, seu ex bonis ipsi Ecclesiæ oblatis, & appropriatis, sed ratione Ministerii personalis Ecclesiastici, seu tamquam mercedem, vel salarium ministerii personalis: seu quod idem est, quæ a fidelibus offeruntur, non ipsi Ecclesiæ appropriandа, sed particularibus ipsis ministris, tamquam operis stipendium: utpote ob functiones parochiales, & Missas quotidianas, administrationem Sacramentorum, funeralia obsequia, officia defunctorum, pro Concionibus, pro officio aliquo capellaniæ, Vicarii, musici vocalis, vel instrumentalis &c. Ista ergo bona Clericorum æquiparantur patrimonialibus, ac pleno, & absoluto dominio ad ipsos spectant: uti contra Innoc. & Abbatem docet communissima DD. cum *Nav.* aliisque citt. Laym. *l.* 4. *de just. tr.* 2. *c.* 3. *n.* 1. Ratio est: quia Ministri Ecclesiastici, dum ratione spiritualis officii stipendium accipiunt, non debent esse deterioris conditionis, quam alii Officiales, Judex, Prætor, Consiliarius &c. *dignus enim est operarius mercede sua. Luc.* 10. atqui alii officiales stipendii sibi dati dominium plenum, & absolutum acquirunt, esto id etiam stipendio conducti publico ex officio præstare teneantur: ergo etiam Ministri Ecclesiastici, esto etiam quandoque talia obsequia ex justitia præstare teneantur; utpote quia curati eorum bonorum pro obsequio personali perceptorum plenum dominium acquirunt, ut de iis disponere libere, etiam testari, vel ab intestato ad hæredes transmittere valeant.

91 III. *Distributiones inter præsentes.* Ad illa bona, quasi patrimonialia, sine dubio spectant distributiones, præsentibus ad Divina Canonicis, & Clericis factæ, quando eæ distributiones dantur ab homine de bonis propriis, ut fieri solet in Exequiis solemnioribus &c. est enim merum stipendium datum a fidelibus pro obsequio personarum. Quando vero eæ distributiones dantur de ipsis bonis, seu redditibus Ecclesiæ, ut ordinarie fit, *Nav.* quidem & Sanch. *l.* 1. *consil.* 1. *dub.* 46. volunt spectare ad bona Ecclesiastica cum onere superfluum pauperibus erogandi. Verum communis DD. & recepta est sententia, spectare ad bona quasi patrimonialia, & absque ullo onere esse pleni juris Clericorum. Ita plurimis citt. Azor. *l.* 2. *c.* 1. & Lug. *disp.* 4. *de just. sect.* 3. *n.* 24. Ratio clara est: quia illæ distributiones vere dantur, & acquiruntur propter ministerium personale, quo Clerici personaliter serviunt Ecclesiæ in Divinis inserviendo, vel assistendo: & licet illæ ex redditibus Ecclesiæ, seu fructibus Beneficii deducantur, jam tamen ab Ecclesia ipsa ad hunc finem deductæ sunt, ut pie applicentur, ad finem fovendi studiosam assistentiam Chori, uti portio redditu, quæ extrahitur ex redditibus Ecclesiæ, est merces Sacristæ, magistri Grammaticæ &c. transitque in ejus liberum dominium, & dispositionem, quia datur ut stipendium illius laboris, ac obsequii; sic idem dicendum rationabilissime de istis distributionibus, quas Ecclesia ipsa extrahit ex redditibus, & pie expendit in præmium stipendii, ac laboris Clericorum, quos multum refert eo stipendio provocare, & allicere ad tale obsequium Ecclesiæ exhibendum. Quod vel inde confirmatur: Quia ob hanc ipsam rationem, qui habet dignitatem simul, & Canonicatum, vel duos Canonicatus in Ecclesia, licet percipiat duplices fructus, non tamen duplices distributiones: Quia nimirum hæ dantur propter assistentiam personalem: & ubi assistentia non est duplex, non debent duplicari; nisi ex dispensatione, vel consuetudine legitima contrarium habeatur, ut plurimis citt. bene docet Bonac. *De Horis Canon.* Quin ipse Sanch. *l.* 2. *consil. c.* 2. *dub.* 2. cum communi fatetur, Canonicum non recitantem Officium non teneri ad restitutionem distributionum, quas pro assistentia lucratur: quia illæ non sunt fructus, sed stipendium laboris, ac assistentiæ. Obligatio ergo impendendi in pios usus, quod superest ex fructibus, seu redditibus Beneficiorum, minime debet extendi ad istas distributiones quotidianas, sed fatendum has velut bona, quasi patrimonialia, libero, ac pleno dominio cedere Clericis.

92 IV. *Bona Ecclesiastica, seu Beneficialia Clericorum* dicuntur, quæ secundum originem suam ad ipsam Ecclesiam spectant, ipsique Eccesiæ a fidelibus primitus oblata, & incorporata sunt: ex illorum tamen intentione postea ab Ecclesia deputata sunt pro Clericis, tamquam Beneficium, seu stipendium ad eorum congruam sustentationem, ob spirituale ab eis præstandum obsequium; & specialiter ob præstandum Officium Canonicum; ut sunt redditus, seu proventus annui ex hortis, seu prædiis Ecclesiæ, & Decimæ: cum & hæ sint pars ususfructus Ecclesiæ debiti ad Ministrorum sustentationem. Sed ante omnia, quam maxime notandum est, ea bona Ecclesiastica consideranda esse secundum varia tempora, & varios Ecclesiæ mores in duplici statu. 1. *Ante divisionem:* Nam initio omnia bona Ecclesiastica, quæ a fidelibus ad Divinum cultum offerebantur, communia erant, ex quibus Ministri Ecclesiæ juxta singulorum media, & necessitates alebantur, Ecclesiæ cultui, & egenis providebatur. Et eo statu sine dubio Clerici per se non habebant dominium proprium illorum bonorum, sed usum quisque sibi deputatum, 2. *Post divisionem:* postea enim crescente numero Ministrorum Ecclesiæ, seu Clericorum, & insurgentibus inconvenientibus propter inconvenientem eorum bonorum administrationem, divisa fuerunt ea bona in partes, quarum una Episcopo, alia Clero, alia fabricæ Ecclesiæ, alia pauperibus designata fuit. De quo D. Greg. Magnus relat. cap. mos est, 12. q. 2. *Mos est Apostolicæ Sedis ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones. Una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem: alia Clero: tertia vero pauperibus: quarta Ecclesiis reparandis.* Hæc ibi. Et de bonis, seu redditibus Ecclesiasticis in hoc secundo divisionis statu consideratis, quæstio est, an eorum dominium verum acquirant Clerici Beneficiati.

Suppositio certissima.

Certa apud omnes est obligatio Beneficiariorum, superflua bona Ecclesiastica in pauperes erogandi, & ad pios usus expendendi: adeo ut Beneficiatus gravissime peccet, si redditus superfluos notabili quantitate in usus prophanos, v. g. ditandos consanguineos, nedum illicitos applicet, consequenter non nisi ad pias causas testari possunt, adeoque instituta legata prophana sub mortali ante mortem revocare teneantur, alias non possunt vere pœnitere, nec a Confessario absolvi. Ita omnes passim, ut superfluum sit recitare. Et constat abunde ex Decreto Conc. Trid. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 1. his verbis: *S. Synodus omnino interdicit Episcopis, ne ex redditibus Ecclesiæ Consanguineos, familiaresque suos augere studeant: Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent.* Et paulo post: *Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari; sed & ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.* Hæc Concilium: addens tamen ibidem, si consanguinei pauperes sint, ut pauperibus redditus Ecclesiasticos merito distribui. Quod DD. non tantum de necessitate vitæ, sed etiam de necessitate status antea habiti intelligunt. 93

Potest etiam, immo tenetur Beneficiatus ex bonis Ecclesiasticis alere filios, non tantum legitimos antea susceptos, sed etiam spurios; nisi ad id sufficientia bona patrimonialia habeat, aut liberi non egeant; communis DD. Abbas *in c. Conjugatus, de Clericis conjugatis.* Nav. *Comment. de spuriis Clericorum* §. 19. Et consequenter etiam filiæ competentem dotem ferre; quia dos succedit loco alimentorum, secundum Juristas. Addit Laym. supra *cit. c.* 3. *n.* 5. Beneficiatum de bonis Ecclesiasticis posse alere in studiis filium suum, etsi propria patrimonialia habeat, aut patrem, aliumve consanguineum suum, etsi ipsius pater sufficiens esset ad sumptus administrandos. *Ratio est;* Quia juvare ad studia censetur pia causa. His ita suppositis, quæstio difficilissima, & maxime controversa est: an revera Beneficiati habeant dominium illorum bonorum, an vero solum usum, & administrationem: sic, ut ex justitia obligentur superflua erogare pauperibus, seu ad pias causas, & non ad usus prophanos. In re gravissimi momenti procedam per paragraphos. 94

§. V. *Bona Ecclesiastica necessaria sustentationi.*

Resolutiones.

I. Clerici Beneficiati acquirunt, & habent plenum dominium suorum redituum Ecclesiasticorum, quatenus probi viri arbitrio necessaria sunt ad honestam, ac decentem sustentationem pro cujusque dignitate, vel merito. Communissima, meique citati omnes. Ratio communis patebit *n. seq.* Ratio autem fundamentalis est: quia redditus Beneficii quoad eam partem congruæ sustentationis, jam sunt expensi pie ad usum pium ab Ecclesia, quæ illam partem applicat Beneficiario, qui, acceptis redditibus, applicat partem sibi necessariam: atque adeo acquirit jus super illam partem, ut libere, ac licite possit de illo disponere, tamquam de re sibi applicata justo titulo sustentationis debitæ, quemadmodum enim si ipsa Ecclesia taxaret singulis Beneficiatis de bonis suis congruam sustentationem, eamque ipsis tribueret, utique hæc velut jam actu applicata ad pium usum pleno jure ad ipsos pertineret, quasi bona patrimonialia, prout de distributionibus, & stipendiis datis Canonicis, Sacristæ &c. supra dictum: ita de facto Ecclesia dividens Beneficiatis beneficia cum redditibus amplis, & plerumque superfluis, etsi eo ipso actu nondum ipsa actualiter expendat ad pios usus determinatos, dat tamen ipsis, ut ipsimet expendant ad pium usum, tamquam ad propriam sustentationem, residua reliqua ad alios pios usus (nisi enim cum hoc onere daret, Ecclesia non dispensatrix, sed dissipatrix eorum bonorum, quatenus superflua sunt, sæpe censeri deberet) ita, inquam, de facto illa pars necessaria sustentationi congruæ, pleno ac libero jure ad Beneficiatum spectare debet. Vide Lugo *disp.* 4. *sect.* 2. & 3. Et hinc ulterius. 95

II. Etiamsi Beneficiatus habet bona propria patrimonialia, vel quasi patrimonialia, potest tamen is in quemcumque voluerit usum, servatis expensis, ex redditibus solis Ecclesiasti- 96

cis

cis competentem sibi sustentationem suscipere: uti contra *Abbatem*, *Alensem*, & alios paucos, docet communis DD. cum *Nav. Molin. Laym. loc. cit.* Ratio præter jam datam communis sequitur ex Sac. Script. Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*. Et 1. ad Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam?* Et. *Qui altari deserviunt, cum Altari participant; ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere:* atqui Clericus officialis, vel Beneficiatus, esto proprium patrimonium amplum habeat, officium suum tamen præstans, vere operarius est, & Altari, & Ecclesiæ servit: ergo ex justitia debetur ei stipendium de bonis Ecclesiæ ad ejus congruam, & honestam sustentationem; consequenter, cum alioquin dominii capax sit, acquirit verum dominium bonorum Ecclesiæ ad ejus honestam sustentationem necessariorum. Hinc ulterius.

97 III. Quod si Beneficiarius parce vivendo in victu, vestitu aliisve incongruis impendiis, propria patrimonia, vel forte aliud habeat, aliquid subtrahat, vel reservet, quod licite expendere potuisset, illud adhuc tamquam verus Dominus in quoscumque usus licite expendere potest: v. g. donando, legando, dando consanguineis &c. Communis DD. Mol. *disp.* 146. *n.* 46. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. Lug. *cit. n.* 35. Ratio data est: Quia scilicet illa pars bonorum necessaria congruæ sustentationi Beneficiati tamquam jam ad usum pium expensa, pleno dominio ad ipsum spectat. Non ergo audiendi *Panormitanus*, aliique oppositum tenentes, eo quod illa bona maneant adhuc sacra: unde licet possent expendi in congruam sustentationem Clerici, quia usus pius est, non tamen in ditandis consanguineis: quia hic non est pius usus. Falsum est enim suppositum, ut ex dictis patet. *Ubi adverte*, quod sicut justum rerum pretium latitudinem habet, ut aliud dicatur infimum, aliud medium, aliud summum: & quivis potest vendere, etiam pretio summo; ita congrua Clerici sustentatio similem habet latitudinem, ut alia possit esse infima, v. g. ducentorum aureorum, alia media trecentorum, alia summa scilicet quadringentorum aureorum, loquendo de Beneficiatis communibus. Et si eo usque extendant se redditus Beneficii, liberum erit Beneficiario eligere sibi in sustentationem etiam summam v. g. 400. florenorum, qui jure ad ipsum pertinebant. Quod si ex hac summa parcius vivendo aliquid reservet, v. g. observando infimam sustentationem, v. g. ducentos, aut centum florenos, pecunia reservata manet in ejus pleno, & absoluto dominio, ut de ea libere disponere possit, in quoscumque usus etiam prophanos applicando: atque ejusmodi bonorum hæreditas etiam ab intestato transit ad hæredes.

98 IV. Stipendium ergo ad honestam, & decentem vitæ sustentationem necessarium, comprehendit, in primis ea, quæ requiruntur ad ipsum Clericum, ejusque familiam suo statui convenientem alendam victu, vestitu, cæterisque corpori necessariis. 2. Deinde ad hospitalitatem exercendam erga amicos &c. 3. Item ad præstandas donationes, aut remuneratorias Beneficiorum, aut etiam gratuitas, vel statum suum non excedentes. 4. Denique ad alias honestas, statuique convenientes animi, & corporis relaxationes, & ludos &c. & convivia moderata, in quibus ad statum prudentis viri, eorumque quantitas æstimari debet, tum ex quantitate redditum, & copia; quo enim ampliores quis habet redditus, eo plus ad decentem sustentationem intra terminos modestiæ insumere potest: tum ex dignitate Personæ, & Beneficii: plus enim competit pro honesta sustentatione Episcopo, quam Decano, & huic, quam simplici Beneficiato &c. Tum denique ex Beneficiati laboribus, ac meritis, quos Ecclesiæ fideliter, ac utiliter præstat, doctrina, vel consilio, aliisque Officiis; quam ob causam talis plus de bonis Ecclesiasticis ad suam sustentationem congruam accipere poterit, quam alius ejusdem ordinis, & status, sed minus Ecclesiæ utilis, ut notat Laym. *cit. c.* 3. *n.* 2. Sumitur ex verbis Apost. 1. ad Timoth. 5. v. 17. *Qui bene præsunt, Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, & doctrina:* Unde in cap. de mulcta, De præbend. Cum Innoc. III. pluralitatem Beneficiorum prohibuisset, adjecit in fine: *Circa sublimes tamen, & litteratas personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*.

98 Quid si ergo Filius Regis fiat Cardinalis; Princeps natus Episcopus; Comes illustris Canonicus in aliqua Ecclesia, in qua simplices Nobiles, & etiam Doctores Theologiæ, vel Juris, locum habent, poteritne ex Beneficio accipere totam sustentationem congruam juxta conditionem status sui, an solum juxta conditionem Beneficii cum aliquo tamen moderato excessu super alios similes Beneficiatos inferioris dignitatis, juxta modo dicta? Resp. Lugo *cit. sect.* 4. *disp.* 4. *n.* 61. Si talis Princeps, v.g. non habet aliunde, ut possit juxta statum suum decenter vivere, potest ex Beneficio accipere, quantum ad id necesse est; attamen intra terminos decentiæ status Ecclesiastici: non enim potest tantum ex bonis Ecclesiasticis insumere in sustentationem, quantum posset ex bonis sæcularibus; quia alia sustentatio decet Principem, vel Comitem sæcularem; alia & moderatior Ecclesiasticum. At vero si talis habet aliunde ad sustentandum statum suum juxta conditionem personæ, non poterit ex Beneficio sumere, nisi quantum sufficit ad congruam sustentationem juxta conditionem Beneficii instar aliorum cum moderato excessu. *Ratio est*. Quia Ecclesiæ Beneficia non sunt instituta ad sustentandas dignitates sæculares eo prætextu, ut tales parcant suis facultatibus sæcularibus, easque in alias vanitates expendant: perniciosum enim, & nimis onerosum esset Ecclesiæ alere ministros tam onerosos, iisque pro ministerio communi tam excessivum stipendium exsolvere.

§. VI. *Bona Ecclesiastica superflua sustentationi.*

Sententia tutior proponitur.

Probabilissima, & sine dubio tutior est sententia DD. & Canonistarum ista. *Clericus Beneficiatus non acquirit dominium plenum bonorum, ac redditUUM Ecclesiasticorum, ut superfluorum, sed usum tantum, & administrationem, adeoque ex Justitia obligatur, ut superflua bonorum in eleemosynas, vel alios pios usus eroget, adeo ut, si in usus prophanos, vel illicitos expendat, contra justitiam peccet, & restitutioni obnoxius sit, & ipse, & alius talia recipiens, dono, legato, ludo &c. Ut proinde ejusmodi bona, non tantum mortaliter illicite, sed etiam invalide in alios usus alienentur*. Hanc plurimis cit. latissime probat *Nav. tr. de redditibus q.* 2. Sequunturque plurimi, quos longo catalogo referunt, & quoad obligationem justitiæ sequuntur Valentia *to.* 3. *disp.* 3. Tanner. *tom.* 3. *disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 8. Laym. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 3. 99

Probatur I. Auctoritate SS. Canonum, Concil. & SS. PP. qui dicunt bona illa superflua esse pauperum; atque adeo furtum, & sacrilegium committi, quando, iis fraudatis, in usus prophanos expenduntur. Canones præcipui habentur *Causa* 12. *q.* 1. *c. Episcopi*. Et *causas* 16. *c. similiter c. juxta c. revertimini, c. Decimæ*. Textus exscribere, sicut & SS.PP. sententias gravissimas, immensum esset, & terribile. Placet breviter audire D. Bernardum Epist. 2. ad Canonicum Lugdunensem, *Quidquid præter necessarium victum, & vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*. Isthæc Sanctus. Rapina contra justitiam, Sacrilegium contra Religionem. Similia habet *Epist.* 42. Et optime hom. in id: *Ecce nos relinquimus omnia &c.* Matth. 19. Quam, quæso, lege. 100

Probatur II. Ratione juridica. Nemo prohibetur testari de bonis, quæ jure absoluto ad ipsum spectant. *L.* 1. *Cord. de SS. Ecclesiis*; atqui Clerici prohibentur testari de redditibus Ecclesiasticis, etiam ad pias causas sine licentia Pontificis, nec aliam ob causam, nisi quia bona superflua Ecclesiastica debentur ipsi Ecclesiæ: quamvis enim Ecclesia tribuat licentiam Beneficiatis redditus superfluos in pias causas erogandi, dum adhuc in vivis sunt, non tamen disponendi de iis in tempus futurum post mortem, sed omne jus Beneficiati in bonis Ecclesiasticis ipsa morte finitur, & transit ad Ecclesiam, vel alios usus, juxta consuetudinem locorum: ergo &c. Hinc a fortiori inferunt DD. hujus sententiæ in foro conscientiæ non posse probari consuetudinem aliquibus locis introductam, ut Clerici de bonis Ecclesiasticis testentur; nam consuetudo, quæ Legi naturali, ac Divinæ repugnat, corruptela dicenda est, *cap. quæ contra cap. mala consuetudo d.* 8. 101

Probatur III. Ratione naturali valde urgenti. Qui accipit aliquid cum onere dandi illi, vel aliquam ejus partem alteri, si in alios usus impendat, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem: ut patet *L.* 1. 2. & 3. *C. de Donat.* & ex se clarum est; atqui bona Ecclesiastica superflua collata sunt Clericis cum onere, & restitutione ad certos tantum, & pios usus, scilicet eleemosynas pauperum, vel alias pias causas, ut passim probant *SS. Can. & PP.* a quibus dicitur, bona Ecclesiæ esse *res Dei, patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum, &c.* ut per hos ad Dei honorem, & pium usum tantum pro salute offerentium dispensetur fideliter; atque hoc ipso cum tacito pacto, & onere annexo ab Ecclesia, Ecclesiæque Prælatis, Decimæ, oblationes, & dona acceptantur, ut in pios tantum usus ad Dei honorem dispensentur, etiam sæpe interveniente anathematis comminatione; ut videre est in Conciliis, & alibi. Unde nec summus Pontifex, nec ullus Episcopus hanc legem transgredi, vel alteri facultatem dare potest, ut redditus, vel bona Ecclesiastica in prophanos usus sine justa causa convertantur: & consequenter cum Beneficiatis in particulari redditus abundantes assignentur, fit hoc ex tacito pacto Fundatorum cum onere, ut, quod supererst, in pium, tantum usum convertant; ergo ad hoc etiam obligantur ex Justitia; ita ut ad prophanos usus absumentes peccent, non tantum contra Charitatem, & Misericordiam, respectu pauperum, neque solum contra virtutem Religionis, bonis Deo sacris prophane abutentes, sed etiam contra justitiam, bonis ex pacto Fundatorum piis tantum usibus debitis, Ecclesiam ipsam, vel pauperes defraudando. Uti habet *D. Bernardus* supra. 102

Probatur IV. Tam stricta sub mortali, & generalis obligatio superfluos redditus erogandi pauperibus, non potest esse ex sola lege Charitatis, & Misericordiæ; ergo debet esse ex justitia propter annexum onus prædictum, quo Ecclesiastici redditus percipiuntur, non nisi ad pios usus expendendi superflua ad sustentationem. *Antecedens patet*. Quia duo sunt capita, ex quibus oritur obligatio dandi eleemosynam secundum legem Charitatis, & Misericordiæ, unum est ex parte dantis, si habeat bona superflua; at sæpe ditiores sunt Laici Clericis, 103

& ta-

& tamen non ita stricte obligantur. Alterum ex parte egentis, si necessitas ejus gravis sit: at ponamus necessitatem gravem abesse, aut si adsit, a Laicis sufficienter sublevari: jam ex lege Charitatis, & Misericordiæ nulla incumbit Clericis obligatio; & nihilominus adhuc tam stricte sub mortali tenentur redditus superfluos in pium tantum usum convertere: ergo obligatio hæc non ex sola lege Charitatis, vel Misericordiæ provenit, sed aliunde nec aliunde, quam ex lege justitiæ ob supra dictam causam: ergo &c.

§. VII. *Sentenia mitior proponitur, & admittitur.*

104 PRobabilis, & tuta satis est Sententia communis RR. Clericos Beneficiatos acquirere verum dominium, & esse veros dominos bonorum, seu redditUum suorum Ecclesiasticorum universim, etiam superfluorum; adeoque, etsi strictissime, non tamen ex justitia obligari, ut superflua in pauperes, vel pios usus erogent: ut proinde quamvis illicite mortaliter, non tamen contra justitiam, & invalide, sed valide ea bona in prophanos usus, dono, legato, lusu, aliove contractu expendant, nec consequenter ad restitutionem obligentur, tam ipsi, quam alii talia recipientes; quamvis & hi scienter recipientes graviter peccent, saltem si inducant dantem: Quia tunc sunt causa peccati; secus si ultro oblata recipiant: sic enim non sunt causa peccati. Uti notat *Lugo cit.* & Tamb. *tr.* 1. *cap.* 2. §. 4. in fine. Hanc contra Navar. supra latissime probat Sarmiento *de redditib. Eccl. p.* 4. *cap.* 6. Et tenent RR. communiter, ac pluribus congestis Vasq. *opusc. de redditib. cap.* 1. §. 3. *dub.* 1. Sanch. *lib.* 2. *cons. cap.* 2. *dub.* 27. Molina *tom.* 1. *disp.* 143. Less. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. Bonac. *de oblig. Benefic. tr.* 3. Lugo *disp.* 4. *sect.* 1. Et ex parte quoad acquisitionem dominii *Valent. Tanner. Laym.* supra citati.

105 *Prob.* 1. Ex Jure *c. commissa. De electione in* 6. dicitur: quod suscipiens paræciam sine animo accipiendi sacerdotium infra annum, debeat restituere fructus Parochiæ; quod eos non fecerit *suos*. 2. S. Pius V. in Bulla 138. declarat, Beneficiatum non recitantem Officium, non facere fructus *suos*. 3. Conc. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 12. statuit, ne faciat fructus *suos* Canonicus, vel Beneficiatus curam animarum, vel dignitatem habens: si non facit Fidei Professionem intra duos menses a die adeptæ possessionis. 4. Ibidem statuitur, ut Canonicus dignitatem habens, si abfuerit tres menses in anno, prima vice privetur dimidia parte fructuum, quos fecit *suos* &c. ergo supponit Concilium, citato loco alios Clericos omnes debite satisfacientes officio, & obligationi suæ, *facere fructus suos*: hoc est, eorum dominium, & proprietatem acquirere indistincte, quoad & necessarios, & superfluos. Quod si enim solum de fructibus necessariis sustentationi loquerentur Pontifices, & Concilium, sequeretur, quod non recitantes Officium, non residentes, aliique specificati non privarentur fructibus superfluis, sed solum necessariis sustentationi, partis vero reliquæ retinerent dominium, vel saltem administrationem & usum: sicut qui recitant &c. quod est aperte falsum, & absurdum contra mentem Pontificum, qui eos omnibus fructibus suis universis voluere privare: adeoque supponunt fructus alioquin vere esse suos. Quod ipsum confirmando,

106 *Prob.* 2. Clerici Beneficiati redditus suorum Beneficiorum omnes indifferenter, & indistincte percipiunt, tam necessarios sustentationi, quam superfluos: ergo ex parte redditUum, seu fructuum suorum non potest dici, eos aliquorum dominium acquirere, aliquorum non acquirere: atqui acquirunt verum dominium redditUum necessariorum ad decentem sustentationem, ut nobiscum fatentur adversarii Auctores oppositæ sententiæ: ergo acquirunt etiam verum dominium redditUum superfluorum, non obstante stricta obligatione applicandi superfluos ad pios usus; illa enim obligatio non est realis, seu ipsi rei annexa, ut de se patet; sed est tantum personalis, seu ipsi personæ imposita, & consequenter non potest esse obligatio ex justitia: repugnat enim vero, ac pleno dominio rei obligatio ex Justitia, & jus alterius in illa re: adeoque eo ipso non erit verum, & plenum dominium, sed imperfectum tantum, ut *Sect.* 1. *de dominio* dictum est. Et de tali non pleno, & imperfecto dominio necessario loquuntur *Valent. Panorm. Laym.* concedentes Beneficiatis verum dominium redditUum etiam superfluorum, & tamen docentes eos ex justitia obligari ad restitutionem. Contra hoc ipsum efficaciter

107 *Prob.* 3. Si Beneficiatus non acquirat plenum dominium redditUum superfluorum, sed ita restrictum, & gravatum, ut ex Justitia teneatur erogare pauperibus, vel ad pias causas, sic, ut nec valide de iis in prophanos usus disponere possit, sequitur manifeste, quod necessario deberent rescindi omnes donationes, contractus, & dispositiones, quibus redditus illi ad prophanos usus expenduntur, vel alienantur: atqui hoc nunquam fit, nec factum fuit, neque eo prætextu lis ulla intentata est: supponitur ergo, ea bona valide alienari quomodocumque & in quoscumque usus fiat. Alioquin certe sequerentur infinita inconvenientia, scandala, scrupuli &c.

108 *Prob.* 4. Quia nec ex jure naturali, nec ex jure ullo positivo constat, administrationem tantum, & usum, & non verum dominium dari ejusmodi fructuum Beneficiatis: ergo cum Ecclesia id nunquam declaraverit, non debet sine certo fundamento affirmari. Denique omnes rationes oppositæ sententiæ minime convincunt. Nam ecce breviter:

Ad I. *Resp.* innumera illa loca Sacrorum Canonum Con- 109
ciliorum, & SS. PP. pleraque loqui de illis bonis Ecclesiasticis in primo statu suo ante illorum divisionem, & applicationem in singulos Beneficiatos; quo statu omnibus communia soli Ecclesiæ appropriata erant, & sine dubio a nemine sine furto, rapina, sacrilegio in prophanos usus expendi, vel alienari potuerunt: sicut de facto non possunt bona Religiosorum in communi. Si qui autem Patres (maxime D. Bernardus) loquantur post istam divisionem, Beneficiis cum suis redditibus jam distributis in singulos Beneficiatos, loquuntur per quamdam exaggerationem piam, Sicut & divites laici pauperibus non succurrentes dicuntur a SS. Patribus pauperum homicidæ (notissimum illud D. Ambrosii: *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti*) licet ad eam eleemosynam nunquam teneantur ex justitia, sed aliquando solum ex Charitate, ut jam dictum est suo loco.

Ad II. In primis retorquetur argumentum: Quia si Be- 110
neficiati non essent Domini illorum redditUum, nullibi possent valide de iis bonis testari; quod utique falsum est: nam Beneficiati inferiores Episcopis, multis in locis valide de iis testantur. In forma ergo negatur suppositum *min.* Ratio enim, cur prohibiti sint testari, non ex defectu dominii, sed ex prohibitione Ecclesiæ jure optimo facta, ut nimirum promptiores sint in eleemosynas in vita elargiendas, scientes se in morte non posse valide de iis bonis testari, ait Lugo *cit. disp.* 6. *sect.* 1. *num.* 6.

Ad III. maxime urgentem *Resp. Conc. Maj. & N. min.* sim- 111
pliciter. Non enim illa bona collata sunt a Fidelibus Ecclesiæ cum eo onere, vel pacto expresso, seu sub conditione in pactum apposita, ut deberent ex justitia taliter expendi nimirum solum ad decentem sustentationem, & alios usus pios tantum. Unde enim tibi constat? quo textu? quibus tabulis? qua ratione id evidenter demonstrabis? Atqui sine certo fundamento non debes asserere tam gravem obligationem. Sed fideles ea bona libere Ecclesiasticis obtulerunt, solum sub conditione pia sperata, & intenta, seu sub pia præsumptione, & intentione finali impulsiva tantum, ea bona ad pios tantum usus insumenda fore: quemadmodum fit in quavis eleemosyna, vel legato pio: semper enim intentio, pia spes, & ea præsumptio dantis est, quod in usus utiles, ac honestos expendatur: an ideo tibi talis pauper donatarius, vel legatarius videbitur peccare contra justitiam cum obligatione restitutionis, si ejusmodi pia data expendat in usus inutiles, inhonestos, etiam pessimos? certe omnino simile est in proposito.

Ad IV. *Neg. conseq.* fatemur eam obligationem non esse so- 112
lius eleemosynæ ex Charitatis, & Misericordiæ virtute: numquid ideo fateri debemus esse ex Justitia? Est in primis ex gravissimo præcepto Ecclesiæ in sacris Canonibus, Conciliis, & novissime Trid. tam severe inculcato: nec est ex solo illo positivo præcepto humano Ecclesiæ, sed est ex ipso jure naturali mox specificando, uti ex communi docent Vasq. *opusculo de eleemosyna*, & Lugo *cit. disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 16. Nam si ista obligatio esset solum ex positivo Ecclesiæ præcepto posset Pontifex dispensare, saltem valide, & sic Beneficiatus jam posset licet expendere eos redditus ad prophanos usus &c. Quæ gravem turpitudinem præseferunt, & scandalum afferrent in populo, ac merito absterrerent fideles ab hujusmodi fundationibus, & dispositionibus piis faciendis. Deinde posset hæc obligatio contraria consuetudine auferri, sicut alia humana præcepta possunt consuetudine contraria præscribi, quod nemo concesserit. Sit itaque

Conclusio Finalis.

OBligatio illa Beneficiariorum bona Ecclesiæ superflua in 113
pios tantum usus, & non prophanos expendendi sub mortali, est Juris naturalis ex virtute Religionis. Ita videtur supponere Conc. Trid. *loc. supra cit.* Et docet communis DD. ac late, & optime Lugo *cit. n.* 16. Ratio ergo a Concilio indicata est: Quia bona illa, ac redditus sunt *Res Dei*, nimirum oblata Deo a fidelibus ad ejus cultum, & ad satisfactionem pro peccatis suis: Ideo enim *Oseæ* 4. Sacerdotes dicuntur comedere peccata populi, quia comedunt ea, quæ pro peccatis a populo Deo offeruntur: nam quia Deus non potest visibiliter adiri, nec iis rebus indiget, ideo offeruntur Ecclesiæ, ut cedant in Dei obsequium. Quamvis ergo Ecclesia acquirat dominium illarum rerum, quæ ipsi absolute absque ullo pacto, vel conditione in pactum apposita liberaliter, offeruntur, & ideo valide posset de illis ad quemcumque usum disponere; ipsa tamen bonorum conditio, & qualitas facit, quod nimium indecens sit, ea expendere aliter, quam in usus pios, & Deo gratos: quare sicut Ecclesia a principio acceptavit ea bona, ita postea in divisione ea bona distribuit, & applicavit Episcopis, & Beneficiatis cum ea obligatione imbibita in tali modo accipiendi, ut non expendant, nisi eo modo, quo expenderent, si vere essent res Dei, vel Sanctorum: hoc est, in usus gratos Deo, & prout deceret, a Deo, vel Sanctis res sibi consecratas expendi. Contra quam obligationem graviter peccant ii, si indecenter, & prophane res Deo, & Sanctis consecratas in alios usus con-

convertant. Et hæc est præcipua turpitudo istius actionis, quam illo brevissimo verbo explicuit *Trid.* quando dixit, non posse familiaribus dari: *quia res Dei sunt:* hoc est: quia non aliter sunt expendendæ, quam si vere & proprie essent solius Dei, & a Beneficiato, tamquam Dei Procuratore, juxta veri Domini intentionem expendendæ essent.

114 Quoad obligationem denique restitutionis in hac sententia certum est, Beneficiatum, qui redditus in prophanos usus prodigit, non teneri pro illis restituere. Quod si tamen expendit modo lucrativo, emendo sibi possessiones, vel mobilia superflua, omnino manebit adhuc obligatio expendendi, saltem in æquivalenti ad pios usus: quia illi obligationi nondum est satisfactum, & adhuc satisfieri potest: sicut qui superfluos fructus vini, pecoris &c. vendidit; numquid manet adhuc obligatio, pretium superfluum erogandi in pios usus? ut contra aliquos docet communis, & verissima DD. Sententia; & optime probat Lugo *cit.* quem, quæso, lege. Nam terminos instituti nostri jam excessimus satis.

SECTIO III.

De objecto dominii, ejusque acquisitione generatim.

SUMMARIUM.

116 *Homo licet non sit dominus vitæ, vel membrorum suorum,*
117 *Est tamen dominus suorum actuum liberorum,*
118 *Item suæ famæ & honoris; ac*
119 *Etiam libertatis. Unde*
120 *Unus licite acquirit dominium, vel servitutem in alium hominem.*
121 *Idque quatuor modis, vel titulis.*
122 & 123 *Hoc tamen dominium in servos, vel mancipia est valde imperfectum.*
124 *Homo etiam habet quoddam dominium naturale, & universale in omnes res sublunares. Unde*
125 *Dominiorum, seu rerum divisio licita est, immo quodammodo necessaria,*
126 *Quæ facta est jure gentium, non naturali, vel positivo, divino, aut humano.*
127 *Quæ facta divisione adhuc manserint communia.*
128 & 129 *Solvuntur duæ objectiones.*
130 *Generales modi acquirendi dominium, sunt* occupatio, & translatio.
131 *Ad dominium legitime acquirendum requiritur titulus, & traditio.*
132 *Titulus est duplex: verus, & præsumptus, sicut &*
133 *Traditio, seu apprehensio rei alia est vera, alia ficta fictione juris.*
134 *In tali traditione, & apprehensione rei cum debito titulo, fundatur proxime, & immediate dominium.*
135 *Enumerantur quatuor casus, ubi ad dominium acquirendum sufficit solus titulus sine traditione, vel apprehensione rei.*

115 Dominii objectum dicitur illa res, quæ potest cadere sub dominium, vel proprietatem alterius; & sermo tantum est de dominio humano, seu quarum rerum homo possit habere, vel habeat dominium, possit esse, vel sit dominus; intelligendo, tam res, quæ sunt in homine, quam quæ sunt extra hominem.

§. I.

Intrinseca homini.

Vita, membra, actus liberi, fama, honor, libertas.

Resolutiones.

116 I. Homo non est Dominus vitæ, vel membrorum suorum, *sed custos, & usuarius.* Omnes cum S.Th.2.2.*q.*14. Constat iis Scripturæ locis, quibus dominium vitæ, & mortis soli Deo attribuitur: ut *Sapient.* 16. Quod autem dicatur Eccles. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui; posuit ante eum vitam, & mortem &c.* libertatem eligendi, non vitam, & mortem naturalem, sed vitam, & mortem accidentalem, ac spiritualem Gloriæ, vel pœnæ significat. *Ratio* patet ex definitione dominii; eaque duplex: Nam 1. Dominium est facultas per liberum arbitrium utendi re tamquam sua; adeoque supponit subjectum jam libero arbitrio præditum, & consequenter etiam vitam, animam, corpus, & membra exigens: atqui res, quæ sub dominio cadit, necessario est distincta a Domino, quippe ei subjecta, atque in ejus utilitatem usurpanda: homo autem libero arbitrio constans nullo modo est distinctus a vita, & membris suis: ergo implicat hominem esse Dominum vitæ, & membrorum suorum. 2. Dominium est facultas bene disponendi in quemcumque usum: homo autem sine dubio non potest ita disponere de vita, & membris suis, cum non possit se ipsum occidere, mutilare; immo nec castrare ob periculum incontinentiæ sub pœna irregularitatis: de quo alibi, supra *tr.* 5. *c.* 3. *sect.* 1. *n.* 33. ergo &c. Est itaque homo vitæ, vel suorum membrorum custos, vel usuarius: habens nimirum arctissimum jus, & obligationem custodiendi membra sua, iisque utendi, ita ut in his ipsum lædens nolentem, gravissimam ei inferat injuriam; sicut & ipsi Deo Domino Principali. De quibus in quinto Præcepto *cap.* 3. *cit.*

II. *Homo est dominus omnium actuum suorum liberorum elicitorum, vel imperatorum. Item omnium habituum, & bonorum internorum, etiam spiritualium, naturalium, vel supernaturalium: ut Gratiæ, virtutum &c.* Communis DD. apud Tanner. *disp.* 4. *q.*1. *dub.*4. Ratio est: quia omnibus istis actibus, & habitibus, seu bonis internis homo pleno jure potest libere uti, tamquam rebus suis, ac in suum commodum: iisque invitus privari, vel impediri sine injuria non potest: potestque ea omnia libere prodigere sine injuria legali cujuscumque alterius; etsi sæpe non sine injuria morali, hoc est, sine peccato, seu offensa Dei: ergo. 117

III. *Homo est Dominus suæ famæ, & honoris.* Communissima. Ratio est: quia homo famam suam, & honorem libero arbitrio acquirit, sicut alias res; potestque eis libere uti; immo etiam prodigere sine injuria alterius per se loquendo: nisi per accidens simul involveretur infamia, ac injuria alterius, vel aliorum: utpote quando ex fama se se infamantis pendet fama, ac infamia alterius, vel aliorum: sicut ex fama, vel infamia Religiosi pendet fama, vel infamia Ordinis. Esto rursus, quod non possit prodigere famam licite tamquam suam absque peccato saltem veniali prodigalitatis, juxta illud Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine.* Nec potest pecuniam prodigere sine tali peccato, licet eorum verissimus Dominus sit. Sed de hoc jam item ex professo in octavo Præcepto *tract. præced. cap.* 4. *sect.* 1. 118

IV. *Homo etiam est Dominus suæ libertatis.* Omnes. Ratio: quia etiam libertas est conditio hominis, etsi naturaliter ei competens, ut ea invitus, extra causam justitiæ, sine gravissima injuria privari nequeat: attamen est conditio ab ipso separabilis, ut ea pro arbitrio frui, aut, si velit, abdicare se possit, ut jamjam patebit. Jam quoad extrinseca homini. 119

§. II. *Alius homo.*

Resolutiones.

I. Homo etiam licite acquirit, *& habet dominium in alium hominem, seu ejus servitutem personalem.* Omnes. Patet ex Scripturis tam V. quam N. Testamenti: ut Gen. 20. Exod. 21. 1. ad Timoth. 6. *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Res nota in utroque Jure. Ratio est: Quia (ut modo dictum) homo vere est dominus suæ libertatis: ergo ex justa causa potest transferri ipsius dominium in alium, vel per propriam voluntatem, vel per justam voluntatem Superioris. 120

II. Quatuor autem sunt tituli, seu modi, quibus homo acquirit dominium servitutis in alium hominem. Primus *Captivitatis jure belli:* nam jure gentium capti in bello servi, vel mancipia efficiuntur; sic dicti, *Mancipia*, quia manu capti, *Servi*, a servando, quia victores occidere potuissent, tamen servare maluerunt. Verum apud Christianos per consuetudinem diuturno tempore stabilitam præceptum est, ut Christiani capti non fiant servi, sed pretio soluto in præmium victoris redimantur. Secundus *Justæ condemnationis.* Nam propter delicta potest aliquis, sicut vita, ita etiam libertate privari, & mancipium fieri; ut variis locis utriusque juris optime ostendit Lug. *t.*1. *de just. disp.* 6. *sect.*2. *a n.*13. Tertius *Emptionis, & venditionis:* potest enim homo ob justam causam venditione suæ libertatis se efficere servum alterius, ut constat *Exod.*21. ubi de servo alias dimittendo dicitur: *Si autem dixerit servus, nolo egredi &c.* eo quod diligat &c. serviet tibi usque in æternum. Et notum est heroicum Charitatis exemplum *S. Paulini Nolani Episcopi.* Ratio est: quia quilibet habet potestatem transferendi in alterum jus illud, quod ipse habet; homo autem habet jus suæ libertatis, atque jus utendi membris suis ad licitas operas: ergo habet jus hoc transferendi in alterum, salva ejus libertate; puta Patris, Tutoris, Domini pristini. Quartus *Nativitatis.* Juxta Regulam *L. Partum, Cod. de rei vindicatione.* Quo partus sequitur ventrem, hoc est, conditionem matris: adeo ut non considerata conditione patris ex serva servus, ex libera liber nascatur. Unde *ad Galat.* 4. Agar serva Abrahæ eidem in servitute generasse *filios*, non *liberos*, dicitur: idque jure gentium inductum est. Ratio sufficiens est: quia mater serva propter partum subtrahitur servitio Domini; & sæpe mortis periculo exponitur. Unde æquum visum est, ut pro hoc damno, vel damni periculo vitando, partus ad dominum spectet; juxta notam regulam Juris: *Qui sentit onus, sentiat & commodum &c.* Immo potest dici, id provenire ex ipsa rei natura, & lege naturali: quia fœtus comparatur ad matrem, sicut fructus ad arborem: sicut ergo cum capta, vel vendita arbore transit illius fructus; ita cum matre fœtus, in utero etiam adhuc existens, quantum est de jure naturæ. Attamen in favorem libertatis Lege civili statutum est, quod si tempore, vel conceptus, vel partus, vel tempore aliquo intermedio mater fuit libera, filius natus liber sit: nec nocebit ei præcedens, vel subsequens matris servitus, ut libertatem 121

quam

quam semel habuit, amittat: Sic expresse *instit. de ingenuis §. sufficit*. Qua legis ordinatione utuntur etiam Theologi pro legitimatione prolis per sequens matrimonium.

122 III. Dominium hoc servitutis in servos, vel mancipia valde imperfectum est, & non tam dominium indirectum in substantiam servi, quam dominium utile in ejus opera, ac lucra per modum ususfructus. Nam in primis non extendit se dominium in vitam, vel corpus servi: licet enim jure antiquo gentilium domini in servos suos vitæ, necisque potestatem habuerint, id tamen merito correctum est jure novo. Multo minus competit dominis potestas in animam servi, quoad salutem spiritualem. Unde recte docent DD. cum Laym. *l. 3. tr. 1. c. 2. n. 11.* Servo licitum esse a Domino suo aufugere, si per illius malitiam in periculo peccati mortalis (maxime subversionis Fidei) constituatur: neque obligari ad revertendum, quamdiu tale periculum durat: jus ergo dominii in servos solum extendit se ad eorum proprietatem pretio æstimabilem, operas, lucra, & quæcumque emolumenta, ita ut quæcumque servus acquirit, domino suo acquirat, nec ullum proprium peculium habere possit de jure communi: exceptis tamen aliquibus casibus, de quibus *sect. præced.* in fine.

123 IV. Nota hic servos originarios, seu adscriptitios nostræ Germaniæ, etsi aliquam speciem servitutis habeant, quatenus obligati sunt manere sub dominio Dominorum, & certa servitia præstare, simpliciter tamen servi, vel mancipia non sunt, cum non possint a dominis vendi, & quæ operis suis lucrantur, sibi, non dominis, lucrentur, & acquirant: nec vilis conditionis censentur; sed ad actus legitimos, & officia publica admittuntur: quamvis ad Ordines non admittantur, nisi prius manumissi, cum defectu libertatis plenæ habeantur irregulares. Servi denique, & ancillæ vulgares nullo modo servi, sed liberi sunt mercenarii ex solo contractu locationis obligati ad servitia præstanda dominis, alioquin liberi domini rerum suarum, & habitarum, & acquirendarum.

§. III. *Totus mundus, Res corporales, seu temporales in particulari.*

Resolutiones.

124 I. **H***omo habet quoddam naturale, & universale dominium in omnes res inferiores, sublunares a se diversas, non autem in corpora cœlestia; sed bene in eorum effectus, & influentias*. Communis cum D. Thoma. Patet ex Script. Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Ex Ps. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (inferiora nimirum) *oves, & boves &c.* quæ omnia animantia homini in statu innocentiæ permanenti naturali instinctu obedivissent, sicut grues sequuntur ducem, & apes regi obediunt: ad quem lapsum tali actuali dominio excidit. *Ratio est:* quia hæc omnia natura sua homine inferiora sunt, & ad ejus usum divinitus condita, & ordinata: atque ita dispositioni hominis aliquo modo subjecta sunt, ut possit ea suis usibus accommodare citra cujusque injuriam: Corpora autem cœlestia dispositionem hominis superant natura sua: attamen quoad eorum effectus, lumen, calorem, frigus, cæterasque influentias aliquale saltem, & utile dominium habet homo; quatenus habet facultatem iis utendi in suum commodum & pro libitu, plus, vel minus de iis participandi, eorum activitatem, plus, vel minus nobis, vel rebus nostris applicandi &c. adeo ut si quis nos in ejusmodi usu, & applicatione impediat, veram nobis injuriam inferat. Denique dictum est: *Dominium naturale, & universale:* Quia sine dubio nullus purus homo habet dominium rerum earum omnium civile, & particulare, de quo sermo noster. Eo ergo dominio velut de se parum cuinam importante, Scholasticis remisso, ad res particulares descendamus.

125 II. *Homo etiam licite acquirit, & habet dominium particulare rerum temporalium, seu corporearum, seu inferiorum, tam viventium, quam non viventium:* seu quod idem est dicere: *Divisio dominiorum, seu proprietatum rerum temporalium licita est, & post lapsum Adami quodammodo necessaria, etiam inter Christianos.* Certum de Fide: patet innumeris locis V. & N. Testamenti, quibus dominia, seu proprietates reum hominibus etiam Sanctis asseruntur. Et clare insinuat Christus *Matth. 19.* ubi adolescenti dixerat: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et postea tamquam aliquid minime præceptum, sed ad solam perfectionem spectans, adjecit. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes &c.* quomodo autem juberet vendere, nisi is antea dominium, vel proprietatem habuisset? *Ratio evidens est.* Quia ut notant PP. licet jure naturali institutæ naturæ humanæ primevæ communis esset omnibus omnium rerum possessio, atque dominium: unde rerum divisio nec facta erat in statu innocentiæ, nec futura fuisset, si homo non peccasset: siquidem in illo statu innocentiæ adeo felici absque omni inordinata passione, vel cupiditate cum summa hominum inter se concordia, nulla poterat esse causa, vel necessitas dividendi dominia, vel proprietates rerum sibi a Deo communiter donatarum: quam bonorum communitatem imitati sunt primævi Christiani, & etiamnum pie sequuntur Religiosi. At vero quia universim, post peccatum naturæ lapsæ quando terra spinas, & tribulos germinabat, nisi hominum labore coleretur: homines autem ex vitio naturæ corruptæ, & ad laborem segnes, & insuper pluribus cupiditatibus, inordinatis passionibus infecti, quilibet parum laborare, & multum habere voluisset; ideo omnibus gentibus expedire visum est, divisiones rerum, seu dominiorum instituere, utpote necessarium, tam ad res melius, & ordinatius conservandas; siquidem magis est solicitus quisque de proprio, quam de communi: quam ad pacem, & tranquillitatem humanam societatis conservandam: si enim mansissent res communes, ob pravas naturæ cupiditates, & avaritias, multæ dissensiones orirentur: dum potentiores ferme omnia occuparent suis usibus (prout etiam nunc opprimunt inferiores in propriis) cum plures eadem re vellent uti &c. quæ incommoda, licet non omnia, majori tamen ex parte sublata sunt post rerum divisionem. Quare post peccatum Adami statim *Gen. 4.* legimus, Abel, & Cain propria peculia habuisse, & obtulisse Deo de primogenitis gregis sui. Et hac ratione intelligendum est celebre dictum Clementis V. cap. Dilectissimis 12. q. 1. *Omnis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus communis esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum; alius aliud.* Ubi *per iniquitatem* intellige non formaliter, quasi iniquum sit dicere, hoc esse suum; sed causaliter, vel occasionative, quia scilicet iniquitas, seu peccatum hominis, ac prava inclinatio, causam, & occasionem præbuit, ut res dividerentur, ut dictum est. Dicta aliorum Patrum Basilii, Ambrosii &c. negantium Christiano aliquid esse *proprium*, sed *omnia communia*, intelligenda sunt non quoad proprietatem, sed quoad Charitatem, maxime pro necessitate proximi. Damnatus ergo est error Hæreticorum, tam antiquorum, quam recentiorum, Wicleffistarum, & Anabatistarum negantium Christianis licere dominium, aut proprietatem rerum in particulari habere, sed omnia debere esse communia. At jam merito quæres; quo ergo jure facta sit divisio rerum.

III. *Divisio rerum quoad dominia, & proprietates non est facta Jure naturali, nec Jure positivo Divino, nec jure humano Civili, sed jure gentium.* 1. *Non jure naturali:* nam alioquin communitas rerum esset juris naturalis, quod est aperte falsum: est quidem furtum contra Jus naturæ, inde tamen inepte infers dominium rei competere alteri a Jure naturæ: Jus enim naturæ absolute dictat nil alteri invito esse auferendum, quocumque jure illi competat: nam & subditus jure naturæ tenetur obedire Superiori, & tamen illa potestas non competit Superiori nisi jure humano. 2. *Non Jure divino positivo:* Quia nusquam in Scriptura extat tale jus, vel lex; neque ex ullo textu id colligi potest: quin potius omnia bona in communi tradita esse hominibus a Deo Scriptura refert locis cit. Cui nil obstat, quod hac divisione rerum jam inter homines constituta, etiam ipse Deus aliqua particularia dominia aliquibus attribuerit: ut Davidi regnum Israelitarum. 3. *Non jure Civili humano:* Quia jus Civile est proprium unius Reipublicæ, Regni, vel Imperii tantum: adeoque jam supponit divisionem rerum esse factam. Quod autem S. August. dixerit tract. 6. in Joannem. *Tolle Jura Imperatorum, & quis audet dicere, hæc villa est mea, meus est iste servus, mea est hæc domus? &c.* per Jura Imperatorum intelligit quodlibet jus humanum impetrativum, sive Principis, sive Reipublicæ, sive totius Communitatis gentium. 4. Est ergo facta jure gentium, id est communi consensu omnium populorum, eam rerum divisionem constituentium vel approbantium: sive deinde ea rerum divisio primitus facta sit a parentibus filiis bona distribuentibus, sive a Principibus communi consensu ad hoc delectis, sive expresso, vel tacito consensu inter se ipsorum populorum, sive quovis alio modo; sufficit talem divisionem receptam, & approbatam esse consensu omnium populorum, & inde natum sit jus Gentium. 126

IV. Facta divisione rerum omnium gentium consensu, & placito, aliqua tamen communia manserunt. 1. Pro casu extremæ necessitatis communia manent necessaria pro vita tuenda. Ut est commune dictum: *In extrema necessitate omnia esse communia.* 2. Communia omnibus manent, ut habetur *in instit. de rerum divisione*, aer, aqua, littora maris, portus, flumina, ripæque. Jure ergo Gentium licet ad littus maris accedere, maria, & flumina navigare, funes arboribus religare, onera in littora exponere &c. 3. Nullius etiam dominii sunt feræ bestiæ, aves, pisces, animalia sylvestria, sive jure gentium primo capientis propria fiunt; *quod enim antea nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* §. feræ instit. de rerum divisione. Excipe; nisi in his intercedat speciale jus, ut *Sect. seq.* patebit. 4. Totius communitatis propria, & singulorum civium communia sunt theatra, viæ publicæ, publici fontes, balnea, &c. a quorum usu debito nemo sine injuria impediri potest. De rebus sacris, seu Ecclesiasticis permanentibus, jam audivisti, nullius esse puri hominis, sed solius Dei proprie: nam ut dicitur §. nullius, instit. De rerum divisione: *Quod divini Juris est, id in nullius hominis bonis est.* Jam contra dicta restat expedienda 127

Objectio difficilis. Quæcumque sunt juris naturalis, humano jure, vel potestate mutari, vel tolli non possunt. *Clem. Pastoralis de re judicata*, & alibi: sed communis rerum omnium 128

nium possessio, ac dominium est juris naturalis, ac primævi, ut omnes agnoscimus: ergo jure humano gentium tolli, ac mutari divisione rerum non potuit. Resp. *Dist. maj.* Quæcumque sunt juris naturalis præceptivi (quod scilicet ita statuit jus naturæ, ut ejus oppositum vetet, vel excludat, ut Deum colendum, parentes honorandos &c.) nulla lege humana tolli, vel mutari possunt. *Conc. maj.* Quæcumque sunt juris naturalis permissivi tantum (quod scilicet ita statuit jus naturæ, ut tamen ejus oppositum non excludat, sed voluntati hominum permittat, ut est usus vestium &c. & hæc ipsa divisio rerum) nulla lege mutari possunt. *Neg. maj.* & similiter distincta min. *Neg. conseq.* Naturam enim Lex, & ars perficiunt. Quemadmodum ergo nuditas hominis humano generi naturalis est, & in statu innocentiæ habita, non tamen præceptive, sed permissive tantum, quia natura hominem non vestit, sed nec vetat vestiri, sed permittit hominem ab arte vestiri: ita rerum communio, seu communis possessio juris naturalis est, non præceptive, sed permissive tantum: ideoque rerum divisio, & proprietas, licet non sit a naturæ lege, non est tamen contra naturæ legem. Sed contra.

129 *Instabis*. Ante factam hanc divisionem rerum jus naturale præcepit, neminem prohibendum esse ab apprehensione, vel usu quarumvis rerum, quibus indigebat: atqui post factam divisionem rerum prohibetur homo ab usu quarumvis rerum, scilicet suo dominio non subjacentium, etiamsi indigeat: ergo etiam jus naturale præceptivum mutatum est, contra distinctionem. Resp. *Dist. conseq.* Jus naturale etiam præceptivum mutatum est per se, & directe, ita ut nulla in objecto facta mutatione, ejus obligatio cessarit. *Nego conseq.* mutatum fuit per accidens, & indirecte, scilicet ad mutationem objecti: *Concedo totum*. Sic enim pluribus casibus mutatur, vel cessat jus naturale facta mutatione in objecto: v.g. intellexit possessor bonæ fidei rem a se possessam esse alterius, jus naturale dictat, & præcipit eidem, statim eam esse restituendam: at vero accedente lege humana præscriptionis boni publici causa inducta, post decursum certi temporis ejus dominio acquisito, non amplius præcipit lex naturalis restitutionem. Eadem ratione, stante ab initio rerum communione, jus naturale dictabat neminem prohibendum esse ab apprehensione, & usu rerum, quibus indigebat: at nunc mutato objecto, & ob advenientem circumstantiam plurimorum incommodorum post naturam lapsam, introducta proprietate rerum diversarum, jus naturale non ita amplius, sed contrarium dictat, nimirum furti injuriam committere eum, qui rem accipit, invito eo ad quem pertinet, extra extremæ necessitatis casum. Vide optime Suarez *lib. 2. de legib. cap. 14.* Laym. *hic lib. 3. tr. 1. cap. 5. n. 5.* in fine.

§. IV. *Dominia acquirendi modi generales, & acquisita.*

130 I. Duo sunt generales modi acquirendi dominium alicujus rei, scilicet *per occupationem*, & per *translationem*. Res clara: Quia facta jam rerum divisione, quidquid aliquis acquirit, aut antea alicujus fuit, aut nullius: Si nullius fuit, acquirit per occupationem, vel inventionem: si alicujus, acquirit per translationem. Translatio autem dominii dicitur transmutatio rei ab eo, qui eam legitime possidebat, in alterum, qui vi illius incipit esse ejus legitimus dominus. Et potest fieri generaliter duobus modis. 1. Auctoritate publica Principis, vel legis, & 2. Auctoritate, ac voluntate privata personæ immediate possidentis. Auctoritate publica transferuntur dominia rerum, aut auctoritate ipsius Dei Supremi omnium Domini, cujus est terra, & plenitudo ejus, prout fecisse, aut factum esse in Sacra Scriptura legitur de populo Israelitico, cui tribuit bona Ægyptiorum, & terram promissionis &c. Aut auctoritate Principis, vel legis ob bonum commune, etiam citra consensum prioris domini, ut generatim fit lege Præscriptionis, & fieri potest etiam in pœnam delicti prioris domini. *Auctoritate privata* seu libertate cujusque rem possidentis, etiam valide, & juste transferuntur dominia rerum per quosvis legitimos contractus, etiam gratuitos, ut donatione, legato, electione &c. vel onerosos, ut emptione, venditione, &c. nam Dominus alicujus rei non prohibitus a lege potest dominium suæ rei libere transferre in alium volentem recipere: sicut enim per actum voluntatis suæ fuit dominus pro voluntate, ita eadem potest cessare esse dominus; præsertim cum id maxime consentaneum sit naturæ humanæ sociali, ut unus alteri adjumento sit, quod maxime fit in rerum translatione. Tres ergo in specie generales sunt modi acquirendi dominia eorum, deinceps latius explicandi. *Primus* per occupationem, de quo mox Sect. seq. *Secundus* per præscriptionem, seu usucapionem, de quo Sect. 5. & 6. *Tertius* per contractum gratuitum, & specialiter infra *cap. 2. & seqq.*

131 II. Ad acquirendum dominium legitimum alicujus rei duo requiruntur, *titulus*, & *traditio*; ita ut unum sine altero ordinarie non sufficiat. Res nota in Jure, & recepta apud Theologos. *Ratio* patebit ex dicendis: Quia solo titulo nullum jus acquiritur in re, nec consequenter dominium, sed solum jus ad rem: Sola autem traditio, seu apprehensio rei sine titulo, vel justa causa, iniquitas est: Titulus ergo dominii dicitur ratio fundandi dominium in aliquo; illud nimirum, quod est origo, radix, & causa, ex qua oritur alicui dominium, vel quodlibet aliud jus in aliquam rem: E. g. emptio est titulus, seu justa causa comparandi dominium mercis. Legitima electio, naturalis successio, vel jus belli per justam victoriam &c. est titulus, vel justa causa comparandi dominium Regni, vel quasi dominium alicujus Beneficii: Et generaliter loquendo, titulus dominii coincidit cum supra dictis tribus modis ad acquirendum dominium; qui sunt *occupatio*, *præscriptio*, *contractus legitimus*.

Porro titulus dominii duplex est, *Verus*, & *Præsumptus*. 132
Titulus *verus* dicitur, quando fundamentum, vel causa dominii, aut juris alicujus re ipsa subsistit, vel subest; ut in exemplis datis. Titulus *præsumptus* dicitur, quando fundamentum, vel causa dominii re ipsa non subest, præsumitur tamen subesse, eo quod acquirens rem, bona fide processerit: v. g. Joannes bona fide emit, vel dono accepit vestem Petri, credens esse illius, cujus tamen non est; is acquirit dominium, vel possessionem illius vestis ex titulo non vero, præsumpto tamen, bona fide emptionis, vel donationis; seu, ut loquuntur Jura, possidet pro empto, vel donato, vel legato, credens nimirum venditorem fuisse vestis dominum, eique proinde jus alienandi competere. Et, ut dictum est, solus titulus solum comparat jus *ad rem*; ut enim comparet jus *in re*, ipsumque dominium, requiritur etiam traditio alicujus rei.

III. Traditio ergo hic dicitur apprehensio corporalis rei, 133
cujus debeo esse dominus; traditio enim non tam debet intelligi ex parte dantis, ut res illa per actionem corporalem a pristino domino tradatur, quod solum non sufficeret, quam potius ex parte acceptantis, ut nimirum is rem traditam, non solum acceptet libero consensu per signa externa expresso (quod etiam inter absentes fieri potest) alias solum sit pactum nudum præbens jus ad rem tantum, sed ut jam traditam actione corporali exterius realiter apprehendat, apprehensione vera, vel ficta, quam traditionem, ac apprehensionem sequitur possessio, scilicet continuata detentio rei sic apprehensæ cum debito titulo, tamquam aliquid in fieri, factum esse. *Apprehensio vera* dicitur, quæ fit corporali, ac reali contactu rei, utpote manibus, si res sit mobilis, vel pedibus, si res sit immobilis: non tamen necesse est, ut domum, vel fundum possessurus omnia domus conclavia intret, vel omnes terræ partes pedibus intret; sed satis est, si quamlibet partem ingrediendo, reliquam animo complectatur, ut Jura declarant. *Apprehensio ficta*, seu per fictionem Juris dicitur, quæ licet vera non sit per realem contactum rei possidendæ, tamen dispositione juris æquivalet apprehensioni veræ, ac reali contractu factæ, eo quod Jura, & Leges civiles statuant, vel interpretentur talibus modis dominium, ac possessionem tradi, & acquiri, utpote si in præsentia rei, prædii, fundi &c. claves accipias a priori possessore, ex Juris fictione censeris dominium, ac possessionem ejus rei acquirere. Item si prior possessor, vel dominus tibi tanquam successuro rem donare, vendere, tradere volens, solum tradat scripturam, seu instrumentum, in quo continetur ejus jus, vel titulus, quo rem possidebat: quia in eo res ipsa contineri censetur, acquiris rei possessionem, & dominium, etiamsi in conspectu posita non sit: aliisque variis modis, de quibus Juristæ, & summarie Laym. *cit. lib. 3. tract. 1. cap. 7. a nu. 1.* Parum, vel nil ad nos.

IV. In ejusmodi ergo traditione, ac apprehensione rei cum 134
debito titulo, proxime, & immediate fundatur dominium, seu facultas deinceps disponendi de tali re pro libitu intra terminos dominii traditi; utpote pleni, utilis tantum, ususfructus, usus rei &c. Intellige autem semper secundum Leges, & regulariter loquendo: nam jure naturæ, in foro conscientiæ, non esset necessaria illa corporalis traditio, est tamen rationi valde congruum, ut tunc transferatur, & acquiratur dominium, quando res, quæ prius erat in manu, & possessione unius, transiit in manum, & apprehensionem alterius. Insuper ipso Jure, vel consuetudine, etiam in foro externo, aliquando sufficit solus titulus sine traditione, vel apprehensione rei ad transferendum, & comparandum dominium. Casus ex utroque jure enumerat *Laym. cit. c. 5. n. 8.*

I. Sola collatione, & acceptatione per consensum signo 135
externo expressum (quæ etiam inter absentes, & de re absenti fieri potest) acquiritur jus in re, & quasi dominium Beneficii Ecclesiastici ante ejus traditionem, vel apprehensionem, *cap. si tibi absenti, de præbendis in 6.*

II. Sola aditione, seu acceptatione hæreditatis, vel legati, hæres, vel hæreditarius acquirit dominium defuncti, ante eorum apprehensionem, vel possessionem. *L. cum hæredes ff. de acquirenda possessione.*

III. Ex titulo venditionis, vel alio simili, ante traditionem Civitatibus, Ecclesiæ, & piis locis acquiritur dominium rei datæ, vel venditæ ob speciale privilegium juris. *L. ult. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis.*

IV. Princeps donatione, concessione feudi &c. si velit, potest transferre, & si exprimat, de facto transfert dominium in donatarium acceptantem. Denique si alicui donatio facta sit sub conditione, ut donatori alimenta præstentur, donatarius autem conditionem non impleat, dominium rei donatæ absque traditione, vel apprehensione nova revertitur ad donatorem, ut a quovis possessore eam vindicare possit *l. 1. C. de donationibus, quæ sub modo*. Ubi adverte, licet dictis modis acquiratur dominium rei sine traditione seu apprehensione, mini-

minime tamen eo ipso acquiritur possessio: hæc enim est *detentio rei corporalis, corporis, animi, Jurisque adminiculo*: implicat autem rem detinere sine apprehensione ejus quasi factum, sine fieri. Cæterum de possessione, ejusque conditionibus, & divisionibus, res est pure politica, & juridica pro foro externo, Confessario in foro conscientiæ parum, vel nihil proficua. Qui tamen videre vult, videat latissime Mol. *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 11. Et compendiose Laym. *lib.* 3. *tr.* 1. *cap.* 7. per totum.

SECTIO IV.

De acquisitione rerum per occupationem, inventionem &c. rerum vacantium, derelictarum, incertarum, &c.

SUMMARIUM.

136 *Occupatio, & inventio rerum quid.*
137 Usque ad num. 141. *Quæ dicantur res vacantes, derelictæ, pro derelictis habitæ, & incertæ.*
141 *Resolutio, &* regula generalis.
142 Regula specialis *quoad animalia.*
143 *Animalia natura sua mansueta, custodiam etiam longius egressa, numquam fiunt communia, sed semper manent in dominio sui domini.*
144 *Animalia vero non natura, sed usu solum, & educatione mansuefacta, v.g. cervi, lepores, columbæ, &c.*
145 (*Columbaria licita sunt.*)
146 *Tamdiu solum manent in dominio sui domini, quamdiu e custodia emissa consuetudinem revertendi retinent.*
147 *Animalia natura sua fera, nec de facto cicurata, capta, vel occupata, natura & jure gentium fiunt primo occupantis.*
148 Usque ad n. 152. *Resolvuntur varia dubia, cujus fera sit, si duo, vel plures ad ejus occupationem concurrant, v.g. unus eam vulneret, alius capiat, vel occidat, unus laqueum, vel rete ponat, alius captam feram, piscem &c. extrahat.*
152 Usque ad nu. 155. *Venatio, piscatio, aucupium &c. prohibita esse possunt ex triplici capite.*
155 *Quæ, & qualiter venatio prohibita sit Clericis.*
156 *Venantes, piscantes, &c. contra jus, & prohibitionem Principis, vel Magistratus, peccant quidem, etiam contra justitiam, regulariter tamen venialiter solum, secluso gravi damno.*
157 *Tenenturque solvere pœnam taxatam post sententiam Judicis.*
158 & 159 *Animalium tamen captorum dominium acquirunt, nec ea restituere tenentur.*
160 *Sed solum damna inde secuta compensare tenentur.*
161 *Res vacantes fiunt primo occupantis.*
162 *Cujus sint lapilli, gemmæ, uniones &c. in littore maris, vel flumine reperta.*
163 *Cujus sit insula in mari, vel in flumine nata.*
164 *Cujus sint venæ metalli, auri, argenti &c.*
165 *Cujus sint sylvæ, pascua, & ad quid teneantur in aliena sylva ligna cædentes, in alienis pascuis pascentes.*
166 *Res derelictæ, vel pro derelictis habitæ fiunt primo occupantis.*
167 & 168 *Resolvitur quando bona naufragantium censeantur pro derelictis haberi, & fieri primo occupantis, & quando non.*
169 Usq;ad n.174. *Quid, & cujus sit thesaurus repertus* 1. *in fundo proprio.*2.*alieno,vel* 3.*in loco communi,& publico.*
174 *Licite quis emit pretio ordinario agrum, in quo scit latere thesaurum, fitque thesauri reperti plenarius dominus,*
175 & 176 *Nec ullam facit injuriam venditori.*
177 *Secus est quoad omnia de thesauris improprie dictis.*
178 *Quid de mente rem mobilem v.g.saccos lana plenos, in qua latet thesaurus etiam venditori ignotus? cujus id erit?*
179 & 180 *An, qui casu videt thesaurum ab avaro infodi, possit statim eum sibi effodere.*
181 *Res incertæ inventæ, si post diligentem inquisitionem earum dominus non compareat, juxta communem & tutiorem applicandæ sunt ad usus pios, nisi ipse inventor pauper sit.*
182 *Opposita tamen sententia etiam probabilis, & satis tuta est, eas titulo inventionis retineri posse ab inventore.*
183 Usque ad n.188. *Solvuntur fundamenta prioris sententiæ.*
188 *Qualem diligentiam adhibere debeat in inquirendo domino talis inventor.*

136 OCcupatio, & inventio rerum differunt: grammatice quidem, quod occupatio rei sit apprehensio rei antea non habitæ, inventio vero deprehensio rei antea latentis. Moraliter vero in hac materia, occupatio dicitur apprehensio, seu detentio rei antea sub nullius dominio existentis in loco naturali, in quo scilicet a natura collocata, & ordinario hominum studio quæri solet; ut feræ in sylva, aves in aere, pisces in aqua. Inventio autem dicitur occupatio rei antea latentis in loco, ubi non a natura, sed ab hominibus collocata est, nec ordinarie quæri solet: sive ibi sint voluntarie collocatæ per absconsionem, sive involuntarie per amissionem: ut thesauri defossi, merces in mare projectæ &c. Res autem occupandæ possunt esse in triplici differentia: Aliæ enim *vacantes*: aliæ *derelictæ*, vel pro *derelictis habitæ*; aliæ *incertæ* dicuntur.

I. *Res vacantes* dicuntur, quæ natura sua numquam habuerunt dominum; sive viventes sint, ut feræ in sylvis, aves, pisces, &c. sive non viventes, ut gemmæ, vel lapilli in littore maris, Insula in mari nata &c. 137

II. *Res derelictæ* dicuntur, quæ aliquando Dominum habuerunt, nunc autem domino omnino carent, seu revera dominum amplius non habent, vel si habent dominum, is moraliter sciri non potest, uti est v.g. thesaurus dudum conditus in visceribus terræ, quorum dominus, vel hæredes mortui, aut incogniti sunt; & nescitur ab hominum memoria, quorum fuerit. 138

III. *Res pro derelictis habitæ* dicuntur, quæ, licet notum dominum habeant, is tamen ita se gerit circa illas res, ac si eas amplius non curaret ut proprias, earumque dominium negligere censeatur, utpote qui vel tam procul recedit, ut verosimile sit, eum numquam reversurum; vel si revertatur, rem tamen non repetiturum; maxime usu consumptibilem: aut si prope est, tamen cum sciat, & scire possit, rem non repetat, vel recuperare negligat, vel ob difficultatem animum recuperandi omnino abjecit: uti sunt merces jactatæ in mare, vel fluvium, ita profunde & remote abreptæ, ut dominus animum recuperandi abjecerit, vel etiamsi sciat, ubi sint quærendæ, tamen propter periculum, & expensas non curat recuperare; quibus omnibus casibus merito præsumitur dominus animum deponere, & voluntatem illas res possidendi: & consequenter civiliter amplius non possidere, earumque dominio se se abdicare, & consequenter pro derelictis habere, & inventori occupandas relinquere. 139

IV. *Res incertæ* dicuntur, quarum scitur esse aliquis Dominus, nec procul abesse creditur, inculpate tamen ignoratur, quisnam ille sit. V.g. loculus plenus pecunia in foro repertus, aliæve res in viis publicis, vel locis patentibus repertæ, quæ ratione loci, temporis, aliarumque circumstantiarum censentur adhuc habere veros dominos. De quibus singulis ordine. 140

Resolutio, & Regula Generalis.

OMnes *res vacantes, derelictæ vel pro derelictis habitæ, Jure Gentium fiunt primo occupantis, vel invenientis: Res etiam incertæ post diligentem inquisitionem domini ab inventore probabiliter retineri possunt.* Resolutio latissime patens per §§. accurate explicanda est. Et primo sunt speciales difficultates, de occupatione rerum animatarum, vel animalium, quæ possunt esse aut natura sua mansueta, & domestica; ut oves, sues, capreæ, canes, equi, asini, gallinæ, anseras, anates domesticæ &c. aut licet natura sua fera, usu tamen, & educatione cicurata, usu, & educatione mansuefacta, ut cervi, accipitres, columbæ &c. aut natura sua ita fera, ut cicurari nequeant, vel de facto cicurata, vel ab aliquo occupata non sint. De omnibus autem universim verum est, quod, quando domino carent, fiant primo occupantis, ut etiam Jure Civili decernitur, *ff. de aquir. rer. dom.* 141

§. I. *Animalia.*

REGULA.

ANimalia natura sua mansueta, & domestica manent suorum dominorum, etiamsi longius a custodia decedant. Animalia autem natura sua fera quidem, usu tamen, & educatione mansueta facta, etiam ad proprium dominum spectant, quamdiu custodia ejus coercentur, vel usum, & consuetudinem ad ipsum revertendi retinent (alioquin & ipsa fiunt primo occupantis, sicut aliæ feræ, vel bona vacantia) quæ proinde omnia a nemine scienter sine injustitia occupari possunt.* Ita omnes. *Ratio patet:* Quia illa omnia jam justo aliquo titulo occupationis, educationis, industriæ &c. alicujus certo dominio subjecta sunt: ergo a nullo juste occupabilia citra injuriam furti, & obligationis reatum. Declaro breviter per 142

Resolutiones speciales.

I. ANimalia mansueta, & domestica natura sua, quia custodiam Domini sui egressa non sylvescunt, numquam fiunt communia, sed semper manent in dominio, & proprietate sui Domini, etiamsi fugiendo, vel aberrando longius a custodia Domini sui abscesserint, ac ubicumque reperta, domino suo restituenda erunt: nisi vel jam pro derelictis habeantur, aut ignorantia inculpata excuset. Quin etiam eorum mortuorum, vel occisorum carnes, pelles, & quidquid utile fuerit, ad dominum pertinet. Insuper, etiamsi ejusmodi animal, bos, ovis, gallina &c. a lupo, vel vulpe jam captum, vel devorandum fuerit, is tamen, qui eripit, sive integra, sive laniata, quidquid residuum erit, proprio domino restituere tenetur, nil obstante, quod alias omnia devoranda fuissent, nisi tu eripuisses: nullo enim jure hoc definit esse meum, quod tu liberasti ab interitu v.g. incendio, naufragio, ruina, direptione hostium, vel bestiarum &c. er- 143

&c. ergo. Verumtamen pro labore, industria, vel impensis eo casu adhibitis titulo negotii utiliter gesti, alter justum pretium eligere potest, & tu solvere teneris: etiam non exactum, ex consuetudine, & officio gratitudinis. *L. Pompon. ff. de acquirendo rerum dominio.*

144 II. Alia animalia natura sua fera, & vaga communia, & solum usu, educatione, & arte cicurata, vel alias per occupationem propria facta; siquidem ita constituta sint, ut de custodia emissa, vel profuga non soleant redire; ut cervi, capræ, lepores, aviculæ pleræque, & pisces &c. solum tamdiu manent in dominio sui domini, quamdiu in custodia ejus coercentur; ut cervi, capræ in vivariis, pisces in piscinis, aves in caveis, apes in apinariis, adeo ut omnes, qui illa quovis modo ex alia custodia extrahit fraude, arte v. g. in columbario certa semina, vel pultes ponendo ad alienas columbas attrahendas, peccet contra Justitiam furti peccato, & ad restitutionem teneatur, juxta communem DD. ob rationem in Regula datam. Secus esset, si sine tua fraude, vel dolo columbæ alienæ ad tuum columbarium convolent; utpote quia tuas columbas melius alis, aut apud priorem dominum non ita bene aluntur; tunc eas occupare, ac retinere non prohiberis, ut ex communi notat Less. *cap. 6. dub. 6.* & Lugo *disp. 6. sect. 5. num. 46.*

145 §. Cæterum licita esse columbaria, quamvis columbæ grana ex alienis agris auferant, contra *Majorem*, & alios quosdam, docet communissima DD. Sententia, *Cajet. Nav. Sylvest.* aliisque congestis Molin. *cit. disp.* 48. Less. *cap. 5. dub. 6.* Lay. *lib. 3. tract. 1. cap. 5. n.* 17. Lugo *cit. n.* 42. Ratio sufficiens est Reipublicæ permissio: quia apud omnes gentes sine vicinorum querela permittuntur; idque ob simplicitatem columbarum, quæ nec spicas erectas decerpunt, nec semina terra obrupta devorant: sed quæ in propatulo jacent, & jam peritura essent, colligunt; immo etiam segetibus commodum adferunt, dum, ex quibus lolia, & similia nascerentur, mala semina auferunt. Quod si tamen a propriis dominis non satis pastæ, non sine eorum injuria, vel fraude alienis satis depascendo damnum inferrent, utique poteris columbas a tuo tritico vi arcere, volentes ingredi occidere, aut damno jam allato, eas pro noxa capere, eorumque aucupio damnum compensare, ut notat *Lugo cit.* Quia tamen ejusmodi damnum rarum, & valde exiguum a columbis esse solet, vix umquam ob tale damnum simplices columbas alieno aucupio subjici, recte monet Tamb. *lib. 8. Decal. tract. 2. cap. 1. §. 2. n.* 10.

146 III. Animalia prædicta ita constituta, ut emissa e custodia redire soleant, & specialiter columbæ, apes, &c. insuper tamdiu manent in dominio sui domini, quamdiu usum, & consuetudinem ita revertendi retinent, & tunc demum naturalem libertatem evadunt, & primo capientis potestatem subeunt, postquam revertendi ad suum dominum consuetudinem amiserunt: ad quod sufficere censet *Navarr.* si absque impedimento bis non revertantur diebus, ac horis solitis. Azorius addit; si per biduum, vel triduum non redeant, tunc censeri amisisse consuetudinem redeundi, & sylvescere, adeoque fieri capientis. *Molin. cit.* vero censet hæc nimis anxie dicta, totum hoc arbitrio prudentis relinquendum: si enim facile revocantur, utpote quia in vicina vagantur, ad redeundum assuefacta sunt; ut accipitres &c. si per unam, aut alteram septimanam remaneant, non censebuntur consuetudinem redeundi amisisse, cum adhuc saltem in civili Domini pristini custodia remaneant. Cæterum si animalia numero præcedenti allata semel emissa non redire solent, quamprimum e prima custodia Domini evadunt, sic, ut eorum consecutio difficilis sit, ac si de novo capi debeant, jam in naturalem libertatem redacta censentur, & fiunt primo occupantis. Tandem recte addunt *Molin. & Laym. cit.* si custodia ejusmodi ferarum magnæ vastitatis sit, & magis natura loci, quam hominum industria constituta, ut sunt cervi in magnis saltibus, pisces in stagnis, & rivis, sicut eorum captura difficilis, & dubia existit, ita tunc feras manere in naturali libertate, atque ad nullius dominium directe spectare, sed tantum indirecte ad dominos locorum, qui jus habent illas capiendi, juxta *L. 3. §. item, ff. de acquir. possess.* Unde simile animal, vel piscem inde extrahens, vel capiens, furtum proprie non committit, sed solum injuriam infert domino, qui licet nondum dominium, vel certitudinem, tamen jus habuit, & spem illa capiendi, & ad restitutionem tenentur secundum æstimationem non ipsius rei, sed illius spei tantum, ut mox generatim declarabitur *n. seq.*

147 IV. Animalia natura sua fera, quæ cicurari non possunt, vel de facto cicurata, vel ab aliquo capta, vel occupata non sunt, natura, & Gentium, immo & civili communi Jure, *§. feræ 12. instit. de rer. divisione*, sunt primo occupantis, vel capientis, & fas est cuivis ea ubique capere venari, piscari, aucupari &c. *Ratio est*: Quia ea animalia, cum natura sua fera, & vaga sint, nullo certo loco consistentia, nullius hominis dominio directe subsunt, sed habentur de rebus derelictis, vel vacantibus, quæ omni jure Gentium primo occupanti cedunt. Quamprimum ergo quis ejusmodi animal ceperit, v. g. leporem venatione, piscem piscatione, avem aucupio, ipso facto occupationis comparat dominium illius animalis, sive in proprio, sive in communi, sive in alieno fundo capiat; quia nullo modo sunt fundi fructus, & tamdiu retinet dominium, quamdiu ea coercet in sua custodia, sive naturali, utpote in loco clauso detenta, sive civili tantum, utpote ea solo animo detinendi, ut si custodia egressa redire soleant, aut si e custodia effugerint, quamdiu illa persequitur eo animo, & spe recuperandi: quod si ea persequi destiterit, & sic ejus naturalem, ac civilem possessionem, ac custodiam evaserint, ipso facto cessat omnino ejus dominium, & animalia in naturalem libertatem restituta, rursus fiunt primo capientis, ut jam supra indicatum est. Verum hic duo dubia non levis momenti explicanda sunt.

Dubium I.

Quid si duo, vel plures ad occupationem concurrant, v. g. Unus feram vulneravit, alius cepit, vel occidit: unus laqueum, vel rete posuit, alius captam feram, piscem, &c. extraxit: uternam ejus dominium acquiret?

Resolutiones.

I. SI fera fuit vulnerata lethaliter, & percussor eam insequens, moraliter certo eam capturus esset, tunc tota fera erit vulnerantis, & nil capientis: quia tali vulnere lethali jam censetur feram cepisse. Quod si autem vulnus insufficiens erat ad capiendam feram, aut percussor feram non insequatur, ita ut alias certo manus percussoris evaderet, tunc tota fera erit capientis, nihil vulnerantis: quia tunc censetur deserta a percussore: quamvis æquum sit, ut aliquid ipsi tribuat tamquam concausæ, & occasioni capiendi. Ita Jurisconsultus *in L. naturalem, ff. de acquirendo rerum dominio.* Ibi visum est pertinere ad capientem, & non ad vulnerantem: quia multa accidere possunt, ut eam, qui vulnerat, non capiat. Quod si vero dubium existat, an ratione vulneris fera capienda fuisset a vulnerante, isque feram vulneratam insequatur, tunc æquitas postulat, eam dividi inter vulnerantem, & capientem, tamquam duas concausas acquisitionis feræ, secundum proportionem concausalitatis utriusque, etsi dominium feræ sit penes capientem: ut cum *Molin. & Less.* recte notat Laym. *cit. n.* 12. Eadem ratione, si quis venando suis canibus leporem v. g. excitavit, alius vero casu leporem capit, vel occidit: siquidem certum fuit leporem a canibus excitantibus capiendum fore, totus debetur venatori, cujus sunt canes. Si certum fuit, non fuisse amplius capiendum a canibus, totus debetur capienti: si dubium, inter utrumque dividendus erit proportionaliter, ut dictum est. 148

II. Eodem modo dicendum, si laqueum, vel rete posuisti in loco publico, vel privato alieno respectu extranei: hic enim si captam feram certo a te comprehendendam emittat, vel auferat, tenetur tibi damnum solvere in solidum: at dominus fundi, in quo citra ejus consensum laqueum, vel rete posuisti, ad nihil tibi tenebitur, sive feram ipse capiat, sive dimittat, ut habent DD. cit. Cæterum usu jam receptum est, ut possit quis venari, vel aucupari in alieno agro, dum non est septus, seu frugibus, aut vitibus consitus: idque approbant DD. communiter cum Lugo sect. 7. & aliis. Contra, si fera capta tuo laqueo certo evasura fuisset, nisi alius advenisset, extraxisset, tota erit extrahentis: si dubium, dividenda inter utrumque. 149

III. Quod si animal vagum insequaris, & illud in retia alterius incidat, uterque habet jus illud capiendi: hic, quia laqueo suo deprehensum est, ille, quia sua industria incidit, nisi enim excitasset, & insecutus fuisset, non incidisset: quare erit illius, qui primo occupaverit; æquitate tamen iterum postulante, alteri, tamquam concausæ aliquid congruum de præda tribui. 150

IV. Si quis rete meum e fluvio, & pisces auferat, tenebitur mihi ad restituendos pisces: quippe, qui rete meo conclusi, certo a me capiendi fuissent: at vero, si is postea rete meo alios pisces capiat, pisces postea capti ad alterum spectabunt, tamquam fructus industriæ ipsius: licet enim rete sit meum, ejus tamen industria facta est captura: tenebitur tamen mihi compensare usum, & damnum retis: Item lucrum cessans, si rete meum persistens plures pisces cum prioribus capturum fuisset, quot scilicet moraliter, & ordinarie capiendi fuissent, tot restituendi erunt. Vide *Lessium, Laym. cit.* 151

Dubium alterum.

Quid de ejusmodi animalium venatione, vel piscatione illicita, vel prohibita?

PRænotandum est, venationem (idemque est de piscatione, aucupio &c.) posse esse illicitam, vel prohibitam ex triplici capite. 152

I. Potest esse illicita, & injusta venatio, vel piscatio ex eo, quod illa animalia de facto sint alterius, qui eorum animalium dominium, seu jus in re sibi comparavit: utpote quia ea jam cepit, in sua custodia actuali coercet, juxta dicta supra *n.* 142. Et tunc ea invito domino venari, piscari, capere 153

pere &c. verum furtum est, & peccatum mortale ex genere suo; eaque capiens ad restitutionem solidam tenebitur ipsorum animalium, vel pretii illorum damnorum forte simul illatorum, vel inde consecutorum; ut apud omnes in confesso est. Huc tamen refer, quod supra *n.* 146. in fine de custodiis nimium latis, seu vastis notatum est.

154 II. Potest esse illicita, vel prohibita venatio, vel piscatio injusta, non ex eo, quod ejusmodi animalia de facto sint sub dominio alterius, sed ex eo, quod jus venandi, vel capiendi illa spectet ad alterum, utpote ad dominum fundi, vel Principem ditionis, prout est in Germania. Principes enim possunt juste acquirere, sibique solis reservare jus venandi variis titulis: utpote 1. consensu populi, jus omne venandi feras Principi concedentis, sive gratis, sive contractu aliquo oneroso. 2. Jure belli, quo, Provincia devicta, victor jus venandi sibi reservavit. 3. Præscriptione temporis immemorialis, quo jus venandi in locis publicis semper Princeps, Dominus fundi, vel Magistratus sibi reservavit. 4. Denique justa lege ob justam causam lata: utpote ad honestam sustentationem Principis (sicuti ad ejusmodi finem possunt tributa imponi) immo etiam ad solam Principis recreationem: nam cum pro publico bono communi laboret, oportet, ut ex publico ei debitæ recreationes concedantur: Et de venatione, vel piscatione hoc modo prohibita, quæstio, vel dubium procedit, ut mox infra ponam resolutionem.

155 III. Potest esse illicita, & prohibita venatio, vel piscatio, non ex eo, quod animalia, vel jus ea capiendi ad alterum spectet, sed ob aliam causam, vel circumstantiam a legitimo Magistratu politico, vel Ecclesiastico venatio, vel piscatio interdicitur; aut certis personis, ut Clericis (de quibus mox seorsim) aut certo tempore, ut in diebus Festis, de quo Tertio Præcepto: aut alia ex causa ob bonum commune, v. g. ne fiat certo tempore, quo feræ sunt gravidæ, vel tempore nivali, quando nimis multæ capi possent cum publico detrimento: ne fiat piscatio cum lumine nocte, aut certis quibusdam instrumentis, quibus minutissimi pisces concluduntur. Et his casibus venatio, vel piscatio prohibita erit quidem peccatum contra obedientiam, juxta gravitatem Præcepti, & finis; attamen per se, secluso alio damno, nec peccatum grave, nec contra justitiam, nec ullam pariet obligationem restitutionis: quia, ut supponitur, nullius jus violatur, & nullum ulli saltem notabile damnum infertur. Vide Less. *lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 9. *n.* 40.

156 IV. Clericis specialiter interdicta est venatio, *c.* 1. *&* 2. *De Clerico venatore*. Et in Conc. Trident. *Sessione* 24. *c.* 12. *de Reform.* ubi tamen observa 1. eam prohibitionem non intelligi de venatione quieta, minime tumultuosa cum paucis canibus, commodi, vel exercitii causa, moderate facta, id est, secluso scandalo; hanc enim omni culpa vacare, nec ulla lege prohibitam esse, observant DD. communiter, meique cit. *Less. Lug. Laym.* 2. Intelligenda ergo est prohibitio de venatione tumultuosa, quæ fit cum armis, clamore, tumultu equorum &c. Et quidem frequenter facta; utpote valde dedecente statum Clericalem ad vacandum Deum ordinatum. 3. Attamen per se loquendo, secluso scandalo, vel damno extrinseco, non facile esse condemnandum peccati mortalis, cum de se gravis deordinatio non sit, cum aliis docent Molin. *disp.* 44. Laym. *c.* 5. *n.* 14 Lugo *disp.* 6. *sect.* 6. contra *Less. & Vasq.* qui dicunt esse mortale, quia in Conc. Aurelianensi eo casu Episcopus jubetur suspendi tribus mensibus a communione: Presbyter autem duobus. Sed revera quoad hanc pœnam non est amplius in usu. Hæc incidenter. Jam de venatione, aucupio &c. factis contra jus, ac prohibitionem Principis, specialiter pono breves

Resolutiones.

157 I. VEnantes feras, piscantes &c. contra jus, & prohibitionem Principis, peccant quidem non solum contra obedientiam, sed etiam contra justitiam, quatenus contraveniunt juri Principis legitime acquisito, ut supponitur: attamen regulariter loquendo, & secluso notabili damno, non plus, quam venialiter. Ita cum aliis *Less. cit.* quidquid severius judicet *Laym. cit.* Ratio est: quia cum venatio ejusmodi ferarum jure naturali omnibus licita, & concessa sit, non potest censeri gravis injuria contra jus acquisitum Principis; nec præceptum Principis potest gravem obligationem inducere, nisi quatenus ei grave, vel notabile damnum infertur, seu quatenus ejus jus, & facultas certa capiendi notabiliter læditur, impeditur, vel diminuitur. In praxi ergo quantitas hujus peccati mensuranda est ex gravitate damni ex tali venatione Principi, vel domino illati: ut si capiantur feræ valde multæ, & pretiosæ: si venans reddat alias feras fugaces, aut omnino fugitivas ex territorio non amplo, cum difficilis postea capturæ existant, & ideo postea ipse Princeps, vel dominus nullas, vel pauciores capiat; quod utique a mortali excusandum minime.

158 II. Ejusmodi illicite venantes, piscantes &c. deprehensi tenentur solvere pœnam a lege, Principe, vel Judice statutam post sententiam, quæ tamen pæna post primam, vel alteram tantum prævaricationem non debet esse mortis, sed alia mitior; quia crimen per se tam grave non est, ut tantam pœnam mereatur. *Sotus*, *Sylv.* aliique cit. Molin. *t.* 1. *tr.* 4. *disp.* 46. Laym. *c.* 5. *n.* 13. Quod si tamen crimen sæpius frequentatum fuit, ut magna temeritas, contumacia, & quasi contemptus Legis appareat, jam tandem etiam pœna capitis affici potest injustus venator, ut probat praxis Principum. Vide Fachinæum *p.* 1. *controv.* 1. *concl.* 4. Princeps subditos conservare indemnes tenetur: tamen e contra

III. Venantes, piscantes in locis publicis contra jus, & prohibitionem Principis, vel Magistratus vere acquirunt dominium istorum animalium, ipsaque animalia capta minime restituere tenentur ante sententiam Judicis, sed tuto ea absumunt, vel alienant: aliisque ea donata, vel vendita licite, & tuta conscientia, etiam scientes, quomodo capta sint, accipiunt, absumunt, alienant absque onere restitutionis. Communis DD. *Major*, *Sotus*, *Lop. Covar. Petr. Navar.* aliisque cit. Molin. *disp.* 59. Laym. *cit. n.* 14. Ratio patens est: Quia animalia illa adhuc nullius erant, sed jure gentium occupantis fiunt; adeo ut jure gentium primo occupans acquirat in iis jus in re: jus autem speciale Principum venandi, vel capiendi illa animalia est solum aliquod jus ad rem: atqui jus ad rem non præjudicat juri in re jam acquisito: etsi acquirens jus in re ob injuriam, vel damnum datum alteri habenti jus ad rem ad aliquam satisfactionem teneatur, non tamen ad restituendam ipsam rem acquisitam, ut per se patet exemplis innumeris: ergo ejusmodi ementes verum acquirunt dominium illorum animalium: nec ante judicis latam sententiam tenentur ea restituere: etsi ob damnum inde secutum Principi, ad ejus compensationem teneantur. 159

Dices. Nemo per actionem injuriosam alteri sibi acquirit jus in re: sed talis venatio est injuriosa Principi: ergo per illam non acquiritur jus in re, vel dominium eorum animalium captorum. Resp. *Dist. maj.* Si alter antea habuit etiam æquale jus, scilicet jus in re, *Con. maj.* utique verissimam: Si non habuit æquale jus, sed solum jus ad rem, uti est in proposito. *Neg. maj.* quippe falsissimam, ut patet mille exemplis, v. g. emens & apprehendens rem alteri antea venditam tantum; matrimonio ducens fœminam alteri antea desponsatam tantum &c. injuriose agit, sed contra illorum jus ad rem tantum; & ideo acquirit sibi verum jus in re, & dominium, secundum omnes. Item magis apposite. Si Princeps prohibeat, ne quis emat commeatum pro militibus advectum præter illos milites; alius tamen valide emit, licet injuriose contra militum jus, sed ad rem tantum, nondum in re. Vides idem esse prorsus in proposito. Vide & Laym. *cit. num.* 14. 160

IV. Ejusmodi tamen venantes &c. contra jus, & prohibitionem Principis, vel Magistratus, etsi non teneantur restituere ipsam rem captam, v. g. animalia, tenentur tamen compensare damnum inde secutum Principi: seu, quod idem est, non est restituendum pro amissa re, scilicet ipsa animalia capta, vel eorum æquivalens pretium, quia nullum adhuc habuit jus in re ad illa animalia; sed est restituendum pro amissa spe illa capiendi, contra jus Principis, quantum scilicet æstimatur illa spes, seu quantum interesat Principi ea animalia non fuisse capta, eo quod alias ipse plura animalia potuisset capere, hoc enim damnum injustum est contra jus Principis, vel domini, adeoque ex justitia ab inferente necessario compensandum: v. g. qui cervum in saltu Principis occidit, non tenetur restituere ipsum cervum, vel ejus pretium, cum eum Princeps numquam habuerit, & valde incertum sit, an illum umquam capturus fuisset, sed restituere debet, quantum moraliter æstimatur spes, qua jus capiendi illum cervum, quo Principem privavit in ejus damnum. Unde recte Molin. *disp.* 15. concludit: Si quis in vasto saltu Principis venetur, vel lacu piscetur &c. ordinarie, secluso alio damno, modicam, vel nullam restitutionem esse injungendam pro una, aut altera fera, vel pisce etiam grandiore: quia modicum, vel nullum ordinarie damnum infertur ipsi; cum sufficientes feræ remaneant, ut, quotquot velit, capere possit: adeoque venatio facta non cessit in damnum, sed solum in injuriam, pro qua, præciso damno, non debetur restitutio, sed solum satisfactio; seu pœna post latam sententiam. Unde inferes, quod si ejusmodi venator, vel piscator feram, vel pisces injuste captos jam alienavit quovis modo, gratuito, vel lucrativo, & tamen non compensavit damna illata, ejus loco in neutro foro tenebitur compensare alius, qui feram, vel pisces ab illo dono, vel pretio accepit, nisi aliquo modo injustæ venationi, vel piscationi cooperatus fuisset, jussu, suasu, auxilio. *Ratio* ex dictis patet: Quia injuria illa est personalis tantum, & non realis, ideoque parit tantum actionem, & obligationem personalem ex parte personæ injuste capientis, & non realem ex parte rei, quæ sub nullius adhuc dominio antea fuerat. Denique apud omnes in confesso est ejusmodi injuste venantes, piscantes &c. in foro conscientiæ ante judicis sententiam teneri ad restitutionem solidam damnorum per accidens alteri illatorum, v. g. in vineis, segetibus, arboribus &c. Item si sobolem ferarum notabiliter extinxit: si aquas, vel fontes Reipublicæ, vel Domini veneno infecit cum gravi damno, omnino obnoxius talis erit restitutioni. 161

§. II. *Res vacantes, Inanimatæ, Sylvæ, Pascua, &c.*

REGULA

162 *Omnes res vacantes, quæ scilicet sub nullius antea dominio fuerunt, ipso facto fiunt primo occupantis.* Quod enim antea nullius fuit, naturali jure occupanti conceditur. *L. adeo, §. insulæ, ff. de acquir. rer. domin.* Quoad res animatas, seu animalia jam satis declaratum. Nunc quoad res inanimatas breviter.

163 I. Lapilli, gemmæ, uniones, conchilia &c. in littore maris, vel flumine reperta, quia numquam fuerunt in bonis alicujus, jure naturæ communia manent omnibus: jure vero gentium, inducta rerum divisione, fiunt primo occupantis: prout etiam decernitur jure communi Civili *instit. ff. de rerum divisione §. lapilli*. Excepto tamen semper speciali jure, vel consuetudine locorum.

164 II. Insula in mari de novo reperta, vel numquam inhabitata, vel dudum ab incolis deserta, jure gentium fit primo occupantis, vel inventoris, quia nullius esse creditur. At vero insula in flumine nata, siquidem in medio fluminis existat, erit communis eorum, qui ab utraque parte fluminis prædia possident prope ripam, pro modo latitudinis cujuslibet prædii: sin autem alteri ripæ fluminis notabiliter propinquior sit, fit eorum, qui in illa parte fluminis prædia possident prope ripam: quia talis insula censetur accretio, & quodammodo fructus fundi vicini. Sic juribus allegatis Mol. Laym. cit. *cap. 5. n. 21.*

165 III. Venæ metallicæ, auri, argenti, & aliorum metallorum, & lapidicinæ jure gentium immediate ad dominum fundi pertinent, scilicet ad eum, cujus est ager, terra, vel mons, in quo sunt illæ venæ, vel mineralia, juxta communem DD. *Molin. Less. Laym. cit.* Ratio est: Quia illa numerantur inter fructus agri, vel fundi: atqui dominus fundi non tantum habet dominium ipsius fundi, sed etiam partium ipsius, & fructuum. Quod si quis ejusmodi reperiat in fundo communi, jure gentium erit primo occupantis, quia quod commune est, jure gentium occupantis efficitur, ubi lex, vel consuetudo aliud non habet. Interim vero ubique fere lege, vel consuetudine receptum, ut metallorum, & mineralium omnium fodinæ ad Regem, Principem, vel Rempublicam spectent, ad sumptus, & onera sustinenda; idque maxime cum privatis fundorum dominis plerumque facultates non suppetant ejusmodi mineralia eruendi. Unde Princeps, vel Magistratus juste possunt, & solent legem ferre, ut ejusmodi mineralia quoad partem certam sibi applicentur, quoad aliam vero partem inventori, domino fundi solum compensatur damnum, quod infertur loco. Juxta communem DD. apud *cit. Less. Laym.* Lug. *sect.* 10. *a n.* 106. Nam ex una parte multum interest Reipublicæ maximis præmiis excitare homines ad ejusmodi mineralium inventionem: ex altera autem parte nulla fit injuria Domino fundi, cum, lege prohibente, dominium mineralium ad ipsum non pertineat & ipse sibi imputet, quod ipsemet simile lucrum non invenerit, ac alioquin subditi etiam cum aliquo suo incommodo, seu aliqua rerum suarum, & lucri proprii diminutione tenentur parere Principi, vel Magistratui in iis, quæ ratione boni communis rationabiliter imperant. Et hinc eo casu, si maritus in fundo dotali mineralia reperiat, lucrum illud non accedet in augmentum dotis uxoris, ad virum tamquam lucrum industriale pertinet, ut bene observat Lugo *cit. n.* 110.

166 IV. Sylvæ & pascua ubique fere divisa sunt in dominia, ita ut partim sint dominii privati, seu ad dominum particularem spectantia, partim eo ipso sint dominii communis totius communitatis illius territorii, oppidi, pagi &c. Et hinc resolves. 1. Si quidem sint dominii privati, seu ad dominum particularem spectantia, tunc nemo alius sine furti crimine illis frui potest, ligna secando, auferendo, pecora pascendo, vel pastum auferendo; alioquin tenebitur ad restitutionem solidam, scilicet illorum ablatorum, & damnorum consecutorum. Quod si ergo ligna v. g. ex aliena Sylva secuisti, & abstulisti, tantum restituere teneberis, quantum apud alterum valuerunt in sylva extantia, non vero quantum valent apud te in civitatem asportata, utique jam cariora, ut ex Mol. *disp.* 38. notat Tamb. *l.* 8. *tr.* 2. *c.* 1. §. 3. *n.* 4. 2. Si autem sylvæ, vel pascua sint communia, seu ad totam communitatem spectantia, tunc quicumque civis frui poterit, nisi Magistratus ex justa causa prohibeat. Tunc vero quando subditi contra prohibitionem ligna cædunt, vel pascua depascunt &c. puniri quidem possunt deprehensi, sed neque graviter peccant, neque ad aliquam restitutionem obligantur ante sententiam punitivam judicis: præterquam si grave damnum dedissent communitati. Eademque est ratio de jure venandi, piscandi communitati competente, si a Magistratu certo tempore, vel loco ex justa causa prohibeatur. 3. Extranei vero, qui de illa communitate non sunt, si ligna cædant, vel pascua depascant, furtum, & crimen committunt; attamen tunc a peccato excusari censentur ex consuetudine, & tacito consensu, quando vicini oppida, & vicinas sylvas habentes, vicissim ligna cædere, vel pascere solent cum obligatione solvendæ mulctæ, si deprehendantur, dummodo similiter extraordinarium damnum non inferant; sicut de ipsis civibus dictum est, ut cum *Molin.* notat Laym. *cit. c.* 5. *n.* 4. Quod si dubium sit, an sylva aliqua, vel pascua ad cives in communi pertineat, an vero ad Principem, Prælatum, dominum territorii solum &c. non ad hunc, sed illos pertinere censendum est: quandoquidem nomine Jurisdictionis non comprehenditur jus lignandi, vel pascendi, ut notat idem Laym. *eodem c.* 5. *n.* 18. Potest tamen utique dominus uti pascuis, vel sylvis communibus, sicut alii ex communitate, nisi diuturna consuetudine, vel præscriptione aliud introductum sit. Idem ibidem.

§. III. *Res derelictæ, vel pro derelictis habitæ.*

REGULA

Res derelictæ, vel pro derelictis habitæ, ut massilia 167
Principum, merces in mare, vel flumen jactatæ sine spe recipiendi: Thesauri dudum absque memoria domini defossi &c. eodem jure gentium fiunt primo occupantis, vel invenientis: dummodo constet, vel probabiliter præsumi possit esse derelictas, vel pro derelictis habitas (quandonam hæ sint, habes initio Sectionis) *aut nisi lege aliqua humana dominium illarum alteri applicetur*. Nam jure civilis res derelictæ applicantur fisco, ut mox dicam de thesauris. Item bona vacantia. *L.* 3. §. *si in locis, ff. de jure fisci*, & alibi. Bona autem vacantia in Jure speciatim dicuntur illa, quando aliquis intestatus moritur nullo relicto hærede, qui juxta leges ei ab intestato succedat. Interim quando aliquis peregrinus in hospitali intestatus decedit, bona mobilia illius ibidem reperta per Episcopum loci ad pias causas tribui debent, & regulariter hospitali, si egeat, relinquit, ut habetur *Authentica. Omnes peregrini, C. de successionibus*. In quibus proinde casibus ejusmodi res derelictæ, lege aliter statuente, non erunt primo occupantis. Jam resolvamus aliquot particulares casus.

I. Bona naufragantium.

Merces, & quævis bona, aut ab ipsis navigantibus ad 168
evadendum imminens naufragium ejecta, aut vi tempestatis facto jam naufragio in mare, vel flumen projecta, tunc demum fiunt primo occupantis, quando ex circumstantiis probabilis præsumptio fieri potest, ea esse derelicta, vel pro derelictis habita: utpote, quia dominus longe recessit nec reversurus, vel perditum repetiturus putatur, vel si præsens est, & cum facile recuperare posset, dissimulat, & contemnere videtur, at vero cessante tali probabili præsumptione, res illæ minime habentur pro derelictis, nec fiunt ullius occupantis, sed domino restitui debent: injusta ergo, & crudelis est praxis contraria. Communissima apud citt. Ratio est, quia dominus rei suæ dominium non amittit, nisi ipse consentiat, sive eam pro derelicta habeat; atqui in proposito dominus non consentit, nec pro derelicta habet, quin potius libentissime retineret, vel recuperaret, quocumque modo posset; esto necessitate compulsus ejecerit, vel impossibilitate deterritus spem recuperandi re abjiciat.

Nec refert, quod tamen eas res dominus numquam recupe- 169
raturus fuisset, quippe certo perituras, nisi tu illas magna industria, labore, periculo vitæ ab interitu vindicasses, ut patet *inst. de rer. divisione, L. Pompon.* 44. *ff. de acq. rer. dom.* Ubi habetur: Omnem rem nostram manere nostram, quamvis periculo sit exposita interitus, quamdiu non sit consumpta, tenetque communissima DD. Molin. *disp.* 55. Less. Lay. *cit. n.* 22. Interim tamen talis ereptor compensationem laboris, ac periculi sui debite æstimatam jure exigere potest, quia domini negotium ita utiliter gessit; & interea rem pignoris loco detinere, usque dum offeratur, ut notant iidem. Idipsum forte voluit Navar. *c.* 27. *n.* 98. absolute asserens, talem rem posse retinere, si eam cum periculo vitæ suæ, vel aliqua extraordinaria industria eripuit ab interitu. Vide *Less. l. c.* merito late reprobantem crudelem consuetudinem aliquorum locorum, quod bona naufragorum ejecta in littus sint dominii territorii, quod plane est contra jus naturale, & magna in miseros naufragos res suas repetentes crudelitas: insuper est contra jus Cæsaræum. *L. Navigia, C. de furtis*. Et si bona sint Christianorum, occupantes incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, & sub eadem restituere tenentur, nisi dominus illa censeatur habere pro derelictis.

II. Thesauri.

Thesaurus proprie dictus definitur in jure *Vetus depositio pecuniæ, vel similis rei*, ut de ejus depositione, 170
ac dominio nulla memoria, vel cognitio extet. Inventus a quocumque jure gentium quidem est inventoris; verum jure Cæsareo ita distinguendum est.

I. Si thesaurus reperiatur in proprio fundo, totus est in- 171
ventoris, nisi arte magica acquisitus sit; tunc enim in pœnam criminis fisco adjudicabitur per Judicis sententiam tantum, & non antea, ut notat Navar. *c.* 17. *man. n.* 157. Quid sentiendum de invenientibus indicio virgæ avellanæ, dixi in primo Præcepto, *tr.* 2. *cap.* 9. *sect.* 3. §. 4. nimirum per se esse quid naturale, si nimirum virgæ illæ in tali loco natæ, & sectæ sint, ubi latent aquæ, mineralia, vel thesauri: tunc enim

has

has tantum res (& nullo modo alias quascumque: sine dubio arte magica militum, latronum, motu, saltuque suo) indicabit naturaliter ex communi sententia, & praxi.

172 II. Si vero thesaurus in alieno fundo casu repertus sit, scilicet absque animo, & industria quærendi thesaurum, sed aliud agendo, terram, vel arenam fodiendo &c. tunc medietas thesauri ad inventorem, alia medietas ad dominum fundi spectabit. Quæ juris constitutio, quia pænalis non est, sed secundum naturalem æquitatem lata, secundum communem sententiam apud citatos in conscientia obligat ante judicis Sententiam. Si vero de industria & non sine injuria in alieno fundo thesaurus quæsitus, & inventus sit sine consensu domini, totus ad dominum fundi spectabit. Verum quia hæc constitutio videtur esse pœnalis, facta scilicet ad puniendam temeritatem, vel audaciam illius, qui sine licentia domini voluit exercere suam industriam in fundo alieno, uti indicat ipsa lex *uni C. de Thesauri: totum locorum domino reddere compellatur:* ideo non obligare in foro conscientiæ ante Judicis sententiam, sed inventorem posse interim retinere medietatem, alia tamen medietate in conscientia domino fundi debita, & pro opportunitate danda, contra *Cajet. Mol.* & alios, probabilius docent *Rebell. Less. Laym. cit. nu.* 23. Cæterum alia est ratio de eo, qui seminat in alieno agro, quia fructus seminis accrescit agro. Et de eo, qui scrutatur thesaurum in alieno fundo, hic enim fructus industriæ separatur a fundo.

173 III. Quod si dominium fundi divisum est, quippe directum unius, & indirectum alterius (ut in feudo, emphyteuto, locato) tunc medietas ex æquo dividenda erit inter dominum proprietarium, & usufructuarium, inter quos etiam totus thesaurus dividetur, juxta paulo ante dicta, si ab alio de industria in eorum fundo quæsitus, & inventus est. Hinc quando ipse dominus partialis, scilicet proprietarius, vel usuarius in tali fundo thesaurum reperit, tunc dimidium totius ad illum unum pertinebit, quatenus est inventor; perinde enim est, ac si alius extraneus ibi casu invenisset: alterum vero dimidium rursus manet dividendum inter utrumque, scilicet usufructuarium, & proprietarium, quatenus uterque est dominus partialis illius fundi. Tanto jure non gaudet depositarius, & hypothecarius, sed solum si casu inveniat thesaurum in loco sibi deposito, vel impignorato, medietas illius est; si vero de industria, totum erit domini fundi: quia ille non est usufructuarius, & proprie nec partialis quidem dominus fundi.

174 IV. Denique thesaurus inventus in loco omnino communi, & publico, ad nullius scilicet speciale dominium proprietatis pertinente, esto pertineat ad dominium Jurisdictionis alicujus Principis, vel Communitatis, cujusmodi sunt forum publicum, viæ publicæ, flumina &c. totum esse inventoris, post *Baldum*, *Covar.* & alios, *Less. cit. c.* 5. *dub.* 16. probabiliter docet; quod enim antea nullius erat, naturali jure occupanti conceditur. Secus esset, si locus quidem publicus sit, sed ad Principem, vel communitatem speciali jure proprietatis spectet, ut sylvæ, pascua, domus, horti, civitates &c. tunc enim dimidia pars erit fisci, vel civitatis: expresse *Inst. §. Thesauros, de rer. divisione.* At vero thesaurum de industria inventum in loco sacro, & omnino publico v. g. cœmeterio, Ecclesiæ arca &c. medium esse Ecclesiæ, cujus est locus: casu vero inventum, totum esse inventoris, cum aliis docent *Less. & Laym. cit.* Quamvis etiam tunc dimidium Ecclesiæ tribuant alii. Verum hic standum erit consuetudini loci speciali jure, vel arbitrio Superioris. In omni autem casu thesaurus arte magica inventus post sententiam Judicis fisco adjudicatur, vel in toto, si totus fuisset inventoris, vel in illa parte, quæ alias secundum juris dispositionem inventori cedere debebat: dominis enim fundi, vel aliis relinquitur semper sua pars: quia crimen non stetit ex parte ipsorum.

III. Thesaurus in alieno agro empto.

175 QUi agrum, sciens in eo latere thesaurum, & reticens, emit, perinde eodemque pretio, ac si nullibi esset, venditori ignoranti nullam facit injuriam, & reperti postea thesauri integrum dominium sibi comparat. Ita sane communis DD. D. Th. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. Sotus *l.* 6. *de Just. q.* 3. *ar.* 3. Navar. *c.* 17. *n.* 175. Molin. *disp.* 56. Less. *l.* 2. *c.* 5. *dub.* 15. *nu.* 60. Laym. *c.* 5. *n.* 23. Lug. *cit. sect.* 11. *n.* 127. Allegantur (sed certe non efficaciter, quippe per parabolam dicta) verba Christi Matth. 13. *Simile est regnum Cœlorum thesauro abscondito &c. quem qui invenit homo &c.* Ratio est: quia, cum thesaurus in fundo non natus, sed positus sit, ideo proprie pars, seu fructus fundi non censetur: nec ad ullius dominium pertinet, quippe res derelicta, antequam eruatur: erutus autem a domino fundi, eidem mox totus acquiritur: atqui emptor agri post traditionem vere factus est dominus fundi; consequenter ille habet jus eruendi, & dominium sibi acquirendi latentis thesauri; ergo ipsius est plenum ejus rei dominium. Nec fit injuria venditori, quasi ager continens thesaurum occultum plus valeret; quia pretium justæ rei sumitur præcise non ex majori utilitate rei, sed ex communi æstimatione hominum: etiamsi enim res in se esset utilissima, cum tamen homines eam parvi communiter æstiment (seclusa ignorantia circa illam rem) ejusdem parvæ æstimationis pretio juste emi potest. Exemplum vulgare est de pharmacopola perito, qui licet sciat utilitates maximas in quibusdam herbis alias vilibus in communi fasce, vel acervo fæni, aut herbarum pro pabulo jumentorum venali, potest tamen illam fascem pretio communi emere. Et *Ratio est*: quia illa major utilitas soli emptori cognita non auget ejus rei apud homines æstimationem, quæ solum est immediata mensura pretii justi, & humani: atqui sic in proposito ager continens thesaurum (idemque est de mineralibus occultis ibi latentibus) quamdiu latet thesaurus, in communi æstimatione ejus est, perinde ac si nullus ibi lateret: cum ignotum æstimari non possit: ergo talem agrum emit juste emptor pretio communi ipsius agri. Nec obstat, quod venditor non intendat vendere thesaurum, sed tantum agrum: Nam neque emptor emit thesaurum (immo nec potest emere, cum is non sit venditoris, sed res derelicta) sed tantum agrum: thesaurum autem acquirit sibi titulo inventionis, non emptionis. At, saltem emit jus ad thesaurum ibi existentem occupandum, quod certe non solvit. Atqui illud ipsum jus latens æque, ac thesaurus non potest augere communem æstimationem, nec consequenter pretium agri.

Sed neque emptor injuriam facit venditori non revelando ipsi latentem ibi thesaurum, aut auri, metallive venam &c. Quia, cum ignorantia thesauri non versetur circa ipsam rem venditam (quæ est ager tantum, & non thesaurus) non tenebitur id emptor venditori revelare, cum quilibet possit uti sua scientia ad acquirendas sibi res, quæ ad alterum non spectant, uti est in proposito thesaurus. Et pluribus exemplis patebit, cum de contractibus præsertim emptionis, & venditionis agemus. Alia esset ratio, si ignorantia venditoris versaretur circa ipsam rem venditam, ut si quis emat lapidem pretiosum, ab alio ignorante virtutem lapidis, huic tenetur emptor virtutem revelare, alias emptio esset injusta; quia ille intendit vendere lapidem secundum se, & substantiam, & qualitates, quas in se continet; ager autem solum venditur secundum superficiem, & partes nativas, ac fructus suos, minime secundum thesaurum occultum per accidens impositum. 176

Cæterum ut indicat prædicta parabola Christi, & jus gentium permittit, ut talis possit empturus agrum, thesaurum antea inventum, & effossum rursus infodere, & sic agrum emere: attamen secundum Jura civilia hoc videtur injustum: quia thesaurus semel inventus in agro spectante adhuc ad alterius dominium, jam Jure civili saltem pro media parte ad ipsum pertinebat. 177

IV. Thesaurus improprie dictus.

SErmo semper fuit de thesauro proprie dicto, scilicet veteri defossione, vel depositione pecuniæ in terram, vel saltem intra parietes, vel aliis locis occultis, vel communiter inaccessis. Secus dicendum de thesauro improprie dicto, vel rebus pretiosis aliter inventis: ut si quis aurum reperiat in angulo domus, in superficie, retro arcas &c. etsi dudum ibi positum videatur, non erit thesaurus proprie dictus, nec quidquam ad inventorem spectabit, nisi ejus domini ignorentur. Item si incolæ metu belli pecunias, & similia defodiant, postea eruta non sunt thesaurus, nec fiunt invenientis, sed dominis restituenda erunt, nisi militi in justo bello in prædam cedant. Item, si quis alteri vestem vendidit, in qua aurum depositum latuit, emptor reperiens non efficitur ejus dominus, sed ei, qui posuit, vel ejus hæredibus restituere tenetur: quia in venditionis contractu non vendidit aurum, propter ignorantiam. Quin etiamsi triennio bona fide possederit emptor talem vestem, nesciens in ea latere aurum, tamen præscriptione dominium ejus non acquisivit: quia qui nescit, non possidet, nisi rem antea scienter factam suam: sine possessione autem nulla est præscriptio. Sed advertis in hoc casu supponi, venditorem vestis fuisse dominum hujus latentis pecuniæ, aut saltem sciri dominum, quisnam eo posuerit. 178

Cæterum si emisti rem mobilem, in qua thesaurus latebat, etiam priori venditori ignotus: v. g. saccos lana plenos, in qua invenis aurum, vel aliud quidpiam pretiosum, cujus dominus omnino ignoratur, & proinde pro derelicto habetur, ipsa inventione acquiris tibi thesaurum totum, nec de eo quidpiam teneberis venditori restituere, quia invenis in re tua; venditor autem non fuit dominus, nec eum tibi vendidit: quippe sibi ignotum, sed lanam tantum: quod autem thesaurus in terra lateat, vel in re mobili, parum refert, cum utrobique lateat; & in eo statu in nullius bonis sit. Unde si non a te, sed ab alio inveniretur ille thesaurus latens in tua lana empta, si quidem fortuito invenerit, dimidia pars tantum; si ex industria, totus ad te adhuc pertinebit, conformiter ad dicta casu secundo: uti optime resolvit Lugo *sect.* 11. *num.* 129. Addit Less. sæpe *cit. c.* 5. *dub.* 15. militem, qui hosti saccos lupulo refertos abstulit, in quo erant ducati, vel laminæ aureæ &c. si id ignorans miles postea saccos vendidit, non habere jus ad illas laminas &c. neque ad pretium pro illis exigendum: quia cum latuerint, dum ille erat dominus saccorum, dominium non acquisivit, de quo *Lugo* ibidem *n.* 130. 179

180 Denique Tamb. *lib.* 8. *tr.* 4. *c.* 3. casum ponit his omnino verbis. Noctu quidam avarus senex terræ infodit thesaurum; ego id casu persensi, possumne hodie judicare illud aurum esse derelictum, & illud mihi effodere? Respondeo, si sum certus, eum non infodisse ad custodiam, sed animo, ut ille thesaurus imposterum lateret, & pateret nemini, possum tuto mihi auferre: at si advertam infodisse ad veram custodiam, certe non possum. *Ratio* utriusque dicti est: Quia si ad custodiam, non desiit auri dominium apud senem; at si, ut lateret imposterum, jam præsumitur senex abjecisse a se, suisque hæredibus illius thesauri dominium, instar Cratis Philosophi, qui omnes suas divitias in mare projecit, ut eo liberius vacaret Philosophiæ. *Hæc ille*: cui ego assentior. Sed tu cogita.

§. IV. *Res incertæ inventæ*. Regula.

181 R*Es incertæ inventæ, quæ scilicet ex circumstantiis creduntur habere dominum, qui tamen inculpate ignoratur: ad hoc ut alterius dominio cedant, necessario requiritur moraliter diligens inquisitio proprii domini; eoque accuratior, ac diuturnior, quo res perdita, & ab alio inventa majoris est momenti*: at postquam earum dominus, facta sufficienti inquisitione, non apparuerit, cuinam cedere debeat, gravissima est controversia inter DD. utrinque gravissimos.

I. *Sententia communis, & tutior*.

182 SIne dubio communis, & certa est Sententia DD. res incertas inventas, si post diligentem inquisitionem earum dominus non compareat, esse ad pium usum applicandas, nisi ipse inventor pauper sit; tunc posset sibi reservare in toto, vel parte, considerata quantitate rei inventæ, ac inopiæ suæ. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 66. *ar.* 5. *Abbas, Paludan. Cajetan. Medin. Navarr.* aliisque congestiis Molin. *to.* 3. *tr.* 2. *disp.* 764. Et probabiliorem censent Less. Laym. *c.* 5. *n.* 23. in fine. Lugo *sect.* 12. *n.* 136. Ratio est: quia bona inventa sciuntur esse alicujus, nec eorum dominium amisit, qui ea perdidit: ergo si ipsimet domino restitui non possunt, restitui debent juxta ejus voluntatem præsumptam: atqui eo casu rationabiliter præsumendum est, dominum velle, ut in pauperum, aliumve pium usum erogentur, in satisfactionem pro peccatis suis, quatenus, quod ei corporaliter non potest, spiritualiter restituatur: ergo &c. Accedit auctoritas SS. PP. D. August. lib. 50. Homil. 9. relatus, c. si quid 14. q. 5. *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti*. Et ibid. c. 8. dicitur: *Multi sine peccato putant esse, si quod invenerunt, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Et discant, peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat*. Tandem *c. cum tu, De usuris*, expresse statuitur, ut usurarius pecuniam usurariam non retineat, sed vel reddat illi, a quo accepit, ejusque hæredibus, vel iis non comparentibus, pauperibus: similis est ratio de rebus inventis. Ergo &c.

II. *Sententia mitior*.

183 PRobabilis quoque, & in praxi satis tuta est opposita Sententia, ejusmodi res incertas, domino non comparente, titulo inventionis posse retineri ab inventore. Hanc primus defendit *Dominic. Sotus*, secuti sunt *Bartol. Petr. Nav. Emman. Sa*, ac RR. permulti: Et etiam probabilem censent mei Less. *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 7. Laym. *cit. c.* 5. *n.* 24. Lugo *cit. sect.* 12. *n.* 139. Diana *p.* 2. *tr.* 3. *miscel. resol.* 5. Ratio est: quia in jure perinde esse censetur, dominum rei non comparere, ac rem nullius esse, vel pro derelicta haberi. Unde, & ipsa Respublica ejusmodi bona inventa applicat quandoque pauperibus, quandoque suis necessitatibus; quod fieri non posset, nisi censeret ea bona nullius esse, & pro derelictis haberi: atqui bona, quæ nullius sunt, seu pro derelictis habentur, jure naturæ communia sunt, & jure gentium fiunt primo occupantis: ergo juste ab inventore retineri possunt. *Confirmatur*. Nulla lex naturalis positiva præcipit talia inventa pauperibus erogare, vel ad pias causas applicare: ergo non asserendum. Non lex naturalis, vel gentium: quia lex naturalis, & gentium apud omnes gentes est eadem, & obligat conformiter: non autem omnibus gentibus, immo nec omnibus fidelibus hæc persuasio inest, aut observatur, ut, re aliqua inventa, voluntatem concipiant, eam in pauperes erogandi, quin potius custodiendi, dominoque restituendi, si forte comparens repetat, eoque longo tempore non comparente, perinde esse, ac si res domino careat, & pro derelicta sit: ergo &c. Neque lex ulla positiva Divina, vel civilis, vel Ecclesiastica de hoc adferri potest. Denique rationes oppositæ sententiæ non convincunt, immo nec multum urgent. Nam

III. *Satisfit rationibus oppositis*.

184 AD 1. negatur prima consequentia, & subsumptum; cum enim eo casu res inventa post derelicta habeatur, inventor non tenetur se conformare voluntati domini, sed juri, vel consuetudini de tali re procedendi se accommodare potest. Sed neque verum est, voluntatem domini semper esse, ut res perdita erogetur pauperibus, quippe statim consumpturis, ablata omni spe recuperandi: sed potius velle solet, ut inventor retineat, a quo forte rem aliquando recipere possit; si numquam possit, velle favere fortunæ inventoris. Consule conscientiam, & indolem tuam, & quod alium facere de tua re inventa velles, & tu fac similiter.

Ad 2. Resp. SS. Canones, & PP. loqui de iis, qui res alienas inventas suis dominis etiam cognitis, comparentibus, requirentibus, repetentibus reddere nolunt, aut certe non adhibent diligentiam, ut res inventæ rursus perveniant ad Dominum: quod utique iniquum, ac instar rapinæ est. 185

Ad 3. patet, jus illud solum statuere *c. cum tu De usuris*, ut res injuste, sine legitimo titulo acquisitæ, & speciatim per usuram, si proprio domino, vel hæredibus restitui non possint, retineri ab usurario, vel iniquo possessore non possint, sed pauperibus restituendæ sint: in proposito autem rei perditæ inventor habet aliquem titulum acquirendi, & retinendi, scilicet inventionis rei pro derelicta habitæ. *Deinde* latum est discrimen inter debita certa ex delicto, & hujusmodi inventa, vel alia debita inventa: quia in debitis ex delicto, usuris, v. g. in odium debitoris iniqui, & ne procliviores sint alii sub spe lucri ad similes injurias inferendas, creditor omnino semper præsumitur invitus, quod debitor iniquus tali re, vel commodo fruatur, & omnino velle, ut ea privetur, applicando aliquo modo meliori ad suum commodum, saltem spirituale: quæ ratio minime procedit in ejusmodi inventis: adeoque ut dictum est, rationabiliter præsumi potest, dominum velle, ut res sua permaneat, & conservetur, quantum fieri potest, apud inventorem, apud quem illam fors meliori modo recuperare possit. 186

Probabilem ergo hanc sententiam Confessarius tuto sequi potest in praxi, tutiori autem via procedendo semper suadere debet inventori, si dives, & non egens sit, ut cessante omni spe dominum reperiendi, in pauperes, vel pios usus eroget, saltem quos alias faceret ex proprio: aut certe exploret suam conscientiam in propria simili causa, modo paulo ante dicto: si vero pauper proprietatis capax sit, ei sine scrupulo relinquere poterit, dummodo res non sit sacra, ut Calix, Paramenta &c. tunc enim Prælatus Ecclesiasticus consuli debebit, ut cum aliis notat *Laym. loc. cit.*

IV. *Observanda in hac probabili Sententia*.

IN primis inventor, ut retinere, absumere, alienare possit rem inventam, debet moralem diligentiam adhibere in inquirendo domino, eo majorem, & diuturniorem, quo majoris momenti est res perdita; quod quidem commodissime fit per promulgationem in Ecclesiis vel etiam alicubi in foris. Quanto vero tempore expectare debeat inventor, prudentis arbitrio discerni debet ex circumstantiis. Unde si quis centum aureos invenisset, inquit *Sayrus* apud *Layman citat.* non sufficeret semel, & iterum promulgare loco inventionis, sed etiam in aliis locis, in quibus prudenter suspicari potest, dominum pecuniæ, vel hæredem posse reperiri, atque debere expectare saltem per annum, vel diutius, ad hoc, ut dominus dicatur non comparere, & inventor rem sibi acquirere, absumere, vel alienare possit: minus longe requiritur, si res levis momenti sit, verbi gratia pallium, aliqui aurei &c. Quocumque autem tempore (saltem nondum præscripto) dominus rei compareat, vel rem repetat, si adhuc existat, ei restituenda erit: quia est adhuc legitimus Dominus rei perditæ: nec lex ulla eum spoliat eo dominio, sed inventor solum tamdiu poterit rem detinere propter bonam fidem ex ignorantia veri domini: ergo eo comparente cessat habere bonam fidem: consequenter ei comparenti restituere tenebitur. Quod si vero intra illud tempus (saltem nondum præscriptum) rem bona fide absumpserit, non tenetur aliquid restituere Domino comparenti, nisi quatenus inde ditior factus sit. Dixi per Parenthesim (*saltem intra tempus nondum præscriptum*) nam postquam rem inventam tua, & communi prudentum opinione pro derelicta habitam, tamquam tuam occupasti, probabiliter curret tempus præscriptionis, scilicet triennii, quo proinde tempore elapso, postea primum Domino comparenti nil teneberis amplius restituere, etiamsi res adhuc existeret: quia titulus præscriptionis est irrevocabilis; non item titulus inventionis. Dicta proportionabiliter omnia dicenda sunt de ipsis pauperibus, quibus res ipsa jam erogata est. Denique omnia hactenus dicta, sunt secundum jus commune gentium, & civile; in particulari autem casu servandæ erunt justæ consuetudines loci particulares, dicendæ a Magistratibus. 187

SECTIO V.

De acquisitione dominii rerum per Præscriptionem, seu Usucapionem.

SUMMARIUM.

188 Usque ad num. 191. *Quid præscriptio generatim, magis proprie, ac propriissime, ac*

191 *Quomodo differant præscriptio, & usucapio*.

192 &

192 & 193 *Lex præscriptionis est justa, etiam in foro conscientiæ, si adsit*. 1. possessio vera. 2. titulus præsumptus. 3. bona fides, & 4. tempus legitimum.
194 Usque ad num. 198. *solvuntur objectiones*.
198 *Qui rem jam legitime præscriptam restituit, ignorans illud jus, eam repetere potest*.
199 Possessio *ad præscribendum requisita debet esse* vera, *scilicet non tantum naturalis, sed &* civilis. *Unde*
200 *Qui vere, & proprie non possidet, non præscribit: &*
201 *Incapax possessionis est etiam incapax præscriptionis*.
202 *Nec plus præscribere quis potest, quam possideat*.
203 *Quando, & qualiter fiat præscriptio Jurium*.
204 Titulus *ad legitime præscribendum debet esse rationabiliter præsumptus*.
205 *Quomodo verum illud:* possessio temporis immemorialis est loco tituli.
206 *Ad præscribendum necessario requiritur* bona fides *non tantum theologice, sed etiam civiliter*,
207 *Quam tollit, & usucapionem impedit ignorantia juris, ut talis ignorans præscribere non possit*.
208 & 209 *An etiam in foro conscientiæ; utrumque probabile est*.
210 *Dubitans, an res sit aliena, nec ne: an, & quando habeat bonam fidem ad præscribendum requisitam*.
211 *An scientia juris alieni tollat bonam fidem: seu an sciens jus alterius contra illud præscribere possit*.
212 *An, & quando mala fides prioris possessoris noceat successori*.
213 Tempus *præscriptionis varium*.
214 *Quando præscribantur res mobiles*.
215 *Quando res immobiles*.
216 *Quando res incorporales, seu jura, item*
217 *Leges, seu legitimæ consuetudines*.
218 *De beneficio restitutionis in integrum*.

Explicatio Terminorum.

PRæscriptio in Jure Cæsareo idem est, ac exceptio: & præscribere idem, quod excipere: ac triplici latitudine accipi potest.

188 I. Præscriptio latissime idem est, ac exceptio generatim in quacumque materia litigabili, civili, vel criminali locum habens, qua quocumque modo opponitur contra actorem ad ejus actionem excludendam, vel suspendendam. Exceptio enim est oppositio alicujus rei contra actionem intentatam ab altero impediendam, vel retardandam, non tamen inficiendo intentionem, seu fundamentum actionis, vel litis. E. g. Titius adversum te actionem instituit ad solvendum pretium pro vendito tibi equo. Fundamentum, ac intentio hujus actionis est venditio equi facta. Quod si ergo æque neges, ipsum fundamentum, ac intentionem actionis, scilicet equum tibi esse venditum, non dicitur exceptio, sed defensio; & totum onus probandi adversario imponitur. Quod si vero fatearis quidem intentionem actionis, ac fundamentum; at vero opponas jam pretium a te solutum, aut tibi adversario donatum esse, aut tantumdem debitum tibi ab ipso nondum solutum &c. tunc diceris contra adversarium excipere, ejusque exceptionis probatio jam tibi incumbit. Et ita in cæteris in quacumque materia litigabili.

189 II. Præscriptio strictius, & magis proprie, idem est ac exceptio, etiam in quacumque materia vel jure tuendo, aut alterius jure prætenso repetendo, sed qua opponitur solum tempus a Jure statutum effluxisse, & ideo alterius jus contra te extinctum esse: definitur in Jure: *Exceptio peremptoria ex tempore legibus definito vim habens*. Quo sensu accipitur Præscriptio in *Titul. Juris Cæsarei. De Exceptionibus, & Præscriptionibus;* habetque locum de quacumque materia in civili, & criminali: v. g. vicino tuo prætendenti jus agendi currus, vel pecora per tuum fundum, opponis, eum a decennio tale jus non usurpasse. Accusanti te de adulterio &c. opponis, jam quinquennium effluisse, &c. Hac acceptione Tertullianus egregium opus edidit de Præscriptionibus contra hæreticos, quo ostendit, ipsos ad nullam de rebus Fidei disputationem a Catholicis admittendos esse, sed compendio Præscriptionis, id est, oppositione tam diuturni temporis, quo tali modo ubique in Ecclesia creditum fuit, omnem, quæ contra affertur, novitatem repellendam: quod si omnino aliquis Orthodoxus, Hæreticum ad disputationem admittat, profiteri debere non ex necessitate aut debito se id facere, sed ex abundanti, & ne causæ suæ diffidere videatur.

190 III. Strictissime Præscriptio idem est, ac exceptio in sola materia dominii, vel proprietatis, vel usus alicujus rei contra actionem contrariam per oppositionem possessionis legitimi temporis a jure constituti. Et sic jam vides, differt ab exceptione generaliter sumpta, solum ut quid minus late patens, a magis late patente, & fere coincidit cum usucapione: nam *usucapio* est ipsa acquisitio dominii per possessionem legitimi temporis. Et sumitur dupliciter *in fieri, & in facto esse*. Primo sensu *in fieri* dicitur quis usucapere toto illo tempore, quo rem bona fide acceptam possidet, etiam antequam, legitimo tempore expleto, ejus dominium acquirat. In secundo sensu *in facto esse*: tunc & proprie dicitur quis usucapere, quando jam expleto tempore legitimo dominium rei acquirit, & mox sequitur ipsa Præscriptio, seu exceptio in judicio contra actionem prioris Domini. Et hinc

IV. Præscriptio, & usucapio formaliter, & in rigore differunt tamquam causa, & effectus, atque etiam in Jure Cæsareo distinguuntur, & diversimode definiuntur: *Usucapio*, Leg. 3. ff. de usucapionib. *est acquisitio, vel adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti*. Præscriptio definitur: *Exceptio peremptoria ex tempore legibus definito vim habens:* quia nimirum contra pristinos dominos talem rem sibi vindicare volentes, possessor bonæ fidei excipit, & opponit, se tanto tempore cum illis conditionibus (mox explicandis) rem possedisse, ut secundum leges ejus dominium comparaverit, adeoque actionem amplius locum non habere. Et hoc actu demum dicitur præscribere; ideoque præscriptio proprie est effectus Usucapionis: ideo enim, quia quis longa, & pacifica rei possessione ejus dominium sibi acquisivit, contra pristinum dominum eandem rem repetere volentem, præscribere, seu opponere potest. Nihilominus tamen in Jure Canonico in hac materia Usucapio, & Præscriptio sumuntur pro iisdem sinonymis, videlicet pro acquisitione rerum ex possessione certi temporis, & cum conditionibus a Legibus præscriptis. 191

ASSERTIO.

Et Definitio communis.

PRæ*scriptio, seu Usucapio est acquisitio dominii, vel alieni juris peremptio per continuationem temporis lege definiti*. 192
Ut legitima, & justa sit, quatuor conditiones requiruntur. 1. *Possessio vera*. 2. *Titulus præsumptus*. 3. *Bona fides*. 4. *Tempus legitimum*. Quibus conditionibus subsistentibus justa est lex Præscriptionis etiam pro foro conscientiæ: ita scilicet, ut possessor bonæ fidei servato tempore, & conditionibus a jure requisitis, in utroque foro acquirat dominium rei suæ possessæ, ut amplius restituere non teneatur, etiamsi postea resciat, cujusnam res antea fuerit, vel pristinus Dominus eam repetat, etiam nulla ipsius interveniente negligentia, sed contra ipsum legitime præscribat. Communis cum S. Thoma 2. 2. *art*. 1. & 2. & Scot. *in* 4. *dist*. 15. *qu*. 2. *art*. 2. Et sumitur late ex Concil. Lateran. magno relato *c. finali, de Præscriptionib*. his verbis: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam Canonica, quam Civilis: cum generaliter sit omni constitutioni, & consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam*. Hæc Concilium. Ubi vides, solum reprobari præscriptionem mala fide, & contra conscientiam factam, atque per hoc eo ipso simul approbari præscriptionem, bona fide semper durante, factam.

Ratio Scoti fundamentalis, & generalis est: quia lex ita potuit juste determinare dominia in prima rerum divisione; atqui non est minor auctoritas legis post divisionem dominiorum: ergo propter eandem causam, & eumdem finem potest juste transferre dominium, postquam alicui fuit applicatum, quod maxime fit per legem Præscriptionis: idque duplici justissima de causa. *Una est* ad conservandum bonum commune, & pacem publicam, quæ necessario requirit dominium rei neglectæ post longum tempus acquiri possessori, ut nimirum aliquis litium finis esset, alioquin nascerentur lites immortales, si ejusmodi rem, post quantumcumque tempus pristinus dominus, vel ejus hæres repetere posset in judicio. Unde dicitur L. 1. ff. de usucap. *Bono publico introducta est usucapio, ne diu, & fere semper quarumdam rerum incerta essent dominia*. Altera causa est, ut hac ratione, negligentia, ac desidia hominum res, ac jura sua prosequi negligentium, vel acuatur, vel puniatur: atqui certum est, justas esse leges latas ad bonum commune procurandum, aut negligentiam civium acuendam, atque in utroque fore locum habere: ergo Præscriptio seu Usucapio jure civili juste statuta in utroque foro locum habere debet. 193

Neque audiendi sunt *Adrianus, Medina*, & alii nonnulli volentes, Legem Præscriptionis in foro conscientiæ non habere locum, nisi ubi culpabilis negligentia pristini possessoris, seu domini intervenerit. Quia lex illa nonnisi secundario ad puniendam negligentiam, principaliter autem ad conservandum bonum commune instituta est: ergo etiam locum habet in foro conscientiæ, etsi nulla negligentia pristini domini intervenerit, immo potius ejus invincibilem ignorantiam agnoscat. Ita communis DD. cum Laym. *cit. tr*. 1. 1. *c*. 8. *n*. 4. Lugo *disp*. 7. *sect*. 1. *a n*. 5. 194

Dices I. *Nemo debet locupletari cum alterius injuria, vel jactura*, Reg. 48. 12. 6. sed a Præscriptione fit injuria pristino domino & jactura; quippe eo invito rem suam detinendo: ergo non est justum. *Resp. Neg. mi*. Quia per Legem Præscriptionis transferentem dominium, cum justa sit, & communis, habens annexum assensum totius Communitatis, pristino domino nulla fit injuria formaliter, sed materialiter tantum, ut sæpius accidit. 195

Dices II. Nemo privandus est suo Jure sine culpa; ergo si pristinus dominus nullam admisit culpam negligentiæ circa rem suam, non potest ea juste privari. *Resp. Dist. ant*. Si nulla 196

nulla justa causa id exigat, *Con.* Si sic, *Neg. ant.* Bonum enim commune ita postulat ad terminandas lites, servandam concordiam, & quietem conscientiarum, ut supra dictum est.

197 *Dices*. III. Præscriptio fundatur in bona fide, ut patebit: sed quando possidens cognoscit, rem esse alterius, statim cessante bona fide, incipit esse possessor malæ fidei: ergo in conscientia non valet Præscriptio, sed tenetur restituere, Resp. *Conc. ma. dist. min.* Si possidens cognoscat rem possessam esse alterius, antequam facta sit sua, nimirum ante tempus Præscriptionis impletum, incipit esse possessor malæ fidei *Con. min.* Postquam facta est sua. *Neg. min. & consequentiam*. Res enim præscripta facta est præscribentis, antequam sciebat esse alienam: ergo post præscriptionem non cognoscit rem esse, sed tantum fuisse antea alienam; ideoque restituere non tenetur, cum jam facta fuerit sua.

198 *Petes*, quid si quis rem jam legitime præscriptam, seu usucaptam postea pristino Domino repetenti nil excipiens restituat ob ignorantiam illius juris, poteritne rem tamquam indebite datam repetere? Affirmative respondent *Bart. Abbas, Laym. cit. c.* 8. *n.* 23. Quia ignorantia juris, etsi non excuset, cum agitur de acquirendo, excusat tamen, cum agitur de damno rei jam acquisitæ: atqui per usucapionem dominium rei plenum transfertur in usucapientem, ut jura decernunt: ergo qui rem usucapione jam plene acquisitam per ignorantiam Juris pristino Domino restituit, postea gnarus factus eam tamquam naturaliter, & civiliter indebitam condicere, seu repetere poterit, *juxta tit. ff. & C. de condict. indebiti*. Addit *Abbas* communiter receptus, quod judex ex officio repellere debeat actorem, contra quem præscriptum est, etsi reus conventus nihil excipiat. Nunc conditiones ad legitimam Præscriptionem explicandæ sunt. De his DD. latissime Canonistæ, Juristæ, & Theologi, nominatim Molin. *tr.* 2. Less. *lib.* 2. *c.* 6. per totum. Laym. *lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 8. per totum. Lugo *tom.* 1. *de Just. disp.* 7. *sect.* 2. *& seqq.* aliique innumeri. Accipe per compendium.

§. I.

Præscriptionis prima conditio.

Possessio vera.

199 AD præscriptionem legitimam requiritur in primis possessio vera, & propria: nam juxta Reg. 3. in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*. Non ergo sufficit sola possessio naturalis, & corpore tantum, qualiter etiam fur possidet rem alienam, sed requiritur etiam possessio civilis, qua quis etiam animo, seu voluntate, & facultate rem tamquam suam possidet, ut mox patebit amplius. Et hinc statuendæ sunt aliquot

Regulæ speciales.

200 QUicumque vere proprie non possidet, nil potest præscribere; utpote possessor rei alienæ non potest inchoare usucapionem, quamdiu alter absens adhuc civiliter possidet. Si commodatarius, depositarius, hypothecarius, colonus &c. quia non suo, sed alieno nomine rem, non ut suam, sed ut alienam obtinent, sicut proprie non possident, ita præscribere nil possunt; sed neque ille, qui ab ejusmodi personis, quamvis bona fide accepit, præscribere bene potest, quamdiu dominus civilem possessionem retinet, scilicet voluntatem, & facultatem eam habendi: nam postquam eam pro derelicta habuit, utique juste occupabitur a possidente.

201 II. Quicumque incapax est possidendi, etiam præscribendi est incapax: sic laici res sacras, seu Ecclesiasticas nullo umquam tempore præscribere possunt, v. g. Calices, Monasteria, Ecclesias, decimas, jurisdictionem in personas, vel bona Ecclesiastica &c. *c. causam extra de præscript.* Et alibi passim Jura reprobant consuetudinem tanquam irrationabilem, quod laici possideant jurisdictionem in personas, vel Ecclesiastica bona. Quorum tamen capaces fieri possunt, & nimis sæpe fiunt titulo privilegii, aut concessionis factæ a Pontifice. Huc referendæ sunt res, quæ præscribi non possunt; quæcumque enim privatim possideri non possunt, etiam præscribi non possunt: uti videre potes apud DD. *cit.* Hoc tamen frequens, & singulariter notandum, res furtivas, vel per vim possessas, nullo umquam tempore præscribi posse, non solum ab ipso fure (hic enim ratione malæ fidei usucapere nequit) verum etiam a quocumque possessore bonæ fidei, non tantum immediato, qui ab ipso fure bona fide accepit dono, empto &c. sed etiam a quocumque mediato tertio, aut quarto &c. eo quod res ipsa vitiosa, & infecta sit, nisi interim res ad ipsum primum Dominum redierit; tunc enim jam purgatur vitium, & poterit deinceps a bonæ fidei possessore usucapi: uti decernit *Just. §. furtivæ quoque res, lib.* 2. *tit.* 6. *institut. de usucap.* & bene probat Lugo *cit. sect.* 8. *a n.* 138.

202 III. Nullus potest plus præscribere, seu vi præscriptionis præcise acquirere, quam possidet: v. gr. si quis inferior Principe diuturno tempore, & bona fide ex certis rebus vectigalia exegit, non ideo potest præscribere jus vectigalium absolute, seu ex omnibus rebus. Excipe, nisi ex uno actu præsumatur jus totius; sicut ex uno actu jurisdictionis colligitur jus jurisdictionis totius: v. g. Parochia aliqua dubiæ Jurisdictionis adjudicabitur illi Episcopo, qui hactenus in illo loco actum aliquem Episcopalem exercere solitus erat. Juxta *c.* 1. *de religiosis domib.* Universaliter autem subditus, dum se subditum profitetur, numquam præscribere potest contra ea, quæ potestas dominativa intrinsece requirit; utpote ut Superioris præceptis non teneatur: ut ab eo numquam judicetur, vel puniatur: ut a censibus, vel tributis ordinariis omnibus subditis communibus immunis sit: ut juribus *citat.* ex communi videre potes apud Less. *nu.* 12. Possunt tamen præscribere subditi immunitatem in ipsa subjectione in toto, vel in parte, ut mox iterum audies.

IV. In præscriptione Jurium attendenda est regula recepta apud Jurisconsultos: *Per actus liberos non inducitur præscriptio*: id est, dum aliquis libere, & non tamquam ex obligatione aliquid mihi præstat, quantovis tempore, nil umquam possum præscribere, quia non sum in possessione alicujus juris erga ipsum. Potero autem præscribere, quando bona fide possideo aliquod jus erga alterum, tamquam mihi obligatum aliquid mihi præstare, v. g. certa servitia, servitutes &c. Similiter quando possideo immunitatem ab alterius exactione, servitute &c. v. gr. præstandi tributa, angarias, decimas, servitia &c. Ut autem præscribere possim, requiritur, ut aliquando bona fide negem, me alteri obligatum esse, aut ipso facto ita me geram, ac si obligatus non sim; ab eo enim tempore incipio esse in possessione juris immunitatis ab altero: & debito tempore impleto plene præscribo. Quod si autem communiter habeatur pro obligato, nil eum ad præscribendum juvat, exactionem tanto tempore non fuisse factam; censetur enim exactio libere omissa, & valet prædicta regula: *Ex actibus liberis non inducitur præscriptio* v. g. Vassallus numquam præscribit contra dominum jus immunitatis a servitiis &c. nisi interpellatus negaverit ea dare, domino acquiescente, cum enim in mera voluntate Principis positum sit ejusmodi servitia exigere, nec ne; non ideo præcise, quia temporis diuturnitate non exiguntur, alter in possessione immunitatis constituitur. Sæpe tamen præsumitur renuntiatio juris, ut si oblata opportunitate exigendi, tamen non exigatur. Item dum exigitur ab aliis, non tamen ab illo, præsumptio solet esse pro exemptione. 203

§. II.

Præscriptionis secunda conditio.

Titulus præsumptus.

AD legitime præscribendum *secundo* requiritur titulus, non quidem verus, v. gr. veræ, & validæ emptionis &c. nam hic cum traditione, vel possessione rei dominium confert ipso facto, ut præscriptione opus non sit; sed titulus rationabiliter præsumptus: utpote, quia rem emisti, dono, legato, ex hæreditate &c. accepisti: tunc enim diceris possidere, & usucapere pro emptore, hærede &c. vel pro empto, donato, legato, ut supra notatum. Item si rem inventam occupasti probabiliter credens esse vacantem, derelictam, vel pro derelicta habitam. *Ratio autem est*: Quia sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis: quia tamen potuit esse titulus initio possessionis, & postea per oblivionem deperdi, ideo statutum est, ut sufficiat titulus præsumptus. Unde licet ad præscribendam, vel usucapiendam rem ordinarie requiratur nosse, seu posse ostendere titulum acquisitionis rei, non tamen semper opus est, sed possessio bonæ fidei temporis diuturnitate præsumit pro titulo, ac possessore, ut usucapionem perficere possit, etsi tituli oblitus sit, vel de eo dubitet: idque etiam Jure Canonico, *cap.* 1. *de præscriptione in* 6. Ratio est: quia facile etiam in proprio facto ex temporis longinquitate oblivio contingit, ut dicere aliquis non possit, quo titulo possessio rei ad ipsum pervenerit. Et nisi tali casu præsumatur pro possessore, esset occasio litium multarum. Sufficit ergo eo casu ad præscribendum requiri multo longius tempus infra assignandum. 204

Denique vulgare istud Juristarum dictum: *Possessionem temporis immemorialis ipsam esse loco tituli* (cum præsumptionem afferat accepit tituli, adeoque jus tribuat possidenti ad præscribendum) verum est, & intelligendum cum limitatione necessaria: quando nimirum aliquis per leges non est incapax possidendi, ac præscribendi aliquam rem; seu quando leges non resistunt tali possessioni, vel consuetudini. Sic laicus, quia per leges incapax est possessionis, ac præscriptionis rerum sacrarum, vel jurisdictionis in personas, vel bona Clericorum, nullius umquam temporis, quamvis immemorialis possessione, vel consuetudine præscribere potest absque probabiliter præsumpto, vel existimato titulo privilegii facti a Pontifice. *Ratio est*: quia, cum iste ipse titulus hominem capacem reddere debeat ad possidendum, necessario præcedere debet possessionem, vel consuetudinem, ut præscriptionem inducat: uti optime explicat *Suar.* aliique citt. *Laym. Less.* Lugo *cit. disp.* 7. *sect.* 2. 205

§. III.

§. III.

Præscriptionis tertia conditio.

Bona Fides.

206 AD legitimam præscriptionem tertio, & maxime requiritur bona fides possidentis: *nam possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Reg.2. in 6. Et *c. finali de præscr. ex Conc. Later.* supra allegato, ac alibi sæpissime. Ubi justissime correctæ sunt leges civiles olim statuentes, ut præscriptio 30. vel 40. annorum, etiam cum mala fide esset legitima. Et *Ratio* est urgens: Quia possessor malæ fidei semper manet in statu peccati mortalis rem scienter detinendo, ideoque indignus est tanto beneficio, ac favore Juris. Et alioquin etiam furibus facultas præscribendi tribueretur. Bona fides possidentis nil aliud est, quam credulitas quædam, qua quis prudenter sibi persuadet, se habere jus aliquid tale possidendi, utpote quia vel positive existimat, rem esse suam (& dicitur bona fides positive) vel saltem inculpate ignorat, rem esse alienam (& dicitur bona fides negative,) adeoque bona fide possidere dicitur, qui vel credit rem esse suam, vel nescit esse alienam; mala autem fide possidere dicitur, qui vel scit, aut credit rem esse alienam, vel non scit, aut non judicat esse suam, aut utrumvis culpabiliter ignorat. Requiritur autem bona fides non tantum Theologice, ut quis credat se sine peccato possidere, sed etiam civiliter, quod nimirum tali possessioni leges non resistant: ubi enim lex usucapionem inhibet, bona fides usucapienti nihil prodest; ait Pompon. *L.24. ff. de usucapion.* Jam statuendæ sunt iterum aliquæ

Regulæ Speciales.

207 I. IGnorantia facti non tollit bonam fidem requisitam ad præscribendum, nec usucapionem impedit; sed bene ignorantia juris. Ita statuunt expresse Jura. L.4. ff. de Jur. & fact. ignor. *Juris ignorantia in usucapionibus negatur prodesse; facti vero ignorantiam prodesse constat*: Et Exemplifice L.2. ff. pro emptore: *Si a pupillo emas sine Tutoris auctoritate quem puberem esse putas, dicimus, usucapionem sequi &c. Quod si scias pupillum esse, putes tamen, pupillis licere res suas sine Tutoris auctoritate administrare, non usucapies, quia juris error nulli prodest.* Hæc ibi. Simile exemplum est: si emas a Prælato prædium, ratus Capitulum consensisse, cum non consenserit, poteris præscribere: si vero putasti, Capituli consensum non requiri, præscribere non potes; ait recte Abbas *in cap. de quarta, nu.12. de præscriptionibus.*

208 At, numquid ita etiam in conscientiæ foro tenendum erit? Ita docet communis DD. plurimis cit. *Molin.* Less. *dub.* 4 *Laym.* Lugo *sect.3. n.29.* Ratio est: quia hoc privilegium præscribendi rem alienam, cum sit de Jure humano, iis solum competere, & in iis circumstantiis debet, in quibus leges tale beneficium concedunt: Leges autem expresse dicunt, ignorantiam juris non conducere ad hunc effectum, nec cum ea posse dari bonam fidem, ut ex allegatis patet. Et hujus ratio est: Quia indignum censetur tanto beneficio juris frui eum, qui ignorat Jura: unde talis invincibiliter ignorans, etsi sit in bona fide Theologica, ut sine peccato rem detineat, & possideat, quamdiu ignorantia durat, non tamen est in bona fide civili, vel politica, habens scilicet vitium, ex lege civili præscriptionem prohibens, adeoque, ablata ista ignorantia, res hactenus possessa minime usucapienda, sed restituenda erit. *Excipitur* tamen casus, quo ignorantia juris etiam civiliter merito inculpata censetur, & quasi toleratur ut in minorenni, milite, rustico &c. non habentibus copiam consultoris, uti docent *Molin. Less. lib.2. c.6. dub.5. n.17.* Item quando ignorantia est juris non liquidi, sed dubii, seu circa quod diversæ sunt DD. sententiæ probabiles bonæ fidei possessorem non impedit, quominus usucapere possit: apud *citt.*

209 Denique contrarium simpliciter pro foro conscientiæ docet Jo: Medina *Cod. de restit. q.17.* nimirum in foro conscientiæ omnem ignorantiam invincibilem, sive facti, sive juris clari, sive ambigui, excludere malam fidem, atque cum omni tali ignorantia posse rem præscribi; quam sententiam probabilem censent DD. citati. *Ratio est:* quia leges in tantum dicunt cum ignorantia juris non posse præscribi, in quantum cum illa non præsumunt bonam fidem, ut bene ostendit *Lugo cit.* atqui præsumptio in foro conscientiæ cedit veritati: ergo in foro conscientiæ, in quo veritas constat, & bona fides, non erit neganda præscriptio.

210 II. Dubium, an res sit aliena, nec ne, tollit bonam fidem ad inchoandam possessionem, non vero continuandam bona fide cœptam; dummodo debitam diligentiam adhibeat possessor ad cognoscendum, an res sit aliena: seu, quod idem est, ad inchoandam possessionem requiritur bona fides *positive*, ut nimirum quis existimet, rem suam esse, ejusque detinendæ jus sibi competere, & non sufficit tantum ignorare, vel dubitare, an res sit aliena. At vero ad possessionem, vel usucapionem sic bona fide cœptam continuandam sufficit bona fides *negative:* ut si quis vere ignoret, rem esse alienam, licet dubitet, & se positive resolvere non possit, an sit sua, modo interim diligentiam moralem adhibeat veritatem cognoscendi. Ita contra aliquos, Communis DD. Sententia Less. *cit. c.6. dub.3.* Laym. *n.10.* Lugo *sect.3. n.17.* Ratio est: quia leges solum exigunt ad præscriptionem, quod possessor nunquam habeat conscientiam rei alienæ. Ut constat ex Concil. Lateranensi cap. finali supra allato. *In nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Et eleganter D. August. lib. de fide, & operibus c.7. relatus in Jure c. si virgo 34. q.1. *Prædiorum tamdiu unusquisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum: Cum vero scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur, tunc juste injustus vocatur.* Hæc S. Doct. Atqui hic bona fide cœpit possessionem, & solum postea incipit dubitare speculative, an res sit aliena, nunquam autem habuit conscientiam rei alienæ; immo semper retinet bonam fidem practicam, hoc est, judicium practicum dictans se certo licite posse possidere: nam cum in dubio melior sit conditio possidentis, non debet se propter solum dubium speculativum privare possessione sua, quam bona fide cœpit; sed stante tali dubio speculativo, an res sit aliena, practice se resolvendo format sibi bonam fidem, & conscientiam rectam, posse tali casu rem licite retineri; immo etiam absumi, juxta communissimam doctrinam in materia de conscientia dubia: ergo &c. Insuper in dubio de ipsa bona fide possidentis ordinarie præsumendum est aliquem bona fide possedisse, maxime si possidendi titulus aliquis prætendatur, quia non facile præsumi debet peccatum. Et unusquisque præsumendus est bonus, quousque probetur malus. Excipe; nisi contra jus commune rei possessionem aliquis acquisiverit, v. g. rem pupilli, inscio Tutore, vel possessionis nuper acquisitæ rationem nullam adferre possit, vel si ipsi denuntiatio facta sit, rem esse alterius, & tamen veritatem inquirere neglexerit: his enim casibus merito præsumitur mala fides, juxta communem Canonistarum apud Laym. *cit. c.8. n.10.*

III. Scientia juris alieni tollit bonam fidem requisitam 211
ad hoc, ut quis præscribendo contra jus alterius tollat jus, vel obligationem suam aliquid agendi, vel omittendi: non item obligationem aliquid patiendi, vel permittendi tantum. *Explico.* Quædam obligationes suapte natura tendunt ad aliquid agendum, vel non agendum: v. g. qui rem alienam possidet, mutuo, empto, vel alia pactione debitor est, obligatur ad reddendum: in servitute civili obligatur quis ad ædificium altius non erigendum: fenestras ad hortum alterius non aperiendum &c. Et hujusmodi omnes obligationes nulla præscriptione tolluntur, quamdiu earum obligationum, ac juris alterius scientia adest, quia semper mala fide uteris quamdiu tuum debitum, vel alterius jus agnoscitur. Aliæ obligationes natura sua referunt solum ad aliquid patiendum, vel permittendum, seu onus aliquod subeundum, si ab alio exigatur, & hæ obligationes præscriptione extinguuntur ob solam negligentiam, seu cessationem exactoris: etsi tu obligatus tuæ obligationis interim probe conscius sis, non enim teneris alterum ad exigendum monere. Ex. g. in omnibus legibus pœnalibus obligantibus ad penam, sed per Judicis sententiam infligendam, v. g. ob non solutum vectigal, ob fraudulentam venditionem, prohibitam piscationem, venationem &c. Quia reus non tenetur se ipsum punire, nec Judicem ad pœnam sibi infligendam monere, etsi probe sibi conscius sit delicti; ideo elapso debito tempore mox assignando, præscribit, & a pœna immunis evadit. Similiter servitutes rusticæ extinguuntur per solum non usum tempore legibus definito, etsi præscribens probe sciat alteri tale jus competere, v. g. per fundum suum currus agendi, aquas ducendi, pascendi &c. non enim vi talis servitutis dominus fundi tenetur monere alterum, ut jure suo utatur, sed pati tantummodo, si utatur. De his vide latius Molinam Less. *dub.6. n.21.* Lugo *cit. disp.7. sect.4. n.51.*

IV. Mala fides auctoris, seu prioris possessoris nocet suc- 212
cessori universali, non item particulari, nisi res ipsa sit vitiosa; bona autem fides antecessoris cuivis successori prodest. Hoc est. I. Rem acceptam ab antecessore, seu priore possessore malæ fidei, hæres immediatus, & universalis, qui scilicet nomine hæreditatis ab intestato, vel ex testamento rem quamvis bona fide accipit, præscribere, seu usucapere numquam potest, eo quod ex fictione Juris hæres defuncti personam repræsentet, & quasi una persona reputetur: ideoque ejus & jura, & vitia participat, uti exprese decernunt Jura, *L. si mala fide C. communia, de usucap.* & §. *diutina inst. de usucap. Leg. cum hæres ff. de diversis, & tempor. præscript.* Quamvis *Bartol. Covarr.* Less. *cit. cap.6. dub.* 13. & alii probabiliter censeant, talem cum bona fide, saltem in foro conscientiæ, posse præscribere tempore longissimo, scilicet triginta annorum. 2. At vero hæres, vel successor particularis, aut mediatus tantum; ab auctore, vel priori possessore malæ fidei rem talem accepit, & alio, quam hæreditatis titulo, v. g. legato, donato, empto &c. nihil obstante mala fide antecessoris, præscribit, & usucapit tempore ordinario: scilicet res mobiles triennio, immobiles decennio, &c. Excipe nisi res ipsa sit vitiosa, scilicet furtiva, vel vi possessa, hæc enim nullo umquam tempore præscribi potest, ut jam supra §. I. indicatum est. *Ratio est*, quia talis hæres, vel successor particularis non censetur una persona

cum

cum antecessore, ideoque licet antecessor conferat ei cum ipsa re omne jus suum, quod habet in illam rem; non tamen debet ei communicare sua vitia personalia, qualis est sua mala fides. Quare cum successor talis bonam fidem habeat, & titulum, poterit ex se incipere præscriptionem. 3. Bona autem fides antecessoris prodest successori cuivis bonæ fidei tantum, ut quando quis bona fide acquirit rem a priori Domino, ac possessore bonæ fidei, potest simul numerare tempus antecessoris, seu, ut ajunt Legistæ, potest uti accessione temporis in usucapione, v. g. si emisti equum a Titio, qui eum etsi alienum jam uno anno bona fide possederat, tu postea biennio detines, jam præscribis. Ita expresse Jura *L. dolia* §. *eum qui*, *ff. de contrahenda emptione*. Idemque dicendum in successore aliorum Jurium, vel immunitatum: atque in dubio succedens potest præsumere bonam fidem priorum possessorum, nam juxta Regul. Juris 14. in 6. *Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.*

§. IV.

Præscriptionis quarta conditio.

Tempus legitimum.

213 TAndem ad legitime præscribendum requiritur continuatio possessionis per tempus legitimum, seu legibus definitum. Ubi adverte 1. Aliam esse præscriptionem temporis ordinarii quoad res acquisitas ab antecessore bonæ fidei, de qua hic agendum. Alia est præscriptio temporis extraordinarii quoad res acquisitas ab auctore malæ fidei: hæ enim immobiles præscribuntur non nisi annis 30. *Inst. de usucap.*2. Item alia dicitur præscriptio longi temporis, scilicet 10. annorum inter præsentes, 20. Inter absentes. Alia temporis longissimi, scilicet 30. vel 40. annorum. Alia temporis plusquam longissimi, scilicet 100. & amplius annorum. Alia temporis immemorialis, cujus scilicet nulla memoria habetur. 3. Præsentes hic dicuntur, qui in eodem territorio commorantur, licet non in eadem civitate, vel oppido: absentes vero, qui in diverso territorio degunt. Unde in præscriptione 10. annorum, si quis præsens 7.annis, & postea egressus territorium fiat absens, ad præscribendum contra ipsum requiruntur alii 6. anni, & non sufficiunt 3. tantum; quia anni, qui deerant in præsentia, duplicari debent in absentia. 4. Quoad res autem præscribendas tempore legitimo distinguendum est: utrum possideantur cum, vel sine titulo. Item an res sint mobiles, vel immobiles. Item an res sint privati hominis, an vero Communitatis, Ecclesiæ, Principis, fisci. His notatis ponuntur iterum breves

Regulæ Speciales.

214 I. RES mobiles cum titulo, & bona fide usucapiuntur tempore trium annorum adversus quemlibet. §. 1. *instit. de Usucap. & Leg. un. c. de Usucap. transformanda authentica, quas actiones, C. de Sacrosanct. Ecclesiis*. Ubi significatur eandem triennalem præscriptionem procedere adversus Ecclesias, probabiliter etiam Romanam: eædem autem res mobiles sine titulo etiam adversus quemlibet usucapiuntur spatio 30. annorum, ut colligitur ex *L.3. de Præscript.*30. vel 40. *annor.* ut docet communis DD. Mol. *disp.* 68. Less. *cit. cap.6. disp.7.* Laym. *cit.nu.*13. Lugo *disp.7.sect.6. nu.69.* Cum ergo ea in re Ecclesia nullum privilegium acceperit, fateri debemus eodem Jure in rebus mobilibus ad præscribendum capacibus contra Ecclesiam, probabiliter etiam Romanam præscribi, sicut contra privatam. Dico *probabiliter etiam Romanam:* nam citata Authentica excipere videtur Ecclesiam Romanam, contra quam non nisi spatio 100. annorum præscribatur. Vide *Less. cit.* in utramque partem optime disserentem.

215 II. Res immobiles privatorum, non minorennium, cum titulo, & bona fide usucapiuntur, inter præsentes decennio: inter absentes spatio 20. annorum. *Instit. de Usucap. & Cod. de præscr. longi temporis*. Excipiuntur ergo privatorum. 1. Res immobiles Ecclesiarum: nam contra Ecclesiam Romanam non præscribitur, nisi spatio 100. annorum: utroque jure *c. ad audientiam c. si diligenti de præsc.* & citata *authentica, quas actiones*. Adversus aliam Ecclesiam inferiorem, Monasterium, Hospitale, præscribitur 40. annis *c. ad aures c. illud cod. tit.* Eademque *authentica, quas actiones:* adversus autem Monasteria Benedictinorum, & Ordinum eorum privilegiis gaudentium, præscribitur tantum 60. annis, ex speciali privilegio Eugenii IV. Bona autem FF. Minorum utpote immediate sub dominio Ecclesiæ Romanæ constituta non præscribuntur, nisi 100. annis. Denique bona, legata, donata, vendita civitatibus, vel quæ ad coronam provinciæ spectant, præscribuntur 100. annis *L. ut inter divinum, cod. de Sacrosanct. Eccles.* Excipiuntur 2. pupilli, & minorennes; nam contra pupillos, quamdiu in ea ætate sunt, nulla unquam valet præscriptio. *L. sicut in rem C. de præscr. 30. ann.* Contra minorennes vero, hoc est, non attingentes 25. annum expletum, requiruntur anni 30. *L. ult. C. quibus casibus rest. in integ.*3. Eædem denique res immobiles sine titulo possessæ non præscribuntur, nisi tempore longissimo scilicet 30. annorum circa privatos 40.60. 100. annorum circa Ecclesias, vel communitates prædictas communis DD. & jura clara apud citatos, quos amplius videre potes. Compendiose Laym. cit. *cap.8. nu.13. & seqq.*

III. Dicta de rebus immobilibus pariter intelligi debent de præscriptione rerum incorporalium, sive jurium: utpote ususfructus, usus rei, servitutis personalis (de qua speciatim sup. *sect.1. n.33.*) annuæ præstationis, Jurispatronatus, Jurisdictionis, Beneficii Ecclesiastici, quæ omnia præscribuntur 10. annis inter præsentes, 20. annis inter absentes cum titulo præsumpto, & bona fide 30. vero annis sine titulo, si præscriptio tendat contra personam privatam: quod si vero præscriptio tendat contra Ecclesiam, Superiorem proprium, requiritur possessio 40. annorum cum titulo; temporis immemorialis sine titulo. Beneficium tamen Ecclesiasticum sine titulo numquam præscribitur juxta *Reg.1. in 6.* Cum titulo autem præsumpto, vel colorato præscribitur contra priorem possessorem quidem tempore ordinario, scilicet 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes: contra alium vero quemvis impetitorem præscribitur possessio pacifica triennalis sine ingressu simoniaco: *Ex Regula Cancellariæ 33.* Quæ obiter indicasse sufficiat. Curiosa videnda apud DD. passim *Lessium, Laym. Lugo cit.* 216

IV. Adversus legem, vel legitimam consuetudinem, ut præscribatur, requiritur desuetudo, seu non observatio 10. annorum, ita ut si lex aliqua seu civilis, seu Ecclesiastica per 10. annos servata non sit, imposterum non obliget. Communis DD. apud cit. Et ratio est, quia leges cum deberent esse perpetuæ quoad præscriptionem, æquiparantur bonis immobilibus quoad tempus longum inter præsentes: Lex enim, & subditi semper sunt sibi præsentes: unde ad earum præscriptionem numquam necessarius est decursus 20. annorum, sicut pro rebus temporalibus inter absentes. Sed neque requiritur bona fides non observantium leges; sive enim bona, sive mala fide non observentur leges, tamen præscribuntur per dictum tempus: uti contra *Less.* & alios docent *Suar. Castro-Pal.* aliisque cit. Lugo *disp.7. sect.6. n.96.* Ratio est, quia alias vix unquam ulla lex præscriberetur. *Deinde*, quia cum lex præscriptionis sit lata propter bonum subditorum merito & lege statutum, & usu receptum est, ut præscriptio rerum temporalium quidem non currat cum mala fide: quia subditi sic privarentur re sua ex malitia alterius, quod plane iniquum: præscriptio autem legis currit etiam cum mala fide, quia si lex longo tempore non observatur, præsumendus est benignus Legislator, nolle laqueum injicere subditis, & illos ulterius cogere ad illam observandam. Denique omnis actio, accusatio, inquisitio criminis cujuscumque, decursu 20. annorum a die commissi criminis præscriptione tollitur. *L. querela Cod. de falsis*. Minora autem crimina quædam, ut adulteria, peculatus, & omnia non capitalia secundum leges præscriptione 5. annorum tolluntur. De his, & aliis pluribus ad forum nostrum non spectantibus vide apud *Less. Laym. Lug. cit.* 217

Beneficium restitutionis in integrum.

ADversus præscriptiones legitimas prædictas quibusdam personis conceditur a Jure beneficium restitutionis in integrum, scilicet ad rem suam temporis diuturnitate jam præscriptam Judicis auctoritate recuperandam. I. Minorennibus conceditur hoc beneficium continuo quadriennio a die, quo majores facti sunt scilicet ab anno 25.completo usque ad annum 29. completum. *L. un. C. si advers. Usuc.* II. Ecclesiæ, & piis locis conceditur idem beneficium ad res suas, etiam longissimi temporis usucapione amissas recuperandas, integro quadriennio numerando a die, quo re intellecta integrum fuit restitutionem petere, *L. ult. de temp. in integr. restit.* III. Etiam iis, qui Reipublicæ causa absentes fuerunt, vel in vinculis constituti &c. vel alio legitimo impedimento detenti, quominus res suas, dum usucapionis tempus currebat, repeterent, idem beneficiũ conceditur pretoria equitate integro quadriennio a die cessantis impedimenti. *L.1. ff. ex quibus causis Majores*. IV. Etiam illis, qui aut invincibilem facti, sive currentis usucapionis ignorantiam, aut impotentiam reclamandi probare possunt, idem beneficium concedunt DD. apud Mol. *disp.89.* Sed de his utique satis Theologo. 218

SECTIO VI.

De acquisitione Dominii per alluvionem, accessionem, confusionem, commixtionem.

SUMMARIUM.

219 *Alluvio, alia* latens, *alia* patens.
220 Usque ad n.224. *Quæ per alluvionem alterius fundo, prædio &c. accrescunt, cujus sint.*
224 & 225 *Regula generalis, cujus sit res, seu totum resultans per accessionem, adjunctionem, vel accretionem alterius rei: item*
226 *Cujus sit totum, quando res aliena ornatus causa adjuncta est tuæ: Item*

227 Cu-

227 *Cujus pictura, quam in tabula aliena pingis? ac*
228 *Scriptura, quam in aliena charta, vel membrana scribis? Item*
229 *Cujus ædificium, quod ex re aliena in tuo fundo ædificasti? vel e contra.*
230 Usque ad n.235. *Cujus sit planta, arbor, vel fructus, si alienam in tuo, vel tuam in alieno fundo posuisti, vel si in duorum fundo radices egerit, aut in unius fundo posita in alterius fundum radices, & ramos protendat.*
235 Usque ad nu. 241. *De confusione rerum, seu cujus sit res, vel totum ex confusis duorum dominorum materiis resultans.*
241 *Commixtio quid, & qualiter differat a confusione.*
242 & 243 *Aperitur status difficultatis juxta sensum Justiniani & Glossæ.*
244 *Quando res duorum dominorum de utriusque consensu commixtæ sunt, cumulus manet utrique communis.*
245 *Quando vero casu commixtæ sunt, nulla fit translatio dominii, sed utrique competit actio ad rem arbitrio Judicis discernendam.*
246 & 247 *Cujus domini fiat cumulus, si quis altero nolente, ejus rem, v. g. frumentum, pecuniam, &c. misceat cum sua.*
248 Usque ad n.253. *Cujus sit, vel fiat dominium, si quis rem alienam furtivam, v. g. pecuniam, sive per se ablatam, sive a fure acceptam, sive bona, sive mala fide, commisceat cum sua.*
253 Usque ad n.257. *Resolvuntur varia de pecunia furtiva bona fide commixta cum propria.*

§. I. *Per alluvionem.*

219 ALluvio generatim alia dicitur *latens*, alia *patens*: *latens*, & proprie dicta alluvio est incrementum latens id est, tam lente & sensim procedens, ut adverti non possit, quando nimirum ex flumine v. g. aliquid insensibiliter tuo fundo adjicitur, sic, ut adverti nequeat, quantum quovis temporis momento accedat, esto singulis diebus adverti possit, quantum accesserit: nam & herbæ crescunt insensibiliter, licet in multis quotidie non advertatur, in quantum creverint. Alluvio *patens* dicitur, quando vi fluminis detrahitur aliqua pars notabilis ex fundo vicini, & transfertur, ac additur in fundum tuum. De his aliquas regulas tradit Justinianus Imperator. *Inst. de rerum divisione*, & Gajus *in L. adeo §.1.ff. de acquirendo rerum dominio*. Accipe compendium.

220 I. Si per alluvionem aliquid insensibiliter tuo fundo adjicitur, ita ut discerni non possit, quantum crescat, augmentum sit tuum. Gajus cit. sic loquitur: *quod per alluvionem agro nostro flumen adjicit, jure gentium nobis acquiritur. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus, quantum quoque momento temporis adjicitur.* Hæc ille.

221 II. *Si vis fluminis partem aliquam de tuo prædio detraxerit, & meo prædio attulerit, palam est, eam tuam permanere:* etiamsi cum vitibus, vel arboribus transferat; si tamen pars adjecta *longiore tempore fundo meo adhæserit, arboresque, quas secum traxerit, in fundo meo radices egerint, ex eo tempore videtur meo fundo acquisita esse*. Sic statuitur cit. *L. adeo §. plane*. Et ratio est, quia arbores cedunt solo, in quo agunt radices, sicut ædificium solo, in quo fundatur. Unde patet, arbores, trabes, & quæcumque alia vi fluminis ad alicujus fundum allata, & ejecta non accedere ei per alluvionem, quia non fiunt concreta, vel conjuncta cum ipsius fundo, nec consequenter acquiri, vel licite detineri posse a domino illius fundi, nisi haberentur pro derelictis.

222 III. Insula per alluvionem fluminis nata, qualiter dividenda sit, jam dictum est *sect.2. §.2.* si enim propinquior sit ripæ tui fundi, tua est, etiamsi deinde latenter sensim extendatur usque ad vicinum in eadem ripa, vel oppositum. Ita Molin. & Lugo *cit. disp.6.sect.13. num.154.* Quod si porro fluvius divisus ex tuo agro insulam facit, nemo dubitat insulam manere tuam, si vero fluvius divertat in aliam partem, novus alveus fit publicus, vel ejus, cujus fluvius erat, antiquus vero alveus accrescit iis, qui agros utrinque habent, Lugo *ibid. num.155.*

223 IV. Incrementum alluvionis quoad substantiam utique accedit domino proprietario fundi, quoad fructum autem latens incrementum accedit usufructuario, non autem incrementum patens, sed domino proprietario. Sic exprese *L. Item ff. de Usufructu*. Excipitur tamen ab omnibus feudatarius, & pluribus Emphyteuta. Cujus rationem vide apud Molin. *disp.56.*

§. II. *Per accessionem.*

224 ACcessio, adjunctio, vel etiam accretio dicitur, quando res unius accedit, vel adjungitur rebus alterius per humanum laborem, vel industriam, ut in ornatione, in ædificatione, implantatione, scriptione, pictura, &c. Pro quibus sit

Regula Generalis.

QUando res unius conjungitur rei alterius, totum ex utroque compositum spectat ad dominium illius, cujus est id, quod est magis principale in toto. *L.* cum aurum 19. 225
§. perveniamus 13. *ff. de auro, & argento.* Ratio est, quia *accessorium sequi congruit naturam principalis*. Reg.28. in 6. Intellige tamen semel pro semper, cum obligatione reddendi domino æstimationem rei suæ, non tantum mala, sed etiam bona fide usurpatæ ante tempus legitimæ præscriptionis. Jam breviter percurramus exempla.

§. *Ornatus, vel quid simile.*

QUando rem alienam ornatus causa adjungis tuæ, v. g. alienam purpuram, vel telam pretiosam consuis cum tua veste: vel gemmam alienam inseris tuo aureo annulo, totum exinde compositum esse tuum quidem, ut colligitur ex lege citata. Verum ita distinguendum est: quando alienam rem, v. g. purpuram ita rei, vel vesti tuæ adjunxisti, vel potius intexuisti, ut separari non possit, salva rei substantia, nec ad priorem statum reduci, & maxime si lana tantum aliena fuerit intexta cum tuis, omnino verum est, totam vestem esse tuam: quod forte significare volens Justinianus §. *quod si partim. Instit. de rerum divisione* iis verbis usus: *Si tamen alienam purpuram vestimento suo quis intexerit*, licet pretiosior sit purpura, accessionis tamen jure, vestimento cedere, & fieri tuam: at vero, quando res aliena ita tuæ adjuncta est, ut discerni, & separari, atque ad priorem statum integrum reduci possit; idque saltem sine destructione rei tuæ, ut si alienam telam sericam integram vesti tuæ consuisti: si alienam gemmam solidam annulo tuo inclusisti; tunc omnis æquitas requirit, ut pars illa adjuncta maneat sui domini: cum enim partis illius dominium dominus nunquam amiserit, & ex alia parte discerni, & separari possit, cur non sit separanda, & domino restituenda? Ita cum aliis Lugo *disp.6.sect.13.n.160.* Laym. *c.5.n.21.* oppositum significans. Fatetur tamen succurri domino concessa illa actione ad exhibendum annulum, ut excludatur gemma: addens aliam esse rationem de ligno alieno tuis edibus immisso, quod eximi non debet, ne publicus ædificiorum deformetur aspectus, ut expresse habetur §. *Cum in suo instit. de rerum divisione &c.* vide Laym. *c. n.21.* 226

II. Pictura, Scriptura.

SI quis in aliena tabula, vel tela pinxerit; tabula picturæ cedit. Quia quod minus principale est, sequi debet id, quod est principalius: pictura autem plerumque res pretiosior est, quam tabula; tuum ergo erit totum cum obligatione restituendi domino pretium tabulæ, vel telæ &c. Quod si vero pictura esset vilior, quam tabula valde pretiosa, presertim argentea, naturali æquitate, ob oppositam rationem, pictura in accessionem tabulæ veniet, & tabula ad dominum spectabit, soluto tamen tibi pretio picturæ, si bona fide usus es, vel pinxisti; alias nihil. Similiter si picturam cuicumque rei, quamvis viliori adjeceris ornandi causa; ut si super alterius mensa Herculem depinxeris, pictura mensæ cedet: quia ejus gratia facta est, ut ornatior fiat. Et sic de similibus. *Laym. cit.* 227

Scripturæ vero, seu litteræ, etsi aureæ sint, chartis, vel membranis cedunt &c. Unde si in charta, vel membrana Titii historiam scribas, ejus operis Titius Dominus fiet, impensas tamen scripturæ tibi solvere debet, si bona fide ejus re usus sis. Sic expresse §. *littera instit. de rerum divisione*, alibi in Jure. Verumtamen quia hodie chartæ vili pretio sunt, ideo existimandum est, eas cedere scripturæ, quæ pluris æstimatur: neque enim scripturam chartæ ornandæ causa adhibemus, sed utimur tamquam subjecto scripturæ gratia; is tamen, qui in aliena charta, vel membrana scripsit, ejus pretium solvere debet, ut nimis clarum est. 228

III. Inædificatio.

SI quis in suo fundo ex aliena re ædificaverit, is dominus fit ædificii: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit tamquam principali. Verumtamen diruto ædificio, materiæ dominus eam vindicare poterit, nisi antea ipsi pro materia satisfactum sit. *L. adeo §. cum in suo ff. de acquir. rerum dom.* E contra vero, si quis in alieno solo sua materia ædificaverit, alterius erit ædificium, cujus solum est: & quidem si ædificans scivit, solum esse alienum, nil pro opera sua repetere poterit in foro externo, etiamsi domus diruatur: quia aut donasse, aut temere ædificasse censetur. Excepto tamen, si ea re negotium absentis domini utiliter gessisset. Si autem bona fide ignoravit solum esse alterius, ipsa fides, vel æquitas non patitur, ut fundi dominus cum alterius ædificantis detrimento locupletetur: quare pretium materiæ, & operarum solvere tenetur. *L. adeo ff. de acquir. rer. dom.* 229

IV. *Implantatio*.

230 SIcut ædificia solo cedunt, ita multo magis arbores, & plantæ; cum non tantum a terra sustententur, verum etiam vitam, alimentum, & incrementum trahant. Resolvendum ergo breviter.

231 I. Si quis alienam plantam in suo fundo posuerit, eaque radices egerit, ipsius est planta, cujus & solum est. E contrario, si quis suam plantam in Titii solum transtulit, posteaque ea radices egerit, ad Titium Dominum spectabit. §. *Si Titium, instit. de rerum divis.* æstimationem tamen plantæ, atque impensi laboris mercedem repetere potest. Similiter, qui in alieno agro v.g. arbores, vel frumentum sevit, præsertim si bona fide factum. *L. Qua ratione ff. de acquirendo rerum dominio*.

232 II. Si arbor in confinio posita in duorum dominorum fundo radices egerit, æqualiter communis erit ambobus, citata *L. adeo §. fin.* adeoque fructus decerpendi, æqualiter dividendi; sponte vero decidentes in fundum, erunt domini fundi. Quod idem dicendum, si arbor, etsi tota in tuo fundo radicata, ramos tamen in alterius fundum protendat, & fructum excutiat, prout communi more observatur.

233 III. Si arbor in unius fundo posita, in alterius fundum vicinum tantum aliquas radices inserat, ramosque protendat, ejus erit arbor, in cujus fundo origo est; sed alter, si pendentes rami arboris alienæ horto suo, aut ædibus officiant, denuntiare poterit, ut succidantur: si dominus arboris neglexit, ipsemet damnum patiens totam succidere, & ligna tollere non prohibetur. *L. 1. ff. de arboribus cædendis*.

234 IV. Si dubitetur, utrum arbor, vel planta radices egerit, nec ne; item, utrum fundo vicino nocumentum afferat, standum erit arbitrio rusticorum, quippe qui in genere agriculturæ præ aliis peritiam habere censentur. Ita sumitur ex *L. septima. ff. de statu hominum*. Hæc ex Laym. *cit. l. 3. cap. 5. a num. 21.* quem vide.

§. III. *Per Confusionem*.

235 COnfusio rerum dicitur, qua corpora distincta ita conjunguntur, ut in unum omnino coeant, vel novam speciem pariant: seu quando res mea & tua ita confunduntur, ut nulla pars possit assignari, quæ non sit utriusque, & mea & tua, vel non mea, aut non tua: ut si vinum meum cum tuo vino misceatur in tuo dolio: ex meo frumento, & tuis lupulis coquatur cerevisia: ex meo vino, & tuo melle, vel saccaro fiat mulsum: ex meo ære, & tuo argento fiat æs corinthium, ex auro meo, & argento tuo electrum: ex meis, & tuis lanis holosericum: ex tuo, & meo serico texatur vestis: ex meis, & tuis medicamentis emplastrum &c. sicut in his, & similibus nulla pars assignari potest, quæ non sit vinum, cerevisia, mulsum &c. sic nulla potest assignari pars, quæ non spectet ad utrumque dominum, te & me. Pro hujusmodi ergo rerum confusione notentur breves hæ

Regulæ.

236 I. QUando duorum dominorum materiæ utriusque consensu, vel utroque inscio, aut casu confusæ fuerunt, totum corpus, vel conflatum ipsis commune efficitur. *L. adeo ff. si voluntas*, & *inst. de rer. div. §. si duorum*. Ratio est: quia consensus reciprocus, vel casus utrique accidens, ita videtur præstare: quare totum illud pro rata parte inter utrumque dividendum erit; & in dubio ad Judicem pertinebit dividere: prout in simili dicetur §. *seq.*

237 II. Si uno solo volente, nesciente, vel nolente altero, materia utriusque confusa est, dominium totius conflati ad illum pertinebit, qui & operam, & majorem, vel saltem notabilem partem materiæ apposuit. Hoc, etsi Leges non expresserint, attamen ex æquitate naturali docent DD. apud Tamb. *l. 8. tr. 3. c. 3. Dec. §. 4. n. 11.* Ratio sæpius indicata est: quia *accessorium sequitur principale*: principalius autem est opera tua & simul major vel notabilis, scilicet æqualis, vel quasi æqualis pars materiæ a te apposita, quam sola pars minor materiæ alienæ: ergo erit tuum totum conflatum, v.g. cerevisia decocta ex tota propria polenta, & solo lupulo alieno &c. attamen semper cum obligatione, æstimationem partis materiæ alienæ reddendi ejus domino. Contra vero

238 III. Si tua opera partem longe minorem, & non notabilem apposuisti, v.g. modicum mellis, vel saccari cum magno dolio vini alieni: vel lupulum cum alieno tritico coquendæ cerevisiæ: modicam purpuram cum multa tela aliena ad consuendam vestem &c. nec vinum, nec cerevisia, nec vestis erit tua (Ac apud Tamb. *cit. n. 12.* a simili declarans ait: eo modo, quo minus parva aqua benedicta non reddit benedictam magnam aquæ quantitatem) ob oppositam rationem: quia tunc tua pars erit accessoria, aliena vero principalis; ideoque alterius erit totum cum obligatione reddendi tibi exiguam partem, si bona fide processisti: nam si mala fide, nil tibi debebitur, & merito nil habebis. ¶ Confusioni rerum

239 affinis est specificatio, seu formatio speciei, ut vocant Juristæ: quando scilicet nova species rei formatur, vel efficitur ex re aliena. Pro qua ex Jurisconsulto Gajo apud Laym. *cap. 5. nu. 21.* ponitur hæc

IV. *Regula*: Si quis ex materia aliena speciem formavit, & hæc species ad priorem materiam reverti possit, pertinebit ad Dominum materiæ. v.g. Ex tuo argento a me formatus est scyphus, tuus est cum obligatione solvendi mihi pretium operæ, si bona fide feci. Si vero ad priorem materiam reverti non possit, pertinebit ad eum, qui formavit, cum simili obligatione solvendi æstimationem materiæ, v.g. qui ex aliena lana vestem, ex alieno corio calceos confecit, sibi acquirit cum dicta obligatione, dummodo bona fide alienam materiam adhibuerit, existimans esse suam: si enim mala fide egit, res ipsa a domino vindicari poterit. At, quid si ex alienis uvis vinum, ex olivis oleum conficias, etiamne acquires tibi vinum, & oleum? Quidquid sit de Jure civili ita significante, certe jure & æquitate naturali omnino videtur dicendum oppositum cum *Castro-Pal.* apud Tamb. *c. n. 14.* ubi ait, si ex uvis alienis exprimas mustum, sine dubio hoc erit domini uvarum, & solum si bona fide expressisti, dabuntur tibi expensæ: nam si mala fide, nihil. *Hæc ille*. Eadem est ratio de oleo ex olivis alienis, alia autem patenter est ratio de veste contexta ex aliena lana, calceis ex alieno corio &c. ut consideranti patet. 240

§. IV. *Per Commixtionem*.

I. Generatim.

COmmixtio proprie, ut distincta a confusione, dicitur, quando plures res corporales ita conjunguntur, non tamen faciunt quid continuum, sed separatim manent quoad substantiam, sic, ut possit assignari, quæ pars sit mea, quæque tua, licet a me dignosci tam facile nequeant, ut quando meum frumentum cum tuo frumento commixtum est, quodlibet granum meum manet distinctum a tuo grano, hoc est, hoc granum, vel est ex tuo, vel meo frumento, & non potest esse utriusque, licet a nobis propter admixtionem factam non cognoscatur (Vides longe aliud esse in confusione, v. g. mei vini cum tuo melle &c. non potes enim accipere ullam guttulam, quæ sit solum vinum, & mea: vel solum mel, & tua) atque sic commisceri possunt pecuniæ, oves, aliaque pecora non signata &c. 241

Pro his, Justinianus *inst. de rer. divis. §. quod si frumentum*: ponit hanc regulam. Quando frumenta duorum ex utriusque voluntate misceantur, communem fieri utriusque cumulum; quia ex consensu utriusque singula utique communicata sunt. Si vero casu mixtio facta sit, vel certe absque utriusque consensu, non fieri cumulum communem, sed si ab alterutro tantum id frumentum detineatur, competere alteri actionem in rem pro modo cujusque frumenti. Judicem autem arbitrari debere, quale cujusque frumentum fuerit, ut videat, quid singulis ex illo cumulo debeatur. Sic in re *Justinianus*. Quod ultimum difficultate non caret. Nam contrarium de pecunia manifeste statuitur. *L. si alieni nummi, 20. ff. de solutionibus*. his verbis. *Si alieni nummi inscio, vel invito domino, soluti sunt, manent ejus, cujus fuerunt. Si mixti essent, ita, ut discerni non possint, ejus fieri, qui accepit, in libris Gaii scriptum est, ita ut actio domino cum eo, qui dedisset, furti competeret*. Hæc ibi. Ubi determinatur, alienam pecuniam, quam quis tibi in debiti solutionem dedit, non fieri tuam; donec tuis nummis admixta discerni nequeat, & tunc fieri tuam. Quod in simili de frumento expresse negare videtur *Justinianus*. 242

Glossa citata *in L. si alieni* ait, illud esse speciale de pecunia, quod per admixtionem transeat in alterius dominium, licet alia mixtilia non transeant. Sed hujus differentiæ nullam tradit rationem, nec apparet, quæ ratio reddi possit stando in Jure naturali, prout stare debebat Glossator communiter c. quia auctoritatem non habet condendi, sed tantum explicandi Jus. Itaque ea Glossa insuper habita in re valde intricata, pono distinctas, clarasque regulas ex *Lugo* & *Tamb. l. c.* Supponendo tamen semel pro semper commixtionem rei tuæ, & alienæ ita factam esse, ut amplius discerni nequeat; si enim adhuc discerni possit v.g. tua pecunia, & aliena, iterum certum est, non transferri dominium, sed rem alienam manere sui domini: res enim manens distincta, & separabilis, semper sui domini est, prout in simili dixi §. *præced*. 243

REGULÆ.

I. QUando duorum dominorum res de utriusque consensu commixtæ sunt, cumulus manet utrique communis prout dixit *Justinianus*. Est certum apud *omnes*. Eoque casu eadem est ratio de commixtione, & confusione; hæc enim semper censetur esse intentio eorum, dum miscere, vel confundere res suas volunt, facere aliquod totum: atque ideo etiam dominium istius totius commixti acervi fit utrique commune. Quod si vero non utriusque consensu, sed vel casu, vel uno solum volente, commixtio facta sit, distinguendum est. Vel enim admiscetur res tua alienæ majoris quantitatis, vel æqualis, & quasi æqualis, aut minoris, vel non notabilis quantitatis: Si res tua, v.g. pecunia, frumentum &c. minor sit, vel non notabilis, v.g. si aliquot aureos magnæ summæ alienæ; si modicam quantitatem frumenti tui alieno pleno horreo; pauculas oves magno gregi alie- 244

alieno adjicias, vel e contra; tunc certum est, nullam fieri dominii translationem, seu casu, seu uno volente commixtio facta sit, ut ex *Molin.* probat Lugo *c. n.166.* Ratio est, quia tunc censetur, nullam factan. esse commixtionem; nam parum pro nihilo reputatur; manebit ergo dominium talis cumuli penes eum, cujus erat antea major, vel maxima pars cum obligatione reddendi tibi tuam partem minorem.

245 II. Quando duorum Dominorum res casu commixtæ sunt in quacumque unius, vel alterius quantitate, nulla fit translatio dominii, sed singulis competit actio in rem, arbitrio Judicis discernenda. *Ita Justinianus l.c.* Quia neutro domino sciente, & consentiente in casu facta commixtione, implicat fieri translationem dominii ab uno in alterum: ergo dominium cujusque partis commixtæ manebit suo domino. (Hic vides, aliam esse rationem de commixtione rerum, quæ separari possunt quoad substantiam, quam supra de confusione rerum, quæ separari amplius, immo ne discerni per Judicem quidem possunt.) Quod si vero uno consentiente, volente, vel ipsomet miscente commixtio facta sit, iterum necessario distinguendum est. Vel enim miscens habet expressam voluntatem, aut implicitam acquirendi sibi admixtam partem, ac totum cumulum; vel habet contrariam, & præsumptam voluntatem non acquirendi, vel etiam negative se habens, talem voluntatem nec includit, nec excludit juxta hanc distinctionem pono alias duas Regulas.

246 III. *Regula* 1. Qui rem alienam quamcumque admiscuit suæ in quacumque quantitate habens præsumptam, & expressam voluntatem non acquirendi dominium partis admixtæ, non acquirit dominium totius cumuli, sed pars admixta remanebit sub dominio sui pristini domini; esto, quia non dignoscuntur, quæ partes sint tuæ, vel alterius, indigeat is Judice, vel arbitro ad dandum singulis ex illo cumulo, quod eis pro rata competit. *Sic Justinianus.* Nec contradicit Lex *si alieni.* Quia loquitur in casu Regulæ sequentis. *Ratio* iterum est, quia dominium rei de novo non acquiritur sine acceptatione, & voluntate: at nunc supponitur, te non habere voluntatem, seu animum acquirendi, immo habere contrariam expressam, vel debite præsumptam voluntatem non acquirendi. Qui enim frumentum ab amico depositum custodiæ causa misceret in eodem horreo cum suo ejusdem qualitatis, ut sic rectius conservetur, utique non præsumeretur velle acquirere ejus dominium &c. Sic Religiosus etiam frumentum, vel pecuniam ab amico datam in custodiam, miscens cum suo, vel Conventus simili frumento, vel pecunia, non peccat contra votum Paupertatis, quasi acquirendo sibi dominium istius partis admixtæ; non enim habet, nec præsumitur rationabiliter habere voluntatem acquirendi sibi dominium partis admixtæ, ac totius cumuli; quippe illam admixtionem faciens solum custodiæ causa. Quod si autem haberet Religiosus talem animum acquirendi sibi dominium novæ partis, utique peccaret contra votum; quod etiam dicendum de confusione, in qua, quia major pars necessario trahit ad se dominium minoris partis confusæ, liquidum est, Religiosum sine consensu Prælati non posse confundere res alienas cum rebus suis, vel Monasterii sine violatione paupertatis.

247 IV. *Regula* 2. Qui rem alienam, seu pecuniam, seu frumentum, seu quidvis mixtile aliud miscuit rei suæ majoris quantitatis, habens expressam, vel implicitam saltem voluntatem acquirendi sibi dominium totius cumuli, re ipsa acquirit dominium totius cumuli: si nimirum partes commixtæ amplius discerni nequeant, prout semper supponitur. Ita habetur expresse de pecunia cit. *L. si alieni nummi.* Qui enim pecuniam alienam etiam furtivam solutionis causa acceptam commiscuit suæ, ita ut amplius discerni nequeat, utique supponitur, eum habere voluntatem ejus sibi dominium acquirendi: eadem autem est ratio de pecunia, & quacumque alia re mixtili, quidquid sine ratione dicat Glossa ibidem: & universalius *L. idem Pomponius, ff. de rei vindicat.* Nec repugnat *Justin. l.c.* Non enim negat, per admixtionem talem non acquiri dominium frumenti, sicut & pecuniæ, sed solum dicit non fieri communem cumulum, nisi fiat mixtio de consensu utriusque. Sive ergo acquirat, sive non acquirat dominium totius cumuli, semper alteri invito, vel ignaro mixtionis factæ, dabitur actio apud Judicem, ut ejus arbitratu sibi satisfiat, ut dictum est. *Ratio* autem Regulæ est, quia ex una parte jam habes voluntatem acquirendi dominium, & ex alia parte ea commixtione æquivalenter idem facis, ac pecuniam jam expenderis, vel consumpseris frumentum, & consequenter dominium in te transfers, cum obligatione tamen restituendi æquivalens; qualem obligationem contrahis, si rem talem absumpseris. Insuper si voluntatem acquirendi non includas quidem, sed neque excludas, dominium adhuc totius acquiris, ut notat Tamb. *cit.* §.4. *n.*18. Quia licet positivam voluntatem acquirendi expressam non habeas, habes tamen implicitam: cum miscendo perinde te habeas, aut geras, ac si consumeres, ut dictum est. Denique si eo casu partes commixtæ omnibus expensis sint æquales, vel quasi æquales, nec una alia principalior, & separari possint, utique retento utrinque dominio, ex æquo dividendæ erunt.

II. Specialiter.

Quoad eamdem commixtionem, vel confusionem rei alienæ furtivæ, in ordine ad restitutionem.

I. Regula 1. *communis.* Quicumque rem alienam quamcumque, pecuniam, frumentum &c. inscio, vel invito domino, aut ipse furatus est, aut a fure accepit, immediate, mediate, seu bona, seu mala fide, seu lucrativo, seu non lucrativo titulo, sive ante, sive post commixtionem cum rebus suis: quamdiu res aliena in individuo existens dignosci, vel discerni potest (cum sic non acquiratur ejus dominium juxta dicta) quamprimum cognoscitur esse aliena, seu alterius domini, statim ipsa in individuo restituenda est domino. *Omnes.* Unde sive mala, sive bona fide acceperis a fure furtivam pecuniam, frumentum, vel quodvis mixtile, quamprimum scis, esse alterius, statim domino restituere teneris; sive etiam fur deinde sit potens, sive impotens per se ipsum restituere. *Ratio clara est.* Quia res aliena, quamdiu existit, & discerni potest, manet sui domini: ergo ipsi individuo restituenda est ratione ipsius rei acceptæ (quidquid sit de acceptione justa, vel injusta bonæ, vel malæ fidei) atqui quando ipsa res accepta debetur, nil infert potentia, vel impotentia furis ad restituendum: cum ipsa res accepta, ubicumque inveniatur, domino sit restituenda, cum is habeat jus in re illa, seu actionem realem in ipsam rem. 248

II. *Regula* 2. *communis:* Quicumque rem alienam quamcumque, inscio, vel invito domino sive furatam, sive a fure bona, aut mala fide acceptam, quocumque titulo, rei suæ propriæ, pecuniam pecunia, vinum vino, frumentum frumento &c. (in notabili tamen quantitate, juxta supra dicta) ita commiscuit, ut amplius discerni non possit res aliena a propria, eo ipso acquirit dominium rei alienæ, juxta ibidem dicta. Quia nimirum talis commixtio rei alienæ cum propria, ut amplius dignosci nequeat, censetur moralis consumptio, & consequenter tunc non eadem res in individuo, sed in æquivalenti tantum restituenda erit: diversa tamen ratione a bonæ, vel malæ fidei possessore, juxta Regulas speciales sequentes. Advertit tamen Lessius *lib.2. cap.* 20. *dub.*18. *nu.*156. quod si extet apud me cumulus, in quo tuum frumentum, vel pecunia ita admixta sunt, licet ego per admixtionem factus sim dominus cumuli, tibi tamen relinquitur actio, non solum in meam personam, ut furem, vel malæ fidei possessorem, sed etiam in rem, seu totum cumulum: unde tu præferri debes, & potes accipere ex toto cumulo per compensationem partem tuam. *Ratio est,* quia id videtur consonum Juri naturali, ut si certo scias, ibi esse tuum, possis tuam partem accipere. 249

Hinc ulterius sequitur, si fur pecuniam, vel aliam rem furtivam sic commiscuit cum sua, ut discerni nequeat, & deinde totam illam summam, vel ejus partem tibi seu bona, seu mala fide accipienti, etiam gratuito donavit, tu nil teneberis restituere Domino, saltem si fur potens est aliunde, de bonis suis restituere, tenetur ipse, etsi nolit. *Ratio est.* Quia per illam commixtionem, quæ æquivalet consumptioni, fur factus est Dominus totius cumuli, licet semper manserit obligatus restituere Domino æquivalens: cum igitur acceperis a fure facto domino, non accepisti invito Domino: ergo restituere ex hoc capite nil debes. Dominus autem ille rei ablatæ solum habet actionem contra furem, quem aliunde ex bonis suis supponimus posse restituere. Licet hic iterum probabile sit, quod modo antea ex *Lessio* notatum est. Quod si vero eo casu fur aliunde non sit potens restituere, communis est sententia, te saltem mala fide accipientem debere restituere totum acceptum alienum Domino, quia tunc fur tua causa impotens est, tibi enim, qui accepisti pecuniam, v. gr. quam fur poterat restituere, imputatur illa impotentia, atque adeo tibi remanebit onus supplendi defectum furis. Ita cum aliis Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 23. *num.* 43. Quamvis probabile sit, nullum tibi onus restitutionis remanere, si accepisti solum, & non induxisti mala fide furem ad dandum. Ut ex Molin. censet Tamb. *cit. num.*25. *in fine.* 250

III. *Regula prima specialis.* Qui pecuniam, vel quamvis rem alienam, aut ipse furatus, aut ab alio fure, mala fide acceptam, ita cum propria commiscuit, ut discerni amplius nequeat, ejus quidem cumuli dominium acquirit: attamen obligatus manet totum damnum Domino restituere, scilicet ipsam quantitatem pecuniæ alienæ, & totum interesse lucri cessantis, vel damni inde emergentis Domino: quemadmodum quilibet possessor malæ fidei. Omnes. *Ratio est:* Quia cum illa commixtio sit quasi moralis quædam consumptio rei, ideo perinde teneris restituere Domino totum damnum, ac si eam consumpsisses: sed tunc tenereris Domino restituere totum damnum: ergo & nunc. Sicut enim si alienum vinum admisceas cum melle, vel saccaro proprio, animo acquirendi tibi mulsum confectum: illud enim tibi omnino acquiris, sed restituere debes Domino sui vini valorem, ratione injustæ acceptionis, qua consumpsisti vinum alienum; ita acquiris quidem dominium totius cumuli, in quo pecuniam alienam mala fide commiscuisti tuæ, sed teneris ad restituendum Domino damnum ratione injustæ acceptionis, seu iniquę actionis, 251

nis, qua consumpsisti moraliter alienam pecuniam immiscendo propriæ. Et sic de aliis rebus mixtilibus.

252 IV. *Regula 2. Specialis*. Qui pecuniam, vel rem alienam furtivam bona fide acceptam, & possessam commiscuit cum sua, ut discerni amplius non possit, & dominium totius cumuli acquirit, & nil tenetur restituere Domino, nisi in quantum inde ditior factus est: sicuti quilibet possessor bonæ fidei. Certum apud omnes. Ratio statim patebit.

253 Hinc 1. Si pecuniam furtivam accepisti bona fide, in solutionem alicujus debiti, v. g. ut pretium pro merce vendita &c. & sic bona fide cum tua pecunia commiscuisti, postea comparente domino, ad nil teneris: non enim ratione injustæ acceptionis, cum bona fide acceperis: neque ratione rei acceptæ, quia res accepta jam per admixtionem moraliter consumpta est, & perinde se habet, ac si expendisses, nec denique teneris, quantum factus es ditior, cum eo casu nil prorsus acquisieris lucri, sed habeas, quod tibi alias debebatur. Et de hoc casu loquitur sæpe dicta Lex: *Si alieni nummi ff. de solutionibus*.

254 2. Si vero pecuniam furtivam bona fide accepisti gratis: vel lucrative, utpote ex donatione, legato &c. & ita commisceas cum tua, jam teneberis domino restituere in æquivalente, quia ex pecunia aliena factus es ditior, cum pecunia aliena adhuc extet commixta cum tua, cumulo auctiore.

255 3. Idipsum dicendum, si pecuniam istam distraxisti modo lucrativo, v.g. emendo equum, vel alias merces, quas alias tua pecunia emisses: jam enim ratione alienæ pecuniæ parcens propriæ, factus es locupletior; ideoque veritate cognita, ejus valorem restituere teneberis: secus, si expendisti illam totam pecuniam sine lucro, v.g. gratis donando, vel ad usum expendendo, quod alias non fecisses.

256 4. Si vero partem solum pecuniæ ex illo cumulo, in quo aliena admixta est, expendisti, sine tuo lucro, vel commodo, tunc videndum, an occasione illius augmenti pecuniam donaveris, v. g. alias non donaturus: & tunc rursus ad nil teneberis, quia in nullo factus es ditior: an vero non occasione illius augmenti, sed alias etiam certo donasses, v.gr. ex propria pecunia præhabita, & tunc iterum teneberis domino restituere quantitatem pecuniæ alienæ, quia tunc occasione pecuniæ furtivæ, parcens propriæ factus es locupletior nunc, quam fuisses, si pecuniam furtivam non habuisses, ut consideranti patet, & latius in materia de restitutione suo loco *tract.4. cap.2. sect.3.* dictum.

257 At quid si cumulus ille, in quo pecuniam, v.g. alienam furtivam cum propria pecunia majori admiscuisti bona fide, in toto, vel in parte tibi pereat, aut furto auferatur, v.g. Si ex cumulo tuo, in quo 20. aureos furtivos bona fide acceptos, miscuisti cum propriis 100. aureis, fur auferat 40. aureos: teneberisne tunc restituere domino ex iis, qui restant, totos 20. aureos, an poteris inter te, & dominum dividere damnum restituendo tantum partem, aut omnino nil reddere? Resp. *cum distin.* Si furtum fiat ex cumulo, in quo sciens miscuisti aureos alienos non animo acquirendi dominium, sed mere custodiendi causa, sicut etiam faceret Religiosus: aut si commixtio facta sit consensu utriusque domini, sicque cumulus utrique communis factus sit: tunc damnum quoque furti erit commune utrique: teneberis ergo restituere secundum proportionem aliquam partem scilicet 13. aureos, & unum florenum. Quod si vero commiscendo solum acquisivisti dominium totius cumuli, damnum totum erit tuum: nam omnis res, quæ perit, suo domino perit, & consequenter totum restituere teneberis; omnes scilicet 20. ablatos ex reliquo cumulo. Nota autem, nos supponere, furem ex illo cumulo æque ablaturum fuisse 40. aureos; etsi solos tuos 100. invenisset; ideoque occasione pecuniæ alienæ adhuc manes ditior, retinens scilicet 20. alias a fure certo auferendos. Secus esset, si fur occasione illius augmenti factus audacior, ideo abstulit 40. aureos, alias si tuos 100. tantum invenisset, non ablaturus, nisi v.g. 20. tunc poteris eam partem ex 20. alienis detrahere, quam ille furatus non fuisset, si solos 100. tuos invenisset, quia secundum illam partem non fies locupletior. Vide Lugo *disp.6. sect.13. a n.173.* Quod si denique totus ille cumulus pereat, vel fur tibi auferat, certum est, ad nihil te teneri: non enim ratione injustæ acceptionis, ut supponimus, non ratione rei acceptæ, quia jam periit, non quia ditior factus es; nil enim habes amplius. Secus omnia sunt de possessore malæ fidei: hic enim semper tenetur compensare totum damnum illatum, quocumque res furtiva tandem devenerit. Jam de acquisitione rerum per contractum.

CAPUT II.

De contractibus in Genere.

1 DOminium rerum denique post factam divisionem rerum, modo communissimo transfertur, & acquiritur per contractum, seu legitimum paciscentium consensum, tamquam per titulum secuta traditione, juxta dicta *c. præc. sect.3.* §.4. Certum est apud omnes. Ratio optime a Scoto *in 4. d.15. q.2. n.* 11. tradita est, quia Dominus alicujus rei non prohibitus a lege, vel Superiore, potest donare rem suam alii volenti recipere, quia ex quo per actum voluntatis suæ fuit Dominus, per similem voluntatis actum potest cessare esse Dominus, & alius volens accipere, incipere esse dominus: ergo per donationem istam fit vere, & juste translatio dominii: idemque est de cæteris contractibus transferentibus dominium rei, seu plenum, ut emptione, venditione, mutuo &c. seu utile tantum, ut usufructu, usu rei, vel emphyteusi, feudo. Unde patet, contractum ex parte dantis esse effectum, immo actum dominii in Domino priore, ex parte vero acceptantis, est causa dominii, & titulus: posito enim contractu, v.g. donatione ab uno facta, & ab altero acceptata, alter jam comparat titulum dominii, seu jus ad rem, secuta autem traditione ac apprehensione rei, comparat ipsum actualiter dominium ac jus in re, ut jam supra loc. cit. explicatum est.

Porro omnis contractus transferens dominium, debet necessario exprimi signis externis: nam præterquam quod contractus fiat inter duos, vel plures paciscentes (soli enim internis actibus homines in hoc statu communicare non possunt) per solum actum internum non potest transferri dominium, ut ex communi bene probat Molin. *disp.266.* Esto enim sola voluntate interna amittatur possessio, ac dominium rei, ut jura indicant, non tamen solo actu interno potest quis in alterum transferre dominium. Ratio disparitatis est, quia ad amittendum dominium, vel possessionem, nil requiritur, præter liberam voluntatem non retinendi rem pro sua: ad transferendum autem dominium in alterum requiritur præter liberam voluntatem non retinendi rem pro sua, consensus alterius, & acceptatio: alter autem non potest consentire, & acceptare dominium rei a pristino domino, nisi is rem alteri dare velle aliquo signo externo manifestet, non enim alter potest intueri cor alterius. 2

Nunc ergo consequenter, & operose sane agendum de contractibus, eorumque valore in ordine ad transferendum dominium, ac e contra, de eorum invaliditate in ordine ad restitutionem in genere, & in specie per distincta Capita subsequentia. 3

SECTIO I.

De Natura, Divisione, & valore contractuum in Genere.

SUMMARIUM.

5 *Contractus tripliciter sumitur.*
6 *Ejus definitio, & obligatio, naturalis, & civilis &c.*
7 *Pactum nudum, & vestitum quid, & qualiter vestiantur.*
8 *Qualiter contractus perficiantur.*
9 *Contractus nominati, & innominati.*
10 *Contractus gratuitus, & onerosus.*
11 & 12 *Contractus bonæ fidei, & stricti Juris.*
13 *Promissio pura absoluta statim obligat.*
14 *Non ita promissio ad diem, vel certum tempus.*
15 *Etiam promissio facta ad diem incertum obligationem suspensam parit.*
16 *De promissione sub conditione possibili, & honesta.*
17 *De promissione sub modo possibili, & honesto.*
18 *De promissione sub conditione impossibili, vel inhonesta.*
19 *De promissione sub modo impossibili, vel inhonesto.*
20 *Contractus validi requisita generatim.*

ASSERTIO I.

COntractus est pactum, vel conventio duorum inter se, ex quo utrinque, vel ex altera tantum parte nascitur obligatio. Dividitur recte in nudum, & vestitum, consensu, voce, scriptura, reipsa perficiendum. In nominatum, & innominatum. In bonæ fidei, & stricti juris. In onerosum, & gratuitum. In absolutum, & qualificatum. Omnia certa apud omnes. Quare breviter explico. 4

§.I. *Contractus est pactum, vel conventio duorum inter se.*

COntractus in Jure apud DD. tripliciter potissimum accipitur. I. Contractus late accipitur pro quocumque pacto, vel conventione aliquorum inter se in dando, vel agendo, sive exinde oriatur aliqua obligatio, sive non. Pactum enim generatim definitur L.1.ff. de pactis: *Duorum, vel plurium in idem placitum consensus.* Et L.3. ff. de pollicitationibus *Pactum est duorum conventio*, scilicet ad aliquid agendum, vel non agendum. II. Contractus stricte, & proprie apud Juristas accipitur pro tali tantum pacto, vel specie, vel conventione aliquorum interesse, ex qua utrinque enascitur obligatio, ut comprehendat solum contractus onerosos, & definitur L. Labeo 19. ff. de verb. significatione: *ultro, citroque obligatio.* Ubi *obligatio* sumitur causaliter, contractus enim non est ipsa obligatio, sed causa obligationis. III. Contractus medio, & communi modo accipitur pro pacto, vel conventione aliquorum inter se, ex qua oritur aliqua obligatio, *saltem ex parte*, ut comprehendat contractus, & gratuitos, & onerosos: qua ratione donatio incipiens a promissione, & quæcumque promissio ab altero acceptata, dicitur contractus, quia inde nascitur obligatio ex parte promittentis, licet nulla ex parte acceptantis. Et hoc medio modo communissime accipitur & a nobis. 5

Definitur: *Contractus est pactum, vel conventio duorum, vel plu-* 6

plurium inter se, ex quo utrinque, vel ex altera tantum parte nascitur obligatio. Terminis jam patentibus. Omnis ergo contractus validi, & legitimi effectus immediatus est obligatio contrahentis ad aliquid faciendum, aut non faciendum: eaque vel naturalis tantum in foro conscientiæ, vel civilis in foro externo. Obligatio generatim definitur inst. de oblig. princ. *Est vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, vel faciendæ*: cui obligationi ex altera parte contrahentis respondet actio, seu jus petendi rem tamquam debitam, etiam in Judicio. Unde duplex est obligatio ex contractu: *naturalis*, ac in foro conscientiæ, & *civilis* in foro externo. *Obligatio naturalis tantum* dicitur, quæ oritur ex natura rei, atque in foro conscientiæ tenet: etsi non foveatur Jure civili, quod de tali contractu non concedit actionem in Judicio. Qualis est obligatio promissionum simplicium, & pactorum nudorum, de quibus mox. Item talis est obligatio restituendi ejus, qui vendit rem ultra justum pretium, non tamen ultra dimidium justi, tenetur enim in conscientia ex Justitia restituere excessum pretii, ne tamen lites multiplicentur, in neutro foro externo conceditur adversus eum actio. *Obligatio naturalis, & civilis simul* dicitur, quæ & oritur ex natura rei, & insuper fovetur in Jure civili concedente actionem in Judicio adversus obligatum: qualis est obligatio pactorum vestitorum, de quibus statim. Item sic obligatur restituere, qui vendit rem ultra dimidium justi pretii a lege, vel Judice statuti: dantur enim obligationes civiles tantum, non in interno conscientiæ, sed externo tantum foro obligantes, & inductæ scilicet a Jure ex præsumptionibus tantum: quales sunt leges noxales pro damno dato a tuo servo, vel animali. Item sic adjens hæreditatem non confecto inventario, tenetur solvere debita, etiam ultra vires hæreditatis. Et hæc spectant ad Juristas. Tanta porro est obligatio pacti, vel contractus, quanta est promissio inclusa in omni pacto, vel contractu: est enim promissio pars inchoativa contractus, perficienda per alterius partis acceptationem, vel etiam promissionem reciprocam, re ipsa enim contractus nil aliud est, quam promissio unius acceptata ab altero cum, vel sine reciproca promissione ad obligationem. De qua promissione, ejusque valore, & obligatione mox late *sect. seq.* Nunc termini divisionis explicandi sunt. Primæ divisionis termini jam explicati sunt.

§. II. *Pactum nudum, & vestitum.*

7 Contractus late sumptus, seu pactum 1. dividitur in *nudum, & vestitum*. Pactum *nudum* dicitur conventio simplex: cujus obligatio naturalis civili Jure confirmata non est, ut in foro externo actionem pariat, etsi pariat exceptionem, ut sunt omnes contractus innominati, mox enumerandi, & promissiones de futuro, seu contractuum per traditionem perficiendorum, v.g. promisisti alicui 100. aureos te mutuo daturum; est pactum nudum, ac naturalem obligationem quidem in foro conscientiæ inducit, quam obligationem jus civile, etsi non tollat, nec impediat, tamen ad vitandam litium, & actionum civilium multiplicationem, etiam non confirmat: nec propter eam actionem concedit: idest, non vult, ut Judex ad ejus executionem obligatum compellat, nihilominus ex ea beneficium exceptionis contra actorem tribuit: utpote, si Titius, cui promisisti 100. aureos mutuo dare, aliunde tibi debeat aliquid, & tu in Judicio repetas, Titius te exceptione promissionis mutui repellere potest ob remanentem obligationem naturalem de jure civili, quæ extincta, vel impedita est, sed aliquos effectus retinet. *Pactum vestitum* dicitur, quod obligationem simul naturalem, & civilem inducit: seu cujus naturalis obligatio etiam civili jure confirmata est, ut ob eam actio in Judicio concedatur, atque ad ejus executionem Judex obligatum compellere debeat. Vestiuntur autem pacta sex modis. 1. Ex natura sua specifica vestiuntur pacta quædam, seu vestita censentur, quæ perficiuntur solo consensu, ut *emptio, venditio, locatio, sponsalia*. 2. Vestiuntur verbis, seu stipulatione certa verborum forma concepta, quod olim fiebat per interrogationem, & responsionem: unde & *verborum obligatio* dicebatur: *instit. & ff. de verb. obligat.* Hodie tamen pacta ad inducendam obligationem civilem vere vestiri, ac confirmari solent scriptura privata, vel publica. 3. Vestiuntur pacta, vel contractus per traditionem perficiendi, per ipsam traditionem, seu adimpletionem ex altera parte; v.gr. convenisti cum Titio dare illi 10. oves pro uno bove. Jure civili ante traditionem uterque resilire potest, etiam invito altero: postquam vero tu Titio 10. oves tradidisti, jam pactum vestitum, & similiter confirmatum est, ut competat tibi erga illum actio civilis, cum compellatur ad tradendum bovem tibi promissum. 4. Vestiuntur pacta adjectione ad aliud pactum Jure civili confirmatum, v.gr. vendidisti Titio ædes certo pretio, sed incontinenti adjecisti pactum, ut certo tempore te inquilinum ha[illegible]: hoc pactum de se, & seorsim sumptum nudum est: at hac adjectione ad venditionem tamquam pactum vestitum confirmatur, ut actionem pariat, quia accessorium sequitur naturam principalis. 5. Vestiuntur pacta legis auxilio; sic conceditur actio ex simplici obligatione, postquam acceptata est. 6. Denique vestiuntur, & civili obligatione confirmantur contractus, Juramento addito, secundum communiorem sententiam apud Laym. *hic lib. 3. tr. 4. cap. 2. num. 2.*

§. III. *Contractus consensu, verbis, scriptura, re ipsa perficiendi.*

Quamvis contractus omnis necessario requirat consensum, & verba, seu signa quædam externa ejus consensus manifestativa, cum hominibus cogitationes non pateant, certe tamen alii dicuntur perfici solo consensu, alii verbis, alii scriptura, alii re ipsa, seu traditione. 1. Solo consensu invicem explicato, quibuscumque signis absque requisita certa verborum forma, perficiuntur emptio, venditio, &c. ideo natura sua statim vestiti, ac jure civili confirmati sunt, quamprimum enim emptor, vel venditor de mercede, & pretio convenerunt, ratus est contractus in utroque foro, ut obligatio, & actio Jure civili utrinque concedatur, ideoque jam retulimus inter pacta vestita. 2. Verbis, certa verborum forma, scilicet interrogatione unius, & responsione alterius perficiuntur stipulatio v.g. *promittis hoc? promitto* (Ubi interrogans dicitur stipulator, & respondens promissor) & acceptilatio, v.g. *quod ego tibi stipulatus promisi, vel debeo, habesne acceptum, perinde ac si solutum esset? acceptum habeo*. Est enim acceptilatio remissio debiti per modum imaginariæ solutionis. 3. Scriptura, seu litteris perficiuntur contractus, cum ex dispositione Juris requiritur scriptura ad formam, & ad valorem alicujus contractus, ut ad emphyteusim, ad donationem 500. solidos excedentem, aut etiam ex mera voluntate contrahentium nolentium aliquem contractum firmum esse, antequam aliquod instrumentum scriptum sit, ut constat *ex l. contractus 17. C. de fide inst.* Plerumque tamen perficiuntur ejusmodi instrumenta non ad substantiam contractus, sed solum ad ejus probationem futuram. 4. Reipsa denique seu traditione rei perficiuntur contractus, qui ipso nomine suo dationem significant, ut donatio, mutuum, commodatum, depositum, & omnis contractus innominatus, de quo mox: hi enim contractus ante traditionem sunt nuda solum pacta, & in jure civili non obligant, sed tantum jure naturali, ac subinde etiam Canonico. 8

§. IV. *Contractus nominati, & innominati.*

Contractus nominati dicuntur, qui non sistunt in nomine generali contractus, vel pactionis, sed transeunt in proprium, & specificum nomen, ut *emptio, venditio, locatio, societas, commodatum, depositum, sponsalia, matrimonium, &c.* Contractus innominati dicuntur, qui proprio, & specifico nomine carent, & sistunt in vocabulo generali contractus, pacti, vel commutationis. Hujus quatuor sunt modi & velut species. Primus: *do, ut des*: do vinum, ut des frumentum &c. & dicitur permutatio, non ideo tamen censetur contractus nominatus, quia ipsa permutatio nomen generale est, communis omni contractui, ut explicat Lugo *hic c. 2. n. 8.* Secundus: *do, ut facias*; v. g. do frumentum, ut colas mihi vineam &c. Tertius: *facio, ut des*: colam tibi vineam, ut des mihi frumentum &c. Quartus: *facio, ut facias*; colam tibi vineam, ut pascas mihi oves: reficias mihi domum &c. Ubi sub nomine *facere*, etiam non facere comprehendi debet v.g. *Do tibi frumentum, ut desistas a lite, & ne accuses me, &c.* Discrimen autem est inter utrosque contractus, quod in contractibus innominatis per pœnitentiam recedere possit pars contrahens, etiamsi ex sua parte contractum impleverit, si ex altera parte impletus nondum sit, v.g. dedi tibi pecuniam, ut eas Romam, repetere possum pecuniam, quamdiu non ivisti: nisi ob aliquas expensas jam factas tua intersit non revocari. *L. si pecuniam 5. ff. de condict. causa data.* At vero in contractu nominato, v. g. emptione, & venditione &c. non est locus pœnitentiæ, vel revocationi, sed qui ex sua parte implevit, agere debet, ut etiam pars altera impleat, nisi placeat mutuo consensu contractum solvere. Cæterum quamvis ex contractu innominato, si neuter contrahentium illum cæpit implere, in Jure, & foro externo non detur actio uni contra alterum, ut modo dictum est, posse alterum a contractu resilire, in foro tamen conscientiæ, cum alter non recedat, debet uterque stare contractui, nisi circumstantiæ sint notabiliter mutatæ, ut ex communi bene notat Tamb. *l. 8. tr. 3. c. 6. §. 2.* Ratio est, quia, ut supponimus, vere se in conscientia obligavit, atque alter cum onere se obligandi acceptavit. 9

§. V. *Contractus gratuitus, & onerosus.*

Contractus *gratuitus lucrativus* dicitur, quo ex una tantum parte oritur obligatio, ut nil petatur ex altera parte, ut *donatio, commodatum, legatum, testamentum*. 10
Contractus *onerosus* dicitur, quo ex utraque parte inducitur obligatio, ita ut obligationi unius correspondeat obligatio ex altera parte: uti sunt *emptio, locatio, venditio, conductio*: per utrosque autem contractus aliquando transfertur dominium plenum rei, ut in donatione, venditione, &c. aliquando transfertur dominium utile solum, vel usus rei, ut in commodato, locato &c. de quibus in specie infra.

Con-

Contractus denique dicuntur aliqui *bonæ fidei* alii *stricti juris*. Contractus *bonæ fidei* dicuntur, in quibus Judex potest multa ex æquo, & bono arbitrari, & decernere, etsi ea expressa intentione, vel verbis expressa non sint: uti sunt *emptio, venditio, locatio, conductio, depositum, societas*, & cæteri contractus supra enumerati §. *actionum inst. de action.* Contractus *stricti juris* dicuntur, in quibus Judex alligatur ad verba contrahentium *l. 99. ff. de verb. oblig.* uti sunt *mutuum, census, emphyteusis, stipulatio, donatio gratuita*. Item juxta aliquos, vota, & legata ad pias causas, de quibus late Mol. *to. 2. disp. 259.* Ratio hujus divisionis est, quia contractus illi *bonæ fidei* dicti frequenter solent fieri inter cives: unde in iis contractibus non solent poni multæ conditiones, quæ alias in aliis contractibus ponuntur, sed se remittunt ad consuetudines Patriæ in dictis communibus contractibus intelligi solitas, secundum has ergo bonus Judex judicare debet, quamvis in eo contractu expressæ non sint eæ conditiones. At vero contractus *stricti juris* dicti, quia non solent esse tam frequentes & quia contrahentes in iis consuevere omnes particulares conditiones apponere, ideo secundum præscripta verba contractus stricte in iis Judex judicare debet. Sed hæc pro notitia terminorum non inutili: praxis enim parum ad nos.

§. VI. *Contractus absoluti, & qualificati.*

12 Contractus, pacta, promissiones &c. aliæ dicuntur absolute puræ, aliæ qualificatæ; utpote ad diem certum, vel incertum, sub conditione, sub modo, vel causa: iisque vel honestis, vel possibilibus, vel inhonestis, impossibilibus, quæ hic breviter explicanda sunt.

I. *Promissio pura absoluta.*

13 Quod pure, absolute, & simpliciter promissum est, statim peti potest. *L. eum, qui Calendis 41. §. 1. ff. de verb. oblig. & Reg. 14. ff. de Reg. Juris*: ubi dicitur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presente die debetur.* Exemplum Theologicum habes de eliciendis actibus Fidei, Spei, & Charitatis Dei super omnia, ad initium morale usus rationis. Monet tamen Glossa ibid. §. *Omnis stipulatio*, non excludi brevem moram aliquot dierum, quæ viri, vel Judicis arbitrio concedi debet, ut commodius solvat; & plerumque debitor expectare potest, donec alter promissum exigat. Unde infert Sanchez *lib. 1. de matrim. disp. 28.* Sponsum non teneri ad nuptias, nisi alter petat: dummodo petere possit, si enim potest petere, & tacet, censetur contentus esse mora.

II. *Promissio ad diem.*

14 Quando promissio facta est ad certum tempus, v. gr. Calendas, ad Pascha &c. causa solutionis differendæ, statim quidem oritur actio etiam ad hæredes transitura, ante tamen adventum, immo finem illius diei, anni &c. non tenetur solvere promissum; & alter petens exceptione repellitur. *L. qui hoc anno 42. ff. de verb. obligat. Ratio est*: Quia adjectio diei, vel alterius temporis in favorem debitoris facta est, non stipulatoris.

15 At vero si promissio facta est ad incertum diem, censetur promissio conditionalis, & parit obligationem, & actionem suspensam usque ad eventum, v. g. dabo tibi 100. quamprimum tale beneficium consequar: quando naves ex India venerint: dum hæres morietur &c. Perinde est, ac si dicatur, si ista evenerint. Ita Juribus cit. Mol. *to. 1. tr. 2. disp. 205. n. 6.* Laym. *lib. 3. tr. 4. cap. 4. nu. 2.* Ante ergo talem eventum, aut cessante tali eventu, nulla est obligatio, vel actio; excepto casu, quod dies incertus adjectus esset in gratiam solius promissarii, legatarii &c. v. g. Dominus famulo propter fida obsequia promittit 100. cum matrimonium contraxerit, ne forte ante acceptos male absumat: si is antea moriatur, vel Religionem ingrediatur, transmittitur actio ad hæredes, vel Monasterium, uti cum Mol. cit. probat Laym. *cit. tr. 4. c. 4. n. 2.*

III. *Promissio sub conditione possibili, & honesta.*

16 Conditio de præterito (si, v. g. meus pater vivit, si mater mea mortua est) promissionis obligationem statim confirmat, si vera est, non autem, si sit falsa, licet a paciscentibus ignoretur. At vero conditio de futuro, possibilis tamen, & honesta, parit obligationem suspensam usque ad eventum, & actionem etiam ad hæredes transituram. Hujus obligationis ea natura est, quod, licet promissor ante eventum conditionis promissum implere non teneatur, tenetur tamen expectare eventum, ut interim promissionem revocare non possit. *L. cedere diem 213. ff. de verb. signif.* Postea vero, si conditio eveniat, purificatur, & absoluta evadit promissio, & obligatio: *L. potior 11. §. 1. qui potiores in pignore.* Si vero conditio non eveniat, penitus expirat vis promissionis. Cæterum contractus conditionalis sub eadem conditione trasmittitur ad hæredes. Secus est de legatis: nam legatum sub conditione, si ea pendente, legatarius moriatur, penitus expirat, & non transmittitur ad ejus hæredes. Ita Jura cit. apud Laym. *cit. c. 4. n. 5.* Ratio discriminis est, quia in contractu, vel stipulatione intervenit factum stipulantis, seu alterius contrahentis, volentis sibi, & hæredibus suis prospicere: in legatis autem nullum factum legatarii intervenit. Vide *Laym. cit.*

IV. *Promissio sub modo (vel causa) possibili, & honesta.*

Modus (vel causa) possibilis tamen, & honestus contractui, vel promissioni additus, v.g. promitto, dono, lego tibi 100. ut Romam eas, sepulchrum mihi ædifices &c. 17
1. Non suspendit contractum, vel promissionem, sed obligationem absolute parit, donatario tamen, vel legatario simul vicissim obligationem, & onus imponit præstandi id, quod eo modo exprimitur. Sic ex utroque Jure *Molin. &* Laym. *cit. n. 6.* Ratio est, quia contractus, donatio, legatum sub modo, suum esse substantiale habet absolutum, & independens a modo, tanquam aliquo accessorio tantum, ideo absolute obligat, licet cum gravamine, & reciproca obligatione alterius. Unde tale promissum statim peti potest, etiam nondum impleto modo, quamvis alter satis dare debeat de eo implendo. Item etsi promissarius nondum impleverit, tamen jus suum ad hæredem transmittit, qui eundem modum debet implere. *L. a testatore 109. ff. de conditione.* 2. Ut tamen in ejusmodi contractu sub modo alter obligetur ad gravamen, seu modum implendum, requiritur, ut modus incontinenti, & velut una pactione adjectus sit promissioni, si enim semel absolute, & impliciter facta sit, v.g. donatio, modum amplius non recipit, aut conditionem. *L. profecta de donat. C. quæ sub modo.* Debetque esse modus possibilis, & honestus; alioquin habetur pro non adjecto, v.g. dono hoc, ut cœlum tangas, ut a Fide deficias, & donatio nihilominus valebit, quia donatio est principale, & modus est quid accessorium: ruente autem accessorio, non debet ruere principale. 3. Quod si porro modus a donante, vel legante adjectus fuerit per modum causæ finalis, & principalis, moventis ad donandum, vel legandum, ita ut quis alias nollet donare, vel legare, nisi vellet impleri istum modum, & talis modus ab alio non impleatur, omnino revocari potest donatio, vel legatum: redit enim res ad non causam. Si autem non fuit causa principalis, & finalis donandi, sed potius effectus occasionatus, quod nimirum donans occasione legati alteri etiam imponere voluerit obligationem, tunc revocari non potest donatio, vel legatum, sed compellendus est donatarius ad modum implendum, vel præstandam æstimationem ejus, quod interest modum non servari. 4. Denique in favorem piæ causæ institutum est *cap. verum de conditionibus appositis*; ut donatio facta Ecclesiæ sub modo quocumque revocari non debeat, eo non reservato, nisi in donatione expressum fuerit: quia præsumitur donatio principaliter facta esse propter Deum, & pro remedio peccatorum. Alia est ratio, si donatio facta esset sub condine suspendente. Ex. gr. Titius donat Ecclesiæ fundum, si pro se Anniversarius celebretur; Si Prælatus Ecclesiæ recuset conditionem implere, ruit donatio: si vero donet, ut Anniversarius celebretur sub modo, & postea Prælatus modum non impleat, manet donatio valida, ut revocari non possit, sed compelli debet ad implendum. Ratio disparitatis est. Quia Prælatus Ecclesiæ nocere potest in jure acquirendo, non item in jure acquisito. *Glossa in cap. ult. 16. qu. 6.* Atqui res donata sub conditione ante ejus eventum non acquiritur donatario; donata vero sub modo statim acquiritur, ut supra dictum, & insuper res acquisita semel Ecclesiæ, quasi sacra facta est, & in speciali dominio Christi constituta, ideoque revocari non potest, ut notant Abbas, & Innocentius *in cap. verum de foro competenti*. Laym. *cit. nu. 7.*

V. *Promissio sub conditione, vel modo impossibili, inhonesto.*

Omnis promissio, pactum, vel contractus sub conditione futura impossibili, vel inhonesta, sive ob causam turpem, v.g. Si fœmina copiam corporis faciat, judex sententiam injustam ferat &c. illicita est, ac nulla, quamdiu ista conditio, vel causa ponenda futura est, quia nimirum per se ordinatur ad peccatum, tanquam ad finem, adeoque ipsa promissio peccatum est ejusdem speciei cum peccato patrando; ideoque nulla oritur obligatio ante, neque ex parte promittentis ad dandum promissum, cum conditio nondum posita sit, nec licite possit poni: neque, & multo minus ex parte promissarii ad ponendam conditionem peccaminosam, seu opus turpe petitum; cum implicet aliquem ad peccatum obligari. At vero conditione inhonesta, dummodo pretio æstimabilis sit, utpote ob unius laborem, periculum, vel alterius commodum, vel delectationem &c. quamvis per peccatum, jam posita, & impleta, revera jam convalescit contractus in ordine ad solvendum promissum, v.gr. pretium meretrici &c. ut & promissor teneatur reddere, & promissarius illud non tantum licite retinere, sed etiam jure, saltem naturali, & in foro conscientiæ (nam in plerisque casibus jus positivum resistit) petere, & exigere possit. Ita generatim loquendo de quovis genere peccati: in peccato tamen contra Justitiam salvo jure tertii, seu partis læsæ. Hoc totum ex professo latius habes in 7. Præcepto *cap. 5. sect. 5. §. 4. a nu. 134.* Ubi de acceptis ob turpem causam. 18

Pro-

19 Promissio vero sub modo impossibili, seu inhonesto de futuro, minime parit suspensionem obligationis, ut supra dictum fuit, sed talis modus impossibilis habetur pro non adjecto. Et tunc promissio statim valet, ac obligat, ut expresse habetur in jure, *L. impossib. 7. ff. de verb. obligat.* si vero promittens, sciens, & volens expresse intendat istum modum impossibilem, & inhonestum, tanquam causam finalem, ita ut simpliciter nullo modo vellet contrahere, promittere, donare &c. tunc talis modus a principio statim vitiat actum, & promissio ipsa irrita est, & nulla, nullamque deinceps parit obligationem, quamvis ex altera parte modus positus, vel impletus sit: secus, quam de conditione inhonesta impleta dictum est. Ratio disparitatis inter conditionem, & modum turpem est: quia conditione quamvis turpi posita, verificatur promissio, v.g. dabo florenum, si copiam corporis facias, at modo impleto nunquam verificabitur modus, vel promissio sub modo v.gr. dono hunc fundum, ut concubinam adeas, quod semper illicitum manet, ut bene consideranti patet.

§. VII. *Contractus validi requisita Generalia.*

ASSERTIO II.
GENERALIS.

20 Omnis contractus validus essentialiter debet includere consensum. 1. *Promissorium verum*. 2. *Voluntarium, & liberum a deceptione, & coactione, seu metu*. 3. *Factum a persona habente dominium non impeditum, seu plenam administrationem rerum suarum*. 4. *Et circa materiam possibilem, naturalem, & moralem, seu licitam alienari, vel lege non prohibitam. Horum aliquo deficiente, contractus irritus erit, invalidus & nullus*. Secundum, tertium, & quartum requisitum quoad generalia jam intelligis ex alibi dictis. Specialia recurrent affatim. Quoad primum ergo

21 Palam est, omnem contractum validum necessario debere includere assensum promissorium, seu promissionem veram internam simul, & externam ab altera parte acceptatam: in hoc enim essentialiter consistit contractus, ut supra notatum, & differt a pacto generatim sumpto, quod tantum significat solam conventionem duorum ad agendum vel non agendum, sive deinde aliquam obligationem inducat, sive non. Itaque hic solum ipsa promissio, ejusve validae, & obligatoriae conditiones explicandae sunt.

SECTIO II.
De Promissione.

SUMMARIUM.

23 *Promissio qualiter debeat esse deliberata.*
24 *Quid in dubio deliberationis sufficientis praesumendum.*
25 *Qualiter promissio debeat esse spontanea seu libera a deceptione, coactione &c.*
26 *Promissio, & propositum in quo differant.*
27 *Omnis promissio, ut obliget, debet esse de re possibili, & licita, seu non mala.*
28 & 29 *An, & qualiter valeat promissio de facto alieno.*
30 *Omnis promissio valida, & obligativa necessario debet esse vera interna.*
31 & 32 *Adhuc tamen ex promissione externa solum, & verbali oritur aliqualis obligatio fidelitatis.*
33 Usque ad nu. 36. *Qualis requiratur, & sufficiat intentio ad promissionem validam, & obligatoriam.*
36 *Promissio in se, & in quovis contractu debet esse insinuata alteri.*
37 *Resolvitur dubium, an etiam promissio facta ad causam piam, ab hoc, ut obliget, debeat esse insinuata, v.g. Ecclesiae, pauperi &c.*
38 *An ad valorem obligationis e contra necessario etiam debeat exterius promittentis manifestari acceptatio promissionis.*
39 *Omnis promissio, ut obligationem pariat, saltem ex justitia, debet esse acceptata ab altero.*
40 *Et nondum acceptata nullam parit obligationem, ne quidem ex fidelitate, nisi ejus notitia ad promissarium jam pervenerit.*
41 *Ita ut antea promissio etiam juramento firmata revocari possit.*
42 *Nec post revocationem ad promissarium perveniens obligationem parit, saltem justitiae.*
43 Usque ad nu. 47. *Enumerantur 4. casus, ubi promissio nondum acceptata obligat, ut revocari non possit: in iis ipsis tamen adest aliqua acceptatio.*
47 & 48 *Sicut ante acceptationem non valet promissio, ita etiam nec remissio v. g. debiti valet, & obligat ante sui acceptationem a debitore. Aliud est de sola cessione alicujus juris.*
49 *Ut promissio sit valida, & obligativa, debet esse acceptata ab ipsomet promissario, vel ejus legitime vices gerente.*
50 Usque ad n. 54. *Qui legitime acceptare possint promissionem, loco promissarii.*
54 Usque ad n. 57. *Ut quis legitime promissionem acceptet, qualiter, & a quo debeat ipsam audire.*
57 *Ut promissio statim obliget, debet acceptari absolute, non conditionate.*
58 & 59 *Afferuntur duo modi dubiae acceptationis.*
60 *Acceptatio promissionis non semper debet esse externa, & expressa, nisi in contractibus onerosis.*
61 *Nec necessario etiam fieri debet vivente adhuc promittente, vel donante liberaliter per seipsum.*
62 *Si promittens per nuntium, vel litteras, moriatur, antequam promissio ad promissarium perveniat, ea amplius valide acceptari nequit.*
63 *Oppositum tamen est etiam satis probabile in promissione, vel donatione liberali.*
64 *Promissio quaevis legitime facta, & acceptata obligat saltem ex fidelitate.*
65 *Quantitas obligationis cujuslibet promissionis pendet ex intentione promittentis.*
66 *Ita ut si promittens, se solum voluit obligare ex fidelitate, obligetur solum sub veniali.*
67 *Si vero se voluit obligare ex virtute justitiae, obligabitur sub mortali, vel veniali, pro ratione materiae.*
68 *Si promittens rem gravem, voluit se graviter obligare, non tamen cogitans, ex qua virtute, censetur se graviter obligasse ex virtute justitiae.*
69 *Si promittens voluit se obligare; simpliciter, non cogitans, ex qua virtute, nec an graviter, vel leviter, obligatur solum venialiter ex virtute fidelitatis in promissione liberali.*
70 *Secus est in promissione onerosa.*

ASSERTIO III.

Promissio est deliberata, & spontanea fidei obligatio de aliqua re possibili, & licita facienda in futurum. Necessario debet esse vera, interna simul, & externa, insinuata alteri; atque acceptata legitime ab altero, ejusve nomine: obligans semper quidem ex virtute fidelitatis, sed solum sub veniali per se loquendo; aliquando etiam ex virtute Justitiae, quando nimirum lex Divina, vel humana, aut intentio promittentis ita determinat, & tunc sub mortali ex genere suo. Tota communis, ut patebit explicatione solita. 22

§. I. *Est deliberata, & spontanea fidei obligatio.*

I. *Deliberata:* nimirum deliberatione plena, & perfecta, qualis requiritur ad peccatum mortale, vel meritum, juxta communissimam DD. cum enim promissio sit onus, quod sponte suscipitur, non censetur alicui impositum, nisi adsit plena advertentia, & deliberatio circa rem promissam, & circumstantias: ideo enim contractus, pacta, & promissiones quaecumque amentis, furiosi, ebrii, aut vehementissima passione usu rationis privati, ipso Jure invalidae sunt. Quod autem dicat Fabianus Papa *c. nec furiosus 32. qu. 7.* neque furiosum, neque furiosam matrimonium contrahere posse, sed si contractum fuit, non esse separandos; intelligitur, si contractum fuit antea, dum nondum erant in affectione furoris, vel amentiae, nam postea superveniente furore non desinunt esse veri conjuges. Omnino autem requiritur deliberatio plena, & non sufficit semiplena solum deliberatio (qualis est in semidormiente, semiebrio, aut vehementi passione turbato) ad inducendam obligationem sive sub mortali, sive sub veniali, sive res promissa gravis, sive levis sit: juxta communem DD. Molin. *t.2. de justit. tr.2. disp.267.* Sanch. *l.1. de matr. disp.8.n.5.* Lug. *disp. 23. de just. n. 17.* Ratio est: quia homo ad certam obligationem sibi inducendam, sive sub mortali, sive sub veniali, debet ut homo, & modo humano eam sibi imponere: at operans per semiplenam deliberationem certe non operatur modo humano, ut homo simpliciter, sed, ut ita dicam, ut semihomo: ergo &c. Advertunt tamen DD. cit. in homine sanae mentis, quando aliquid promittit ex calore passionis, v. gr. iracundiae, timoris, vel concupiscentiae nimiae, raro deesse plenam deliberationem; quia raro tanta solet esse mentis perturbatio, ut non sufficienter deliberata sint, quae tunc fiunt. Alioquin homicidia, furta &c. nimis facile excusarentur a mortali, cum soleant fieri in calore passionis. 23

At quid, si omnibus expensis dubitetur, an adfuerit plena deliberatio in promittente, v.g. semitemulento, vehementer turbato &c. Siquidem certus sis, quod promiseris; dubites autem, an sufficienter deliberate promiseris: Sanch. *supr. cit. n.17.* cum communiori te obligat ad implendum promissum, quia tunc possidet promissio, de qua certus es, incertus de indeliberatione. Verum Castro-Pal. *t.1. tr.1. d.3. p.11.n.4.* & 7. & alii a nobis allegati, probabilissime te non obligant, quia etsi certus sis, quod ore promiseris; si tamen dubites, an plene deliberate, non es certus de vera promissione: quippe de cujus essentia est, ut fiat cum plena rationis advertentia. Quare tunc adhuc praevalebit tua libertas, quae certa est, promissio vero incerta. 24

II. *Spontanea.*

Hoc est, libera a deceptione, & coactione: omni enim Jure invalidae sunt promissiones; sicut & omnis contra- 25

ctus involuntarie factus ex deceptione, errore, vel dolo versante circa ipsam substantiam rei, aut accidentia, vel qualitates, quæ sunt per se intentæ a promittente, vel sunt causa principalis finalis, & formalis motiva promittendi, sive deinde error, vel dolus, aut ignorantia sit antecedens, & dans causam promissioni, sive incidens, vel concomitans tantum: sive ab altera parte contrahente, sive ab alio tertio, sive a se ipso proveniens. Similiter, si metus vere gravis ab extrinseco injuste incussus sit ad ipsum actum, seu promissionem extorquendam probabilissime ipso Jure naturæ invalidæ sunt omnes promissiones, sicut & vota, & contractus omnes. Et esto sint validi Jure naturę ejusmodi contractus secundum Juristas, & communiorem Theologorum, certe tamen sunt debiles, nec irrevocabiliter obligant metum passum, sed pro ejus arbitrio rescindi possunt & debent ex Juris dispositione, quia ipso Jure de facto invalida sunt sponsalia, matrimonia, professio Religiosa ex tali metu gravi, & injuste incusso facta. Secus omnia sunt si metus levis sit, aut non injuste incussus, aut non ad extorquendum actum. De quibus late *sect.3. & 4.*

III. *Fidei obligatio.*

26 UT nimirum quis animo intendat, & signo externo enuntiet, sicque constituat se obligatum, & debitorem alterius, saltem ex virtute Fidelitatis, ad aliquid possibile dandum, vel faciendum in futurum. Et per hoc promissio differt a proposito: propositum enim (etiam externe expressum, & enuntiatum alteri) est simplex intentio, vel voluntas præsens aliquid faciendi in futurum, nulla prorsus inducta nova obligatione: ut si indicem tibi, me velle cras tuum comitem esse in via, & nihil addam præterea, quo id me facturum promittam, vel aliquo modo debitorem constituam: habeo & ostendo tibi nudum propositum, & voluntatem simplicem ita faciendi, non vero promissionem ullam, ex cujus vi tu comitatum meum, tanquam aliquo modo debitum, certo expectes, aut si non sequatur, me de aliqua culpa arguas; sed ad summum expectabis ex virtute constantiæ, qua non soleo mea proposita mutare, & si mutem, ad summum argues me de imperfectione inconstantiæ in propositis, quæ certe culpam non attingit. Et sic videtur se gessisse S. Petrus quando dixit Christo: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo &c.* non enim sic Christo aliquid promisit, sed solum ostendit propositum, & præsentem voluntatem suam. Sic nos, cum dicimus Deo nolle amplius peccare, vel hoc, vel illud vitium emendare &c. non promittimus; alias essent vota, sed præsentem voluntatem bonam ostendimus. Unde generaliter, licet propositum sit de re aliunde sub præcepto debita, ut in Confessione, non amplius peccandi, occasiones malas devitandi, non blasphemandi &c. non addit obligationem novam, nec post transgressionem speciale peccatum. At vero promissio ultra propositum, & veram voluntatem faciendi aliquid in futurum, superaddit aliquid, quod alteri promissario præbeat fundamentum, certo expectandi promissum tanquam debitum, ex virtute saltem Fidelitatis, qua quilibet tenetur sua dicta conformare factis: ut si non fiat, vere de culpa argui possit: adeoque promittens non solum explicat propositum faciendi aliquid, sed insuper intendit se ad hoc ligare, & se debitorem constituere ex aliqua virtute, scilicet Fidelitatis, & Justitiæ, ita ut si promissum non observet, committatur speciale peccatum, seu deformitas contra illam virtutem: prout infra explicabitur.

IV. *De re possibili, & licita.*

27 NImis certum, omnem promissionem obligatoriam esse debere de re possibili, & honesta, vel saltem licita, seu non mala, & indifferenti. Nam & *impossibilium nulla est obligatio*, & implicat aliquem obligari ex ullius virtutis præcepto ad id, quod vel nullo modo, vel juste, & licite fieri non potest. Ubi notandum grande discrimen inter promissionem factam homini, de qua hic agimus, & promissionem factam Deo, seu voto, de quo in secundo Præcepto *tr.3. c.2.* nam ad promissionem factam homini sufficit, ut res promissa sit licita, & possibilis, ut sine peccato fieri possit; etsi non sit bona moraliter, sed omnino indifferens, vel minus bona, aut majoris boni impeditiva, dummodo homini utilis sit, sic enim semper placet, & grata est homini. At vero ad votum, seu promissionem factam Deo requiritur, ut res promissa de se sit bona moraliter, & quidem melior suo opposito, atque majoris boni non impeditiva. Deus enim non acceptat, tanquam rem sibi gratam, illud, quod non spectat ad bonum, seu cultum Dei, aut majus bonum impedit, ut *ib. a num.43.* late explicatum est. Uti & ibi a nu.40. explicata est alia quæstio, quando obliget votum factum Deo de facto alieno, eadem omnino ratione applicanda de promissione homini facta de facto alieno. Nimirum

28 Nulla, & invalida est promissio, qua directe promittis ipsum factum alienum, valida autem, & obligans erit, si promittas te curaturum, ut aliquid ab alio fiat, aut si non fiat, fidejubeas. Omnes. Habetur expresse *L. stipulatio ista 38. ff. de verbor. obligat.* §. *si quis 3. & instit. de inutilibus.* Ibi. *Si quis alium daturum, facturumve quid promiserit, non obligabitur: velut si spondeat, Titium 5. aureos daturum: quod si effecturum se, ut Titius daret, spoponderit, obligabitur.* Quia tunc proprium factum manifeste promisit, ait Glossa ibid. Et hoc posterius in dubio semper præsumendum est, ut hæc sit *Regula Generalis.*

Quoties aliquis promisit alienum factum, interpretandum est promisisse præstare ea, quantum potest, quæ ad executionem conducunt. Hoc est; vere & diligenter curare, ut fiat ab alio, quod promisit. *Ratio est:* Quia qui factum ab aliena voluntate pendens promisit, nisi stultus sit, id solum censetur promittere, quod a sua voluntate dependet, quodque ipse præstare potest: nimirum pro posse curare, ut alter tale factum promissum exequatur: idipsum autem factum ejus a cujus libera voluntate pendet; utique in mea potestate non est: ideoque stulte, & nulliter promitteretur. Et hac ratione intelligenda sunt vota parentum, cum filios suos Religioni devovent. De his plura maxime quoad forum externum vide late Sanch. *l. 1. de matr. disp. 24. n. 8.* Molin. & alios apud Laym. *hic c. 4. nu. 12.* 29

§. II. *Necessario debet esse vera, interna.*

OMnis promissio in se, & in quovis contractu, ad hoc ut valeat, & obliget, necessario debet esse vera, & interna hoc est, cum vero interno consensu, seu voluntate promittendi, ac obligandi se: adeoque omnis promissio externa tantum, & verbalis absque omni explicita, vel implicita intentione, ac voluntate obligandi se, nulla est, nullamque obligationem parit per se loquendo ex vi promissionis veræ. *Omnes.* Ratio clara est: quia sicut in legislatore intentio præcipiendi, & obligandi est forma, & anima legis, ita in promittente intentio promittendi, & se obligandi est anima, & forma promissionis; & sicut non est verus contractus sine animo contrahendi, ita neque vera promissio sine animo promittendi, & consequenter nulla obligatio. Dixi autem; *per se loquendo*, &c. ex vi promissionis. Nam per accidens ratione scandali, vel damni ex ficta promissione tertio secuti, quandoque obligabitur ficte promittens ad implendum promissum, atque etiam in foro externo sub pœnis compellitur, ut si in sponsalibus, & matrimonio ficte contracto. Dixi item: *ex vi promissionis veræ, & realis*: cum talis revera non adsit. 30

Cæterum, ut docte probat Lug. *disp.23. sect.1. n. 11.* ex ipsa externa, & verbali promissione adhuc oritur aliqualis obligatio fidelitatis ad implendum promissum. *Ratio est*, quia etiam hanc externam tantum promissionem debet regere virtus fidelitatis: nam sicut virtus veracitatis universaliter inclinat ad conformanda externa verba cum mente: sic virtus Fidelitatis universaliter inclinat ad conformanda verba promissoria, seu promissiones externas tantum cum factis: seu impletione in futurum præstanda, seu ad conformanda facta cum verbis præteritis, ne decipiantur homines in promissionibus recipiendis; quod est proprium Fidelitatis munus, & intentum. Alia est ratio in voto, seu promissione facta Deo exterius, tamen sine animo promittendi: Deus enim intuetur cor principaliter: videns ergo promissionem tuam interius nullam, non potest illam acceptare: at homo non videt cor, & ideo audiens promissionem tuam externam, merito a te fidem datam expectat, & exposcit: ergo merito virtus Fidelitatis dirigere debet, ut etiam tunc promissionem serves. Aliqua specialia hic explicanda sunt. 31

I. Ad promissionem validam, & obligatoriam requiritur voluntas, seu intentio promittendi, & se obligandi, seu formalis, & explicita, ut dum quis actu elicito vult esse obligatus ad talem rem faciendam, vel virtualis, & implicita, quæ tripliciter fieri potest. Dum quis profert verba directe non volens, nec intendens, eo ipso tamen implicite vult ejus obligationem. 2. Quando quis sciens, & serio proferens verba, dubitans, vel suspicans de obligatione, eo ipso vult implicite obligationem, quippe quam dubitando advertit. 3. Cum quis utcumque ignorans obligationem promissionis, tamen profert verba promissionis ea intentione, qua cæteri solent promittere, rursus implicite se obligare vult, sicut cæteri. Et talis est promissio, ac votum implicitum suscipientium sacros Ordines, eo modo, quo suscipiunt reliqui, & Ecclesia confert, eoque ipso implicite promittunt, & vovent castitatem. Et hinc 32

II. Si quis proferat verba promissionem significantia intendens promittere, simulque conscius obligationis ex tali promissione exurgentis, & solum se negative habendo, non intendat se obligare, valebit promissio, votum, contractus quivis, ac obligationem pariet, quia talis virtualiter, & directe etiam vult, & intendit obligationem, quam scit annexam. Quod si vero talis quidem vellet promittere, sed positive nollet se obligare, probabilius est, non valere promissionem, contractum, votum &c. nec consequenter obligationem pareret. *Ratio est*: Quia conditio apposita contra substantiam contractus, annullat contractum: ut si quis contrahat matrimonium, nolens tamen obligare se ad fidem tori servandam: atqui intentio se obligandi est de substantia promissionis, voti, contractus &c. ergo ista contraria voluntas non se obligandi annullat promissionem, destruens scilicet quid essentiale ejus. Attamen subtiliter limitat Lug. *disp. 22. sect.4. nu.39.* Id enim verum est, quando voluntas non se obligandi est magis absolu- 33

soluta, & efficax, quam voluntas promittendi, quod sane ordinarie fit, cum promittere sit facile, sed velle se obligare est grave. Quando vero voluntas promittendi esset absoluta, & efficax magis, quam contraria voluntas se non obligandi, utique valeret promissio, & pariet obligationem, in priori magis efficaci voluntate promittendi virtualiter inclusam, & volitam.

34 III. Quando promittens habet voluntatem & promittendi, & se obligandi ad promissum, sed absque animo implendi, vel cum positiva voluntate non implendi promissum, valet promissio, votum, ac contractus quilibet, & obligationem parit, quamvis talis peccet mendacio, & perfidia contra veracitatem, & fidelitatem. Ratio est, quia cum animo non implendi stat voluntas efficax se obligandi, & sicut qui promisit de facto Castitatem, v. g. illam tamen potest non servare, ita potest fieri, ut quis habeat veram intentionem se adstringendi ad Castitatem, & simul voluntatem eam non servandi: alioquin qui jam actu habens concubinam sine animo dimittendi, sacros Ordines susciperet, Religionem profiteretur, vel matrimonium contraheret, id valide non faceret, contra omnes. Navar. *c.* 11. *num.* 27. *Sotus*, *Sanch. Laym.* alii cum Lug. *cit. disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 36.

35 IV. Nullæ ergo simpliciter sunt promissiones, nullamque obligationem inducunt, si quis exterius proferens verba promissionem significantia, 1. voluntatem promittendi, & obligandi se positive excludat, & mere promittere se fingat. 2. Si proferat animo se non obligandi, sed solum ad significandum firmum propositum, seu promptitudinem animi ad aliquid faciendum, tunc non obligabitur, nisi ex perfectione virtutis constantiæ in propositis suis, ut supra indicatum. 3. Si proferat vel levitatis, vel solum civilitatis gratia, juxta illud vulgare: *verba honoris non sunt obligatoria*. 4. Si proferat hujusmodi verba promissionis, simpliciter nesciens, iis obligationem induci, nec aliunde intendens se obligare, quia incognitum non potest esse volitum. 5. Si proferas verba indifferentia ad significandum, vel promissionem, vel solum propositum, vel solum urbanitatem, & postea dubites, an animo promittendi, an vero propositi vel civilitatis tantum gratia dixeris, non eris obligandus, quia in liberalibus promissionibus non censetur quis se obligare per verba, quæ in utramque partem sumi possunt, suntque indifferentia ad significandam vel obligationem, vel urbanitatem, ut recte docet Lugo *cit. n.* 49. Secus esset, si verba certo promissionem significantia protulisses, & postea dubitares, an animum promittendi, & te obligandi habueris: tunc enim in utroque foro obligandus eris, quia quilibet prudens præsumitur conformasse verba menti suæ, & non voluisse mentiri, maxime in re gravi, aut voto Deo facto, juxta communem DD. cum Sanch. Lug. *cit. n.* 62.

§. III. *Et externa insinuata alteri.*

36 PRomissio in se, & quovis contractu necessario etiam debet esse externa, nimirum vero interno consensu per verba, vel signa externa sufficienter expresso, & insinuato alteri, cui fit promissio: atque adeo promissio interna tantum, seu solo animo facta homini, nullam, nec naturalem in conscientia, neque civilem in foro externo obligationem parit: idque non solum jure humano, ut omnes supponunt, sed etiam ipso jure naturali, uti contra *Ledesm. Mendoz.* & alios docet communis, & vera sententia DD. cum S.Th. 2.2. *q.*88. *ar.*1. plurimisque congestis Sanch. *l.*1. *de matr. disp.*3. *nu.*5. Et eam præ cæteris bene probans Card. de Lug. *disp.* 23. *sect.*2. *n.*31. Ratio vulgaris est, quia ad obligationem promissionis requiritur acceptatio alterius, alter autem non potest acceptare in foro externo, nisi aliquo signo externo sibi notificatam: ergo &c. Sed hæc ratio universaliter non videtur convincere: nam potest quis aliquid acceptare antecedenter, vel sub conditione, si aliquid ei promittatur, quod vellet semper acceptum habere. Item si quis ex præsumpta solum voluntate Domini non repugnantis accipit rem alienam, ipsa acceptatione fit Dominus illius rei, si vere Dominus interius consentit, vel non dissentit, quamvis nihil ei dixerit. *Ratio* ergo a priori a Lug. acute assignata est, quia obligatio promissionis factæ homini est, vel ex fidelitatis virtute tantum, vel etiam ex virtute Justitiæ: atqui promissio mere interna facta homini, 1. non obligat ex virtute fidelitatis, quia veritas, & fidelitas inter homines necessario requirit signa externa, sicut enim veracitas obligat ad conformanda dicta menti, ita fidelitas obligat ad conformanda verbis facta, adeoque promissionibus verbo, vel signo externo expressis, ergo non solis internis promissis. 2. Nec potest parere obligationem ex virtute Justitiæ, ideo enim obligaret Justitia, quia alter, cui promittitur, ex promissione jus sibi acquirit: atqui ex sola promissione interna mea nullum alius jus acquirere potest: cum enim jus, vel dominium sit quid humanum in ordine ad alios homines, quibus Dominus debet præferri in usu rei suæ, necessarium est, ut ipsi competat, vel attribuatur per aliquid sensibile: utpote per apprehensionem, traditionem, vel saltem promissionem sensibilem: ergo ad hoc, ut promissio aliquid transferat in promissarium & aliquam ex Justitia in promittente obligationem pariat, necesse est, ut exprimatur aliquo signo externo: ergo nullo modo obligat promissio mere interna. Sic *Lug. cit. n.*31. ulterius addens *n.*32. Etiamsi promittens postea exterius profiteatur, se habuisse internam voluntatem, si solum pronuntiet speculative, & narrative, quid antea interius fecerit, necdum sufficiet ad obligationem imponendam; sufficiet autem, si pronuntiet practice ad nunc se obligandum. Dixi autem: Promissio interna tantum facta *homini*: alia enim longe est ratio de promissione facta Deo, seu voto, quæ licet interno tantum animo acceptata sit, a Deo tamen inspectore semper præsentissimo cognoscitur, & acceptatur, Deoque jus verum spirituale parit: promissio autem facta homini mere interna, & nullo signo externo prodita, nec ab alio cognosci, nec acceptari, nec jus illi humanum sensibile, & externum parere potest, ut modo dictum.

Sed dubium delicatum est: utrum saltem omnis promissio 37 mere interna, vel etiam externa nondum acceptata ab homine facta ad causam piam, v. g. donandi aliquid Ecclesiæ, Hospitali, pauperi tali &c. semper acceptetur a Deo, & obliget simul? Affirmat *Mol. Laym.* alii, eosque citans Dian. *p.* 8. *tr.*6. *res.*49. Quia opus bonum a Deo acceptari credendum est. Negant autem *Sanch. & Less.* apud eumdem *Dian.* Quia quamvis omne opus bonum acceptetur a Deo ad meritum, non tamen semper acceptatur ad debitum, seu obligationem novam, nisi promissio facta sit ipsi Deo, ac promittentis intentio, vel verba ad ipsum Deum directa sint: tunc enim erit votum: si autem promitto dare eleemosynam pauperi, non statim voveo illam dare, quia non dirigo promissionem ad Deum. *Deinde*, natura promissionis respectiva est ad alium, quare etiam ex consensu alterius debet vim accipere: at hic non consentit Deus, quia ipsi nihil promittitur, nec consentit pauper, quia nihil de ipsa promissione scit, ut supponimus: ergo &c. Utraque sententia probabilis est.

Cæterum cum, ut mox dicetur, ad promissionis obligatio- 38 nem necessario requiratur acceptatio promissarii, quæstio huic coincidens est, utrum etiam acceptatio alterius signo externo exprimi, ac promittenti manifestari debeat, an vero sufficiat sola acceptatio interna, præsertim quando promissio, vel contractus fiunt ab absente. Resp. cum dist. in promissione, donatione, & quovis contractu gratuito incipiente a promissione non requiritur, acceptationem alterius manifestari promittenti, vel offerenti: in contractibus autem onerosis, seu ex utraque parte obligantibus requiritur, acceptationem utriusque utrique fieri manifestam. Ex. gr. per litteras promittis donare equum, aut significas, te equum tuum ante commodatum, nunc plane donare: quamprimum ego accepto, etiam solo animo interno absque ullo actu externo, antequam tu quidquam rescias, jam firmatur promissio, & donatio, atque obligationem parit, quamvis ad hoc, ut & tu scias, promissionem tuam, vel donationem firmam esse, meam acceptationem utique signo externo manifestandam, nosse debeas. *At vero* per litteras, vel nuntium offers Petro 100. florenos pro equo suo, non absolvetur contractus, antequam acceptatio Petri tibi ab eo manifestetur. Sic post alios late Lugo *cit. disp.*22. *sect.*3. *num.*27. Ratio disparitatis est, quia ad valorem contractus requiritur, ut voluntas illius volentis dominium, vel jus transferre in alterum, sensibiliter conjungatur voluntati alterius, ut supra dictum: atqui in promissione, vel donatione gratuita tu solus te obligas, & jus in alterum transfers, adeoque tu voluntatem tuam sensibiliter ei conjungere debes; alter vero se ad nihil obligat, nec jus tibi aliquod tribuit, sed solum acquirit jus in re promissa, vel donata, ad quod jus acquirendum sufficit ejus voluntas, supposita tua facultate sibi sensibiliter data. At vero in contractu oneroso, v.g. dum Petro offers 100. pro equo, uterque debet jus acquirere, ille ad pretium, tu ad equum: adeoque sicut, ut ille acquirat jus ad pretium, debes ei tuam voluntatem te obligandi ad id sensibiliter manifestare, ita etiam, ut tu acquiras jus ad equum, debet is tibi voluntatem suam se obligandi, eumque tradendi, sensibiliter manifestare: facta autem utrinque manifestatione perficitur contractus onerosus. Clarum etiam est, contractus tam gratuitos, quam onerosos incipientes ab aliqua traditione perfici per acceptationem alterius, antequam ejus acceptatio tibi manifestetur, v. gr. mittis Petro 100. florenos, ut vel dono accipiat, vel pro iis equum tibi vendat, quamprimum is acceptat, vel equum mittere consentit, contractus absolutus manet: & Petrus fit dominus pecuniæ, antequam acceptatio ejus tibi innotescat. *Ratio est:* quia tunc censeris implicite saltem inducere Petrum procuratorem tuum, ut tuo nomine acceptet, & ratum habeat contractum tuum: quando autem quis contrahit per Procuratorem plenarium, eo consentiente, perficitur contractus, antequam etiam principali contrahenti significetur. Quæ pro multiplici usu bene penetranda sunt.

§. IV. *Atque acceptata.*

OMnis promissio in se, & in quocumque contractu, ad hoc 39 ut obligationem pariat, saltem ex Justitia, necessario etiam debet esse acceptata ab altero, facta in quovis casu: atque adeo promissio etiam externa, & insinuata sed nondum acceptata a promissario, nullam parit obligationem, nec naturalem in foro conscientiæ, neque civilem in foro externo, idque non tantum Jure civili, ut constat plurimis textibus Juris allegatis apud *Laym.* aliosque citandos, sed etiam ipso Jure

re naturali. Ita contra *Covar. Mol.* & alios quosdam communis, & vera Sententia. Sotus *l.3. de just. q.5. ar.3.* Sanch. *l.* 1. *de matr. disp.6.* Less. *l.2.c.18. dub.6.* Lug. *disp.23.de Just. sect.3. a n.35.* Tamb. *l.9. de contr. c.7.* §.1. *n.3.* alii. Ratio melior est; quia ad inducendam obligationem Justitiæ debet promittens transferre jus in alterum, scilicet promissarium, per quod is habeat potestatem exigendi rem sibi promissam, atqui hoc jus non potest transferri in alterum, nisi illud alter velit accipere, atque de facto acceptet: nam licet ego sola mea voluntate possim amittere jus meum, vel dominium, non possum tamen sola mea voluntate facere, quod jus meum, vel dominium in alium transeat, nisi volentem; ad hoc enim necessario requiritur consensus, seu unio duarum voluntatum in unum, unius scilicet conferentis, vel offerentis, & alterius acceptantis eandem rem: ergo ex promissione quacumque nondum acceptata nullum potest jus acquirere promissarius, consequenter nulla obligatio ex Justitia ex parte promittentis, & consequenter ulterius absque injuria, vel injustitia, promissionem talem nondum acceptatam semper pro libitu revocare poterit. Sed numquid saltem teneor promissionem a me factam, præsertim Ecclesiæ, vel ad piam causam indicare promissario, num eam acceptare velit? Resp. Te non teneri. Ex communi citati omnes, quia nimirum omnis promissio natura sua respectiva est, cujus proinde tota vis, & obligatio quæcumque ex alterius partis consensu, & acceptatione, tanquam forma sua, dependet: proinde seclusa, ad nil prorsus teneris.

40 Dictum est hactenus de obligatione Justitiæ. Jam quæritur, utrum promissio nondum acceptata saltem pariat obligationem ex virtute fidelitatis. Negat cum aliis Vasq. *disp.4. de matr. c.4. nu.43.* Affirmat cum aliis Lug. *cit. disp.23. num.41.* Utrumque verum est cum distinctione. Si enim promissarius nihil audivit de tua promissione, & notitia tuæ promissionis nondum ad eum pervenit, nullam prorsus contrahis obligationem, etiam ex sola fidelitatis virtute: si autem promissarius scivit de tua promissione, ejusque notitia ad eum pervenit, etsi nondum acceptaverit, jam contrahis aliquam (certe tamen valde levem, ut fatetur ipse Lugo) obligationem implendam ex fidelitate. *Ratio* utriusque est, quia promittens ex virtute fidelitatis tenetur sua dicta conformare factis, quod si ergo promissarius tuam promissionem nondum scivit, tu ipse nil dixisse censeris adhuc, adeoque nulla erit omnino obligatio etiam conformandi dicta factis ex fidelitate; at quando is jam scivit tuam promissionem, etsi nondum acceptaverit, jam ipsi dixisse censeris; ideoque obligationem fidelitatis ad conformanda dicta factis contraxisti. Nisi deinde promissarius nolit acceptare: tunc enim ex alio capite ab omni obligatione liber eris, sic enim ipse tibi omnem aliam obligationem remittet.

41 Atqui juxta hanc distinctionem intelligendum est id, quod non pauci absolute affirmant, nimirum promissionem nondum acceptatam, seu juramento confirmatam, obligare ante acceptationem, quod quidem absolute falsum est, quia juramentum sequitur conditionem actus, cui additur: promissio autem nondum acceptata suapte natura non obligat; ergo nec addito juramento obligabit (nisi intentio promittentis fuisset, non tantum promittere, sed etiam promissionem non revocare, si alter acceptare velit, tunc enim erit juramentum per se stans, & obligationem pariens ex virtute religionis, non autem Justitiæ. Ut docte notat *Sanch.*) Distinctio ergo adhibenda est: nam antequam notitia tuæ promissionis ad promissarium pervenerit, ad nihil teneris, etsi juraveris, quia illud juramentum non fuit factum DEO, ut supponitur, neque est factum homini, cum ei adhuc nihil dixeris, ut supra indicatum. At post notitiam promissarii de tua promissione, etsi nondum acceptata, jam obligaberis, & ex virtute fidelitatis, ut dictum est, & ex vi juramenti, ac virtute Religionis, jam enim promissario dixisse censeris promissionem tuam, ideoque obligaberis dictum juratum conformare facto, & exequi promissionem. Nisi rursus promissarius acceptare nolit, tunc enim is omnia remittet.

42 Ubi etiam hoc advertendum est, quod, licet obligatio Justitiæ cesset, revocata promissione nondum acceptata, etsi insinuata promissario, etiamsi cum notitia promissionis, notitia revocationis non venerit ad promissarium, quia nullum ei jus acquisitum fuit: non tamen cessat obligatio fidelitatis, nisi una cum notitia promissionis etiam notitia revocationis ad promissarium pervenerit, atque addito juramento confirmabitur promissio, & obligabit simul ex virtute fidelitatis, & Religionis, v. g. per litteras, vel nuntium promisisti Petro cum juramento equum, & interea, antequam ad ipsum perveniat, revocas: quod si ante notitiam revocationis ad ipsum perveniat epistola, vel nuntius, promissio adhuc obligat ex virtute fidelitatis, & consequenter addito juramento etiam ex virtute Religionis, quia tunc revera Petro manifestas promissionem tuam, consequenter fidelitas obligabit te ad conformandum dictis tua promissa, nisi alter acceptare nolit. Insuper dictum fuit *in quocumque casu*; quamvis enim plures doceant, esse quosdam casus etiam Jure expressos, in quibus promissio nondum acceptata obliget, ut revocari nullo modo possit, sed revera in illis ipsis casibus adest acceptatio aliqua, licet omnino primo intuitu non appareat, & ideo merito in his revocatio locum habere non potest. Patet discurrendo breviter per illos casus.

Primus casus est. Quando promissio facta est ad causam piam, Ecclesiæ, pauperi &c. ita tamen, ut promissio, vel verba promittentis non sint directa ad ipsum locum pium, v. gr. promitto huic Ecclesiæ, huic pauperi talem, & tantam eleemosynam; sed ad ipsum Deum: utpote promitto Deo, huic Ecclesiæ dare calicem &c. hanc promissionem revocari non posse, etiamsi Ecclesia, vel pauper nondum acceptarit, immo nec sciverit, fatentur omnes, & merito, hæc enim promissio pia directa ad ipsum Deum est ipsissimum votum, seu promissio facta ipsi Deo, ideoque per modum voti statim obligat, scilicet ipso Deo statim acceptante, (ecce acceptationem) ut amplius revocari non possit. 43

Secundus casus est in Jure civili *L.* 1. 3. *&* 4. *ff. de pollicitationibus*. Quod si quis civitati, vel Reipublicæ aliquid promiserit ob causam publicam, v. g. ad reparandam ruinam civitatis, ad perficiendum ædificium inchoatum, ob honorem a Republica sibi exhibitum, gratitudinem, is obligetur, nec possit revocare, etiam antequam acceptetur, & in pactum transeat. Verum hinc non infertur, promissionem obligare ante acceptationem, quippe Jure naturali requisitam, & humana lege non tollendam: sed solum Respublica obligat promittentem ad non revocandum, & ipsamet publica lege ejusmodi promissiones sibi factas acceptat, ut recte respondet Laym. *cit.c.1.n.3.* & Lug. *cit. disp.23. a n.45.* addens ejusmodi promissiones acceptari ab audientibus nomine Reipublicæ, quippe per has leges factis Procuratoribus Reipublicæ. 44

Tertius casus, quando aliquid promittitur, vel datur infanti, talis promissio, vel datio est irrevocabilis ex Jure *L. Jubemus c. de emancipatione*. Verum hæc lex solum loquitur de emancipatione, non de aliis rebus promissis. Ratio disparitatis patebit infra in fine. Casus ergo communiter receptus est, quando promissio facta est infanti absenti, seu directe, aliquo præsente, qui nomine infantis acceptet, v. g. promitto tibi Paulo, isti infanti dare alimenta &c. hanc promissionem revocari non posse, etsi non ipse infans, sed tu tantum acceptes, communiter docent DD. Sed vides jam etiam hic esse acceptationem factam a tertio, videlicet te præsente, quasi constituto legitimo Procuratore in re utili infantis. Sic Tamb. *cit. tract. 6. cap.* 7. §. 3. 45

Quartus casus addi posset in legato: nam ut legatarius acquirat jus ad legatum sibi destinatum, non videtur requiri ejus acceptatio; immo nec notitia de eo, sed statim secuta morte testatoris legantis, res legata ad legatarium pertinet. At revera etiam in legatario requiritur subsequens acceptatio; alioquin certe legatum sibi non acquiret. Itaque lex propter bonum publicum disposuit, hac acceptatione posita, acquisitionem legati retrotrahi ad tempus mortis testatoris, quasi tunc fieret, cum testator post mortem jus transferre amplius non possit: ut docetur in materia de Testamentis. 46

Dicta hactenus de acceptatione necessaria ad obligationem promissionis, etiam intelligenda sunt de valida remissione debiti, ut si ego tibi remittam debitos mihi 100. aureos, ante acceptationem tuam non obligor remissione facta, sed eam pro libitu revocare, ac debitum adhuc exigere possum. *Ratio est*, quia etiam remissio debiti aliqua donatio est, &, ut vocatur, condonatio, & per eam transferri debet jus meum, quod ut creditor habeo in te debitorem meum, sed non potest jus transferri in alterum sine ejus acceptatione, ut ex dictis patet: ergo &c. Sic Lug. *cit. disp.* 23. *n.* 54. Aliud autem est in sola cessione, vel renuntiatione juris, quod habeo in alterum: tunc enim non requiritur acceptatio alterius, cum nullum jus in alterum transferam; sed solum juri meo renuntiem, & sic lex supra casu 3. allata disponit emancipationem infantis fieri posse sine ejus acceptatione, quia in emancipatione pater nil transfert in filium, sed solum cedit patriæ potestati, qua potestate legitime dimissa, filius, vel infans statim revertitur ad suam naturalem libertatem. Sic conjux remittens alteri conjugi culpam adulterii, non potest eam remissionem amplius revocare, quamvis illam alter conjux nescierit, nec acceptarit, quia hæc est mera cessio, seu renuntiatio juris, qua conjux innocens posset alteri nocenti jure negare debitum &c. non vero est remissio debiti, seu translatio juris in alterum; quod notent Confessarii adulterorum, ut nec ignaris hoc jus indicent: ignaros autem suaviter ad reconciliationem, & cessionem illius juris inducant. His suppositis de necessitate acceptationis ad obligationem promissionum, videnda nunc sunt requisita ad legitimam acceptationem. 47

§. V. *Acceptata legitime ab altero.*

ASSERTIO IV.

Omnis promissio, ut valida sit, & obligationem inducat, debet esse acceptata legitime, hoc est, ab ipso promissario, seu illo, cui promissio facta est, aut ejus legitime vices gerente, & audiente, & absolute: non tamen necessario externe, & expresse: nisi in contractibus onerosis, nec necessario vivente adhuc promittente, vel donante liberaliter per se ipsum. Percurramus breviter singula. 48

§. I.

§. I. *Ab ipso promissario, vel ejus legitime vices gerentes.*

49 Certum apud omnes. Nam sicut promittens solum potest se ipsum, & in sua re, vel facto obligare, sic e converso acceptans sibi tantum acceptare, vel stipulari, & acceptando jus acquirere potest, & non alteri ad se non pertinenti, ut expresse habetur *L. stipulatio, ff. de verbor. obligat.* & alii: adeoque omnis promissio, ut obliget, debet esse acceptata, vel ab ipso promissario, cui promissio facta est, vel ejus legitime vices gerente, cui scilicet per Leges concessum est pro ipso stipulari, seu acceptare promissionem, ac promissorem obligare. Hujusmodi est omnis, qui alterius juri subjectus est, vel sub alterius potestate constitutus est, juxta jus cit. Itaque pro alio absente promissionem acceptare, & stipulari possunt sequentes.

50 I. Absentis delegatus, vel mandatarius, cui scilicet ab absente expresse mandatur, atque ad id ab eo deputatur, ut loco suo promissionem quamlibet acceptet, tunc enim promissarius absens censetur moraliter præsens in illo suo delegato, & juxta notam Regulam Juris; *Quod quis per alium facit, per seipsum facere censetur.* Quo spectat etiam is, qui pro alio stipulatur, quando, & quatenus etiam sua interest ejusmodi acceptatio, ut infra patebit: tunc enim non tantum est acceptatio pro alio, sed etiam pro se.

51 II. Filiusfamilias pro patre: servus, mancipium (non item servus conductitius ad servitia, cum non sit perfecte subditus, pro domino; Regularis pro Prælato, vel Monasterio; Clericus pro suo Episcopo, vel Capitulo &c. stipulari possunt, quamvis iis liberum maneat, stipulationem suo nomine factam postea ratam habere, vel respuere: Laym. hic *c. 1. nu. 4.* Ratio est: quia isti propter arctam conjunctionem censentur quasi una persona cum iis, pro quibus stipulantur, seu obligationem acceptant.

52 III. Qui aliorum administratores sunt, ut pater pro filiofamilias, Tutor pro pupillo, Curator pro minorenni, secundum communiorem sententiam, Magistratus, vel Judex pro subditis, Prælatus, vel Parochus pro propria Ecclesia in causis piis, vel rebus ad Ecclesiam pertinentibus valide stipulantur, ut in utroque jure habetur. *Ratio est eadem*, quæ supra. Et insuper quia ejusmodi acceptationes plerumque etiam redundant in bonum acceptantis, bonum enim filiifamilias est etiam bonum patris; bonum Ecclesiæ est etiam bonum Prælati, vel Parochi &c.

53 IV. Quilibet potest stipulari pro muliere ob favorem dotis, aut donationis ad nuptias. Item quilibet pro causa pia: nam causæ piæ eundem favorem habent, quem habet dos. Sic Jura habent apud DD. passim, & videre potes Dian. *p. 8. tr. 6. res. 69.* Cæterum stipulari, seu acceptare pro alio certe non possunt, nisi in casu, quo sua etiam interest acceptatio. 1. Filius emancipatus pro patre. 2. Filius quivis pro matre. 3. Frater pro fratre. 4. Servus conductitius tantum pro Domino: hi enim non sunt subjecti illorum potestati. Dubium autem est, an possit stipulari pater pro filio emancipato, aut mater pro filio quocumque. Utrumque affirmat *Sanch.* cum aliis. Alii non pauci negant utrumque probabiliter. Sed lege Sanch. *l. 1. de matr. disp. 7.* per totum, & te curiosum non pœnitebit.

§. II. *Et ab audiente.*

54 Ad legitimam acceptationem secundo requiritur, ut qui acceptat, audierit promissionem, vel donationem sibi factam: idque, vel ab ipso Domino, sive coram, sive per Epistolam ab ipso legitime subscriptam, vel ab alio internuntio legitimo, scilicet per ipsum Dominum designato, (non item ab alio fortuito solum audiente, vel referente.) Ita cum Juristis Theologi communiter. Sanch. *l. 1. de matr. disp. 6.* Molin. *disp. 264.* Lug. *cit. disp. 23. sect. 5. n. 72.* Tamb. *l. 9. c. 7. §. 6. n. 9.* & alii passim. Ratio est, quia solus dominus, vel ejus legitime vices gerens potest transferre in te jus ad rem suam per validam promissionem, vel donationem, non vero quilibet tertius forte audiens sine legitima commissione ipsi data (etsi tunc adhuc contrahat aliquam obligationem ex fidelitate, juxta superius dicta) ergo nisi dominus per se, vel per alium per se deputatum hanc translationem tibi legitime notam faciat, se animum verum transferendi habuisse, non potes judicare, nec consequenter acceptare promissionem tamquam obligantem ex Justitia.

55 Non ergo sufficit, si audieris ejus promissionem, vel donationem tibi factam a quocumque alio tertio, qui casu audivit, vel conscius fuit ob dictam rationem: nisi forte in casu, quo promittens loqueretur coram multis eo animo, ut sic sua promissio perveniat ad promissarium; eo modo, quo testator loquitur coram Notario, vel testibus, ut cognitio suæ ultimæ dispositionis perveniat ad hæredem viventem, immo forte adhuc nondum natum, nam revera tunc præsentes audientes, & cognoscentes promittentem loqui eo animo, ut notitia promissionis ad promissarium perveniat, designantur, & destinantur ad ferendum illam notitiam, & non sunt meri tertii missi, quod innuit *Lugo cit.*

56 Quin etiam, ut pro absente alius legitime acceptare possit promissionem, necesse est, ut promittens promissionem suam ad præsentem ipsum dirigat, & non sufficit ut dirigat ad ipsum promissarium absentem, præsente audiente. E.g. Si dicas, promitto tibi Petro præsenti, Paulo donare equum, nuptui dare filiam &c. tunc si Petrus præsens alias pro Paulo legitime acceptare possit juxta dicta, & acceptet, valebit promissio, & obligabit promissorem: Secus, si legitime acceptare nequeat. Contra vero, si, præsente licet, & audiente Petro, dicas: promitto, vel dono hunc equum Paulo, despondeo ipsi hanc filiam &c. tunc quiscumque præsens acceptet, etiam alias legitime acceptare potens, ut Tutor, Curator &c. (excepto solo, si ille præsens fuisset a Paulo ad hanc promissionem acceptandam expresse deputatus, tunc enim Paulus censeretur præsens in illo, ut supra notatum) nil operabitur ejusmodi acceptatio, estque perinde, ac si nulla prorsus fuisset: unde tu eam promissionem pro libitu poteris revocare ante aliam absentis acceptationem. *Ratio est*, quia cum hoc modo nulla ratione contrahatur cum præsente, sed solum cum absente, hujus assensus erit expectandus. *Communis DD.*

§. III. *Et absolute.*

Requiritur ad validam statim acceptationem, ut promissarius acceptet absolute, & non conditionate: si enim conditionata sit acceptatio: ut accepto a te promissum equum, si ita facturus sum: accepto promissum matrimonium, si pater consentiat, si conjux mortua sit &c. omnino expectari debet conditio, ad hoc, ut promissio obliget, ut de se patet, & jam supra indicatum de promissione conditionata. Una, aut altera dubia conditio explicanda. 57

Una est. Quid si promissarius hoc modo acceptet promissionem: *accepto, si tu vis, si tibi placet?* Resp. Sufficere hanc acceptationem, nam si ego tibi promitto, vel dono tibi aliquid præsenti, jam volo, & mihi placet, ut acceptes, & habeas: ergo, conditione subsistente, sufficienter acceptas. Dico tamen: *tibi præsenti*; Nam si tibi absenti per Epistolam vel nuntium aliquid promitterem, non semper sufficeret talis acceptatio, quia potuit contingere, ut ego interim animum mutaverim, & jam nolim amplius tibi donare, vel promittere, & consequenter conditione non amplius subsistente, nec tu valide possis acceptare. 58

Altera est. Quid si ita acceptes; v. gr. *accepto tuam promissionem, si tu eam servare velis*, vel: *remitto tuæ voluntati, si velis promisso stare?* Resp. Non sufficere, nullam esse ejusmodi acceptationem: Sic enim acceptando relinquis promittentem sine omni obligatione servandi promissum; ergo & promissionem nullam relinquis, cum de essentia promissionis sit obligatio. Cæterum in omni acceptatione valida necessario supponitur illa conditio velut essentialis. *Si promissio vera sit, si vere promittis*: omnino enim requiritur, ut acceptatio sit circa promissionem veram, non autem fictam, alioquin clare nihil acceptabis. Quinimo, etiamsi ego tibi vere promisissem, sed tu putans me fingere, vel jocari, nihilominus acceptes, non erit sufficiens acceptatio, quia tu acceptare non potes, nisi id, quod cognoscis; cum ergo non cognoscas, nisi fictam promissionem, fictam solum acceptas: hoc est, acceptas nihil. *Sanch. Tamb. cit.* 59

§. IV. *Non tamen necessario externe, & expresse, nisi in contractibus onerosis.*

In Liberali promissione, donatione absenti facta, non necessario requiri acceptationem externam sensibilem promittenti manifestam, sed bene in contractibus onerosis, jam assertum habes. §. 3. Similiter in promissionibus, donationibus, vel contractibus liberalibus gratuitis non necessario requiritur acceptatio expressa, sed etiam sæpe regulariter sufficit tacita per silentium: in istis enim mere lucrativis contractibus silentium arguit acceptationem: si enim ego liberaliter offeram 100. aureos, dotem pro nuptiis &c. & tu id ex me audiens taceas, approbare, & acceptare convinceris. Ex communi Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 6. n. 11.* multisque *c.* Dian. *pag. 8. tract. 9. res. 106.* citati a Tamb. hic *l. 6. tr. 9. c. 7. §. . n. 19.* Ratio est, quia in re sibi utili, & ex qua non nisi commodum sequitur, maxime locum habet illa Regula Juris. *Qui tacet, consentire videtur.* Dixi tamen *Regulariter.* Potest enim contingere non raro silentium oriri ex verecundia, ne offendatur promittens, si non acceptem. Immo aliquando ex ipsa re oblata, vel promissa, utpote tam parva, vili, & indigna, oriri potest, ut silentium ostendat potius rem despici, quam approbari, uti recte notat Tamb. modo *cit. n. 20.* 60

At vero in contractibus onerosis, & utrinque obligationem inducentibus, ut venditione, emptione &c. omnino requiritur, ut dum promissio unius offertur, alterius præsentis acceptatio expressa sequatur statim, & plerumque incontinenti, nisi alter moram deliberandi faciat. Alioquin si mercatori, verbi gratia, spondeas pro merce tali dare centum aureos, isque taceat, vel ad alia negotia vos conferatis, & postea dicat is, se contentum esse, & pretium promissum acceptare, poteris tu interim sensum revocasse, nisi ipsi interim copiam, & tempus deliberandi concesseris.

§. V. *Neque necessario vivente adhuc promittente, vel donante liberaliter per se ipsum.*

61 Quando aliquis per se ipsum verbis, vel Epistola transmissa, tibi aliquid liberaliter promisit, vel donavit, non est necesse, ut vivente adhuc ipso promittente, vel donante, acceptes promissionem, vel donationem tibi factam, sed (nisi ipse ante mortem revocaverit) etiam post mortem tu promissarius, vel donatarius acceptare potes, immo & hæres tuus. Uti contra alios recte docent *Sanch. Less.* apud Tamb. cit. n. 13. Ratio est, quia quousque promissio, vel donatio non revocatur, censetur etiam post mortem durare: unde & apta, ut hæres tuus eam adhuc acceptare possit. Neque poterunt hæredes defuncti ejusmodi promissionem ab ipsomet non revocatam amplius revocare, cum jus revocandi personale sit, nec transeat ad hæredes: uti docent *Bartol. Clarus, & alii* apud Tamb. *c. num.* 18. Multo magis ergo, quandocumque ejusmodi promissio vel donatio jam acceptata fuit a promissario, vel per se ipsum, vel per suum legitime vices gerentem; atque re nondum tradita, promittente, vel donante e vivis sublato, postea hæredes ejus promissionem, vel donationem revocare non poterunt: Quia hoc casu nec ipse promissor, cui hæredes succedunt, ejusque personam repræsentant, in vivis revocare potuisset. Transit ergo obligatio ad hæredes, quemadmodum & actio promissarii ad ejus hæredes devolvitur, nam hujusmodi promissionem jam acceptatam transire ad hæredes, ad rem ex justitia tradendam promissario, vel ejus hæredibus ex communi Juristarum, & Theologorum docetur in materia de Testamentis.

62 Dixi autem notantissime: *Quando aliquis per se ipsum promisit, vel donavit*. Secus, si promissio, vel donatio commissa, vel mandata sit, ut fiat per alium, nuntium, vel mandatarium: tunc enim non potuit amplius valide acceptari post mortem promittentis, vel donantis, sed, si interim dum nuntius, vel mandatarius ad promissarium pervenit, promissor moriatur, promissio omnino exspirat, ita ut amplius acceptari nequeat a promissario, nec res promissa tradi debeat, sed hæredibus defuncti accedat, uti docet communis, & verior Sententia DD. meique omnes Sanch. Mol. *t.* 2. *disp.* 263. Laym. *cit. c.* 1. *num.* 5. Et saltem quoad forum externum habetur expresse *L.* 2. §. sed si quis donaturus *6.* ff. de donationibus: ibi. *Sed si quis donaturus mihi pecuniam, dederit alicui, ut ad me perferret, & antea mortuus erit quam ad me perferat, non fieri pecuniam dominii mei constat.* Ratio est: Quia donatarius in hoc casu vel haberet jus acceptandi ex vi pacti, promissionis, vel ex vi mandati. Non ex vi pacti, quia mecum immediate nihil adhuc pactus est, neque ex vi mandati, quia mandatum extinguitur per mortem mandantis, si executioni nondum dari cœpit. *L. mandatum* 15. *C. mandati*. Quod autem habetur in Jure canonico c. si tibi absenti de præbendis in *6. Si expedita sit gratia ex parte concedentis, licet is moriatur, antequam ad executionem processum sit, tamen executor nihilominus exequi debet*: patenter solum decretum est in provisionibus Beneficiorum, dispensationibus, & ejusmodi gratiis, quæ ex debito officio Ecclesiasticæ potestatis procedunt, ut ea ex parte conferentis valida, & irrevocabilia censeantur, quia tunc conferens non agit proprio jure, & dominio (ut fit in proposito) sed jure Ecclesiæ, & ut administrator. Licet etiam tunc alteri dominium, & jus non acquiratur, antequam directe consensum præbeat.

63 Nihilominus non improbabilis est contraria Sententia absolute confirmans promissionem, vel donationem liberalem, sive facta sit ab ipso promittente, vel donante, sive mediante nuntio, vel mandatario, non exspirare per mortem donantis, sed semper etiam post ejus mortem valide acceptari, recipi, & acquiri posse: Quia mandatum favorabile cum sit mera gratia facta, non debet exspirare morte mandantis, juxta *c. si super gratia de offic. deleg. in 6.* etsi nonnulla subsistente disparitate: Ita docent Emman. Sa, *Ver. donatio n.* 29. Diana *p.*8. *tr.* 6. *resol.* 95. Tamb. *cit. lib.* 9. *de contract. tract.* 9. *cap.* 7. §. 6. *nu.* 17. & *lib.* 8. *Decal. cap.* 1. *tract.*4. §. 5. *nu.* 11. in hoc notabili casu. Titius æger famulo suo dedit vas argenteum, ut suo (Titii) nomine dono traderet Cajo: at famulus nequam non tradidit, sed retinuit dolose usque post mortem Titii. Quæritur jam, cujus sit illud vas? Communis responsio est, ejus hæredum. Quæritur rursus, ad quid jam famulus obligetur: Molin. *t.* 2. *disp.* 236. *n.* 7. cum aliis contendit ex communi a famulo duplicatam deberi restitutionem: Cajo enim donatario debebit vasis æstimationem: propter damnum, quod ei intulit, dum ei donum non tradidit, vel saltem significavit, ut potuisset illud acceptare, & sic jus in donum acquirere: hæredibus autem debet restituere vas, quia cum omne mandatum exspiret morte mandantis, illud autem mandatum Titii ante ejus mortem non habuerit effectum, jam nunc vas illud non pertinet ad Cajum donatarium, sed ad hæredes defuncti Titii: nisi forte donatio facta fuerit ad piam causam: tunc enim in favorem animæ præsumitur mandatum subsistere. Sic fere *Molina*. Verum duplicata hæc restitutio dura nimis videbitur famulo: ideo probabilis videtur Sententia modo allata, sufficere nimirum, si famulus reddat ipsum vas Cajo donatario tantum, quia nimirum satis est probabile, mandatum illud, cum sit favorabile, & ex gratia datum, non exspirare cum morte mandantis, sicut non exspirant cæteræ gratiæ factæ: ut concessiones Privilegiorum &c. Neque hæredes rationabiliter deberent esse inviti, cum alias ex mente defuncti ad ipsos non pervenisset.

§. VI. *Semper obligans ex virtute fidelitatis.*

Nimis clarum est, omnem promissionem, juxta hactenus dicta, legitime factam, ac acceptatam, obligare ad sui impletionem, saltem ex virtute fidelitatis, qua quis tenetur sua dicta conformare factis, & cum fide a se data alteri: Definitur enim promissio *deliberata, & spontanea fidei obligatio alteri facta* &c. Certum est etiam, promissiones sæpissime obligare ex Justitia, adeoque mortaliter ex genere suo, quando nimirum ita determinat vel lex Divina: ut in matrimonio, sponsalibus, & similibus, vel lex humana: ut in contractibus, & pactis vestitis, aut ipsa lex naturalis; ut in omni contractu oneroso: secundum omnes. Sed 64

Quæstio difficilis est, & maxime practica, quanta sit obligatio promissionis cujusvis in genere, etiam liberalis. Duæ sunt Sententiæ oppositæ. I. Asserit, omnem promissionem seriam generaliter ex genere suo obligare sub mortali; si nimirum sit quantitas materiæ sufficiens, utique multo, duplo, aut etiam triplo major, quam requireretur ad furtum mortale; quia promissor agit de proprio: fur de alieno. Navar. *cap.* 18. *n.* 6. Less. Filliuc. alii apud Dian. *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 9. II. Sententia indistincte affirmat, omnem promissionem obligare solum sub veniali per se loquendo, secluso damno, vel scandalo. *Cajet. Sot. Armil. Sa, Molin.* aliisque congestis Sanch. *de matr. l.* 1. *disp.* 5. aliique *cit.* Verum distincte, & media via incedendum, & dicendum est id totum pendere ex intentione promittentis, quæ quadrivaria esse potest. 1. Si voluit se obligare expresse ex virtute fidelitatis tantum. 2. Si voluit se obligare expresse virtute justitiæ. 3. Si voluit se obligare graviter in re gravi, non cogitans tamen ex qua virtute. 4. Si voluit se obligare simpliciter in re gravi, non tamen cogitans, vel determinans, an graviter, vel leviter, aut ex qua virtute, qui modus solet esse communissimus. Jam pono 4. breves, & claras 65

Resolutiones.

I. *Si promittens liberaliter voluit se obligare expresse ex virtute fidelitatis tantum, obligabitur solum sub veniali: ac generaliter omnis promissio, obligans solum ex virtute fidelitatis, obligat solum sub veniali per se loquendo, & sine onere restitutionis, si promissum non servetur.* Ita DD. secundæ Sententiæ. Et expresse Lugo *disp.* 23. *sect.*9. *n.* 72. alii apud ipsum. *Ratio est*: Quia promittere, & velle se obligare ex fidelitate tantum, est dare fidem alteri de re facienda, ac per hoc consequenter est dare alteri rationabilem spem tantum (non jus aliquod proprie dictum) per quam is a te prudenter expectat rem promissam: atqui deludere ejusmodi fidem, & spem datam, certe ex se non nisi leve est, nec gravem continet turpitudinem: continet enim solum turpitudinem infidelitatis, ut nimirum turpe, & inhonestum sit contra conjunctionem, & societatem humanam, fidem datam non servare: ut proinde quis dignus non sit, cujus promissionibus fidatur, quæ certe turpitudo gravis non est: sicut enim mendacium contra virtutem veracitatis tantum, secluso damno, vel scandalo per se non continet malitiam gravem, & mortalem, sed venialem tantum, licet mentientem reddat indignum fide in dictis suis: ita deceptio in promittendo, seu non servare promissa contra virtutem fidelitatis per se non continet gravem malitiam, sed venialem tantum, quia per hoc non violatur jus alterius, sed solum spes concepta; ac per hoc solum deformatur promittens, qui ideo, quod non servet promissum, indignus fit, cujus promissis alii fidant, adeoque violatur solum debitum morale honestatis; vel debitum aliquod legale, & justitiæ legalis, & consequenter, etsi pecces ejusmodi promissionem non servando, vel revocando, ab onere tamen restitutionis liber eris. Dixi tamen semper, *per se loquendo*; nimirum secluso scandalo gravi, quod semper cavendum est: aut damno gravi, quod ex promissione liberali non servata, forte sequeretur promissario: ut, v. g. si ex eo, quod ego tibi promisi mutuare frumentum, & non mutuavi, postea debuisti tu carius emere, quam valebat tempore promissionis: tunc enim sine dubio pecco contra justitiam graviter pro ratione materiæ, & quantitatem damni resarcire debebo secundum omnes. 66

II. *Si promittens, etiam liberaliter, voluit se expresse obligare ex virtute Justitiæ, obligabitur sub mortali ex genere suo: scilicet in re gravi, & cum onere restitutionis, si non servetur promissum, & consequenter absque tali onere promissionem revocare non poterit. Et generaliter omnem promissionem, vel contractum obligantem ex justitia obligare sub mortali cum onere restitutionis, apud omnes in confesso est*. Et hoc forte intendunt DD. plerique I. Sententiæ. *Ratio est*: Quia velle se obligare ex virtute justitiæ ad ali- 67

aliquid dandum, vel faciendum, est velle transferre in promissarium jus aliquod ad rem promissam, ac velle se ita constituere illi debitorem illius rei, ac si ab illo aliquid accepisset ad conferendum ipsi hoc jus, quod enim pro pretio facere possum contractu oneroso, possum etiam facere contractu gratuito; cum quilibet de re sua possit pro libitu disponere, & sicut donando alicui domum v. g. transfero in ipsum jus ad rem, & jus in re: ita sane liberaliter promittendo, si velim præfato modo, possum in ipsum transferre jus ad rem, & per hoc me constituere debitorem ex justitia, prout de facto fit in promissionibus stipulatis: atqui supposita ejusmodi translatione juris in alterum circa rem gravem, graviter etiam sane læderetur in suo jure promissarius, si promissum non servaretur: ergo talis promissio etiam liberalis obligat sub mortali ex genere suo; nimirum in materia gravi, de qua mox.

68 III. *Si promittens liberaliter rem gravem voluit libere se graviter obligare, etsi non cogitet ex qua virtute, tunc certe obligatur ex virtute Justitiæ, adeoque graviter.* Ita expresse Molin. *to.2. disp. 262.* Lugo *cit. n. 90.* *Ratio est*: Quia non potest se obligare graviter ex sola fidelitate, ut in primo casu ostensum est: ergo tantum ex justitia, neque obligatio gravis ex promissione liberali oriri potest, nisi ex eo, quod promittens voluerit transferre jus ad rem in promissarium, sicut in casu præcedenti: hac autem translatione juris facta, jam exurgit obligatio gravis ex justitia ad implendum promissum in re gravi; sermo enim semper est de re gravi; nam ex una parte, si res vere levis sit, qualitercumque intendat se obligare promittens, non exurget obligatio gravis sub mortali ob materiæ incapacitatem, juxta communem doctrinam in materia de legibus, & præceptis, immo etiam de votis, & juramentis promissoriis. Ex alia autem parte omnes consentiunt in promissionibus gratuitis ad obligationem, & violationem mortalem requiri majorem longe materiam, & quantitatem rei promissæ, quam requireretur ad furtum mortale, ut jam supra indicatum est. Et placet Regula data a Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 6. n.24.* requiri scilicet quadruplo majorem, quam in furto mortali, v. g. Si huic homini furari unum florenum esset mortale, ut pecces mortaliter, non servando promissum cum intentione te graviter obligandi, requiritur res promissa pro 4. florenis. *Ratio* jam dicta est: Quia longe minus offendit, qui non dat rem suam, quamvis promissam, quam qui alienam furto rapit. Et certe, qui rem suam liberaliter promisit, non debet tam rigorose, & æque urgeri ex sua liberali munificentia, ac alius ex delicto furti.

69 IV. *Si promittens voluit se simpliciter obligare etiam in re gravi, non tamen cogitavit, vel se determinavit ex qua virtute, aut an graviter, vel leviter,* (qui modus promittendi solet esse quotidianus) *obligabitur solum venialiter ex virtute fidelitatis.* Ita Mol. & Lugo modo citati. *Ratio est:* Quia homines quando aliquid promittunt liberaliter, abstrahendo, vel non advertendo ad qualitatem, vel quantitatem obligationis, si nil aliud addant, non intendunt, nec censeri possunt se velle obligare, nisi ad id, quod requirit natura promissionis liberalis ex genere suo: sed hæc non requirit nisi obligationem levem ex sola virtute fidelitatis, ut supra dictum: ergo &c. Certe nec ipse promissarius ex tali promissione aliquid amplius expectat, & imprudens, vel impudens merito judicaretur etiam, si cum eodem rigore expectaret sibi liberaliter promissum, quo solet expectari imposterum id, quod debetur ex Justitia. Denique promittens etiam in hoc casu est dubius, an graviter, vel leviter obligetur: ergo sicut in lege, vel præcepto, quando dubium est, an obliget graviter, vel leviter, possum eligere, quod minus est, scilicet obligationem levem, ita a fortiori in promissione, quæ est quasi lex privata, quam sibi imponit promissor. Hinc merito dicunt *Molina, & Lugo* in promissionibus liberalibus ut plurimum deesse, & in dubio præsumendum, defuisse animum obligandi se ex justitia. Et Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 5. nu. 21.* monet plurimas promissiones excusare a mortali, quia non intendunt homines se obligare præcise, & simpliciter, sed ex quadam benevola honestate, ut jam in proverbium abierit: *Verba honoris non sunt obligatoria.*

70 Dixi autem notanter 1. Quando promittunt *liberaliter*; de solis enim promissionibus liberalibus resolutio loquitur: nam in promissionibus, & contractibus onerosis debet adesse, & in dubio regulariter præsumitur adfuisse animus obligandi se ex Justitia; ideoque pro ratione materiæ, graviter, vel leviter: nam in contractu oneroso promittens ex Justitia debet habere talem intentionem, vel animum, ne decipiat alterum, obligando ipsum ex Justitia, sine animo se ei vicissim obligandi.

71 Dixi 2. *Si nil aliud addant.* Nam si promittens liberaliter in hoc 4. casu addat juramentum, vel scripturam publicam, vel quid simile, quo promissio in pactum vestitum legibus confirmatum transeat, aut verbum aliquod significans rigorosam obligationem, v. g. Serio scilicet, & non urbanitatis gratia, vel causa dicens. *Obligo me quantum possum, ad hoc, vel illud faciendum:* jam signum est, se voluisse obligare graviter, adeoque ex Justitia, juxta dicta in 2. & 3. casu. E contra autem signa, & indicia dignoscendi non adfuisse animum te obligandi ita graviter, sunt si rogatus fuisses, an voluisses obligare te sub mortali, certo respondisses, te nolle, aut, si requisitus, ut promissionem tuam juramento firmes, id recuses, non ob solam juramenti reverentiam, sed ne adstringaris tantopere ad observandam promissionem. Juramentum enim promissioni alias sub veniali solum obliganti, in materia sufficienti addit specialem obligationem sub mortali ex virtute Religionis ob reverentiam Divini Nominis in testimonium invocati.

SUBSECTIO.

Quibus modis cesset obligatio promissionis cum dubiis aliquot expressis.

SUMMARIUM.

72 *Quibus modis expiret obligatio promissionis.*
73 *Si res promissa sine culpa promittentis pereat, ad quid iste teneatur.*
74 *Qui bona fide promisit rem alienam, postea cognoscens esse, vel fuisse alienam, ad quid promissario teneatur.*
75 *Qui eandem promisit pluribus, cui tradenda.*
76 *Quid, si quis rem simpliciter promissam uni, postea cum juramento promittat alteri.*

PRomissionis obligatio sive sit ex fidelitate tantum, sive ex Justitia, sive juramento firmata, cessat, & expirat variis modis, & maxime istis. 72

I. Remissione promissarii: sicut enim promissio nulla obligat, nisi eo acceptante, ita eo remittente, omnis obligatio expirat: quemadmodum etiam omnis contractus mutuo paciscentium consensu dissolvitur, juxta Regulam juris Canonici: *Omnis res, per quas causas fit, per easdem perit.* II. In promissione reciproca inter duos, sive liberalis sit, sive onerosa, si alter implere promissum nolit, etiam primus absolvitur ab obligatione, quia hæc censetur justa causa, ut te revocante tuam promissionem, & ego meam revocem. Communis DD. Quidquid dicat Navarr. *c.18. n. 7.* III. Quando cessat finis principalis promittendi, ut, si promisisti alimenta Petro pauperi, isque evadat dives: si promisisti domum ut singulari amico; isque evadat inimicus graviter. IV. Quando fit notabilis mutatio materiæ promissæ, ut, si fiat impossibilis, illicita, inutilis. Ut, si promisisti gladium Titio, qui postea furiosus factus, vel injuste occisurus Petrum, petit, non teneris. V. Si fiat notabilis mutatio circumstantiæ, vel status circa personas ipsas, quæ si ab initio fuisset, promissionem, vel contractum irritasset, ut latius explicatur in materia de votis, & juramentis, & sponsalibus. VI. Cessat promissio liberalis ex iisdem causis, ob quas potest revocari donatio, de quibus cap. seq. *a num. 57.* Cæterum hic aliquot dubia expedienda sunt.

Dubium I.

QUid si res promissa sine culpa promittentis pereat, ad quid tenebitur postea promittens? Resp. sub necessariis distinctionibus. Aut enim 1. res promissa liberaliter est determinata in specie, vel potius in individuo; hic liber, hic equus, v. g. & tunc, si sine culpa debitoris pereat, promittens non amplius obligatur. Aut 2. Res promissa est indeterminata. Ex. gr. Titius promittit Cajo unam ovem ex duabus, vel 100. suis ad electionem ipsius Caji, & postea sine culpa Titii perit una ex duabus, vel plures ex 100. vel omnes oves: & tunc si post electionem a Cajo factam pereat ipsa ovis electa, rursus nil amplius debebit Titius: quia sicut post electionem ipsa ovis electa Cajo debetur, ita ut ipsi pereat, congruum est: si vero ante electionem Caji una ex duabus, vel plures ex 100. ejus ovibus pereant, remanente altera, vel aliis, obligatur Titius alteram, vel aliam ovem ex residuis dare Cajo, quia ante electionem illa, vel illæ oves Titio perierunt, & Cajus non est defraudandus re sibi promissa. Denique, si ambæ, vel omnes oves Titii perierunt, rursus ad nihil tenebitur Titius, quia sine ejus culpa deficit tota materia promissionis. Dico autem semper *sine culpa promittentis*: nam si res promissa gravi culpa, vel dolo promittentis pereat, debebit is sane juxta promissionem, sive ex fidelitate, sive ex Justitia re alia æquivalenti compensare, ita enim damnificatio promissarii ex culpa promittentis proveniens omnino exposcit. Ita cum aliis Tamb. *t.2. l.9. tr.9. c.7. §.7. a num. 37.* 73

Dubium II.

QUid, si quis bona fide promittat rem alienam, & ante traditionem, vel etiam postea cognoscit revera esse alienam, aut de facto a Domino comparente res evincitur, ad quid tunc tenebitur promissario? Resp. Iterum cum distinctione, aut promisisti rem determinatam, v. g. hunc librum, equum &c. Et sic ad nihil obligaberis, cum nescieris tuum non fuisse, quia in promissionibus, vel donationibus liberalibus nemo præsumitur se obligare ad alterum tantum, sive (ut vocant Juristæ) ad evictionem: cum promissarius, vel donatarius, re evicta, nullum damnum patiatur. At vero si promisisti 74

misisti indeterminate aliquem librum, v. gr. aliquot florenos, certe manebis obligatus adhuc tradere alium librum, aliam pecuniam: quia eo modo promittendi rem tuam promisisti, non alienam. Ita cum aliis Mol. *disp.262.num.6.* Dixi rursus: *si quis bona fide promisit:* nam, si mala fide promittas rem, v. g. librum, equum &c. quem scis esse alienum, nimis manifestum est, nullam esse promissionem tuam, quia de re aliena disponere non potes: Et ex alieno liberalem esse, species furti est: & insuper non effugies notam deceptoris, & onus compensandi damnum, si quod inde sequatur donatario.

Dubium III.

75 Quid, si quis eandem rem successive promittat pluribus singulis acceptantibus, cui ea tradenda erit? Quid debebitur reliquis? Resp. Clarum esse, rem promissam debere tradi primo legitime acceptanti, & nihil deberi reliquis ex vi promissionis. *Ratio est:* Quia tunc promissio secundo, tertio, aliis facta, supposita promissione facta primo, illicita est, & nulla: adeoque nullam per se obligationem inducit: idque maxime verum est, si rem promissam primo eidem jam tradidisti. At contra: si rem primo promisisti solum, non tradens, secundo vero promittens etiam tradidisti, quamvis sic peccaveris contra obligationem prioris promissionis primo factæ, secunda tamen traditio valet, & secundus rem suam facit, juxta dicta de jure *ad rem*, & *in re*: & hic multum valet illud vulgatum juris: *Multa facta tenent, quæ tamen fieri prohibentur.*

Dubium IV.

76 Quid, si quis rem antea simpliciter promissam uni, postea cum juramento promittat alteri? Resp. primam promissionem cedere posteriori juratæ, affirmant *Innoc. Abb.* alii, maxime *Canonistæ* apud Sanch. *l.1. de matr. disp.50. n.1.* Sed recte negant DD. communiter, & ipse Sanch. *cit. num.* 2. cum Lug. *disp.23. sect. 7. nu.* 106. Et quidem si prior promissio obligabat ex Justitia, certum est, posteriorem juratam non præjudicare, quia tunc promissario jam jus acquisitum erat, quo absque injuria privari non potest: juramentum autem non debet esse vinculum iniquitatis: quin etiamsi prior promissio solum obliget ex fidelitate: quia promissio prior non potest violari, nisi illicite: juramentum autem non potest obligare ad aliquid illicitum: ergo censendum est invalidum.

77 At, quid, si prior promissarius cedat juri suo, tenebiturne promittens servare secundam promissionem cum, vel sine juramento factam? Affirmant rursus Canonistæ, & alii. Sed ex communi recte negat Sanch. *cit. n.6.* Quia secunda promissio facta eo tempore, quo adhuc obligabat prima promissio, erat illicita, adeoque invalida: quod autem ab initio non valet, tractu temporis non convalescit. Excipe, nisi promissor intendisset se obligare sub conditione: si primus promissarius obligationem remiserit, vel juri suo cesserit: tunc enim posita conditione, absoluta evadet obligatio posterioris promissionis, & maxime juratæ.

SECTIO III.

Qualiter contractus validus debeat esse liber a deceptione, & dolo.

SUMMARIUM.

78 *Deceptio, error, dolus circa substantiam, & circa accidentia,*
79 *Potest esse antecedens, vel incidens, seu concomitans.*
80 Usque ad num. 83. *Contrahens potest decipi a se, ab altera parte, vel a tertio.*
83 *Invalidus est omnis contractus*
84 & 85 *Initus ex errore, vel dolo circa substantiam,*
86 & 87 *Ac etiam circa qualitates per se intentas a contrahente.*
88 *Quando contractum irritet error, vel dolus circa qualitatem, quæ est causa finalis principalis, & motiva contrahendi.* Usque ad num. 95.
95 *Validus est omni jure contractus initus ex errore, vel dolo antecedente circa meras rei qualitates.*
96 *Etiam quando deceptio provenit ab altera parte contrahente. Aut etiam ab alio tertio.*
97 *Solvuntur rationes sententiæ contrariæ.*
98 *Tales tamen contractus rescindi possunt, & debent ad petitionem decepti. Et*
99 *Decipiens obligatur resarcire damnum decepto.*
100 *Multo magis valet contractus, si error, vel dolus antecedens circa meras rei qualitates provenit a tertio, vel ipso contrahente.*
101 Usque ad num. 104. *Nec datur facultas talem contractum, saltem onerosum, rescindendi.*
404 Usque ad num. 107. *Quid de valore contractus, quando est concomitans.*

78 I. Deceptio, error, dolus, in contractibus potest accidere, vel circa substantiam rei; ut si putes te emere aurum, emis autem aurichalcum; aut (velut Jacob) ducere Rachelem, ducas autem Liam &c. vel circa accidentia, & qualitates rei: ut si putes te emere vinum vetus, vel equum sanum; emas autem vinum recens, vel equum morbidum &c.

II. Deceptio, error, dolus versans sive circa substantiam rei, sive circa accidentia, & qualitates, potest esse aut antecedens, & dans causam contractui; quando nimirum ex sola deceptione provenit, quod velis contrahere; alioquin si deceptio, vel error abesset, & veritas constaret, nullo modo contracturus; aut potest esse incidens, vel concomitans tantum contractum, non autem dans causam; quando nimirum deceptus errore, vel dolo, exinde non movetur simpliciter ad contrahendum, sed ad summum secundum quid, ad libentius contrahendum, carius emendum &c. ita ut etiamsi deceptio, error, vel dolus abesset, adhuc contraheres: v. g. sciens hoc vinum non esse vetus, sed recens, adhuc emeres, sed viliori, non tanto pretio: & sciens hanc fœminam non esse illam a te intentam, sed aliam, adhuc duceres, sed forte non ita libenter. 79

III. Contrahens in contractu potest decipi, & falli, aut a se ipso, cum quis proprio errore, & a nullo alio persuasus putat rem aliam esse, quam sit, & ideo contrahit, emit, ducit &c. alias non contracturus, vel empturus &c. si veritas ei pateret: & tunc proprie dicitur *error*: aut potest contrahens decipi ab altera parte contrahente: aut ab aliquo tertio ad contractum non pertinente: & tunc proprie dicitur *dolus, fraus*, si nimirum decipiens aliquid fingat: v. g. mentiendo, aurum esse, quod est aurichalcum: vinum vetus esse, quod est novum &c. si autem decipiens nihil fingat, sed simpliciter injusto, vel excessivo pretio, v. g. tibi aliquid vendat, non dolus, vel fraus, sed deceptio simplex ab altero dicenda erit. 80

IV. Contrahens, in contractu potest decipi ab aliquo tertio, vel sciente, & consentiente altero contrahente, vel nihil scientibus, nec consentientibus contrahentibus. Quando tunc ille tertius deceptor esset procurator, tutor, vel negotium gestor alterius contrahentis, non dicetur vere tertius, sed cum faciat unum cum altero, dicetur unus ex contrahentibus. His ita notatis, pono duas claras Assertiones; nam res varia una Assertione non potest commode comprehendi. 81

ASSERTIO V.

De deceptione circa substantiam rei.

Invalidus, irritus, & nullus omni jure est omnis contractus initus ex deceptione, errore, vel dolo versante circa ipsam substantiam rei, aut circa accidentia, vel qualitates, quæ sunt per se intentæ, & sub conditione positæ a contrahente: vel sunt causa principalis finalis motiva contrahendi: sive deinde error, vel dolus sit antecedens, & dans causam contractui; sive incidens, vel concomitans tantum: sive ab altera parte contrahente, sive ab alio tertio, sive a te ipso proveniens. Omnes explico breviter. 82

§. I. *Invalidus est omnis contractus talis &c.*

Ratio est: quia contractus, cum sit actus voluntarius a libera voluntate dependens, necessario requirit consensum voluntarium, ad aliquam rem dandam, vel acceptandam: atqui nihil potest esse volitum, nisi præcognitum; & ut dicitur L.9. C. de juris, & facti ignorantia: *errantis nullus est consensus:* ergo contractus factus ex errore, vel dolo versante circa substantiam rei, omni jure irritus est, & nullus: & etiam facta traditione altera pars acceptum tamquam non suum restituere, vel dimittere tenebitur: ut si ducas Mariam, putans esse Annam: si emas vitrum pro gemma, aurichalcum pro auro, stannum pro argento: si dones aliquid Petro, putans esse Joannem, cui soli intendisti donare: si des pauperi ducatum, putans esse sestertium &c. idque universaliter verum est, qualiscumque fuerit error, vel dolus, antecedens, vel incidens undecumque proveniens: semper enim, quod est incognitum, nec potest esse volitum, ac per hoc necessario contractum irritat. Jam termini in Assertione positi explicandi sunt. 83

§. II. *Initus ex errore, vel dolo versante circa substantiam rei.*

Merito petes, & multum refert nosse, quid hic intelligatur nomine *substantiæ*, & quid nomine *accidentis*. Resp. Certum esse, hæc non debere accipi physice, & absolute, sed moraliter, & in ordine ad voluntarium actum contrahentis: ut proinde nomine *substantiæ* in contractu intelligatur illud objectum, quod per se principaliter, & vere adæquate est intentum a contrahente: nomine autem qualitatis, vel *accidentis* intelligatur illud, quod minus principaliter, vel per accidens intenditur. Quare si res notabiliter differat ab objecto a te intento, & cogitato, dicetur error in substantia: si differat leviter, dicetur esse error in accidente, vel qualitate. Adeoque in proposito error, vel dolus in substantia erit, qui te decipit notabiliter quoad rem a te cogitatam, & intentam in contractu: qui vero te leviter tantum decipit, erit error, vel dolus in accidente, vel qualitate tantum: v. gr. si voveas Religionem, putans in ea licere esum carnium, & invenias 84

in ea

in ea perpetuam a carnibus abstinentiam, error erit in substantia voti: quia Religio inventa notabiliter variat a Religione a te cogitata, & intenta; atque ideo irritum erit votum tuum: secus si invenias semel tantum in hebdomada, v. g. feria 4. in ea Religione jejunari; quia tunc non notabiliter variat. Item si voveas peregrinationem Romam, a te, vel alio deceptus, putans eam parum distare, v. g. 30. milliaribus, cum tamen distet centum; error erit in substantia: si autem non multo plus, v. g. sex, vel octo milliaribus tantum distet, error erit in qualitate, vel accidente tantum: & sic in cæteris. Ubi tamen acute advertit Sanchez *lib. 4. moral. cap. 2. num. 11.* illud *parum* & *multum* debere sumi respective, non absolute tantum: nam respectu nobilis puellæ, multum erit distantia major decem milliarium, non item respectu robusti rustici. Et in magno numero parva erit deceptio, quæ magna est in parvo numero: si enim putes locum distare 15. milliaribus, cum tamen distet 30. deceptio erit magna, & substantialis, ideoque irritans votum, vel contractum omnem. At si putes distare centum milliaribus, cum tamen distet quindecim amplius, parvus erit error, & accidentalis, seu in qualitate tantum: ideoque non irritans votum, vel contractum, aut quamlibet promissionem tuam. Et sic conformiter discurrendum in similibus.

85 Ex dictis vides, quod licet in matrimonio error irritans sit solum circa substantiam physicam personæ, in aliis tamen contractibus, longe latius patet error, vel deceptio circa substantiam, ut modo ostensum est. Certe si velles emere equum ad longinquum iter multorum dierum, aut ad gignendam prolem, vel pullum &c. & loco equi juvenis, daretur tibi equus annosus, emarcidus &c. certe non esset deceptio in substantia physica, revera tamen esset error in substantia morali in nostra materia, quia nimium variat ab equo cogitato, & intento ab emente. Sic licet in contractu oneroso, v. g. emptione, persona vendens plerumque non pertineat ad substantiam, seu objectum substantiale contractus, cum vere nihil intersit ementis, an ab hac, vel ab alia persona emat: in contractu tamen gratuito, vel donatione, persona, cui aliquid donatur, plerumque pertinet ad objectum substantiale donationis, quia per eam liberalitas donationis circa certum tantum hominem exercetur: qua ratione etiam accidentia personæ ex intentione expressa donantis sæpe ingrediuntur objectum substantiale, ut patebit. Denique si quis explicite, vel implicite intenderet donare homini præsenti, quisquis sit; aut emere rem præsentem, quæcumque sit &c. tali casu error circa rem, vel personam, accidentalis tantum censebitur, & relinquet contractum validum; quippe circa rem implicite volitam. Sed hæc jam magis declarantur per duos §§. *sequentes*.

§. III. *Aut circa qualitates per se intentas a contrahente.*

86 Error, vel dolus circa qualitatem etiam irritat contractum, quando talis qualitas per se est intenta, & in contractu apposita a contrahente, seu quoties intentio ipsius fuit conditionalis non contrahendi, nisi existente tali bonitate, conditione, vel circumstantia: ut si expresse dicas: contraho tecum, puella, si sis nobilis, non aliter: dono tibi hoc, juvenis, si tu es pauper, vel studiosus, alias non: emo a te vinum vetus tantum, non aliud &c. hujusmodi qualitate non subsistente, nullus erit contractus, etiam nullo alio præcedente dolo alterius contrahentis, vel tertii. Communissima cum Sanch. *lib. 4. moral. cap. 2. n. 6. & lib. 10. de Matrim. disp. 9. num. 13.* Laym. hic *cap. 5. nu. 3.* Ratio est: quia qualitas, conditio, vel circumstantia ita per se intenta, & conditionate apposita in contractu ingreditur objectum substantiale actus intrinsece; & consensus fuit omnino conditionalis, ac suspensus ab illa qualitate, vel conditione; quare conditione non posita, vel subsistente, nullus fuit consensus, & consequenter contractus nullus: nisi forte aliquando adsit consensus implicitus; quod evenit, quando res tali errore empta, est ejusdem substantiæ, bonitatis, & utilitatis cum illa, quæ a te ita conditionate intenta, & expetita fuit: ut si vinum novum sit æque bonum, ac vetus, quod emere intenderas.

87 Cæterum ad hoc, ut error, vel dolus circa ejusmodi qualitatem per se intentam irritet contractus, non est necesse, ut actu semper, & expresse conditio apponatur in contractu, sed sufficit, ut virtute, & implicite apposita intelligatur: ut quando ex circumstantiis personæ colligitur, eam voluisse contrahere de aliqua re, non absolute, sed ut affecta tali qualitate, vel circumstantia, quam falso inesse existimavit, & oppositum existens valde immutat objectum cogitatum, ac nimis excedit existimationem contrahentis, vel promittentis: v. g. si promisisti peregrinationem Lauretanam, existimans abesse tantum biduo; aut in Terram sanctam, putans posse per terram, & sine navigatione eo venire &c. censeris promisisse conditionate peregrinationem ut biduanam, non decem dierum; ut terrestrem, & non ut marinam, & valde periculosam; sicque non simpliciter, sed sub conditione illa subsistente per errorem, corruit contractus, vel promissio; ut notant DD. communiter. Ratio petenda est §. *præcedenti*.

§. IV. *Aut circa qualitatem, quæ est causa finalis principalis, & motiva contrahendi.*

Etiam invalidat contractum error, vel dolus circa talem qualitatem, vel circumstantiam, quæ sit causa finalis, & principalis motiva ad promittendum, vel contrahendum: non item quando solum est causa impulsiva secundaria. *Omnes*. Ratio est: quia cum intentio finis principalis determinet operationem, ejus speciem mutans moraliter, spectat ad objectum substantiale actionis promissionis, vel contractus, adeoque resolvitur in conditionem; si talis finalis causa subsistat: v. g. dono tibi ob paupertatem tuam: idem est, ac dono tibi, si pauper sis, alias non. Quapropter si aliquis falso tibi persuadeat, Titiam esse consanguineam tuam, & ideo, scilicet propter consanguinitatem, dotem offeras, revocari potest donatio, vel datio dotis. 88

II. Causa ergo finalis, principalis motiva dicitur, quæ per se primo movet voluntatem, tamquam vera pars objecti intenti, & per se sufficiens movere: ita ut velit quis actum suum firmum, & efficacem esse, si talis causa, vel motivum subsistat, & non aliter; adeoque constituit voluntatem in ea dispositione, quod, si sciret, talem causam non subsistere, non solum non vellet contrahere, sed etiam vellet contractum suum, vel promissionem omnino esse nullam. 89

III. Causa vero finalis secundaria, & impulsiva tantum dicitur, quæ quidem movet voluntatem, non tamen principaliter, & sic, ut alioquin actum talem nollet valere: sed solum secundario ad hic, & nunc talem actum exercendum, quem alias forte non vellet, vel oppositum vellet; adeoque solum constituit voluntatem in ea dispositione, quod si sciret talem causam non subsistere, solum non vellet contrahere, promittere, conferre &c. quod longe diversum est a priori, ut optime notat Molina *tom. 1. disp. 209. §. hoc loco*, *Aliud est*, inquiens, *conferentem esse in ea dispositione, quod, si sciret causam, propter quam confert, non subsistere, non conferret: Aliud vero est esse in ea dispositione, quod, si sciret causam non subsistere, vellet collationem nullam esse: hoc secundum invalidam facit gratuitam collationem, sed primum non semper facit invalidam*. Hæc Molina. 90

IV. Error ergo, vel dolus circa illam causam finalem principalem irritat contractus; non item circa causam secundariam, & impulsivam tantum. Exempla sunt. Donas Petro, quia pauper est, vel quia consanguineus tuus est: causa finalis, & principalis motiva est, sublevare inopiam pauperis, vel consanguinei tui, quæ causa si non subsistat, & te undecumque decepto, is pauper, vel consanguineus tuus non sit, irrita erit donatio, & revocabilis ad nutum tuum. At vero donas pauperis ob eumdem finem principalem, quem tu falso putas esse Catholicum, sanctum, diligentem, studiosum, &c. cum tamen sit hæreticus, improbus, vecors &c. quod si scivisses, utique non donasses, donatio tua subsistit, & valet, quia subsistit principalis finis, nimirum inopia sublevanda ex Charitate, vel misericordia, etsi non subsistat tua causa secundaria impulsiva, nimirum Catholica Religio, probitas, diligentia, &c. quod si scivisses, dare noluisses. Immo etiam fieri potest, ut etiam cum paupertas simulata fuit, tamen donatio subsistat, tamquam facta ob alium finem principalem, nimirum ad honorem Dei, vel B. Virginis, pro cœlesti mercede, pro satisfactione &c. etsi enim donans ita constitutus sit, ut non donaret, si fraudem cognosceret, non tamen ita comparatus esse creditur, ut nolit donationem subsistere, aut restitutionem fieri velit, si dolus subsit: qua ratione plerumque excusari possunt a restitutione pauperes ficti. Ut bene notant *Molina & Laym. cit. n. 4.* 91

Eadem est ratio de contractu ob causam in futurum, seu sub modo, v. g. si donatio, vel legatum facta sint sub causa finali principali, utpote in pretium pro peregrinatione facienda, in dotem propter nuptias celebrandas, ad suscipiendos sacros Ordines &c. causa non subsistente, omnino corruunt, & traditum etiam repeti potest, & restitui debet, ut docet communis DD. ex toto titulo *ff. de condict. causa data, causa non secuta*: & aliis Navar. *cap. 18. manual. 6. num. 6.* Molina *tom. 1. tr. 2. disp. 209.* Laym. *cit. lib. 3. tr. 4. cap. 5. num. 4.* At vero, si cui absolute donas, licet cum proposito, & spe conciliandi ejus animum, v. g. puellæ ad nuptias, vel usum corporis: Judici, ut juste, vel injuste judicet: si sponsæ falso putatæ Virgini, magnas sponsalitias largitates facias: si Beneficium conferas falso credito sancto, casto &c. dummodo capax sit, statim valet donatio, vel collatio, ut revocari nequeat, etsi voluntati tuæ non satisfiat. Communis apud cit. & constat ex *L. si repetendi 7. C. de conditione ob causam. Glossa ibid.* Ratio est: licet enim ista fuerint causa impulsiva ad donandum, ita ut non donasses, nisi talem causam existere, vel exstituram prævidisses, non tamen sunt causa principalis, sub cujus conditione dedisti, alias nolens valere donationem, sed absolute donasti. 92

Quando autem, vel utrum qualitas, vel circumstantia erronea contrahentis fuerit causa finalis, & principalis contrahendi, an vero secundaria impulsiva tantum, cum aliunde contrahentis intentio non patet, judicandum erit 93

ex

ex natura ipsorum contractuum, quorum quidam natura sua facile sunt solubiles alii difficulter. 1. Facile sunt solubiles promissiones, donationes, collationes liberales; pro quibus est communis regula DD. apud Nav. *c.* 1. *n.*7. & Sanch. *lib.* 1. *de Matr. disp.* 62. Mol. *tom.* 2. *disp.* 272. Ista *Promissio gratuita desinit obligare, si, re adhuc integra, notabilis mutatio accidat*: Atqui si notabilis circumstantia ignoretur a contrahente, & postea innotescat, v. g. sponsam non esse virginem; hunc pauperem esse malæ vitæ, &c. perinde est, ac si notabilis mutatio accideret; ideoque ad contractum, vel promissionem gratuitam rescindendam sufficit. 2. Difficilius solvuntur contractus onerosi, etsi nondum traditione completi; ut si jam spospondisti pretium pro merce, servitium Domino &c. quia scilicet contractus onerosi vim obligandi habent ex consensu utriusque contrahentis: nemo autem vendens, vel conducens v. g. facile consentiet, ut si aliqua mutatio superveniat, non adeo notabilis, vel si emptor aliquo errore, cui ipse venditor nullam causam dedit, ad emendum impulsus sit, venditio ideo irrita sit: uti observant Molin. *to.* 2. *disp.* 352. Sanch. *l.* 2. *de Matr. disp.* 54. Laym. *cit. l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 5. *n.*5. 3. Adhuc difficilius solvuntur contractus jam traditione consummati, quia per traditionem plenum jus, ac dominium acquiritur contrahenti, quod non facile rescinditur ob mutationem, vel errorem, cui alter contrahens causam non dedit. 4. Denique omnium firmissimus, & difficillime dissolubilis est contractus Matrimonii (itemque Professionis religiosæ, quasi spiritualis Matrimonii) qui ob nullum errorem, & dolum, circa qualitatem, vel accidentia rescindi potest, sed semper, nisi evidenter constet, contrahentis actualem intentionem fuisse aliter minime contrahendi; nisi existente hac, vel illa causa, qualitate, vel circumstantia, v. g. si nobilis sis, si Virgo, si tantam dotem habeas &c. semper censeri debet Matrimonium absolutum, & substantialiter perfectum, ac ratum esse: quia nimirum ita exigit tum institutio hujus Sacramenti, tum bonum prolis, tum ipsius Reipublicæ, ut pro valore Matrimonii semper præsumi, & judicari debeat in dubiis, nisi contrarium evidenter ostendatur. Vide latissime Sanch. *lib.* 7. *de Matr. disp.* 18. *n.* 18. & *lib.* 10. *disp.* 9. *num.* 20.

ASSERTIO VI.

De deceptione circa qualitatem.

94 *Validus est omni jure contractus initus ex deceptione, errore, vel dolo antecedente, versante solum circa meras qualitates rei; etiam quando deceptio provenit ab altera parte contrahente, vel tertio cum contrahentis consensu: attamen tunc rescindi potest, & debet, quando deceptus petit. Multo magis valebit contractus, si deceptio provenit a tertio, nihil scientibus contrahentibus, aut contrahens a se ipso deceptus est; quamvis tunc detur actio decepto contra decipientem de damno, & de dolo, non tamen facultas rescindendi contractum. Universaliter autem validus est contractus initus ex deceptione circa qualitates, quando error, vel dolus non est antecedens, vel dans causam contractui, sed incidens, vel concomitans tantum, undecumque proveniat, sive ab altera parte contrahente, sive ab alio tertio, sive a te ipso, etsi alius te decipiens teneatur reducere contractum ad æqualitatem, ac omnia damna tibi decepto resarcire*. Communis apud citandos.

§. I. *Validus omni jure est contractus initus ex errore, vel dolo antecedente, versante solum circa meras qualitates rei.*

95 IN his generalibus terminis consentiunt omnes: & constat multis certis exemplis, ut in Matrimonio, in Ordinatione activa, & passiva, ubi error, vel dolus versans solum circa accidentia, vel qualitates personæ non irritat contractus, vel actum, etiamsi (*N.B. pro §. seq.*) non fiat sine injuria alterius partis. Ratio autem generalis, & fundamentalis est: Quia ad valorem contractus, & obligationem utrinque inducendam omni jure sufficit, ut adsit consensus simpliciter voluntarius in substantiam rei; nec opus est, adesse consensum in omnem rei qualitatem; alioquin certe raro valerent contractus: atqui error, vel dolus etiam antecedens, & dans causam contractui, versans circa meras qualitates, vel accidentia rei, quæ scilicet nec per se intenta sunt consensu conditionato a contrahente, nec sunt causa finalis principalis motiva contrahendi (juxta dicta assert. præced. §. 2. & 3.) ut si velis ducere hanc puellam, emere hoc vinum, ex errore, vel dolo alterius putans puellam esse nobilem, cum non sit: vinum esse vetus, cum sit novum &c. talis, inquam, error, vel dolus, etsi causet involuntarium secundum quid, quia nolles contrahere, si tibi de tali qualitate constitisset, nolles ducere hanc puellam, si scires non esse nobilem, nolles emere hoc vinum, si scires non esse vetus, &c. relinquit tamen voluntarium simpliciter, & consensum absolutum in ipsam substantiam rei: absolute enim, & simpliciter vis ducere hanc puellam, emere hoc vinum &c. ergo omni Jure, & in omni foro validus erit ejusmodi contractus. Nec obstat illud involuntarium secundum quid, quod scilicet noluisses contrahere, nisi error, vel dolus circa qualitatem adfuisset. Quia voluntas interna, præsertim talis efficax, sola mente retenta, nihil operatur in contractu; neque tuus consensus conditionatus fuit, ut supponimus. Frustra ergo modo caput scalpis, & dicis: si scivissem, non duxissem, non emissem &c.

§. II. *Etiam quando deceptio provenit ab altera parte contrahente &c.*

I. AUt etiam a tertio, cum consensu contrahentis non sine injuria, nihilominus omni jure validus erit contractus initus ex eo dolo antecedente, & versante circa qualitates tantum. Ita Juristæ & Th. communius, quos citat, & sequitur Laym. *hic tr.*4. *c.*5. *n.*6. Habetur in Jure L. si dolo 5. C. de rescindenda venditione, & instit. de except. §. 1. Ubi dicitur: *Si metu coactus aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palam est, jure civili te obligatum esse, & actio, qua intenditur, dare te oportere, efficax est. Sed iniquum est te condemnari, ideoque datur tibi exceptio: quod metus causa, aut doli mali*. Ratio jam supra allata etiam in hoc casu urget: adest enim consensus simpliciter voluntarius in substantiam rei, non obstante dolo circa qualitatem, & injuria alterius partis contrahentis; quod enim ab ipso altero contrahente, vel ab alio tertio, vel a te ipso decipiaris, parum vel nihil refert: nam ratione voluntarii sufficientis ad valorem contractus, cum ab alio tertio, vel a te ipso deciperis, valet contractus secundum omnes: ergo etiam cum deciperis ab altera parte contrahente. Neque hujus injuria obstat, ut certe constat in Matrimonio, & mox patebit. *Deinde* secundum communem DD. deceptus in tali casu verum jus, & actionem consequitur contra deceptorem, ut eum, si velit, compellere possit ad contractum servandum, compensato damno, ut infra videbimus: sed hoc evidens signum est, contractum fuisse validum: ergo &c. supponitur autem semper, quod consensus in rei substantiam sit absolutus: quod si enim conditionalis sit, & dependens a tali qualitate, vel circumstantia, ea non existente, sine dubio corruit omnis contractus. Ut ex assert. præced. §. 3. constat. 96

II. Contrarium tamen, & ejusmodi contractus omnino esse irritos, docent *Rebell. Molin. Less.* alii apud Lugo *disp.* 22. *sect.*6. *n.*70. & sequitur Tamb. *l.*8. *Decal. tr.*3. *c.* 7. §. 11. *nu.*15. Probant 1. *ex L. & eleganter ff. de dolo*, & *L.* 3. *ff. pro socio*, ubi habetur, bonæ fidei contractus dolo malo initos ipso jure nullius momenti esse. 2. Quia naturalis æquitas non patitur, ut aliquis per injuriam jus, & actionem consequatur, *arg. c.* 1. *de eo, qui duxit*. Ergo &c. Sed Resp. ad 1. contractus ejusmodi ipso jure nullius momenti, seu irritos esse, non quoad substantiam, sed quoad effectum, quod nimirum pro arbitrio decepti in utroque foro rescindi possint, ac debeant, facta etiam restitutione rei, ac fructuum, ac si semper in dominio decepti permansissent, juxta *c.*2. *de his, quæ vi*. Ad 3. Negatur cons. Quia in eo contractu deceptor jus, & actionem consequitur non ex injuria, sed ex mutuo, & absoluto consensu in substantiam rei; injuria autem deceptionis potius contrahit obligationem, ut contractum rescindi patiatur, si deceptus petat, & exceptione doli adversus deceptorem se defendat. Lugo *cit. a n.*75. utramque sententiam conciliare nitens dicit, ejusmodi contractus partim validos esse, partim irritos, seu defectuosos; in tantum enim valent, in quantum obligant: obligant autem irrevocabiliter, solum ex parte deceptoris, & non obligant, nisi revocabiliter, ex parte decepti, qui agnito dolo libere rescindere potest contractum, ut mox dicetur. Placet doctrina. Sed quidquid sit de hoc, dicimus; 97

III. Ejusmodi contractus rescindi potest, & debet, si deceptus petat: huic enim (non autem decipienti) datur electio, aut contractum relinquendi omnino, etiam propria auctoritate, aut eidem standi, cum compensatione ejus, in quo ipse innocens læsus fuit. *Omnes*. Constat aperte ex citatis Juribus, quibus dicitur dolo inductum ad contrahendum exceptione defendere se posse contra decipientem. Ratio est: quia dolo alterum inducens ad contractum ipsi nocivum, injustum ei damnum infert; ideoque semper exceptio contra deceptorem decepto competit, si contractus necdum impletus sit; aut actio ad ejus rescissionem; vel in integrum restitutio, si contractus fuit traditione impletus. Neque opus est Judicis sententia, quia contractibus quamvis absoluto consensu editis, semper hæc tacita conditio inesse censetur, quod rescindi possit arbitrio decepti; si dolo aliquo alterius contrahentis deceptus fuit. Intellige semper: *Dummodo contractus sit dissolubilis*, ut excludatur Matrimonium jure divino indissolubile. 98

IV. Insuper etiamsi deceptus doli ignarus nihil excipiat, nihilominus in conscientia obligatur deceptori resarcire integrum damnum, quod ob eam causam deceptus passus est, nisi decipiens in re non magni momenti præsumere possit, deceptum restitutionem remittere: in quo etiam refert, an contrahens proprio dolo induxerit alterum ad sic contrahendum, an vero is ipse ab alio tertio, ut dolose ageret, inductus sit. In primo enim casu solus deceptor contrahens, 99

omnia

omnia damna resarcire debet: in secundo autem casu contrahens, & tertius inducens simul, uterque pro rata, aut in defectum alterutrius, alter totum, juxta dicta in materia de restitutione. Denique in eo casu, si contractus per traditionem nondum consummatus sit, ut in sponsalibus, emptione &c. tenetur deceptor abstinere a consummatione, scilicet Matrimonio, vel apprehensione rei, sicut enim injuriam facit contractum incipiendo per dolum, ita injuriam facit eumdem consummando. Quod si vero altera pars contrahens absque omni tua culpa ab alio tertio, vel se ipsa decepta sit, tu ordinarie poteris executionem contractus petere, etsi altera pars excipere possit, ut mox dicetur.

§. III. *Multo magis, si deceptio proveniat ab alio tertio, vel a se ipso.*

100 Validus omni jure est contractus initus ex errore etiam antecedente circa qualitates tantum, quando deceptio provenit ab alio tertio solo, nihil sciente altero contrahente, vel contrahens a se ipso deceptus est; ita ut si ab alio, aut falso persuasus, aut proprio errore deceptus, ducas hanc puellam, putans esse nobilem, vel Virginem, cum tamen non sit: emas hoc vinum putans esse vetus, vel Rhenanum, cum tamen sit recens, vel Austriacum. Communissima DD. cum Bartolo in *L. & elegante ff. de dolo*. Canonistæ *in C. cum dilecti de empt. & vendit.* Less. Laym. Lugo cit. & alii apud ipsos. Ratio est eadem a fortiori: quia, ut supponitur, manet hic consensus absolutus circa substantiam rei, & sufficiens ad valorem contractus (etsi secundum quid involuntarius ob errorem circa aliquam objecti qualitatem, quæ, si nota fuisset, contrahere noluisset) & insuper abest injuria omnis ex parte alterius contrahentis, omnes enim implicite se intendunt obligare, quoties ipsi contrahentes non participant de dolo; nisi enim sic intendatur, nullus unquam vellet contrahere; essetque continuum discordiarum seminarium; & tunc possent homines semper dicere, se deceptos esse in aliqua qualitate, se, si scivissent, non contracturos fuisse &c. ergo contractus manet validus. Et hinc

101 II. Nec datur facultas rescindendi talem contractum (saltem onerosum) ob eamdem rationem; quia scilicet alter contrahens nullam tibi injuriam intulit, & cum adsit sufficiens consensus inter utrumque, ut modo diximus, nulla erit ratio rescindendi. Unde qui ex tali erroneo contractu aliquid a te ita decepto accepit, non tenetur tibi aliquid restituere ratione acceptionis, cum nullam tibi injuriam intulerit, sed solum ratione rei acceptæ, datur tibi facultas petendi supplementum pretii, si nimis vili a te emit; aut excessum pretii, si nimis caro tibi vendidit, ut æquitas naturalis postulat.

102 III. Less. tamen *l. 2. c. 17. dub. 5. nu. 33.* putat hujusmodi contractum adhuc posse rescindi; adeoque deceptum in foro conscientiæ, antequam a Judice cogatur, posse non stare contractui, quia vere non consentit absolute: non enim consensit, nisi posito dolo illius tertii. Verum hæc ratio, & lex solum militat, quando in illo dolo communicavit alter contrahens, juxta dicta §. præced. Et militat etiam in donationibus, & promissionibus mere gratuitis: ut in legatis, institutione hæredis, & similibus &c. quæ irrita sunt, si error contingat circa causam, & motivum principale donandi, undecumque ille error provenerit, juxta dicta assert. præced. §. 4. Non autem militat in aliis contractibus, maxime onerosis (ut studio notavi) immo neque in gratuitis, si error non esset circa causam, & motivum principale donandi, vel promittendi, quo sensu nos hic loquimur. Vide late Sanch. *l. 4. moral. c. 2. a n. 20.* Molinam *tom. 1. disp. 209.* Lugo *disp. 22. sect. 6. n. 69.* & 89.

103 IV. Insuper eo casu, decepto ab alio tertio datur actio contra illum deceptorem de damno, & de dolo, isque ei in conscientia etiam damna compensare tenetur, secundum omnes. Ratio est: quia alter suo dolo injusta causa fuit damni tui, inter ejusmodi autem etiam est excessus pretii in emptione, vel defectus pretii in venditione, nisi hæc ipse alter contrahens compensasset, juxta superius dicta. *Denique*. Si a te ipso deceptus fuisti, tibi ipsis imputare debebis.

§. IV. *Et universaliter, quando error est solum incidens, vel concomitans contractum.*

104 I. Quandocumque deceptio, error, vel dolus circa qualitatem tantum, non est antecedens, vel dans causam contractui, sed incidens, vel concomitans tantum, undecumque proveniat, sive ab altera parte contrahente, sive ab alio tertio, sive a te ipso contrahente, nec reddit contractum irritum, nec irritandum, sed omni jure validus manet contractus initus. Communis DD. cum Sanch. *l. 1. de Matrim. dist. 64. n. 61.* Less. *l. 2. cap. 16. dub. 5. n. 28.* Laym. *cit. c. 5. n. 2.* Ratio semper eadem hic multo magis urget. Cum enim consensus in substantiam rei sit absolutus, & omnino independens a tali qualitate, vel circumstantia erronee supposita, quippe quæ non dat causam contractui, & qua seclusa adhuc contraheres, ut si emas vinum Austriacum, falso persuasus esse Rhenanum, attamen etiam errore cognito adhuc empturus, ideo omni jure contractus manet absolutus, & validus, nec ulla est causa propter quam, remoto errore, seu veritate cognita, infirmari deberet: ergo &c.

II. Interim tamen eo casu tibi decepto contra decipientem competit actio, & huic obligatio, ut solvat, quanti interest dolum non fuisse commissum: tenetur scilicet decipiens contractum illum reducere ad æqualitatem, v. g. supplendo de pretio, quod deest, & omnia damna compensare, si quæ sint: id enim exigit eadem ratio indemnitatis innocentis: unde si sit deceptio ultra dimidium justi pretii, supplementum etiam per forum externum adferre, compelletur decipiens; si autem deceptio non sit ultra, sed infra dimidium justi pretii, solum in interno conscientiæ foro compensare obligabitur: ut suo loco videbitur. 105

III. Utrum autem decipiens dolo antecedente, & dante causam contractui teneatur monere deceptum, re adhuc integra, ut, si velit, possit contractum rescindere: quæstio specialem locum habet in emptionibus, & venditionibus; ideoque ad eam materiam consulto remittitur. 106

IV. Hactenus actum de errore, vel dolo antecedente, & concomitante contractum; hic multi consequenter agunt de errore, vel mutatione subsequente contractum ante traditionem; ut si res debita ex contractu ante traditionem pereat, vel deterior fiat, cujus damno id accidat. Sed de hoc aptiori loco egimus *tr. 4. cap. 2. de restit. sect. 6.* 107

SECTIO IV.

Qualiter contractus validus debeat esse liber a coactione, vel metu.

SUMMARIUM.

108 Usque ad num. 112. *Explicatur, coactio moralis, metus ab intrinseco, & extrinseco.*
112 *Metus gravis, levis.* 113. *reverentialis quid.*
114 *Validus est omni Jure contractus initus ex metu I. ab intrinseco.*
115 *II. Aut etiam ab extrinseco*, non ad extorquendum actum *incusso. Aut*
116 *III. Levi tantum. Aut*
117 *Juste incusso.*
118 & 119 *Contractus ex metu gravi injuste incusso ad extorquendum actum, probabilissime jure naturæ invalidi sunt.*
120 & 121 *Solvuntur fundamenta contraria.*
122 & 123 *Ipso jure positivo annullantur contractus tali metu extorti. 1. Matrimonia. 2. Sponsalia. 3. Professio Religiosa. 4. etiam omnia vota. Ac*
124 *Reliqui tales omnes valde debiles sunt, & facile rescindi possunt.*
125 *Etiam quandoque, si metu levi*
126 *Vel reverentiali,*
127 & 128 *Aut precum importunitate initi sint.*

Certum est, omnem contractum debere esse liberum a coactione physica per violentiam externam, & a metu perturbante usum rationis, adeoque auferente omne voluntarium: cum contractus omnis essentialiter sit actus humanus voluntarius. Quæstio solum est de coactione morali per metum humanum non auferentem voluntarium, sed qui adhuc permittit deliberationem, & voluntarium liberum, etsi valde minuat, ut docuimus de actibus humanis *tr. 1. c. 2. sect. 4. a n. 45.* ex quo breviter aliqua sunt repetenda, & 108

Prænotanda.

Metus definitur a Juris Consulto in l. 1. ff. de eo, quod metus causa: *Instantis, vel futuri periculi causa, mentis trepidatio*. Adeoque agere ex metu est ex timore mali imminentis, vel futuri aliquid agere, quod alias agere quis nollet. Metus alius dicitur ab intrinseco proveniens, alius ab extrinseco incussus: item alius gravis, levis, reverentialis tantum. Explico breviter. 109

Metus ab intrinseco, & extrinseco.

Metus ab intrinseco profectus dicitur, cum quis ad avertendum aliquod malum a causis naturalibus, vel fortuitis imminens, aliquid agit, quod alias nollet. Ut si metu naufragii merces e navi projicias, peregrinationem voveas &c. vel morte plectendus ex justitia, meretricem in Matrimonium ducas. Metus ab extrinseco incussus dicitur, qui a causa libera, seu alio homine directe incutitur ad aliquid agendum, quod alter alias nollet, & potest esse, vel *justus*, incussus scilicet a persona, quæ juste potest, & debet incutere: ut si is, qui sponsalia contraxit, volens resilire sine justa causa, a Magistratu Ecclesiastico, intentata excommunicatione, compellatur ad Matrimonium contrahendum: si Princeps intentato extremo supplicio compellat ad leges servandas. Vel *injustus*, incussus scilicet ab eo, qui nullum habet jus incutiendi: ut si latro mortem intentet, nisi pecuniam des, vel promittas: si alius mortem, vel aliud grave malum minetur, nisi filiam suam uxorem ducas &c. 110

Metus

Metus gravis, & levis.

111 Metus *gravis, justus, probabilis, & cadens in constantem virum,* dicitur, quo grave malum vitæ, famæ, vel fortunæ timetur imminens, vel intentatum, quale nimirum malum, etiam viro forti, & constanti merito sit formidabile. Uti est metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, servitutis, exilii, carceris diuturni, gravis infamiæ, violenti stupri, amissionis status honorifici, amissionis omnium bonorum, vel notabilis partis, & denique excommunicationis injustæ: & alia his æqualia, eaque inferenda aut propriæ personæ, aut valde conjunctæ, parenti, uxori, liberis. Universaliter autem metus, ut justus censeatur, necesse est, ut sit majoris mali, quam id, quod metus causa suscipitur: V. gr. mortis metu dare pecunias, metus justus est, in contrario esset metus injustus. Metus *levis, injustus, improbabilis, & non cadens in constantem virum* dicitur, qui ob leviora mala imminentia, vel intentata suscipitur. Verum de his universalis regula tradi non potest, sed prudentis judicio dijudicandum est, consideratis circumstantiis præsertim personæ tam passæ, quam incutientis metum, sexus, ætatis &c. minor enim metus requiritur in fœmina, quam in viro: in juvenili, quam in matura ætate. Vide Navar. *lib.* 1. *conf.*10. *nu.*3. Sanch. *lib.*4. *de matr. disp.*3. per totam.

Metus reverentialis.

112 Metus reverentialis dicitur, quo filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, Monachus Prælati, Clericus Episcopi, uxor mariti &c. Hic metus quamvis secundum se consideratus gravis non sit, atque in foro externo censeatur levis, revera tamen sæpissime evadit gravis, & justus, ut si sit gravis, & diuturnæ offensionis, si accedant minæ, preces importunæ, imperiosæ, protervæ, timor malæ tractationis in futurum &c. prudentis judicio trutinanda: Placet judicium P. Marchant. *in resol. not. casuum de Sacram. Ord. casu* 2. ex eodem jam tibi totidem verbis exscriptum a nobis *tract.*1. *cap.*2. *sect.*4. *sub sect.*3. *num.*48. Revide. His suppositis,

ASSERTIO VII.

113 Validus *est omni jure contractus initus ex metu proveniente ab intrinseco: ac etiam ab extrinseco, sed aut non ad extorquendum, aut levi, aut juste incusso: at vero si metus vere gravis injuste incussus sit ad ipsum actum, seu contractum extorquendum, ipso jure naturæ probabilissime invalidi sunt omnes contractus; sicut & omnia vota, & promissiones quælibet: non item juramenta, & Sacramenta. Et esto sint validi ejusmodi contractus secundum Juristas, & communiorem Th. certe tamen sunt debiles, nec irrevocabiliter obligant metum passum, sed pro ejus arbitrio rescindi possunt, & debent ex Juris dispositione: quod sæpe etiam ad metum levem injuste incussum extenditur.* Sic DD. citandi.

§. I. *Validus est omni jure contractus initus &c.*

114 I. Ex *metu proveniente ab intrinseco.* Certum apud omnes, nullum metum ab intrinseco profectum, quantumvis gravem, invalidare contractus, vota, vel promissiones: ut si metu mortis in naufragio &c. vel tempestate, tempore pestis, vel periculosi morbi, aut gravis pœnæ ex justitia inferendæ &c. voveas peregrinationem, Religionem, vel quidvis aliud promittas, si jures puellam pauperem ducere, vel dotare &c. votum, promissio, contractus, omni jure valebunt, & obligabunt. Ratio est: quia sunt sufficienter voluntaria ab intrinseco, & nihil eis obstat ab extrinseco, nulla scilicet injuria alterius incutientis, sed ipse homo mera sua libera voluntate eligit ejusmodi medium ad malum imminens forte evadendum. Excipe semper: nisi metus, vel potius terror adeo gravis esset, ut etiam usum rationis, ac deliberationem impediret: quod tamen raro accidit, & in dubio non præsumitur, sed probandum est.

115 II. Etiam ab extrinseco, *sed non ad extorquendum actum.* Quod si enim metus quantumvis gravis, & injuste incuteretur, non tamen ad extorquendum actum talem, sed ad alium finem, ut si ad evadendum manus Tyranni, latronis, inimici mortem minitantis, vel intentantis, tu sponte aliquid Deo voveas, vel promittas, si ad evadendam mortem, seu juste, seu injuste inferendam, tu sponte eligas Judicis, vel lictoris filiam ducere, vel dotare, pecuniam dare &c. votum, contractus, promissio, omni jure valida erunt, & obligabunt ob eandem rationem modo datam: & quia, licet metus injuste incussus fuerit occasio, non tamen fuit causa vera ita vovendi, promittendi, vel contrahendi, sed sola tua libera voluntas, quæ tale medium ad evadendum malum imminens elegit præter omnem intentionem metum incutientis. Sic plurimis citatis Sanch. *lib.*4. *moral. lib.*3. *num.*4.

116 III. *Aut levi tantum.* Metus enim etiam ab extrinseco, & injuste incussus ad extorquendum actum, sed consideratis circumstantiis vere levis, nec cadens in hominem constantem, nullo jure irritat actus, vota, contractus; juxta communem, & veram sententiam DD. quam docet Sanch. *lib.*4. *moral. cap.*3. *num.*24. & *lib.*4. *de matrim. disp.*17. Ratio solida est: quia metus revera levis etsi injuste incussus, est in potestate operantis, ut eum facile repellere, illique non acquiescere possit: ideo enim est, & dicitur levis, atque a gravi differt: ergo qui eum, cum facile possit, non repellit, sed ei acquiescit, præsumitur etiam in foro conscientiæ omnino libere consentire, promittere, contrahere &c. ideoque libere volens, non pati notabilem injuriam, quæ sufficere debeat ad irritandum actum: secus est de dolo, etiam levi, quem homo ex se non potest repellere, sicut metum levem, ideoque merito actum saltem in parte rescindi postulat. Itaque non solum votum solemne Religionis, Matrimonium, sponsalia, verum etiam, quævis alia vota, contractus, promissiones, donationes &c. facta ex metu levi, etiam injuste contra libertatem admoto v.g. a filio, vel filiafamilias, uxore, subdito ex mero metu reverentiali erga parentem, maritum, Prælatum, vel dominum, quo præcise vereantur eis contradicere absque alio timore gravis offensionis, vel alterius mali (quo evaderet metus gravis juxta prænotata) in utroque Jure valida sunt, & obligationem pariunt, atque adeo sic accepta juste retinentur ob rationem dictam. Quamvis contrarium sentiant *Less. Lug. Castro-P.* & alii apud Tamb. *lib.*1. *Decal. cap.*2. *§.*9. & 7. Nimirum contractus, Matrimonium præsertim, etiam ex metu levi injusto extorta, in foro conscientiæ irrita esse, & rescindi posse: & de Matrimonio probabile etiam censeat Sanch. l.c. Verum in re tanti momenti, & periculi non recedendum a communi Sententia censeo.

IV. *Aut juste incusso:* Metus enim quantumvis gravis juste tamen incussus, non irritat actum extortum quemcumque: idque non solum certissimum est, quando metus juste incutitur alicui ad extorquendum id, quod alias debitum est: Ut si Magistratus Ecclesiasticus sub pena excommunicationis, aut Civilis sub pœna capitis, vel carceris compellat stupratorem ad ducendam, vel dotandam virginem defloratam: aut si debitori tuo mineris justam accusationem de crimine patrato, nisi debitum tibi tandem solvat &c. sed etiam verum est, quando metus justus incutitur intra, vel extra Judicium ad præstandum quidpiam alias indebitum, sed liberum; ut si Judex juste damnaturus sit ad mortem, nisi velis vovere Religionem, aut pauperem puellam ducere, vel dotare &c. si mineris homicidam, vel furem juste accusare, nisi aliquid Deo voveat, filiam tuam ducat, pecuniam det, vel promittat &c. Ita Sanch. *l.c. de matr. lib.*4. *disp.*13. & *moral. lib.*4. *c.*3. *n.*31. Basilius, Pontius, Less. Lugo, aliique apud Tamb. *cit.* §.7. *n.*3. Ratio est: quia tota ratio irritandi tales actus esset injuria illata ad extorquendum: atqui hic nulla fit injuria alteri, quin potius favor, & beneficium: non enim sub coactione, sed solum sub conditione proponitur tibi, ut, si evitare velis malum, cui tu libere causam dedisti, tanquam minus malum eligendo, voveas, ducas, des, promittas &c. Oportet quidem matrimonium, & votum maxime libera esse: sed intellige, libertate non læsa, vel impedita injuste: non vero libertate omnimoda, & quodvis obstaculum excludente: ut patet mille aliis casibus. Interim tamen fateor, non improbabilem esse Sententiam in his contrariam Bonacinæ, Coninch. & aliorum apud Tamb. *cit. n.*4. nimirum Matrimonium, & vota sic extorta irrita esse, ob apparentem injuriam contra libertatem illorum actuum. Sed rursus non est recedendum a communi Sententia in re omnium gravissima. His ita suppositis sequitur. 117

§. II. *An vero si metus vere gravis injuste incussus sit ad ipsum actum, vel contractum extorquendum, ipso jure naturæ probabilissime invalidi sunt.*

Omnes contractus. Non tantum contractus sacer Matrimonii, sponsalia, promissio, vel datio dotis, item promissio, vel traditio bonorum Ecclesiæ, verum etiam omnis omnino contractus etiam onerosus; ut venditionis, emptionis, mutui, maxime vero gratuitus; ut donationes, legata, testamenta; ac universaliter omnis promissio, vel traditio rei alias obligatoria ex metu gravi, & injusto extorta, ipso jure naturæ irrita sunt, & invalida, nullamque ne naturalem quidem obligationem justitiæ pariunt in metum passo, neque ullum jus conferunt extorquenti, vel acceptanti. Ita Molin. *disp.*267. Rebell. *p.*2. *lib.*1. *qu.*5. *concl.*1. Universaliter quoad contractus etiam onerosos Basil. Pont. *lib.*4. *de matr. c.*6. *n.*4. Diana *p.*3. *tr.*5. *resol.*118. Tamb. *cit. lib.*1. *Decal. c.*2. §.4. *n.*15. & 23. aliique plures apud ipsos. Ratio est: quia naturali juri, rationi, & æquitati omnino repugnat in injuria oriri justitiam, sed jus quodpiam; quod nimirum homo per injuriam, & injustitiam, injusto, & gravi metu incusso, extorquens alterius promissionem, vel consensum possit sibi acquirere jus, & alteri imponere obligationem etiam naturalem justitiæ: ergo fatendum est, talem exactionem, & acceptationem intrinsece, & quoad substantiam, ideoque ipso jure naturali injustam esse, ac invalidam, non secus ac furtum, vel rapinam, atque acceptantem nullum omnino acquirere jus ad rem, vel in re: sed secundum communissimam etiam Adversariorum Sententiam tali metu extortum, & acceptum in conscientia sine mora restituere obligatur, tanquam injuste acceptum: quod si ergo nullum jus exigentis, nulla erit obligatio promittentis, vel consentientis, cum hæc sint correlativa: si nulla obli- 118

obligatio, consequenter nulla promissio, contractus nullus quicumque, qui definitur, *Ultro, citroque obligatio*. Unde Basil. Pont. *cit.* 8. contra Sanch. bene probat ejusmodi contractus irritos esse non solum jure naturæ, & in foro conscientiæ, sed etiam jure positivo externo: requiri tamen ad illorum rescissionem sententiam Judicis non tamquam irritantis, sed solum irritos declarantis. Neque plus probant Jura civilia ab Adversariis allegata, ut mox §. 3. videbitur. Aut si dicant tales contractus esse validos, loquuntur de metu levi, saltem secundum præsumptionem fori. *Confirmatur* nostra Sententia per Juris Consultum in L. metum 9. §. licet ff. quod metus causa, dicentem: *Metum passo actionem in rem dandam existimamus: quia res in bonis ejus est*: ergo contractus illam rem alienans, ex metu initus non fuit validus, nec dominium rei transtulit. Scio respondere Glossam ibid. id accidere fictione Juris, quod utilem rei vindicationem concedendo integre restituit vim passum, ac si ab initio contractus irritus fuisset, juxta illud arg. regul. 15. ff. juncta Glossa. *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur*. Quare talis retinet dominium fictum, cum jure certus sit de recuperando dominio vero. Simile responsum Gl. supra admisimus de dolum passo circa accidentia, vel qualitates tantum; at non item placet hic de metu: est enim notabilis differentia, & ratio disparitatis; quia errore accidentali contrahens, retinet consensum substantialem in rem ipsam, & personam; immo ea qualitate erronee supposita (v. g. hanc fœminam esse nobilem, Virginem, tam divitem &c.) velut causa impulsiva majoris voluntatis promptitudine fertur in substantiam rei: at vero ex metu gravi injuste incusso contrahens actu abhorret voluntate ab ipsa substantia rei, ad quam sola alterius injuria impellitur: igitur merito in hoc, non item in illo casu contractus debet esse irritus. Certe ob hanc eandem differentiam Ecclesia non irritat Matrimonium contractum ex dolo accidentali, irritat autem contractum ex metu. Ut mox notabo §. seq. Quoad vota, juramenta, & Sacramenta, vide *tr.* 1. *cap.* 2. *sect.* 4. *art. num.* 57.

§. III. *Et esto validi sint ejusmodi contractus, certe tamen sunt debiles*.

119 OMnem contractum, vel promissionem, etiam metu gravi, & injusto extortum validum esse jure naturæ, ac etiam jure positivo, exceptis aliquibus, qui speciali jure irritantur, docent Juristæ cummunissime, & Theologi communius, Sylvest. Navarr. Coninch. Suar. Vasq. aliique, quos late citant, & sequuntur mei Less. Sanch. *lib.* 4. *de Matr. disp.* 8. *n.* 4. Laym. *cit. c.* 6. *n.* 2. Lugo cit.

I. *Quoad jus naturæ*.

120 PRobant 1. ratione, qua supra de dolo; cum doli mali, & metus incussi eadem sit ratio. 2. Metus injustus etiam relinquit voluntarium simpliciter, etsi mixtum cum involuntario secundum quid; noluisses quidem promittere, vel contrahere, nisi metus instaret; at de facto, quia metus urget absolute, & simpliciter vis; unde qui ex metu mortis fidem negat, vel idola adorat, omnino voluntarie facit, & mortaliter peccat: ergo similiter voluntarie, & consequenter valide contrahis, vel promittis. 3. Consensus metu injusto extortus non minus est voluntarius, & metus injuste incussus non magis aufert voluntarium, quam metus ab intrinseco, vel ab extrinseco juste incussus: sed hic secundum omnes consensum voluntarium, & contractum validum relinquit: ergo &c. 4. Qui ex tali metu injuste incusso baptizatur, vel sacros Ordines suscipit, valide suscipit, ergo etiam valide contrahit, vovet, promittit: sed vides hæc in nostra Sententia facile solvi. Ad 1. N. *paritatem*: disparitas jam data est §. *præc. fin.* Ad 2. N. *secundam consequentiam*: non enim dicimus, eos contractus esse invalidos ex defectu voluntarii, præcise, sed ex injuria extorquentis aliquo modo involuntario illata. Ad 3. N. *iterum conf.* quia hic deest injuria. Ad 4. N. *etiam conf.* ratio disparitatis est; quia Sacramenta (excepto Matrimonio) requirunt solum consensum voluntarium in opus præsens, qualis consistere potest cum metu injuste incusso, contractus vero consensum ad inducendam obligutionem. Vide dicta *tr.* 1. *cap.* 2. *sect.* 4. *n.* 59.

II. *Quoad jus positivum*.

121 PRobant multis, & satis claris Juris textibus, maxime L. dolo. 5. C. de inutil. stipulat. & instit. de except. initio: *Si metu coactus Titio stipulanti promisisti, quod non debueras promittere, palam est, jure civili te obligatum esse*. Et L. si mulier 21. §. 5. ff. quod metus causa dicitur. *Si metu coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamvis, si liberum esset, noluissem; tamen coactus volui, sed per Prætorem restituendus sum*. Plura loca Juris congerunt Sanch. *cit. lib.* 4. *de Matr. disp.* 8. *n.* 4. Laym. *cit. num.* 2. Sed jam supra responsum est, leges loqui secundum præsumptionem fori externi de metu levi, cui quis commode resistere potuisset: aut ad summum valere solum pro foro externo, non vero interno conscientiæ.

III. *Ipso autem jure positivo excipiuntur*,

ET annullantur aliqui contractus, si fiant ex metu gravi injuste incusso ad extorquendum. 1. Venerabile Matrimonium metu injusto extortum Jure Ecclesiastico irritum est *c. cum locum c. veniens*, 2. *de sponsal.* At cur non item irritatur Matrimonium ex errore, vel dolo accidentali? Ratio disparitatis jam supra indicata est, quia ex errore accidentali contrahens habet plenum consensum substantialem in rem: at vero metu injusto ad contrahendum compulsus abhorret aliquo modo a substantia rei, ac sæpe non habet verum consensum, & animum se obligandi, sed tantum simulate promittit ad redimendam vexationem: ne igitur valor Matrimonii sæpius possit in dubium revocari, Ecclesia ejusmodi Matrimonia in universum irritavit. 2. Sponsalia etiam simili metu injuste extorta Jure Canonico irrita sunt: si non directe, eo quod expressum speciale jus ostendi non possit, saltem indirecte, & consecutive, ex eo ipso quod ipsum Matrimonium simili metu celebratum irritaverint; fieri enim non potest, ut aliquis valide promittat actum invalidum. Matrimonium autem gravi metu extortum invalidum est: ergo & sponsalia, seu promissio talis Matrimonii, invalida erunt. 3. Professio etiam Religionis facta ex gravi, & injusto metu nullius roboris est, ex Juris Canonici dispositione, *cap.* 1. *de his, quæ vi*, & alibi. 4. Consequenter & omnia vota metu gravi, & injusto extorta, saltem jure positivo Canonico invalida sunt, ut habet communis DD. Sanch. supra Laym. *cit. c.* 6. *num.* 3. Lugo *disp.* 22. *sect.* 7. *n.* 177. In nostra autem Sententia hæc jura positiva non sunt irritantia ejusmodi contractus, & vota (quippe ex se jure naturæ irrita) sed potius pro omnimoda securitate declarantia, illos contractus, & vota esse irrita: Nec sane superflue, vel inutiliter, cum nostram sententiam non asseramus certissimam, sed probabilissimam. 122

IV. *Ipso jure positivo debiles sunt omnes alii ejusmodi contractus*.

NImirum contractus omnes alii gravi, & injusto metu extorti, esto validi sint, certe tamen ipso jure positivo nimis debiles sunt; non enim obligant irrevocabiliter metum passum, sed pro ejus arbitrio rescindi possunt, & debent ex Juris dispositione: ut patet locis modo *n.* 121. *cit.* Adde *L. fin. C.* de his, quæ vi. *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extorta sunt, præcipimus infirmari*. Et in Jure Canonico c. 2. de his, quæ vi, dicitur: *Quæ metu, & vi fiunt, jure debent in irritum revocari*. Neque quoad hoc in foro conscientiæ requiritur sententia Judicis, cum æquitas naturalis sic postulet: quemadmodum supra de dolo accidentali dictum est. Ubi tamen notanda differentia, quod contractus initus ex dolo accidentali solum rescindatur, si proveniat dolus ab altera parte contrahente, non item si proveniat ab aliquo tertio, nihil sciente, vel consentiente altero contrahente: ut ibid. dictum est. At vero contractus gravi, & injusto metu extortus rescinditur, & metum passus in integrum restituitur, sive metus incussus sit ab ipsa altera parte contrahente, sive ab alia tertia persona sine omni injuria alterius contrahentis, ut expresse decernitur utroque Jure Canonico *c.* 1. 3. & 4. *de his, quæ vi*. Civili. *L. item si cum except.* 14. *ff. de eo, quod metus causa*. Ubi sic: *In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit, sufficit enim hoc docere, metum sibi esse illatum*. Attamen recte notat Less. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 39. in foro conscientiæ non esse ad rescissionem contractus, vel restitutionem obligandum eum, qui bona fide contraxit cum eo, qui aliunde metum passus est, donec is repetat, vel actionem instituat, ut in simili jam supra diximus. 123

§. IV. *Quod sæpe ad metum leve injuste incussum extenditur*.

DIcta de contractibus ex metu gravi, & injusto extortis in utroque jure, & foro rescindendis, in solo foro conscientiæ, & de jure naturæ extendenda sunt etiam ad metum levem, injuste incussum, & timorem reverentialem, & preces importunas, quando hæc faciunt involuntarium mixtum. Percurro breviter. 124

I. *Metus levis*.

ETiam contractus metu levi, sed injusto seu injuste extorti, quamvis ipso facto validi, tamen jure naturæ, & in foro conscientiæ rescissioni, & restitutioni obnoxii sunt. Communis DD. Less. *cit. n.* 46. Laym. *n.* 4. *Sanch. Lugo cit.* cum Nav. *c.* 17. *n.* 15. Ubi ait (quoad forum conscientiæ idem esse censetur) *Num quis justo* (idest gravi) *metu consentiat, vel eo minore, dummodo coram Deo fuerit causa principalis consensus*. Ratio est: quia tota ratio, cur metus gravis injuste consensum extorquens efficiat contractum rescissioni obnoxium, est, quia continet injuriam, & vim directe intentatam ad extorquendum contrahentis consensum secundum quid involuntarium; ergo si similiter metus levis injustus reddat consensum secundum quid involuntarium, erit sufficiens causa rescindendi contrahentem in integrum, quantum est de Jure naturæ & in foro conscientiæ: quod autem in foro externo levem metum passo actio non concedatur, factum est ad evitandam litium 125

mul-

multitudinem: conceditur tamen ei exceptio, si ab altero ad implendum talem contractum conveniatur,

II. Metus reverentialis,

126 Etiam hic principaliter causans consensum, & secundum quid involuntarium, quando nimirum ideo aliquis consentit in aliquid, a quo alias sua voluntas abhorret, quia voluntati alterius majoris, ut Domini, Prælati, Parentis, Tutoris, aut similis personæ auctoritatem, vel potestatem habentis, contradicere non audet, sufficiens causa est ad rescindendum contractum alioquin dissolubilem. Communis DD. apud cit. Sanch. *l.* 4. *de Matr. disp.* 9. *n.* 11. & alii apud Laym. *c.* 6. *n.* 4. Ratio est: quia talis metus, etsi non semper gravis, sed sæpe levis æstimandus sit ex qualitate personæ, & petentis, & petitæ, juxta prænotata ab initio, semper tamen injuriam aliquam continet appetendo voluntatem verecundi hominis, ut ei contradicere non audeat in actu illo, qui est in ejus libera voluntate, & arbitrio, ut vel consentiat, vel contradicat. V. g. si Caja sponsalia contrahat cum Titio, ideo solum, quia ob naturalem verecundiam Patri, Tutori, vel ipsi Titio, cum auctoritate petenti non fuit contradicere ausa, & in foro conscientiæ resilire poterit, ac implorato Judicis officio foveri debet. Nav. *l.* 1. *consil.* 10. *de his, quæ vi*. Item si filius, vel filia ob similem metum renuntiet hæreditati paternæ, retractari potest. Sanch. apud Layman cit. Item si creditor desperans integrum debitum suum consequi propter debitoris iniquitatem, partem ei debiti remittat, in conscientia revocare potest, & debitor tutus non est. Communis Sylvest. *v. restit.* 7. *q.* 2. Navar. *cap.* 17. *n.* 75. Sanch. *cit. disp.* 9. *num.* 17. Laym. *cit. num.* 4.

III. Precum importunitas.

127 Eadem ratione etiam precum importunitas efficiens involuntarium mixtum, cum nimirum aliquis vehementer instans, rogando molestiam injuriosam infert libertati alterius, a qua ut se liberet rogatus, tandem consentit in rem, a qua alioquin ejus voluntas abhorret, facultatem præbet rescindendi actum, vel contractum. Ratio est evidens. Communis apud cit. v. g. Si moriturus importunitate precum, efficiente involuntarium mixtum, victus, aliquem hæredem instituat, vel legatum relinquat, postea iterum cassari poterit. Citati. Quod si tamen testator tunc velit suam institutionem esse validam, institutus, etsi peccarit contra Charitatem, & justitiam, ei molestiam, violentiamque aliquam inferendo, rem tamen relictam secundum defuncti voluntatem accipere, & retinere potest, donec per Judicis sententiam testamentum rescindatur: quod & in aliis donationibus similiter extortis locum habet, ut recte docent *Molina, & Laym. cit.* Item qui importunitate precum faciente involuntarium mixtum ab alio ad ludendum inductus fuit, si perdat, non tenetur solvere, secundum communem cum D. Th. 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. At quid si eo casu lucranti jam solutum fuit? Mol. *t.* 2. *disp.* 516. & Sanch. *cit. disp.* 10. *n.* 10. censent, eum non teneri restituere; eo quod ludentium debeat esse par conditio in jure lucrandi, adeoque sicut inducens injuste ad ludum, si perdidisset, non potuisset repetere, ita nec inductus, si perdat, repetere poterit. Sed probabilior est contraria Sententia communis DD. Less. *l.* 1. *c.* 26. *dub.* 2. Laym. *c.* 6. *n.* 6. *fin.* teneri eum ad restitutionem in foro conscientiæ, qui enim alterum per injuriam, scilicet injustum metum, vel importunitatem precum ad ludendum adegit, causa injusta secuti damni fuit: ergo tenetur illud restituere in conscientia. *Deinde* injuria interveniens ex una parte ludentium tollit æqualitatem, & constituit inæqualitatem, ac proinde injuriam passo tribuit facultatem rescindendi contractum, & repetendi, quod suum est. Item qui precum importunitate, seu molesta instantia virginem ad stuprum traxit non sine involuntario mixto, tenetur in conscientia, & cogi potest, ut illatum ei damnum resarciat, ducendo, vel dotando, juxta communem DD. cum *Sanch. cit.* Et ajunt DD. communiter apud Laym. *cit. fin.* Religiosos subditos non esse tutos in conscientia a transgressione obedientiæ, vel paupertatis, si importunis precibus, diuturna sollicitatione, querelis, murmure, aliqua a Prælatis impetrent.

IV. Extensionis exceptio.

128 Hactenus data extensio ad metum levem, reverentialem, & precum importunitatem non habet locum in Matrimonio, & Professione Religionis, hæc enim absoluto consensu semel valide facta, dissolvi amplius non possunt: & quamvis Jus Canonicum utrumque hoc matrimonium carnale scil. & spirituale metu gravi, & injusto extortum statim ab initio nullius roboris esse decernat, semper tamen facit mentionem metus gravis, & cadentis in virum constantem: adeoque extendi minime potest ad metum levem, vel pure reverentialem, ut contra Navar. recte probat Laym. *cit. c.* 6. *n.* 4. Explicato hactenus valore contractuum ex parte consensus, restat explicandus valor ex parte personæ contrahentis, & materiæ. Sed totum repetendum est ex *cap.* 1. præsertim *sect.* 2. *de subject. dominii*. Itaque breviter sit

SECTIO V.

Quænam personæ possint valide contrahere; remissive.

SUMMARIUM.

129 *Quis possit valide contrahere.*
130 *Quis dicatur filiusfamilias, pupillus, Minorennis &c.*
131 *Filiusfamilias impubes ex nullo contractu obligatur civiliter, e contra vero*
132 *Filiusfamilias pubes ex omni contractu, Patri etiam invito non præjudicante, obligatur naturaliter, & civiliter.*
133 *Quæ sibi lucrari possit filiusfamilias domi degens, &*
134 *Quæ foris, a patre dimissus.*
135 & 136 *Qualiter pupilli, & minorennes contrahere possint cum consensu tutoris;*
137 & 138 *Qualiter sine consensu Tutoris.*

ASSERTIO VII.

Contractus validus ad obligandum se, vel transferendum dominium in alterum, necessario requirit personam habentem actuale dominium non impeditum, vel plenam administrationem rerum suarum. Quoad contrahendum vero, vel obligandum sibi alterum, requiritur, & sufficit persona capax dominii, seu dominium radicale.* Hæc tota patet ex *cit. cap.* 1. *sect.* 2. *de subjecto dominii*. 129

Ratio est. Quia ex una parte, cum contractus ab obligandum se sit actus dominii, necessario præsupponit dominium actuale rerum, vel actuum suorum, de quibus se obligat: consequenter omnes, qui, & quatenus habent dominium, illi eatenus contrahere valide ad se se obligandum poterunt: qui non habent, vel impeditum habent, non poterunt. Ex altera autem parte, quia contractu ad obligandum sibi alterum, acquiritur jus contrahenti, v. g. promissario, donatario &c. ideo omnis sic valide contrahere poterit, qui & quatenus est capax dominii: omnis scilicet homo rationis compos, & libere consentire potens, etiam impuberes, filiusfamilias, pupilli. Excluduntur solum infantes, amentes, *per se*: intellige: Religiosi professi in particulari, & servi, seu mancipia jure communi. Quoad contractus tamen ad obligandum se tam gratuitos, quam onerosos in speciali aliquid dicendum de filiisfamilias, pupillis, & minorennibus.

Explico terminos. Filiusfamilias dicitur filius, vel filia, quamdiu sub patris, vel avi potestate constituti sunt, scilicet usque ad emancipationem. Hujus peculium quasi castrense, adventitium, & profectitium jam supra l. c. explicatum est. Pupillus (quasi impubes puer, vel puella) dicitur, qui postquam ex patris potestate per ejus mortem excessit, cogitur habere Tutorem, cujus præcipuum, & principale munus est, personam pupilli tueri, ut pie, & honeste educatur: deinde ejus bona administrare, tali cura, qualem diligens paterfamilias propriis bonis adhibere solet: idque per se loquendo, solum usque ad annos pubertatis, qua secuta, tutela finitur ipso jure: si tamen nec Tutor resignat, nec pupillus contradicit, officium administrationis per modum Curatoris retinet, ut modo est consuetudo in Imperio. Minorennes autem dicuntur jam puberes facti, sed minores 25. annis, eo usque sub Curatore constituti, cujus officium præcipuum, & principale est eorum bona administrare. His notatis, pono breves resolutiones. 130

Filiifamilias, puberes, impuberes.

Filiusfamilias impubes adhuc de quibuscumque bonis suis etiam cum consensu, & auctoritate Patris sui ex nullo contractu obligatur civiliter. *Instit. de inutil. stipul.* §. *sed quod diximus* 10. Esto pupillus impubes auctoritate Tutoris contrahens civiliter obligetur, ibid. §. pupillos 9. *Ratio disparitatis est*: quia pupillus Tutorem obligatum habet, ut eum convenire possit, si male auctoritatem præstet: non item filius Patrem ob naturalem reverentiam, ac virtutem pietatis. *L. cum oportet* §. *sub hac tamen ver.* uterque tamen & filiusfamilias, & pupillus ex tali contractu obligatur naturaliter, si pubertati sit proximus, utpote masculus ab anno decimo cum dimidio, usque ad decimum quartum completum, & femella ab anno nono cum dimidio, usque ad duodecimum completum. 131

II. Filiusfamilias pubes ex omni contractu etiam sine consensu patris, vel invito patre, absque tamen ejus præjudicio facto, & naturaliter, & civiliter obligatur. *Instit. cit. de inutil. stipul.* §. *item inutilis* 6. & *L.* 39. *ff. de action. & obligat.* ubi dicitur: *filiusfamilias ex omnibus causis tamquam Paterfamilias obligatur: & ob id agi cum eo, tamquam cum Patrefamilias, potest*. Ratio est: quia patria potestas instituta est ad personæ educationem, non autem ad bonorum ipsius curationem, postquam pubes factus est. Valide ergo contrahit filius de bonis suis castrensibus, & quasi castrensibus, quorum is absolutum dominium habet: non item de bonis adventitiis, quorum dominium utile, & administratio ad patrem spectat, minus de bonis profectitiis, quorum totum dominium penes patrem est: etsi enim alias proprietarius etiam invito 132

vito fructuario proprietatem alienare possit, filio tamen familias concessum non est, bona adventitia inscio, vel invito patre alienare, vel obligare alteri, sicque eum eorum usufructu privare. *L. ult.* §. 5. circa finem. *C. de bonis, quæ liberis.*

133 III. Filiusfamilias in domo patris degens sibi lucrari potest, non tantum ex bonis suis propriis, sed etiam ex operis suis artificialibus, ut si faber, pictor, musicus sit &c. potestque ejusmodi operas suas ipsi Patri suo locare, & ab eo salarium exigere omni jure, deductis tamen expensis alimentorum, & materialium: quia pater filium alere non tenetur propria bona aliqua habentem, vel acquirere potentem, ut dicitur. *L. penult. ff. de obsequiis.* Ubi: *pietatem liberi parentibus, non operas, debent.* Et docet communis DD. cum Navar. *cap.* 17. *n.* 14. Sanch. Molina apud Layman *cit. c.* 8. *n.* 21. Utrum autem, & quomodo filiusfamilias ex ipsis bonis paternis solo suo ministerio, vel industria lucrans, salarium petere possit, vel non possit, inter oppositas sententias clare resolutum est supra *cap.* 1. *sect.* 2. §. 2. *n.* 48.

134 IV. Filius autem a patre dimissus e domo paterna, ut servitio, vel labore suo se alat, tamquam implicite saltem emancipatus, omnia sibi acquirit, & de suis valide contrahit, ac disponit: immo nec Paterfamilias filium prohibere potest, ne e domo paterna discedens, artem aliquam addiscat, vel exerceat, alteri servitium, vel operam suam locet, aut quodvis honestum vitæ suæ genus amplectatur, juxta communem DD. apud *Sanch. & Laym.* sæpe cit. Quia alioquin homo liber servilis conditionis efficeretur, si a Patre in domo paterna velut carcere quodam contineri posset. Excipe casum, si ipse Pater inops sibi aliunde non sufficiat: tunc enim filius naturali lege pietatis operam suam ipsi præstare tenetur. Modos autem, quibus jure emancipantur filii, videre potes apud Molinam *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 209. Laym. *cit. n.* 14. Modo in Germania censentur emancipati filii, quando vel statum mutant, vel prædicto modo extra domum, & alimoniam Patris dimittuntur.

Pupillus, Minorennis.

135 I. HI tantummodo rationis compotes valide contrahunt, in suum commodum obligando alterum, non item in suum incommodum, seu obligando se alteri sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris. Communis DD. ex instit. de auctor. Tutor. initio. Ubi dicitur: *placuit meliorem quidem suam conditionem pupillum facere posse, etiam sine auctoritate tutoris; deteriorem autem facere non aliter, nisi cum auctoritate tutoris.* Sic celebrato emptionis contractu, licet venditor pupillum, sine tutoris consensu ementem invitum compellere nequeat ad numerandum pretium, pupillus tamen, si contractui stare velit, venditorem actione civili cogere potest ad tradendam sibi mercem pro pretio inter ipsos constituto. *L. si id* 7. *ff. de rescind. vendit.* Vide Laym. *cit. c.* 9. *n.* 6.

136 II. Pupillus pubertati proximus, vel pubes, & multo magis minorennis, cum consensu, & auctoritate Tutoris contrahens, obligatur & naturaliter, & civiliter *L. impuberes, ff. de actor. & consensu Tutorum*, & alibi. Quin etiam minorennis pubes curatorem non habens omni contractu, tam naturaliter, quam civiliter obligatur, quamvis possit petere restitutionem in integrum, si ex contractu læsus sit *L.* 3. *C. de in integr. restit. minor.* &c. Omnes. Ratio est: quia hic nihil deest ad valorem contractus. Excipitur autem semper alienatio bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt; hæc enim pupillis, & minoribus, etiam accedente Tutorum, vel Curatorum auctoritate interdicta est, nisi Judicis decretum accedat. *L. non solum si minor. Cod. de prædiis minorum.* Plures textus citatos vide apud Laym. *cit. cap.* 9. *n.* 5.

137 III. Pupillus, & minorennis, seu minor 25. annis Curatorem habens non obligatur civiliter ex ullo contractu sine Tutoris, aut Curatoris auctoritate inito. Toto *tit. ff. & instit. de actor. tut. & L.* 3. *C. de in integr. restit.* Ratio est: quia ita jure constitutum est in favorem illius teneræ, & imprudentioris ætatis, cui fulciendæ in rebus suis ideo Tutores, & Curatores, vel administratores adhibentur. Excipiuntur tamen casus, quibus tales etiam civiliter obligantur, utpote. 1. Quando contractum juramento firmarunt *authent. sacramenta puberum C. si adversus vendit.* 2. Quando pupillus, vel minor ex tali contractu ditior factus est L. ult. C. de usucap. pro emptore. *Nam locupletari non debet aliquis cum alterius jactura: Reg.* 48. *jur. in* 6. v. g. Si pupillus vel minor mercem traditam a mercatore ante traditum pretium bona fide absumpsit, vel amisit, repetenti in foro externo solum reddere debet, quo inde ditior factus fuit. 3. Si res tradita pupillo, vel minori, ejus malo dolo periit, datur actio contra eum, qua solvere compellatur. *L.* 1. §. *an in pupillum, ff. depositi.* Si tamen infantiæ proximus fuit, utpote ante decimum annum cum dimidio, dolus non præsumitur. *Arg. L. quod infans* 60. *ff. de rei vindic.* Et hactenus quidem Juristis consentiunt Theologi sine controversia.

138 IV. Pupillus tamen pubes, vel pubertati proximus, uti & minorennis absque auctoritate Tutoris, vel Curatoris contrahens obligatur naturaliter, seu in foro conscientiæ, quousque se exceptione ex Juris Civilis beneficio defendat. Ita contra Juristas, & multos Theologos communior Theologorum, plurimis citatis Less. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 61. Mol. *t.* 1. *tr.* 2. *disp.* 224. *n.* 31. Sanch. *l.* 6. *de Matr. disp.* 38. Laym. *c.* 9. *n.* 7. Lug. *disp.* 22. *sect.* 10. *n.* 288. Ratio est: quia obligatio naturalis oritur ex consensu: sed pupilli puberes, vel pubertati proximi sufficientem consensu habent, ut colligitur *ex* §. *pupillis instit. de inut. stipulat.* ergo naturaliter obligantur ex contractu. Neque leges civiles hanc obligationem infirmarunt omnino, sed solum non confirmarunt, & in foro externo actionem contra pupillum ita contrahentem denegarunt: immo potius multis locis expresse dicunt, pupillum sine tutoris auctoritate naturaliter obligari: ut *L. si pupillus* 21. *ff. ad L. falcidiam & L.* 1. *ff. de novationibus.* Et alibi: ubi expresse habetur pupillum sine Tutoris auctoritate contrahentem naturaliter obligari. *Confirmatur.* Deficiente obligatione principali, non valet accessoria: atqui obligatio minorennis sine auctoritate Curatoris contrahentis confirmatur juramento, ut dictum: sicut etiam si ad contractum pupilli sine auctoritate Tutoris celebratum fidejussor accedat, is etiam civiliter obligatur, ex *L. ult. vers. si autem ff. de jurejurando*, & alibi: ergo supponitur in iis obligatio aliqua naturalis, quæ, accedente juramento, vel fidejussione, confirmari possit. Verum quidem est, Jura aliis locis etiam satis aperte dicere, pupillum ex tali contractu naturaliter non obligari, ut videre est apud cit. Sed vel solum loquuntur de pupillo impubere proximo infantiæ, qui cum infirmum intellectum habeat, & parum a furioso distet, ut dicitur *L. pupillus* 59. *ff. de action. & oblig.* ideo Jura civilia ejus contractui resistunt, & omnem obligationem tollunt. Vel ita conciliari possunt, quod leges negent obligationem naturalem omnino efficacem, & arctantem pupillum, secluso beneficio restitutionis; admittant vero obligationem naturalem, non tamen etiam omnino efficacem, quippe quæ per exceptionem ex beneficio legis civilis non compellentis pupillum ad solutionem, contra petitorem opponi potest, ut neque in Conscientiæ foro solvere cogatur. Cæterum, ut bene advertit Lugo *c. disp.* 22. *sect.* 10. *n.* 279. negari vix potest, quin ex tali contractu venditionis, v. g. pupilli, vel minorennis naturaliter obligante, debitum traditum transferat aliquod dominium in accipientem, sed solum transfertur dominium naturale non item civile, cum leges civiles tale dominium non confirment, sed justas ob causas concedentes beneficium restitutionis pupillo, vel minorenni potius infirment. Unde patet, quod si aliquid pupillus, vel minorennis ludendo perdidit, vel alio contractu promisit, solvere non teneatur: quia exceptione beneficii legis se defendere potest, cum, etiam si solvisset, repetere posset; *qui enim ad agendum admittitur, est multo magis ad excipiendum admittendus.* Reg. 71. in 6. E contra si creditori jam solutum fuit, is tuta conscientia rem retinere potest, donec ab ipso repetatur per beneficium legis civilis talem repetitionem concedentis: quia pupillus, & minor Curatorem habentes, saltem naturaliter obligantur, ut supra dictum: at vero legis civilis beneficium ipsis non prodest, si eo non utantur; sive quia uti nolunt; sive quia ignorant. Hæc summarie congesta latius videre potes apud Auct. citat. Laym. & fusissime Lugo *sect.* 10. per totum.

SECTIO VI.

De materia contractus validi, Remissive.

CErtum est, contractus validi materiam 1. *debere esse quid possibile, & honestum, & licitum.* 2. *alia lege non prohibitum.* 3. *alienanti aliquo modo proprium.* Quoad 1. patet ex jam dictis supra; quia impossibilium nulla est obligatio, & implicat aliquem obligari ex justitia, vel ullius virtutis præcepto ad id, quod vel nullo modo, vel saltem juste, & licite fieri non potest: ergo contractus validi, & obligantis materia debet esse quid possibile, & licitum, seu honestum. 2. Patet jam ex alibi dictis: sic enim lege civili prohibentur alienari bona pupillorum immobilia, ac etiam mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, nisi ex decreto Judicis. Item lege, seu Jure Canonico *c. nulli de rebus Eccles. alien.* & alibi, prohibentur alienari bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia pretiosa permanentia, nisi ob justam causam, & interveniente certa solemnitate *cit. cap.* adeoque contractus alienantis aliter ejusmodi res invalidi erunt, quia materia alienari lege prohibetur. Quoad 3. Ratio est evidens: nullus enim potest dare alteri, quod non habet; omnis contrahens autem valide dat alteri aliquod jus ad aliquam rem, vel actionem: ergo ipse debuit habere illud jus; consequenter materia contractus validi debet esse aliquo modo, scilicet vero, vel præsumpto titulo, quoad dominium plenum, vel saltem quoad utile, propria contrahenti, alienanti, donanti, vendenti &c. adeo ut nullus contractus de re aliena possit esse validus simpliciter transferendo scilicet dominium, vel jus perfectum in accipientem, licet aliquo modo possit esse validus secundum quid, quatenus parit danti obligationem de evictione, & indemnitate accipientis bona fide rem alienam, de quo multa notavimus supra *c.* 1. *de præscript. sect.* 5. & *tr.* 4. *sect.* 3. *de restit. possessoris bonæ fidei.* Et ex professo tractabitur infra *c.* 4. *de emptione, & venditione*, in quo principaliter locum habet evictio. 139

CA-

CAPUT III.

De contractibus gratuitis transferentibus dominium plenum, scilicet *Donatione, Testamento, Legato, Hæreditate, & annexis.*

SECTIO I.

Donatio quid sit, & quotuplex.

SUMMARIUM.

2 *Donatio est liberalis.*
3 *Alia est imperfecta, alia perfecta.*
4 *Propositum, vel etiam promissio donandi in futurum, nondum est donatio.*
5 *Sed est solum voluntas præsens donandi aliquid in futurum.*
6 *Quid donatio imperfecta, seu verbalis; &*
7 *Quid donatio perfecta, & realis.*
8 *Donationis perfectæ, & imperfectæ differentia.*
9 *An res jam uni donata verbaliter solum, possit valide donari alteri realiter.*
10 *Donatio mere liberalis, & remuneratoria quid.*
11 *Quando leges prohibent alicui donationes, intelligenda sunt de liberalibus, non remuneratoriis.*
12 *Resolvitur dubium.*
13 *Donatio pura, & absoluta, & non pura quid.*
14 & 15 *Quid sit donatio inter vivos, &*
16 *Quid donatio mortis causa.*
17 *Qualiter conveniant, & inter se*
18 *Differant donatio inter vivos, & mortis causa.* Usque ad num. 20.

ASSERTIO I.

Donatio est datio liberalis; (*Excluso ergo solo proposito, & promissione donandi in futurum*) *dividitur in imperfectam, seu verbalem tantum: ac perfectam, seu realem, item in liberalem, & remuneratoriam: item in puram, & non puram sub conditione, & modo: item in donationem inter vivos, & mortis causa.* Explico breviter terminos.

§. I. *Donatio est datio liberalis.*

2 I. Communis, & facilis descriptio nobis in moralibus ad praxim omnino sufficiens, satis patet ex ipsa Ethymologia nominis; nam teste Juris Consulto *in L. Senatus 35. §. 1. ff. de mortis causa donationibus*, donatio dicta est quasi *doni datio*: donum autem debet esse datum liberale, vel gratuitum, quod scilicet neque ex justitia debitum sit alteri, neque alteri accipienti vicissim aliquam obligationem, seu debitum ex justitia imponat, & sic non veniat in commutationem pro alia re, vel debito, sed mere gratis detur. Donatio ergo excludit omnem, & solam obligationem, seu debitum ex justitia: si quid enim detur alteri ex obligatione, seu debito Justitiæ, eo ipso donatio non erit, sed solutio, restitutio, vel quid simile. Non tamen donatio excludit debitum morale gratitudinis, cum ipsamet dividatur in liberalem, & remuneratoriam, ut jam dictum est, & mox explicabitur.

3 II. Donatio latissime alia dicitur imperfecta, & incipiens, alia perfecta, & completa: *donatio imperfecta, & incipiens dicitur*: quæ 1. vel incipit a solo simplici proposito donandi, ut si dicam, volo, vel paratus sum donare tibi meum hunc librum, equum &c. 2. Vel incipit a promissione donandi in futurum, ut si dicam: promitto tibi donare meum librum, vel quod idem est, donabo tibi meum librum: idem enim est dicere: donabo tibi, ac promitto tibi donare, in communi usu, vel acceptione hominum, ac proinde merito dicitur promissio donandi. 3. Vel incipit donatione verbali in præsenti, sed absque traditione rei, v. g. dono tibi meum librum, vel donatus sit tibi meus liber talis, quem domi habeo, vel talis equus meus, domi existens in stabulo, & hæc a Juristis adhuc vocatur donatio incipiens a promissione: sicuti præcedens promissio donandi in futurum: in hoc tamen adhuc differens a nuda promissione donandi in futurum, quod in hac promissione donandi, & ipse actus donandi, & traditio promittatur: at in hac datione verbali jam fit actus donandi, & solum promittatur traditio rei donatæ. 4. Denique *donatio perfecta, & completa est*, quando res etiam traditur, ut dono tibi hunc librum, vel equum, & nunc etiam eum tibi trado, accipe, & tu reipsa accipis. Et hæc perfectissime est definita donatio: *datio liberalis*. Et hinc dixi per parenthesim.

4 III. *Excluso solo ergo proposito, & promissione donandi in futurum.* Hæc enim duo donatio simpliciter dici non possunt, nisi valde imperfecte, cum illo addito, *incipiens a proposito, vel a promissione in futurum*: nam propositum donandi est mera, & nuda voluntas præsens dandi, vel donandi aliquid alteri in futurum, absque omni intentione se se obligandi: adeoque, sicut mihi sic proponenti nullam prorsus imponet obligationem, neque moralem quidem debitum sub aliqua culpa, sed ad summum consilium perfectionis ex virtute constantiæ, qua decorum est honesta proposita non sine causa mutare; ita alteri nullum omnino jus tribuit ad eam rem, sed solum tenuem admodum spem in mea constantia, qua non soleo mutare mea proposita, cui si tu nimium fidens, ex meo proposito postea mutato, damnum aliquod incurras, tibi ipsi imputare debes: ego autem nihil tibi debeo. Vide, qualis hæc sit donatio.

IV. Promissio donandi in futurum est voluntas præsens 5
donandi, vel dandi aliquid alteri in futurum, sed cum intentione se se obligandi, & debitorem constituendi ad illud tamquam deinceps aliquo modo ipsi debitum, & hæc liberalis promissio donandi per se plerumque obligat solum ex virtute fidelitatis sub veniali culpa, tamquam debitum morale honestatis tantum, & sic alteri promissario nullum omnino proprium jus tribuit, sed solum rationabilem, vel firmam spem in mea fide sibi datam; sicque adhuc donatio proprie dici non meretur. Aliquando vero etiam obligat ex justitia, modo supra suo loco explicato, & tribuit jus ad rem promissam, atque actionem personalem adversus promittentem: attamen nullum adhuc jus in re, neque actionem realem: cum nullus adhuc adsit actus donandi, sed promissio tantum. Unde si tibi promisi donare meum librum; & contra promissionem non sine culpa, & injuria reipsa donavi, & tradidi alteri, alter simpliciter acquirit dominium libri, neque tu eum ab eo evincere poteris, neque ego tibi ejus valorem restituere debeo, sed solum teneor tibi pro interesse, si quod passus es ex negato libro tibi promisso, ut alibi etiam adnotavimus, & consequenter nec sic adhuc donatio proprie dici potest: nisi cum illo imperfecto addito: *incipiens a promissione in futurum*. Donatio autem simpliciter, & sine addito, significat ipsum actum donandi in præsenti, & aliquo modo dat rem ipsam, ejusque jus in re, ac dominium in donatarium transfert, modo mox explicando. Itaque donatio simpliciter dicta

§. II. *Dividitur in imperfectam seu verbalem, & perfectam, seu realem.*

I. Donatio *imperfecta, & verbalis* dicitur, qua quis per 6
verba de præsenti jam actu donat rem alteri, dicendo v. g. dono tibi hunc librum, illum equum, sed forte absentem, vel adhuc usui necessarium nondum trado, & tunc consequenter ad eundem infallibiliter tradendum me obligo, adeoque hæc donatio semper parit obligationem ex justitia ad tradendam illam rem sub mortali ex genere suo, in materia scilicet vere gravi, & capaci tantæ obligationis, nec potest eam donans sine injustitia revocare, sed obligatur rei sic donatæ ei possessionem tradere, vel statim, vel ad terminum forte præfixum. Ratio est evidens: quia per hanc donationem donans rei dominium, & jus in re, saltem naturaliter, & quoad intentionem, ac voluntatem suam sufficienter expressam, & jure naturali omnino sufficientem, jam actu a se abdicat, & in alterum transfert, etsi nondum transferatur dominium civiliter, seu jus in re perfectum, scil. quoad effectum, & executionem requisitam jure civili ad dominii translationem, quia nimirum leges ita statuerunt, ut non solo consensu, & titulo, seu traditione, & apprehensione rerum dominia transferantur, & acquirantur per donationem, vel quemlibet contractum: ergo res sic donata alteri, ei ex justitia, & simpliciter debetur stricto jure irrevocabili.

II. Donatio *perfecta, & realis* dicitur, qua donans rem 7
alteri, & actu donat, & simul in effectu tradit, adeoque ejus rei dominium, seu jus in re perfectum naturaliter, civiliter, & simul legitimam possessionem tradit acceptanti, & hæc a fortiori parit obligationem justitiæ sub mortali numquam molestandi dominum circa rem sic donatam, præscindendo a causis, propter quas ejusmodi donatio revocari possit: de quibus infra agemus. Et hinc

III. Jam vides differentiam hujus donationis perfectæ, 8
& realis ab illa donatione, imperfecta, & verbali tantum: per hanc enim verbalem, etsi donans ad intentionem suam omnino sufficientem jure naturali, ac in foro conscientiæ transferat dominium in alterum naturaliter, non tamen transfert dominium, seu jus in re perfectum civiliter, scilicet quoad effectum, & executionem necessario requisitam jure positivo ad dominii translationem, quia nimirum leges ita statuerunt, ut non solo consensu, seu titulo, sed traditione rerum dominia transferantur per donationem, vel quemlibet contractum. Et ideo

IV. Fatendum est, quod si rem sic verbaliter donatam 9
tibi, ante traditionem realiter donem, & tradam alteri, hanc posteriorem donationem valere: attamen tibi obligabor, tuque adversum me personalem actionem habes in foro etiam externo ad satisfaciendum tibi pro ipsa re tibi antea verbaliter donata in solidum, seu totum ejus valorem, & non tantum pro interesse tuo, quod forte ex negata re donata incurristi; sicut teneret ex sola promissione donandi in futurum, juxta paulo ante dicta. His bene notatis, facile jam erit concordare diversissimos, & contrarios modos loquendi DD. in hac re valde intricata, dum alii affirmant & alii, etiam *Bonacina*, *Layman* negant, per donationem verbalem transferri dominium rei donatæ: negant enim de dominio politico perfecto, non autem negant de dominio naturali, & velut adhuc imperfecto.

§. III.

§. III. *Item in liberalem, & remuneratoriam: puram, & non puram.*

10 I. Donatio *mere liberalis, & gratuita* dicitur, quæ fit, seclusa omni prorsus obligatione tam justitiæ, quam gratitudinis ex parte donantis, adeoque absque omnibus meritis donatarii, sed tota quanta fundatur in liberalitate donantis. Donatio *remuneratoria* dicitur, quæ fit ex aliqua obligatione, non quidem justitiæ, sed gratitudinis ex parte dantis ob merita donatarii, nimirum ad remunerandum beneficium a donatario acceptum, juxta mensuram beneficii accepti. Atque ut valeat ejusmodi donatio remuneratoria, etiam in foro externo, satis est, ut donator dicat, se donare ob merita donatarii, nec opus est, ut merita probentur, ut cum aliis bene probat Diana *p.* 8. *tr.*6. *Miscell. res.*116. Eaque donatio remuneratoria in foro externo firmior est, quam liberalis. Unum hic, aut alterum breviter adnotandum est.

11 II. *Unum est.* Quando leges prohibent fieri donationes ab aliquo, uti Clemens VIII. prohibuit donationes Religiosis, & Jus civile prohibet donationes inter conjuges, de quibus infra, censentur prohiberi solæ donationes liberales, non item remuneratoriæ, ut contra alios ex communiori late docent Sanch. *l.6. de matr. disp.6.* & Lugo *disp.23. de just. sect.9. n.*133. Ratio est, quia prohibitio alicujus rei cum sit odiosa, restringenda semper est ad rem proprie talem, atqui sola donatio liberalis proprie est donatio, seu datio liberalis, tota scilicet fundata in liberalitate donantis, ut dictum est: donatio vero remuneratoria propter illud ipsum morale debitum gratitudinis aliquantulum deficit a donatione proprie dicta, quæ merito omne debitum etiam morale gratitudinis excludere debet: ergo sub prohibitione donationis non debet comprehendi hæc donatio remuneratoria.

12 III. *Alterum est.* Si ego Titio aliquid donavi, isque ob gratitudinem, aliquid mihi redonet, si deinde ego rursus aliquid donem, eritne hæc mea secunda donatio remuneratoria, an gratuita, & liberalis? Respondeo. Esse gratuitam, quia tu sine ullo debito donasti secundo; donatio enim Titii, cum solum fuerit ad remunerandum prius tuum donum, non posuit novum debitum in te, sed tantum extinxit suum, quare tu secundo omnino gratis donasti: quod si tamen Titius excessit in donando aliquid tibi pretiosius, ac multo carius primo dono tuo redonando: tunc certe secundum illum excessum donatio erit liberalis; Ideoque secundum ejus excessus mensuram, remuneratoria erit tua secunda donatio: de reliquo manebit liberalis.

13 IV. Donatio *pura absoluta* est, qua aliquid simpliciter absque ulla limitatione, vel conditione donatur. Donatio *non pura* dicitur, qua aliquid donatur sub conditione, vel limitatione aliqua loci, temporis, &c. Unde subdividitur in *conditionalem*, ut dono tibi equum, si hoc, vel illud facias; & donationem *in diem*, ut dono tibi equum hunc post mortem meam, vel quando Roma rediero. Unde rursus alia est donatio in diem *certum*; alia in diem *incertum*, utraque eodem modo explicanda, quo supra *cap.* 2. *sect.*1. §. 6. *art. n.*14. de promissione, & pactis generatim explicatum est. Est autem lata differentia inter donationem conditionalem, ac donationem ad diem; si enim dicas per donationem conditionalem, dono tibi equum, si moriar, vel si moriturus sim, &c. cum hæc conditio sit necessaria, etiam nunc verificata, ex nunc statim debes mihi equum tradere: si vero dicas mihi, v.g. dono tibi equum, quando moriar, erit donatio ad diem, quare debebo expectare tuam mortem, ut mihi tradatur equus. Vide Mol. *disp.*287. *n.*22. ubi de his multa invenies, sed rarioris praxis.

§. II. *Item in donationem inter vivos, & mortis causa.*

14 Hæc sic definitur in Jure *L.* 1. *Senatus* §. 2. *ff. de mortis causa donationibus*. Donatio inter vivos est, *cum is, qui donat, mavult habere illum, cui donat, quam se.* Donatio mortis causa est, *cum habere quis se mavult, quam eum, cui donat: magisque eum, cui donat, quam hæredem suum.* Verissime quidem, sed obscure. Clare ergo.

15 Donatio *inter vivos* dicitur, qua res donatur a vivente viventi, transferendo rei dominium in donatarium adhuc in vita donantis; animo scilicet, & voluntate, ut res donata fiat statim donatarii acceptantis, nec unquam ad donatorem revertatur. Et talis donatio inter vivos censetur, quoties absolute aliquid alteri donas absque ulla conditione, mentione, vel suspicione mortis tuæ, aut sine omni simili addito; donare enim sine addito est nunc donare, sive tunc sanus sit, sive ægrotus, sive moribundus, etiam in ipso testamento, vel codicillo, tantummodo animus sit jam statim transferendi dominium in donatarium acceptantem per se, vel alium, legitime vices gerentem: quia etiam infirmus, vel in periculo mortis constitutus vere donare potest. Si ergo aliunde non expressisti, inter vivos donasti, ut ex Molina, & aliis recte observat Tamb. *lib.9. tr.*10. *de don.c.* 2. §.1. *n.*9. Quin etiam si donas aliquid alteri absolute, ut jam ipsius sit, sed differendo traditionem, seu executionem ejusmodi donationis post mortem, adhuc est donatio inter vivos, quia jam nunc donas irrevocabiliter, & solum donationis effectum illum, seu complementum differs, ut notat idem ibid. *num.*7.

Donatio *mortis causa* dicitur, quæ fit a vivente viventi 16
sub conditione mortis secuturæ donantis, si nimirum donans mortuus fuerit, adeoque transfert dominium rei donatæ simpliciter primo post mortem suam, & nihil prorsus antea, sic ut ante mortem semper pro libito revocari possit, sicut omnis ultima voluntas. Et talis donatio mortis causa censetur, si donans alteri quidpiam, expresse addas: *post mortem meam*, si in hac navigatione in hoc bello e vivis excessero, &c. Et quoties in donatione facta est mortis mentio, judicandum est esse causa mortis donationem, nisi aliud clare appareat in contrarium, juxta communem sensum DD. Cæterum quando omnibus perpensis manet dubium, sitne donatio inter vivos, an causa mortis facta, præsumendum esse potius donationem inter vivos ex Glossa quadam recepta docet Laym. *lib.3.tr.3. c.*12. *n.*5. Contra, præsumendum esse causa mortis factam, cum multis citatis docet Diana *p.8.t.6.res.*30. Ratio bona est: quia donatio liberalis, quanto minus potest, debet gravare, vel nocere donanti, nisi aliter expresse constet: atqui minus gravat, & nocet donatio mortis causa, quam inter vivos, ut ex se patet: ergo in dubio pro illa præsumendum est. Pro cujus pleniore intellectu aliqua hic addenda sunt.

I. Donatio mortis causa quoad aliqua convenit cum donatione inter vivos, aliisque pactis, & contractibus, vide 17
quoad formam, & modum constitutionis suæ: quia nimirum requirit consensum duorum in idem, donantis scilicet, & donatarii: opus enim est, ut donatarius donationem ab alio mortis causa sibi factam acceptet per se, vel per alium, cui pro illo stipulari jure concessum est, juxta dicta supra *c.2.sect.*2. §.5. de promissione acceptanda. Excepto casu, quo donans ejusmodi donationem a nemine acceptatam apponeret in suo testamento, vel codicillo: tunc enim ejusmodi donatio indueret rationem legati, juxta L. *Si donatio*, 5. *eod. de donat.* quo ipso jam differt donatio mortis causa a legato, aliave ultima voluntate: ad hujus enim valorem solum requiritur voluntas testatoris, quamvis executio cesset, si alter legatum acceptare nolit, quod est de raro contingentibus.

II. Quoad aliqua vero, donatio mortis causa differt a donatione inter vivos, aliisque pactis, & contractibus, & con- 18
venit cum ultimis voluntatibus, maxime legato, nimirum quoad effectum, & valorem plenum transferendi dominium; nam donatio inter vivos ex se, & rebus immutatis est irrevocabilis, statimque transfert dominium irrevocabiliter; unde si ejusmodi donationi adderetur clausula, quod semper, quando voluerit donans, usque ad mortem ejus possit revocare, jam non esset censenda essentialiter donatio inter vivos, sed degeneraret in donationem mortis causa. Donatio autem mortis causa, (sicut legatum, & omnis ultima voluntas) ante donantis mortem firma non est, quia semper vel donantis pœnitudine revocari, vel propter donatarii prævenientem mortem extingui potest, ut habetur L.32.ff. de eod. ibi. *Non videtur perfecta donatio, mortis causa facta, antequam mors donatoris insequatur.* Idque non solum verum est, si res verbaliter tantum donata causa mortis ante mortem non tradatur, sed etiam si donatione reali jam tradita fuisset, qua traditione dominium quidem acquirebatur donatario, sed tamen revocabile ex natura propria hujus donationis. Quinimo, si donatio mortis causa facta fuit ob timorem periculi mortis instantis, vel jam imminentis, adeoque cum conditione expressa, vel tacita, si ex hoc periculo, v.g. morbi, belli, vel navigationis periculosæ,&c. mors sequatur, &c. cessante illo periculo statim eo ipso censetur revocata donatio, juxta leges allegatas apud Molin. supra, & Laym. *cit. n.*4. Cæterum si donationi mortis causa addatur pactum, ut donatio nunquam revocari possit, ut etiam transeat ad hæredes donatarii ante donantem forte morituri, aut etiam in ipso periculo mortis donatio fiat, sic tamen, ut statim ante mortem suam velit donans transferre dominium rei donatæ in donatarium, jam non erit essentialiter donatio mortis causa, sed censebitur donatio inter vivos, ejusque proprietates sequeretur, v.g. quod non possit fieri inter conjuges: quod ex ejusmodi donatis non possit detrahi falcidia, ut juribus allegatis docent Molin. *to.2.disp.*287. Laym. *cit. n.*4. *fin.*

III. Donatio ergo mortis causa potius enumeranda est in- 19
ter ultimas voluntates, quam inter contractus: nam præter jam dictam primariam differentiam a contractibus, & convenientiam cum ultimis voluntatibus, in plerisque aliis convenit cum legato. Nam 1. sicuti legatum, ita donatio mortis causa, confirmatur morte donantis, & non antea. *Gloss. in L. legatum* §. *penul. ff. de his, quæ ut indignis*. 2. In ejusmodi donatis mortis causa, sicut in legatis, potest detrahi quarta falcidiæ pars. *L.cum pater.*77. §. *eorum* 1.*ff.de legat.*2.*pen.eod. ad L. falcidiam*. 3. In iis locum habet jus accrescendi, si duobus mortis causa donatum fuit. Sicut in legatis. *L.un.*§. *ubi autem* 11. *C.de caduc. tollend.* 4. Utrum talis donationis capax sit donatarius (sicut in legato) attenditur secundum tempus mortis, non autem secundum tempus factæ dispositionis, juxta *L. in mortis* 22. *ff. de mortis causa donat.* Alia plura minutiora citatis juribus videre potes apud Molin. Lay. Lug. citt. Denique ad valorem, & solemnitatem donationis mortis causa pro foro externo requiruntur quinque testes secun-

dum considerationem Juris, ut notant DD. citt. Ad donationem inter vivos duo testes sufficiunt, & requiritur tantum per accidens, ne scilicet res donata in foro externo ab heredibus evinci possit: at vero in foro conscientiæ tutus est donatarius, etsi nullo teste, vel probatione munitus sit, si sciat, aut credat defunctum vere animum donandi habuisse, sive inter vivos, sive mortis causa.

20 IV. Donatio mortis causa tandem hoc grandi discrimine differt a legato, quod legatum a testamento pendeat, tanquam accessorium a principali: quare infirmato testamento corruit etiam legatum: stante testamento, legatum ab hærede præstandum est, quia is hæreditatem adiit, solutis tamen prius debitis onerosis, at vero donatio mortis causa a testamento, & hæreditatis aditione prorsus independens, ipsa donantis morte plene perficitur, & confirmatur, adeo ut si res mortis causa donata realiter donatario a donante vivo tradita fuerit, ejus dominium tunc plene, & irrevocabiliter acquiratur, ut nulla actione opus sit; cum etiam ante mortem donantis dominium rei ipsius fuerit acquisitum, etsi adhuc revocabiliter, *L. 39. ff. de mortis causa donat.* Sin vero res mortis causa donata verbaliter tantum, adhuc ante mortem donantis tradita non sit, tunc post ejus mortem donatario tamquam vero domino competit actio realis in rem contra hæredem, vel hæreditatis jacentis curatorem, aut talium quemcumque possessorem, sicuti constat ex *L. 1. & 2. ff. de publicana*; Plura vide apud *Molin. & Laym. citt.* Hæc summo compendio sufficere possunt Confessario pro communi praxi.

SECTIO II.

Quis donare possit.

SUMMARIUM.

21 *Donare potest omnis ratione utens, lege non prohibitus habens plenum dominium, seu liberam administrationem rei suæ.*
22 *Uxores de bonis suis paraphernalibus quidem donare possunt;*
23 *Non tamen de ipsa dote, ac bonis communibus matrimonii, & familiæ, nisi de expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia mariti.*
24 & 25 *Enumerantur casus, quibus de præsumpta mariti licentia uxor donare potest.*
26 Usque ad n. 29. *Qualiter, & de quibus bonis donare possint filii familias;*
29 *Qualiter donare possint pupilli, & minorennes.*
30 *Quid, & qualiter donare possint Religiosi* I. *Prælati.*
31 II. *Religiosi Oeconomi, Procuratores, &c. Administratores.*
32 III. *Religiosi subditi Oeconomi, &c. Et*
33 IV. *Religiosi Beneficiati.*
34 *Qualiter donare possint Clerici.*

21 Certe quisquis contrahere potest ad se obligandum, ac transferendum dominium rei suæ in alterum, is etiam donare potest, cum donatio sit præcipua species contractus transferentis dominium. Donare ergo potest omnis ratione utens, lege non prohibitus, habens plenum dominium, seu liberam administrationem rei suæ: pro qua recolenda sunt dicta supra *c. 1. sect. 2. tota.* Ex quibus specialia aliqua hic iterum adnotanda sunt de donationibus *uxorum, filiorumfamilias, pupillorum, Clericorum, Religiosorum.*

§. I. *Uxores.*

22 I. Certum est, uxores posse libere donare, atque eleemosynas facere de bonis suis paraphernalibus, quæ scilicet ultra dotem marito afferunt, & sibi reservant, ut eorum administratio penes ipsas remaneat, ac de iis libere disponere possint: quo etiam spectant bona, quæ uxor extra bona communia dotalia aliunde acquirit, ut ex donatione, legato, &c. ex opera, vel arte ad familiæ gubernationem non necessaria, nec nociva. *Omnes.*

23 II. Certum est, uxorem de ipsa dote, ac bonis communibus Matrimonii, & familiæ, quorum administratio ad maritum spectat, pro se nullas facere posse erogationes neque eleemosynas, nisi de licentia expressa, vel tacita vel præsumpta mariti. Ita DD. communiter omnes cum D. Thom. 2. 2. *q. 32. ar. 8. n. 2.* Navar. & alii apud Laym. hic *tr. 4. c. 12. n. 6.* Ratio patet: cum enim ad maritum spectet eorum bonorum dominium utile, & administratio, seclusa omni ejus expressa, tacita, vel præsumpta rationabiliter licentia, uxor alicui donans vere usurparet alienum invito domino; ideoque peccaret peccato furti, pro ratione materiæ, etiam mortaliter, juxta dicta suo loco *tr. 5. c. 5. sect. 2. nu. 51.*

24 III. Excipiuntur tamen casus, quibus potest: qui omnes revocantur ad expressam, tacitam, vel rationabiliter præsumptam licentiam mariti. In primis, quando illorum bonorum administratio ipsi uxori relinquitur, aut ex libero consensu mariti, aut quia maritus est absens, prodigus, amens &c. Communis Navar. *man. c. 17. n. 154.* Less. *lib. 2. c. 12. dub. 14.* Molin. *to. 2. disp. 174. fin.* & alii apud Lay. *cit. n. 6.* Item quando maritus est nimis tenax, ac indiscretus, & necessitas, vel alia justa causa postulat, uxor moderatas eleemosynas facere potest, etiam donationes remuneratorias, exemplo Abigaelis 1. *Regum* 25. Communis apud *citt.* Qui addunt etiam uxorem, invito marito, posse facere eleemosynas, & donationes maxime remuneratorias moderatas, spectata qualitate sui status, & quantitate dotis allatæ. Ratio omnium est: Quia uxor non est mariti ancilla, sed socia, & domesticæ administrationis particeps, ut proinde in re tam æqua maritus merito invitus esse non possit, certe non debeat, & si sit, irrationabiliter, & injuste, invitus esse censendus sit.

IV. Addunt insuper DD. citati uxorem nullam facere marito injuriam, si de sumptibus, quos ad largiorem sustentationem, ornatum, honestam recreationem, &c. impendere poterat, propria parsimonia collectis, aut sibi ipsi reservet in futurum aut in pauperes consanguineos, vel amicos eroget, etiam invito marito. Ratio est eadem: quia quoad hoc non potest esse rationabiliter invitus maritus, nisi forte per talia splendor familiæ, & status sui detrimentum patiatur. Item si uxoris parentes, aut filii ex priori matrimonio suscepti misere vivant, & maritus succurrere nolit, eo etiam invito, potest uxor ex dote, vel bonis communibus necessarium iis subsidium præstare, dummodo cum ad partitionem ventum fuerit, hæc in partem suam referat, si quid notabile fuerit impensum; nam in causa tam pia parum pro nihilo reputari debet, ut bene docet Petr. Nav. *l. 3. c. 1. n. 159.* Monent tamen bene Molina, & Laym. citt. Confessarium, ut caveat, ne in hac re majorem, quam par est, fœminis licentiam concedat, sed moneat potius, ut virorum suorum voluntati se accommodent, quantum salva justitia ex parte viri fieri potest. Marito ergo tamquam capiti familiæ, & bonorum communium administratori major concessa est facultas ex communibus bonis, ac lucris, faciendi eleemosynas, donationes, aliosve sumptus etiam superfluos, ut in convivia, ludos honestos, absque onere restitutionis, dummodo dos, & alia bona propria uxori maneant salva. Ut ex communi docet Navarr. *cit. cap. 17. num. 155.* Alioquin si sumptus superflui, & magna bonorum communium profusio cedat in manifestam injuriam, & damnum uxoris non sine fraude præsumpta, maritus, vel ejus heredes uxori damnum compensare tenebuntur, & præsumpto, eos id difficulter facturos, ipsa occulte sibi, liberisve providere nullo Jure prohibetur, ut ex communi docent *Nav.* uterque, *Molina, Lessius, Laym. citt.* 25

§. II. *Filiusfamilias, & Pupilli, &c.*

I. Hi libere donare possunt, etiam invito patre, de suis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, cum horum bonorum libera administratio spectet ad ipsos; idque jure naturæ, quamprimum perfectum usum rationis consecuti sunt; quod præsumitur post septennium, quando proximi sunt pubertati: Jure civili autem solum completis annis pubertatis. 26

II. De bonis adventitiis (quorum proprietas quidem ad filium, ususfructus autem ad patrem spectat) donatio facta a filio infirma est, & a patre revocari potest: interim tamen filius ex contractu obligatus manet, & rem patri repetenti tenebitur de evictione, seu compensatione ususfructus ad ipsum spectantis, in rigore loquendo, quamvis in foro conscientiæ raro præsumatur pater tam rigorosus in filium, ut eum ad id obligare velit, ut ex Molina *cit. to. 2. disp. 277. n. 519.* notat Laym. *cit. n. 7.* 27

III. De bonis autem profectitiis (quorum dominium, & administratio ad patrem spectat) donatio facta a filio omni Jure irrita est, secundum omnes, cum vere sit de alieno. Notant tamen DD. citati, aliique communiter, quod si pater filio sumptus mittat ad studia, censendus est indulgere ei aliquid, v. g. ex centum quinque, vel sex, ad eleemosynas, aliasque donationes, ad honestas recreationes, quas alii ejusdem status, vel conditionis facere solent, expendendum. Idem a fortiori est de eo, quod filius ex certo annuo sibi assignato sumptu sibi propria parsimonia subtrahit; de quo vide Less. *l. 2. c. 12. dub. 13. n. 77.* Quinimo, nec peccabit filius contra justitiam, si illam pecuniam, quam secundum patris præsumptam voluntatem in donationes, vel honestas recreationes insumere potuisset, ipse male, vel turpiter absumat, &c. quia pater non est invitus quoad substantiam, seu ipsam rem absumptam, sed tantum quoad modum absumendi, ut ex *Molin.* notat *Laym.* ibid. optime addens, etiamsi filius quoquo modo plus justo contra patris voluntatem absumpserit, ordinarie præsumendum non est, patrem sibi restitutionem fieri velle, nisi magnus excessus factus in notabile reliquorum liberorum damnum cederet, vel aliunde constaret talem esse patris voluntatem: quo sensu vera est sententia *Bartol. Sylvest. Navarr.* & aliorum: ea, quæ filius in Academia in ludos, aliosque profanos, ac superfluos usus consumpsit, mortuo patre in partem hæreditatis legitimam numeranda esse. 28

IV. Pupilli, & Minorennes, si puberes sint, etiam invitis tutoribus, vel curatoribus facere possunt eleemosynas, donatio- 29

nationes, vel alios sumptus moderatos, secundum statum, & facultates suas, omnium consensu, apud Molin. *to.2. disp.* 277. id enim exigit decentia status sui: & licet in hoc excedant, vel peccent, & tutores, vel curatores, vel repetere possint res excessive donatas, aut inutiliter expensas, quousque tamen non repetuntur, nihil restituere tenentur ii, qui acceperunt, ut supra generatim de contractibus pupillorum, & minorenium dictum est. Quin etiam ipsi tutores, & curatores ex bonis pupillorum, & minorum pro ipsorum qualitate, & facultate moderatas donationes, maxime remuneratorias, & eleemosynas facere possunt; quatenus ad eorum prudentem, & decentem administrationem pertinet, quasque ipsimet pupilli, vel minores merito facere deberent, si res suas administrarent. Molina modo cit. *Sanch. l.1. consil. c.6. dub.2. n.3.* Laym. supra Lugo *disp.23. sect.10. nu.* 145. alii communiter. Dico autem *moderatas*: quia tutores, & curatores minus possunt, quam domini suarum rerum, hi enim faciunt pro suo libitu, illi autem facere debent secundum rationabiliter præsumptam voluntatem dominorum: atqui domini, si prudenter, & decenter agunt, sunt certe parce profusi in rebus suis: ergo parcius profusi esse debent tutores, & curatores, qui domini non sunt, sed meri bonorum aliorum administratores. Vide late, & optime *Lugo loc. cit.*

§. III. **Religiosi**. Hi sunt in quadruplici differentia.

30 I. Religiosi, qui sunt Prælati ordinum, vel Monasterium ex bonis Monasterii eleemosynas, donationes remuneratorias, & alias ob decentem causam facere possunt, & sæpe debent, tamen juxta facultates Monasterii, vel Conventus, Ordinis constitutiones, vel consuetudinem. Bona autem superflua, ad pios tantum usus, vel eleemosynas impendere strictissime obligantur, & longe strictius, quam Clerici Beneficiati sæculares omnium sensu ex ipso voto paupertatis: si ergo profanis donationibus dissipent, invalida est alienatio, & restitutioni obnoxia, juxta communissimam DD. sententiam cum Nav. *comm.2. de reg. n.12.* Molin. *cit. to.2. disp.276.* Sanch. *l.7. mor. c.19. q.1.* Laym. *cit. n.9.* & alii passim. Notant tamen hic DD. quod, etsi Prælato, vel alteri personæ administrationem bonorum Monasterii, vel Ecclesiæ habenti prohibitum sit donare, aut alienare bona, nisi cum Capituli consensu, ea tamen prohibitione non censentur comprehendi donationes remuneratoriæ, modo sint commensuratæ meritis, vel obsequiis donatarii, quia talis donatio, cum sit compensatio beneficii præcedentis, recedit a proprietate donationis: ut supra etiam notatum fuit.

31 II. Religiosi, qui licet Prælati non sint, attamen administrationem bonorum Monasterii sibi commissam habent, ut Procuratores, Oeconomi, &c. eleemosynas, aliasque donationes facere possunt secundum limites suæ commissionis, seu secundum suorum Superiorum legitimam voluntatem expressam, vel probabiliter præsumptam, & quantum permittit Ordinis consuetudo, vel constitutio. Si amplius quid expendant, peccant contra votum paupertatis: immo & contra justitiam cum onere restitutionis, quoad ipsos possibilis, utpote singulari, vel extraordinaria industria in procurandis deinceps bonis Monasterii sibi commissis. Ratio est: quia Superior committens officium Procuratori, v. g. alicui, eo ipso censetur committere potestatem faciendi ea, quæ communiter Procuratores alii ejusdem conditionis absque reprehensione facere solent. Vide Rodr. *to.2. qq. reg. q.57. art.2.* & late Sanch. *l.7. mor. c.19. n.92. & 93.* Laym. *cit. n.10.*

32 III. Religiosi sub obedientia viventes, nullamque bonorum administrationem habentes, nullas omnino facere possunt eleemosynas, aliasque donationes absque licentia Prælati expressa, vel certo præsumpta. Ut strictissime prohibetur, *c. cum ad Monasterium de statu Monachorum, & c. non dicatis 9. 12. q.1.* Ratio clara est ex voto paupertatis: implicat enim eum dare, qui non habet, nec potest ad libitum. Ut ergo contra voluntatem Superioris dare possint, unicus casus est, extremæ necessitatis, si nimirum pauper moriturus esset fame, morbo, &c. nisi ex bonis Monasterii subveniatur: tunc enim licet decens sit, non tamen necesse est licentiam petere a Superiore, & si is contradicat, nihilominus subvenire tenetur. Ratio est: quia lex naturalis præponderat legi spontaneæ voti, ac Religionis. Ut autem subditus facile præsumere possit licentiam Superioris, plures casus dantur apud *Sanch. Molin. Laym. citt.* Utpote 1. Si pauper gravi necessitate prematur, & Superior adiri non possit commode. 2. Item si Religiosus de licentia legitima extra Monasterium degat in studiis, peregrinatione, negotiis Monasterii, poterit facere eleemosynas, aliasque donationes remuneratorias, quales alii ejusdem Ordinis, & conditionis facere solent. 3. Quando Religioso intra, vel extra Monasterium commoranti certa quotannis quantitas assignata est eo pacto, ut suo commodo, vel damno expendat; quod tunc parcius vivendo superest, in eleemosynas, aliasve honestas donationes expendere poterit, juxta communem DD. apud Laym. *cit. n.10.* 4. Quid Fratribus Minoribus liceat quoad donationes vilium ex concessione Clem. VIII. suppono nosse, quorum interest. Hanc a me regulam cape. Quidquid vile sine ulla, aut cum veniali solum culpa, inscio Superiore, recipere potes, tantundem similiter donare potes.

IV. Religiosi Beneficiati extra Monasterium, ac obedientiam Prælatorum degentes cum libera ipsis permissa bonorum, ac redditum administratione, æque ac sæculares Beneficiati inter vivos disponere possunt: adeoque etiam eleemosynas, ac honestas donationes, etiam liberales, facere possunt, licet invito Superiore, sine omni paupertatis voti violatione, cum ita ipsis ipsa ratio status legitime assumpti permittat. Ut habet communis DD. in materia de Beneficiis, & de voto paupertatis. 33

§. IV. *Clerici Beneficiati*. Remissive.

Certum est, hos liberrime posse disponere de suis bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus; atque etiam de bonis, seu redditibus suis Ecclesiasticis ad ipsam decentem suam sustentationem computatis, facere posse eleemosynas, honestas donationes non tantum remuneratorias, sed etiam liberales, & profanas, moderatas tamen, juxta qualitatem status, & conditionis suæ. De bonis autem Ecclesiasticis superfluis non tantum possunt, sed etiam strictissime (& in communi Sententia etiam ex justitia) obligantur facere eleemosynas, vel ad pias causas applicare, & non in usus profanos, juxta late dicta *supr. c.1. sect.4. §.6.7. & 8.* 34

SECTIO III.

Cui, & quantum donari, ac ob quas causas donatio revocari possit.

SUMMARIUM.

36 *Quibus valide donari possit, quibus non.*
37 Usque ad nu. 42. *Quando, & qualiter valeat donatio inter conjuges, ac sponsos etiam.*
42 *Quando valeat donatio a parente facta filio.*
43 Usque ad n.47. *Quæ donata a patre, eo mortuo, filius conferre debeat in divisionem hæreditatis.*
47 *Dos quid, & quotuplex.*
48 *Durante matrimonio administratio, & ususfructus bonorum dotalium ad maritum spectat,*
49 *Ubi tamen uxor habet duo privilegia.*
50 & 51 *Ad quos soluto matrimonio per mortem unius conjugis dos redeat.*
52 *Quid sit donatio propter nuptias.*
53 *Quid sit Arrha.*
54 *Quid sponsalitia largitas.*
55 *Quantum valide donari possit.*
56 Usque ad n.61. *Ob quas causas donatio revocari possit.*

Quantum est de jure naturæ, certe cuivis capaci dominii, & acceptare volenti donatio fieri potest. Excipiuntur ergo solum infantes, & amentes, quibus per se immediate donari nihil potest, sed mediate per suos procuratores, vel alios eorum loco acceptantes. Item Religiosi professi solemniter, quibus in particulari immediate etiam nihil potest donari, sed solum quatenus sunt membra Communitatis, acquirendo rem donatam immediate ipsi Communitati, vel Monasterio: sive ad dominium, si Ordo sit capax bonorum in communi: sive ad solum usum simplicem facti, ut est Ordo FF. Minorum Observantium, & Capuccinorum. Jure autem civili positivo etiam aliæ nonnullæ donationes invalidæ sunt, utpote factæ a conjuge conjugi, a parente filio: quæ hic breviter explicandæ sunt, & commode simul etiam dos, donatio propter nuptias, arrha, & sponsalitia largitas. 35

§. I. *Donatio inter conjuges.*

Donatio simplex, & mere liberalis facta conjugi a conjuge invalida est, vel potius non est firma, constante Matrimonio, sed ad arbitrium donantis revocari potest, ut utroque Jure statutum est, toto titulo *C. de donat. inter virum, & uxorem*. Ratio hujus est: quia si ejusmodi donationes concederentur, unum ex duobus necessario consequeretur: aut enim facile depauperarentur conjuges, quia ne se ostendant parum amantes, prodige donarent; aut orirentur inter eos continuæ discordiæ, si non donarent. Unde *L.3. princ. & §. sciendum 10. L. sed interim 11. ff. de donat. inter virum, & uxorem* ait, Antoninus Augustus in cit. L.3. *Majores nostri inter virum, & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam conjunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur.* Aliqua insuper adnotanda sunt. 37

I. Prædicta invalidatio extendenda est in primis, ut locum habeat, etsi Matrimonium tantum ratum sit: immo & inter sponsos ante Matrimonium, si donatio facta sit sub conditione a nuptiis pendente, ut nimirum res donata non acquiratur alteri, nisi nuptiæ sequantur, ut habetur *L. cum hic status 32. §. si sponsus 12. ff. de donat. inter virum, & uxorem*. Ratio est: quia sicut donatio facta habili in tempus, quo habilis erit, valida est: sic e contrario donatio facta habili in tempus, quo habilis non erit, invalida erit, ut notant 38

DD. apud Laym. *cit. nu.* 11. Valet tamen donatio simpliciter facta sponsæ ante nuptias, etsi eodem die nuptiæ secuturæ sint. *L. inter eos 27. ff. de donat. inter virum, & uxorem.* Deinde invalidatio illa etiam locum habet in remissione debiti facta conjugi a conjuge; cum & hæc remissio sit vera donatio; immo etiam in venditione facta conjugi minori pretio, quam res valeat, licet enim talis venditio statim valida sit quoad pretium justum, attamen remissio, seu condonatio partis pretii infirma manet, & revocari potest, uti contra fraudes prudenter statuitur justa lex, *L. si sponsus* 5. §. 2. *ff. de donat. inter virum & uxorem.*

39 II. Quod si res donata a viro uxori, vel e contra tradita sit, & neque expresse, neque tacite (v.g. per divortium) revocata, donatio morte donantis omnino confirmatur, atque plenum dominium conjugi donatario acquiritur *L.* 10. *C. de donat. inter virum, & uxorem*, & alibi. Atque etiam retrotrahitur ad diem factæ donationis, vel potius traditionis quoad fructus rei donatæ lucrandos, juxta *L. cum Pater* 77. §. *pater filiæ* 17. *ff. de legatis* 2. & alii apud Laym. *cit. n.* 11. atque more aliarum donationum requiritur insinuatio, & consensus Judicis in hac donatione, si quingentos solidos excedat *L. donationes, quas parentes: de donat. inter vir. & uxor.* Ubi Glos. Lit. E. ait, quod si donans tempore mortis donationem expresse confirmet, valituram ut legatum. Idemque dicendum de donatione Patris erga filium, ut infra notabitur. Dixi autem notanter: *si res donata tradita sit, & jam possessa:* si enim res donata a conjuge nondum tradita sit conjugi, cum illa donatio antea invalida fuerit, nihil remanebit, quod morte donantis confirmetur: ut ex communi docent Sanch. *l.* 6. *de matr. disp.* 14. *n.* 6. Molin. *t.* 2. *disp.* 289. §. *illud observat.* Laym. *cit. n.* 11. Dixi item: *morte donantis confirmatur:* Nam si prius moriatur conjux donatarius, tunc donatio, quæ prius erat nulla, manebit nulla; adeoque non poterunt hæredes rem donatam sibi vindicare, vel retinere, ut recte notat Tamb. *l.* 8. *de matr. tr.* 7. *c.* 2. §. 1. *n.* 22. Denique sermo semper est de donatione conjugum facta inter vivos; nam donatio mortis causa, qualis certe licita est inter conjuges, cum non sit propria, & stricta donatio, ut bene probat Dian. *p.* 8. *tr.* 6. *res.* 30. etiam nondum facta traditione, morte conjugis donantis confirmatur, ut ex iisdem Sanch. & Molina notat Tamb. ibid. *n.* 4.

40 III. Cæterum ab ipso jure excipiuntur quinque casus, quibus statim valet donatio inter conjuges. 1. donatio inter conjuges Principes statim valet. 2. Si ex ea donatione donans non fiat pauperior, ut si maritus hæreditatem, legatum, donum repudiet, ut uxori obveniat, si forte maritus prodigus, quod certo prodigere decreverat, uxori donet. 3. Si donatarius non fiat ditior, etsi donans fiat pauperior, ut si maritus uxori, vel e contra, locum sepulturæ donet. 4. Si uxor marito donet causa honoris, vel dignitatis adipiscendæ, v.g. ad ipsum nobilitandum, doctorandum: sic enim indirecte etiam prospicit sibi ipsi. 5. Si uxori maritus dotem promissam remittat, aut ipsammet dotet, ejusve dotem augeat causa remunerationis alicujus: utpote quia nobilis ignobili, juvencula seni nupsit. Alioquin viro non est concessum, ut post nuptias, vel in ipsis nuptiis uxori dotem mere liberaliter constituat, quia hæc dotis constitutio species donationis est: e contra autem uxor non prohibetur, constante Matrimonio, marito dotem constituere, vel antea constitutam augere; cum hæc constitutio non sit donatio mere liberalis; quia per eam non transfertur dominium plenum, & per illam compensatur marito onus ad uxorem, & familiam alendam. Quæ omnia compendio proposita, citatis juribus videre latius potes apud Sanch. & Molin. cit. & Laym. eodem *nu.* 11. post medium.

41 IV. Insuper dixi initio: *donatio simplex, & mere liberalis:* Nam in primis quævis donatio inter conjuges facta juramento firmatur, ut statim valeat, secundum communiorem Sententiam, cum Sanch. *l.* 6. *de matr. disp.* 11. *n.* 2. Molin. *tom.* 2. *disp.* 289. Laym. *cit.* ibid. *nu.* 11. Deinde statim quoque valet donatio inter conjuges remuneratoria, quia hæc non est proprie, & simpliciter dicta donatio, sed potius beneficii compensatio: adeoque non censenda comprehendi lege prohibente donationem, ut ex communiori apud Sanch. Molin. Laym. cit. supra *sect.* 1. §. 3. notavimus. Etsi cum aliis invalidam censeat Lugo *disp.* 23. *sect.* 9. *nu.* 134. eo quod videantur militare eædem rationes invaliditatis, scilicet depauperationis, vel discordiæ, idque ex Jure colligatur. Sed certe evidenter non colligitur ex Jure: leges enim justissime prohibent donationes inter conjuges, quibus donans pauperior, & accipiens ditior fit: atqui per donationem remuneratoriam donans non fit simpliciter pauperior, jam enim ante & ipse beneficium accepit, nec accipiens donatarius fit simpliciter ditior; jam enim & ipse antea beneficium contulerat, uti caute observat Tamb. *cit. cap.* 2. §. 1. *nu.* 21.

§. II. *Donatio a parente facta filio.*

42 Donatio patris simpliciter, & pure facta filio sub ejus potestate constituto firma statim non est, sed revocari potest, si tamen res donata a patre filio tradita fuerit, & nunquam revocata, morte patris omnino confirmabitur, perinde ac si ab initio valida fuisset. *L.* 2. *C. de inofficiosis donat.* Similiter confirmabitur per emancipationem filii. *L.* 2. *C. si quis alteri, vel sibi.* Sicut & valida statim est donatio facta a patre filio jam emancipato, ut habetur eadem L. cit. Insuper dixi notanter: *donatio patris simpliciter, & pure facta filio:* statim enim valent donationes a patre factæ filio. 1. Si donatio juramento confirmata sit, aut si pater condonet filio usumfructum suorum bonorum adventitiorum. *L. cum oportet*, §. *sin autem, C. de bonis, quæ liberis.* Ratio hujus est: quia hoc non est donare de suo, sed nolle acquirere sibi ex alieno, scilicet usumfructum ex bonis filio propriis. 2. Si donatio facta sit ob causam, utpote si pater filio donet aliquid in beneficii remunerationem, filio ad nuptias, aut filiæ in dotem, ad Religionis ingressum, ad sacros Ordines, ad militiam, ad captivitatis redemptionem. Communis DD. apud Less. *l.* 1. *c.* 18. *dub.* 12. Mol. *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 238. & *t.* 2. *disp.* 299. Laym. *cit. n.* 12. Nota autem: ea, quæ pater donat filio ad militiam, castrensia evadere. 3. Validæ sunt donationes a patre factæ filiis illegitimis, vel spuriis. Ratio est: quia in Jure solum infirmantur donationes factæ filiis, qui legitime sunt sub potestate patris: at filii illegitimi, vel spurii non sunt legitime civiliter secundum leges, sed naturaliter, & physice tantum sub potestate patris: ut ex Caramuele *l.* 2. Theol. moral. n. 641. notat Tamb. *l.* 5. *c.* 4. §. 2. *n.* 2. ergo &c. 4. Multo magis validæ sunt donationes factæ liberis a Matre, Avia, Avo materno &c. ut ex communi docent Mol. *to.* 1. *disp.* 291. Less. Laym. *cit. n.* 12. *fin.* Ratio est: quia hæ donationes nullo Jure infirmantur, cum nullum jus adsit in contrarium. Denique quæcumque donata a patre, etsi infirma, vel necdum confirmata sit donatio, filius in foro conscientiæ tuto retinet, donec a patre donationem revocante repetantur. Difficultas autem non levis est, utrum, & qualiter hujusmodi a patre donata, vel collata filio, patre mortuo, ad divisionem hæreditatis conferenda sint, ut nimirum filius de sua legitima portione hæreditatis tanto minus accipiat, quantum invenitur accepisse ex donatione, vel largitione patris. In re valde intricata apud Juristas pro nostro proposito pono quatuor claras resolutiones, & velut regulas.

I. Conferenda sunt in divisionem hæreditatis ea, quæ pater filio sub potestate constituto donavit ob causam utpote filio propter nuptias, filiæ in dotem, *L. ut liberis* 17. *penul. C. de collat.* nisi pater expresserit, velle se, ut filius, vel filia hanc partem præcipuam habeat, adeoque non conferat; dummodo sine diminutione legitimæ aliis liberis debitæ, juxta *authent. ex testamento, C. eod.* Idemque judicium esse debet de donatione facta filiis ad ingressum Religionis, vel in titulum patrimonii ad sacros Ordines suscipiendos: per hæc enim stabilem statum sibi comparant, non minus, quam per dotem, vel donationem ad nuptias, ut ex *Molin.* & aliis notat Laym. *cit. n.* 13. Ratio autem est: quia quæ pater ita dat ob causam, cum det, quod filio debet, censetur dare coactus: adeoque nisi contrarium exprimat, censetur dare de portione hæreditatis, quam filio negare non potest. Exceptiones dabimus *n.* 44. & 46. 43

II. Non sunt conferenda, quæ pater filio sub potestate constituto (secus est de filio emancipato juxta *cit. L. ut liberis*) simpliciter, & mere liberaliter donavit; ut sunt expensæ pro solemni convivio in nuptiis, in doctoratu, in prima Missa, in ingressu Religionis: ex communi Laym. ibid. Ratio est: quia ita liberaliter donatum censetur a patre, ut præcipuum filio relictum, & cum sponte det, censetur donare de suo, non aliunde filio debito. *Adde* quod ejusmodi etiam ad honorem patris spectent, & omnibus fratribus communia sint. Excipitur autem rursus, nisi pater (cum jus revocandi donationem habeat) voluerit, ut ejusmodi donata conferantur; aut nisi frater, vel soror talem collationem petat; eo quod & ipsi conferre debeant donationem sibi factam, sive simplicem, sive ob causam, v. gr. propter nuptias, vel in dotem, ut nimirum inæqualitas vitetur. Ut ex cit. *L. penul.* juncta glossa observant DD. communiter.

III. Non sunt conferenda, quæ pater filio sub potestate constituto, etiam ob causam, ita donavit, ut ad alimenta, vel decentem ejus sustentationem aliquo modo spectent. Communis DD. apud cit. Ratio est: quia pater filio sub potestate constituto alimenta Jure naturali debet; & uni quidem filio copiosius, quam reliquis, subministrare potest; spectatis tamen circumstantiis, & facultate, ac seclusa fraude, qua pater vellet alios filios depauperare, eorumque legitimam diminuere. Non ergo conferenda sunt, quæ pater filio aliunde non habenti ad studia litterarum mittit. *L. quæ pater*, 32. *ff. familiæ herciscundæ*. Item quæ ipsi donat, vel libere expendit ad artem etiam mechanicam exercendam, vel addiscendam, ad convivium doctorale, ad Primitias, ad instituendam peregrinationem, ad comparandum beneficium, vel dignitatem aliquam, ad redimendam captivitatem, ad solvendam mulctam ex delicto contractam, & his similia, juxta communem DD. Navarr. *c.* 17. *nu.* 165. Molina *to.* 1. *disp.* 240. Laym. *cit. nu.* 14. Ratio indicata est: quia hæc omnia aliquo modo pertinent ad decentem sustentationem, & alimenta vel reducuntur, vel per commune Jus extenduntur, ut observant DD. citt. Quinimo, etiamsi pater expresserit, ut ea, quæ filio ad studia, v. g. con- 44

contulit, post mortem conferantur, vel in portione ejus legitima numerentur, deducenda nihilominus erunt necessaria alimenta, quæ ipsi etiam in domo paterna degenti naturali Jure debita sunt. Vide *Nav. Molina citt.* & alios passim.

45 IV. Conferenda non sunt, quæ pater filiofamilias sic donavit, vel largitus est, ut ad bona castrensia, vel quasi castrensia, vel etiam adventitia pertineant; hæc enim bona, seu pecunia ipso Jure non conferuntur. Utpote, quæ parentes dant filio eunti ad militiam, vel Principis palatium, quæ eo ipso numerantur inter bona castrensia. Item libri filio ad studia empti, & traditi inter bona quasi castrensia; saltem postquam Doctor creatus, vel ad publicum officium, vel dignitatem, aut ad exercendas scientias habilis effectus est. Ut ex communi observant Nav. *n.* 159. *Mol. Laym. cit.* Item donatio remuneratoria facta filio a patre, cum sit quodammodo debita filio ob ejus merita, inter bona ejus adventitia merito numeratur; ideoque conferenda non est, juxta communem DD. apud citt. Nec denique conferenda sunt, quæ pater filiis dat pro obsequiis, & industriis extraordinariis in paternis bonis colendis, negotiis curandis, &c. Quia hæc tamquam pretium extraordinarii laboris filio debentur: nam propterea, si defuncto patre, hæ nondum filio soluta sunt, debent ei solvi ex tota massa hæreditatis, tamquam si esset æs alienum. V. DD. *cit.*

§. III. *Dos, donatio propter nuptias, arrha, sponsalitia largitas.*

47 DOs definitur esse id, *quod ab uxore, vel alio ejus nomine marito datur ad onera matrimonii sustinenda*; puta ad alendam uxorem, liberos, familiam, quæ cura marito incumbit: dos ergo quatenus a patre, v. g. filiæ nupturæ datur ex titulo gratuito, seu lucrativo, seu per modum donationis provenit: quatenus vero marito consignatur, habet rationem contractus onerosi, & reciproci, ut nimirum promissa, & accepta dote & nuptias celebret, & uxorem, liberos, ac familiam alat. Duplex autem est dos; *profectitia, & adventitia*. Dos *profectitia* dicitur, quæ a patre, aliove per virilem sexum ascendente, & filiam in potestate sua habente proficiscitur. *L. profectitia* 5. *ff. de jure dotium*. Etenim patris proprium officium est, liberos elocare, & dotare secundum facultates suas, & liberorum numerum, ac filiæ, & mariti dignitatem, ad quod proinde etiam Judicis officio compelli potest. Idque etiamsi filia inconsulto, vel invito patre nupserit viro digno, juxta communem apud Sanch. *cit. l. 4. de Matrim. disp.* 26. *q.* 1. Quia eo casu non potest ægre ferre Matrimonium secundum se, & quoad substantiam, utpote utiliter contractum, sed solum quoad modum, quod ipso inconsulto contractum sit: idque etiam in conscientia patri suadere debent Confessarii; secus esset, si filia nupsisset viro indigno, cum dedecore, vel damno familiæ, vel filiæ ipsius. Cæterum ut dicitur L. 14. C. de Jure dotium, Mater non cogitur pro filia dotem dare, nisi ex magna, & probabili causa, qualis censeri debet, si filia, vel ipse pater esset inops, mater autem dives: tunc enim mater sicut tenetur alere filiam, ita etiam dotare: nam dos succedit loco alimentorum. Ex communi Molina *tom.* 2. *disp.* 424. Dos *adventitia* dicitur, quam vel uxor ex propriis bonis adfert, vel extraneus aliquis eidem confert. *Extraneum autem intelligimus omnem, citra parentem per virilem sexum ascendentem, & in potestate dotandam personam habentem*. L. un. §. 12. v. extraneum circa fin. C. de rei uxoriæ actione. His ita suppositis, pono breves

RESOLUTIONES.

48 I. DUrante Matrimonio maritus plenam habet administrationem, & usumfructum bonorum dotalium, ut ea a quovis possessore reali actione vindicare possit. *L. 6. in princ. ff. eod.* ubi dicitur: *dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit; cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est, eum etiam fructus percipere*. Non tamen habet plenum dominium (quippe dominio directo semper apud uxorem remanente) ita ut neque cum consensu uxoris bonum dotale immobile alienare, vel hypothecæ subjicere possit: sed contractus irritus censeatur *L. un. §. fin. Cod. cit. l.* Excepto casu, si vel dos consistat in pecunia, vel alia re usu consumptibili, aut si res etiam permanentes æstimatæ tradantur in dotem; tunc enim intervenit quasi contractus mutui, ut soluto Matrimonio tantumdem, vel æquivalens restituat, uti ex Jure, & communi DD. docent Molina *cit. disp.* 426. Laym. *cit. c.* 13. *n.* 2.

49 II. Dotis privilegia præter alia duo præcipua sunt: *Unum:* si maritus ad inopiam vergat, ut dos apud ipsum periclitari incipiat, neque alia cautio sufficere videatur, ab uxore repeti potest, ut vel ipsamet administret, vel loco tuto ad lucrum ponatur apud mercatorem, v. g. vel ad censum, quo, dotis substantia salva permanente, ex fructibus, vel redditibus familia sustentari possit, in toto, vel in parte L. *ubi adhuc* 29. *C. de jure dotium*, & alibi. Similiter si maritus dotem, aut communia lucra prodige absumit, tamquam damnum injuste illatum uxori ipse maritus, vel ejus hæredes compensare tenentur. Ex communi Petr. Nav. *l. 2. c. 1. n.* 114. Less. *l. 2. c. 12. n.* 87. Laym. ib. n. 7. Immo tali casu si uxor probabiliter timeat sibi non satisfactum iri, non prohibebitur occulta satisfactione uti, aliquid de bonis mariti subtrahendo: tantummodo caveat, ne sibi postea iterato solvatur. Ex communi Less. cit. *Alterum* privilegium dotis est, quod uxor habeat tacitam hypothecam in omnibus bonis mariti, donec sibi dos restituatur, ut utroque Jure statutum est; *L. in rebus* 30. *c. de jure dotium, cap. ex litteris de pignor.* Et præfertur uxor in repetenda dote omnibus aliis creditoribus etiam prioribus, & tacitam tantum hypothecam habentibus, immo etiam habentibus expressam hypothecam, sed posterioribus dote allata tantum. L. *assiduis*. 12. *C. qui potiores in pignore*. Communis apud cit. Unde etiam marito ob delictum, vel fallimentum omnibus bonis spoliando, semper manent uxori bona sua dotalia.

III. Soluto matrimonio per mortem sive mariti, sive uxoris, siquidem uxor jam fuit emancipata, seu patria potestate soluta, (uti vere fit in ipso primo matrimonio inito in nostra Germania) omnis dos, tam profectitia, quam adventitia redit ad ipsam uxorem superstitem, vel defunctæ ad hæredes immediatos, utpote liberos, Parentes &c. Quod si vero uxor dotata adhuc erat filiafamilias, seu sub patria potestate constituta, tunc soluto matrimonio, dos profectitia redit ad dotantem, scilicet patrem, vel per virilem sexum ascendentem, & filiam in potestate habentem. *L. dos a patre* 4. *C. soluto matrimonio*. Et quidem soluto matrimonio per mortem viri, dos una cum filia in patris potestatem redit, cui denuo nubenti eandem dotem nihil imminutam (nisi facultates ejus inculpate imminutæ essent) dare cogitur: soluto autem matrimonio per mortem ipsius uxoris, seu filiæ, a fortiore ad patrem redibit dos. L. 6. ff. de jure dotium: *jure succursum est patri, ut filia amissa solatii loco cederet, si redderetur ei dos ab ipso profecta, ne & filiæ amissæ, & pecuniæ damnum sentiret*. Idque etiam verum est, etiamsi uxor defuncta liberos reliquisset: licet enim liberi succedant in reliquis bonis parentis sub patria potestate adhuc constituti, scilicet castrensibus, quasi castrensibus, & adventitiis, non tamen in profectitiis, qualis est illa dos: hęc enim ad illum reverti debent, a quo profecta sunt. *Auth. de hæredibus ab intestato*, §. 1. Secus est, si defuncta uxor, seu filia jam emancipata fuit: tunc enim dos profectitia desinit esse profectitia, & incipit esse adventitia, & pleno dominio filiæ acquisita, quæ proinde post ejus mortem liberis relinquetur. 50

IV. Dos adventitia soluto matrimonio nunquam redit ad dotantem, sed manet uxori, vel ejus defunctæ hæredibus immediatis. L. *ult. C. de jure dotium*. Intellige autem semper, *quantum* est de jure communi; & nisi aliter conventum fuerit in dotatione, vel contractu nuptiali, cui conventioni semper standum erit. In duobus autem casibus soluto matrimonio per mortem uxoris, ipse maritus lucratur dotem adventitiam. 1. Si pactum intercessit de dote lucranda: contractus enim ex conventione legem accipiunt: & maxime contractui dotali specialia pacta adjici posse, & sæpissime solere, patet passim in Jure, & in communi praxi. Quando uxor intestata decedit, deficientibus liberis, & propinquis, maritus lucratur dotem adventitiam. L. *un. C. unde vir, & uxor*. Quin etiam constante Matrimonio maritus lucratur dotem adventitiam ob adulterium uxoris, nisi inter se reconciliati fuerint, *c. plerumque de donatione inter vir. & uxorem, & L. consensu* 8. *C. de repudiis*. Quod tamen solum intelligi debet post sententiam Judicis, cum sit quid pœnale, ut optime probat Sanch. *l.* 10. *de Matr. disp.* 8. *n.* 13. bene addens: tunc maritum in conscientia posse retinere dotem, e contra uxorem petentem se defendere per exceptionem; quia cui competit actio, ei multo magis exceptio competere debet, *reg.* 71. *in* 6. 51

Donatio propter nuptias.

SEu antidotalis, græce *antiverni*, quasi dicatur antidos, est donatio, quam vir, vel alius ejus nomine facit sponsæ in compensationem, vel potius securitatem dotis. Unde statutum *in authent. æqualitas, & L. ex morte de pactis convent.* ut in dote, & donatione propter nuptias æqualitas servetur, ut nimirum uxori sua dos eo securior existat. Cæterum inter dotem, & donationem propter nuptias est vera omnimoda proportionalitas; nam constante Matrimonio, sicut ipsa dos, ita & donatio propter nuptias est sub plena administratione mariti: soluto vero matrimonio per mortem, sive viri, sive uxoris, sicut dos redit ad uxorem, ita donatio propter nuptias redit ad maritum, vel utriusvis hæredes respective, quantum est de jure communi, *L. si liberis* 18. *C. de donat. ante nuptias*, & alibi. Deinde quibus casibus maritus lucratur dotem post mortem uxoris, iisdem etiam uxor lucratur donationem propter nuptias post mortem viri, utpote si ita conventum, prout communiter fit in Germania, quod uxori post mortem mariti reddatur dos duplicata, compensata scilicet etiam donatione propter nuptias. *Deinde* si maritus ab intestato decedat, deficientibus liberis, & propinquis. Denique etiam constante Matrimonio, ob adulterium viri, ut habetur troque Jure *ll.* supra cit. 52

Arrha.

EST donatio facta sponsæ a sponso in remunerationem dotis, virginitatis, vel nobilitatis (germanice *ein Morgengab*) hæc tradita pleno jure spectat ad uxorem, & 53

 non

non tradita ei post mortem viri cum dote tradenda: si vero contingat, eam ante maritum decedere, jus habet de tali donatione, sicut de dote adventitia disponendi, vel hæredibus ab intestato relinquendi. Ut ex communi probant Sanch. *l.6. de matr, disp.27.* Laym. *cit. n.*11.

Sponsalitia largitas.

54 DIcitur donatio, quæ fit ab uno sponso alteri, causa, & quasi sub conditione futuri matrimonii, adeoque secuto matrimonio rato, & consummato, plene confirmatur, & res donata pleno jure uxori cedit, ut ex Jure Sanchez eodem *l.6. disp.*19. At vero matrimonio non secuto, distinguendum est; si enim alteruter sponsus causam non secuti matrimonii præbuit (utpote resiliendo, fornicando, &c.) is restituere tenetur, quod ipsi causa nuptiarum sponsalitia largitate donatum fuit; quod vero ipse donavit alteri, repetere non potest, tam ipso Jure naturæ, quam civili *L. cum veterum* 15. *C. de don. ante nuptias*. Si vero neutrius culpa matrimonium impeditum fuit, sed aliunde (v. g. alterius morte, vel professione Religionis: aut ab alia causa extrinseca impediente) tunc Jure naturæ utrinque restituendum est: Jura autem Cæsarea discrimen faciunt inter sponsum, & sponsam; nam donatio facta sponso tota restituenda est: donatio vero facta sponsæ per se quidem tota restituenda est, si nimirum sponsalia manserunt citra osculum, vel aliquid impudicum: attamen solum secundum dimidiam partem, si nimirum sponsalia fuerunt impura, scilicet osculo, tactu impudico, aut ipsa carnali copula interveniente post donationem: sic citata *L. si a sponso* 16. *C. de donat. ante nuptias*. Ubi licet solum fiat mentio osculi decentiæ causa, tamen ob majorem rationem, omnium consensu, extenditur etiam ad copulam, vel ad alia magis impudica, quam sit osculum. Cæterum has leges, cum justæ sint, etiam in foro conscientiæ observandas esse, recte monet Sanch. *ibid. disp.*18. *concl. ult.* Atque ita servat praxis. Verum hæc ad matrimonii tractatum proprie spectantia, hic strictim indicasse sufficit. Latissime videre potes apud *Sanch. & Molin. cit.* & valde bene, ac nervose explicat Tamb. *l.8. de matrim. tr.7.c.3. §.2. & 3.*

§. IV. *Quantum donari possit.*

55 CErtum, quantum est de jure naturæ, & foro conscientiæ, quilibet *valide* donare potest, quantum vult & habet: cum quilibet de rebus suis disponere, prout libet, possit. Quin etiam *licite* sic donare potest: salvo tamen semper ordine Charitatis, & jure tertii, secluso scilicet damno suo, suorum, vel aliorum, item secluso fine malo donandi, &c. quæ ex alibi dictis patent. At vero Jure positivo civili specialiter prohibita sunt duo genera donationum, scilicet excedens 500. solidos, & omnium bonorum. Donatio liberalis excedens 500. solidos (in communiori sententia æquivalent nostratibus taleris philippicis, adeoque 700. circiter florenis) irrita est Jure cæsareo quoad excessum tantum, nisi insinuatio apud Judicem, ejusque auctoritas accedat, *§. aliæ autem 2.inst.eod. & L.penult. §. cæteris etiam 3. C. de donat.* Ratio est: quia non expedit Reipublicæ, ut cives facultates immodice donando ad inopiam redigantur. Nihilominus valet ejusmodi donatio in quacumque quantitate absque insinuatione facta: in primis in foro conscientiæ, donec a donatore revocetur, vel per sententiam Judicis rescindatur. Deinde si juramento confirmata sit donatio, quo donans juravit se non revocaturum, etsi enim peccaverit prodige donando, non tamen peccat non revocando: atqui juramentum semper est servandum, quoties sine peccato servari potest. Ita Julius Clarus *q.* 18. Sylv. *qu.6.* Sa, *v. donatio n.*1. apud Laym. *cit.c.*12.*n.*15. Sed de hoc rursus infra. Deinde in omni foro valet, si donatio fiat Ecclesiæ, vel ad pias causas, quia leges civiles *C. de sacrosanctis Ecclesiis. L. illud,* & alibi, Ecclesiasticis causis nullum præjudicium adferre possunt. Communis DD. Item facta militibus a belli Duce, *L.penult.* §.1. *de donat.* Item facta ob causam; ut ad militiam, ad nuptias, ad captivitatis redemptionem, ad ædis destructæ reparationem, *c.L. penult.* Item valent donationes remuneratoriæ beneficiorum, & obsequiorum. *L. si pater* 34. *ff. de donat.* Tandem valent donationes diversis temporibus, & occasionibus factæ, summam 500. solidorum non excedentes: quia lex illa restringens libertatem donandi, utpote tamquam odiosa extendenda non est. Lay. *cit. n.*15. Utrum autem valeant donationes simul pluribus factæ, & illam summam excedentes, multi affirmant; & pauci negant, & quidem conformius Juri, cum hic militet eadem ratio depauperationis. Sed vide cit. præsertim Lugo *disp.*23. *sect.*10.*n.*153. non enim libet rei tam raræ praxi immorari.

56 Donatio etiam bonorum omnium præsentium, & futurorum, mobilium, & immobilium irrita est. *L. stipulatio hoc modo ff. de verb. obligat.* Ratio tota juris est. Quia talis donatio aufert facultatem testandi, quod Jure civili indecens, ac Reipublicæ noxium censetur. Unde cessante hac ratione, donatio valebit in utroque Jure, & foro, utpote si bona tantum præsentia omnia dones, non futura certo acquirenda; si solum bonorum proprietatem dones reservato tibi usufructu, qui tamen excedat quantitatem alimentorum absolute necessariorum ad vitæ sustentationem: si simpliciter bona dones mortis causa, reservata tibi facultate donationem revocandi. Vide late Mol. *to.* 2. *disp.*280. Lugo *cit. sect.*10. *n.* 166. Et adde 1. Quod valet absolute donatio omnium bonorum facta Ecclesiæ, vel ad pias causas, juxta communem DD. apud cit. *Ratio est:* Quia Jus civile officia pietatis restringere non potest, cum consilium etiam Christi sit Matth. 19. *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et adde 2. etiam cuicumque facta valida est donatio, si juramento confirmetur, uti contra Julium Clarum docent late Molina Less. & Lugo cit. *Ratio est.* Quia adimere sibi facultatem testandi per donationem omnium bonorum, servatis solum alimentis necessariis, per se malum non est, sed potest esse opus bonum ex bono fine. Alioquin, nec consuleretur a Christo, nec acceptaretur ab Ecclesia talis donatio: ergo poterit juramento confirmari.

§. V. *Ob quas causas donatio revocari possit.*

DOnatio semel legitime perfecta per se quidem firma, & irrevocabilis est, tam jure naturali, quam positivo civili. L. ult. C. de revocandis donat. *Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatasque permanere:* per accidens tamen juste non raro donatio revocari potest ob varias causas, quæ ad tria capita reducuntur, scilicet ob ingratitudinem donatarii, ob susceptam postea prolem, & si donatio inofficiosa sit liberis. 57

Prima causa revocandi donationem est ingratitudo enormis donatarii, cujus quinque species numerantur in cit. *L. ult.* 1. Si manus impias non sine mortali injuria donatori injiciat. 2. Si atrocem injuriam, seu contumeliam in eum effundat. 3. Si grave damnum bonis ejus per injuriam inferat. 4. Si vitæ ejus insidias struat. 5. Si modum sive conditionem donationi appositam implere noluerit; & maxime, si pacta alimenta præstare nolit. Addunt alii. 6. Si donatorem inopia pressum sublevare noluerit. Sed hoc videtur repugnare juri citato, ubi additur: *ex his tantummodo causis, si fuerint in judiciis dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, donationes everti concedimus.* Et cum lex ista pœnalis sit, non debet extendi ad similes casus, sicut neque donatarium ad restituendum donum obligat ante sententiam Judicis, dummodo interim alias injuriæ satisfacere paratus sit. Adde 1. Donationem ob illas quinque causas revocari posse, etsi juramento confirmatæ fuerint. *Ratio est.* Quia juramentum sortitur conditionem actus, cui adjungitur: atqui donatio ex Juris dispositione hanc conditionem habet tacitam: *nisi donatarius ingratus fuerit* (prout in simili dicetur in sequentibus) ergo &c. Quod si tamen donans huic ipsi facultati revocandi ob ingratitudinem donatarii juramento renuntiet, renuntiatio valebit, cum omne juramentum servandum sit, quando sine peccato, vel dispendio salutis servari potest *cap. quemadmodum* §. *Illud de jurejur.* Quamvis tale juramentum a potestate Ecclesiastica, ac sæculari, facile relaxari possit in pœnam donatarii ingrati, ut recto docet Molina *cit. disp.* 181. *n.* 1. Adde 2. Donatio facta Ecclesiæ revocari non potest ob ingratitudinem Prælati, vel Capituli: non enim censetur facta intuitu personarum, sed ex pietate erga Deum, uti contra Abbatem recte probat Julius Clarus apud Laym. *cit. n.* 17. 58

Secunda causa revocandi donationem, etiam infra dimidium bonorum, est postea secuta inopinata susceptio prolis, sive legitimæ, sive etiam illegitimæ, sed legitimatæ, ut probat Lugo *disp.* 23. *sect.* 11. §. 1. *n.* 179. *L. si unquam* 8. *C. de revocandis donat.* Ratio est. Quia & pia, & justa est præsumptio Juris, donatorem prole carentem, donationem magnam fecisse cum virtuali, vel tacita conditione, *nisi liberi nascerentur:* nemo enim censetur alienos posteritati suæ præferre velle. Notant tamen DD. comm. etiam citati, si constet, donatorem de futura liberorum susceptione cogitantem, nihilominus donasse, aut dicto juris privilegio expresse renuntiasse (maxime cum juramento) non posse deinde donationem revocare, nisi quatenus liberis inofficiosa est, scilicet usque ad legitimam portionem, quæ ipsis a Patre auferri nequit, ut mox patebit in 3. causa, Adde 1. Si Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam donatum sit, revocari non poterit ultra legitimam liberorum. Ratio patet a simili: Quia si filio donatio facta esset, & aliis postea natis inofficiosa appareat, revocatur tantum usque ad legitimam. *L. Mater* 7. *C. de inofficiosis donat.* Atqui causa Ecclesiæ non est minus favorabilis, quam causa filiorum, *Auth. Si qua mulier. C. de SS. Ecclesiis*: ergo &c. Adde tamen 2. eo casu spectare ad populi ædificationem, ut natis filiis totum restituatur, ut notant DD. communiter, & S. Aug. egregie Serm.49. de diversis cap.4. *Quam laudabile factum S. Aurelii Carthaginensis Episcopi, quidam enim cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiæ, Nati sunt ei filii, nec opinanti, Reddidit Episcopus ea, quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere* (præter legitimam) *sed jure fori, non poli.* Scilicet non ex justitia, sed vel ex Charitate, vel majori honestate. 59

Tertia causa revocandi donationem est, si sit inofficiosa liberis 60

beris ſcilicet paternorum bonorum partem legitimam, ſeu lege debitam liberis adimens, vel diminuens L.1. & ſeqq. *C. de inofficioſa donat.* Unde ſic dicta inofficioſa donatio, quod ſit contra officium pietatis a patre, vel matre debitum filiis. Plerumque tamen inofficioſa donatio per querelam apud Judicem inſtitutam revocatur ſolum, quatenus modum excedit, & legitimam portionem diminuit *cit.L. ſi mater.* Et communis doctrina. Quinimo ejuſmodi donatio quoad partem correſpondentem legitimæ filiorum omnino eſt invalida, atque ante omnem ſententiam Judicis poteſt eam filius repetere, & donatarius obligatur reſtituere: ſicut etiam ſi poſt donationem factam poſtea naſcantur liberi: quia hæc non eſt pœna, ſed juſta diſpoſitio juris irritans omnino talem donationem. Ut ex communi notat Tamb. *l.9. de contract. tract.*10. *c.6.* §.3. *nu.*5. Adde 1. nihil referre, etſi pater donans donationem juramento confirmarit, cum enim beneficium revocandi ejuſmodi donationem introductum ſit in favorem liberorum, non poteſt patris juramento tolli, vel impediri, uti pluribus citatis docent *Laym. Lugo*, *Tamb. cit.* quia juramentum non poteſt obligare aliquem in præjudicium aliorum, ut hic eſſet in præjudicium legitimæ filiorum. Adde 2. Non ſolum liberis deſcendentibus, ſed etiam parentibus, & aſcendentibus jus competit inſtituendi querelam contra inofficioſam donationem liberorum ſuorum, nam querela inofficioſæ donationis inſtituta eſt ad ſimilitudinem inofficioſi teſtamenti; hanc autem non minus aſcendentibus, quam deſcendentibus competere certum eſt, juxta L. *non etſi* 15. *ff. de inoffic. teſtam.* Et hactenus de donationibus inter vivos factis. Jam reſtat hic opportune agere de donationibus, ſeu diſpoſitionibus poſt mortem implendis, ſeu ultimis voluntatibus, teſtamento, & legato annexis.

SECTIO IV.

De Teſtamentis.

SUMMARIUM.

61 *Teſtamentum quid, & quotuplex.*
62 *Quid Teſtamentum ſolemne, &*
63 *Quæ ad ejus ſolemnitatem requirantur.*
64 *Teſtamentum ſolemne aliud eſt ſcriptum, & clauſum,*
65 *& 66 Aliud nuncupativum, & apertum.*
67 *Teſtamenta privilegiata ſunt,*
68 *I. Teſtamenta ad pias cauſas,* Uſque ad num.73.
73 *II. Teſtamenta inter liberos,*
74 *III. Teſtamenta militum, & ruſticorum, &*
75 *IV. Teſtamenta tempore peſtis fieri ſolita.*
76 *Codicillus quid.*
77 *An, & quando teſtamentum mutari, vel revocari poſſit.*

61 TEſtamentum ſic dictum definitur, quod ſit *teſtatio mentis*, inquit Juſtinianus *inſtitut. de teſtam. ordinandis.* Definitur ab Ulpiano L.1.ff. qui teſtam.fac. poſſ. *Eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem fieri velit.* Ubi generis loco eſt, *Sententia juſta voluntatis*: id eſt, diſpoſitio legitima juri congrua, voluntatis noſtræ interpres: qua convenit teſtamentum cum pactis, & contractibus inter vivos, a quibus hæc differt per additam differentiam, *de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit*: teſtamentum enim, & omnis ultima voluntas refertur in tempus mortis, in quo primum, & minime antea vim, & robur ſuum accepit: ut etiam notavit Apoſtolus ad Hebr.9. dicens: *Ubi teſtamentum eſt, mors intercedat teſtatoris, neceſſe eſt, Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum vivit, qui teſtatus eſt.* Additur definitioni communiter claritatis gratia, *cum hæredis inſtitutione*: quo ſcilicet teſtamentum perfecte differat a reliquis ultimis voluntatibus, codicillo, legato, fideicommiſſo, quibus nullus hæres principaliter inſtituitur: Quamvis ergo prædicta definitio verbotenus conveniat omni ultimæ voluntati, per excellentiam tamen recte tribuitur, & convenit ſoli teſtamento, quod ſolum eſt perfecta ultima voluntas: uti ipſum ſignificare videtur particula illa, *juſta ſententia:* quippe in quo ſolo univerſalis hæres unus, vel multiplex inſtituitur, in quem omnia bona, jura & actiones defuncti tranſire debeant, adeo ut hæredis inſtitutio ſit caput teſtamenti, & ſine ea teſtamentum nullum eſſe poſſit, ut habetur *L. jubemus* 29. *C. de teſtam.* Reliquæ vero ultimæ voluntates hæredis inſtitutionem non requirentes imperfectæ ſunt, & diminutæ, ut infra patebit. Duplex autem eſt teſtamentum: *ſolemne, & privilegiatum*, inter quæ velut mediat *codicillus.* Explico ſtrictim ordine.

§. I. *Teſtamentum ſolemne.*

62 DIcitur, *quod ſit cum debitis Juris ſolemnitatibus.* Solemnitas autem teſtamenti, quantum eſt de Jure naturæ, & gentium, ſolum requirit ſufficientem expreſſionem voluntatis teſtatoris, per verba, ſcripta, aut alia ſigna, ſufficienter manifeſtativa voluntatis ipſius; idque coram duobus, vel tribus teſtibus idoneis, qui rei geſtæ fidem facere poſſint: quoniam *in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*, Deut. c.17. Etenim tanquam valde expediens bono communi ipſa natura, dictante omnium gentium conſenſu, tanquam certa regula ad tollendas hominum fraudes introductum, & receptum eſt, ut neque in conſcientia, multo minus in externo foro, quiſquam cum ſuo, vel alterius præjudicio ſtare teneatur ſolo dicto, vel aſſecuratione unius quantumvis probatiſſimi, & exceptione omni majori teſtis, ſed minimum duorum conteſtatione opus ſit: alioquin enim plurimæ fraudes, & injuriæ contingerent; unde dici ſolet; *Unus teſtis, nullus teſtis.* Plura vero requiruntur Jure civili: nam

I. Solemnitas teſtamenti quoad jus Cæſareum, ac civile 63
requirit ſufficientem expreſſionem voluntatis verbo, vel ſcripto coram ſeptem teſtibus maſculis puberibus, liberis, ad id rogatis, ſeu vocatis, omnibus ſimul præſentibus, ipſumque teſtatorem videntibus, & alias ad id munus non ineptis, vel ſuſpectis: de quibus late Inſtit. *de teſtament.* §. *teſtes*, & ſequentibus. Excluduntur ergo ſurdus, mutus, cæcus, furioſus, prodigus, Jure infamis: item qui in poteſtate teſtatoris eſt, hæres ipſe, & qui in ejus poteſtate eſt, pater teſtatoris, ac pater hæredis, quique in eorum poteſtate ſunt: legatarius autem teſtis eſſe poteſt. Quia non agitur ejus cauſa principaliter, Clerici etiam, & Religioſi a teſtimonio non repelluntur, peccat tamen Religioſus contra, vel citra licentiam Prælati officium teſtis ſuſcipiens. Omnia certa apud omnes.

II. Teſtamentum ejuſmodi civiliter ſolemne, aliud eſt 64
ſcriptum clauſum, quod nimirum teſtator ſua, vel alterius cujuſcumque manu conſcriptum ſeptem, prælato modo, qualificatis teſtibus ſimul præſentibus offert (non tamen neceſſario legentibus) profitendo eſſe ſuum teſtamentum, & ultimam voluntatem; & inſuper ipſemet, ſi poſſit, ſua manu, vel alterius octavi præſentis coram teſtibus ſubſcribat, poſtea teſtes omnes ſeptem eodem continuato tempore ſubſcribant, & proprio, vel alieno ſigillo obſignent idem teſtamentum, quæ omnia habentur in jure L. *hac conſultiſſima* 22. *C. de teſtam.* juncto §. *ſed cum paulatim*, & ſeqq. inſtit. eod.

III. Aliud dicitur teſtamentum nuncupativum, & aper- 65
tum, & ſolum requirit, ut teſtator coram ſeptem, præfato modo, qualificatis teſtibus ſimul præſentibus, ipſum videntibus, & audientibus, & intelligentibus, ſuam voluntatem ſcripto, vel voce articulata proferat. Ut habetur eiſdem LL. Juris. Et quamvis tale teſtamentum nuncupativum coram teſtibus a Notario publico in ſcripturam redigi ſoleat, id tamen non fit ad ſubſtantiam actus ſervandam, ſed ad majorem ejus comprobationem, & ſecuritatem; ut ſcriptura poſtea ſuppleat defectum teſtium, ſi teſtes forte mortui, vel ad teſtandum in judicio inhabiles redditi, aut certe alioquorum teſtatoris verborum obliti eſſent, ut notant DD. communiter.

IV. Inſuper valebit ejuſmodi teſtamentum nuncupativum 66
ſi tabellione, vel alio quopiam coram præfatis teſtibus interrogante teſtatorem, num talem perſonam taliter hæredem inſtituere velit, teſtator verbis expreſſis annuat. Communis DD. in L. *jubemus. C. de Teſtam.* & Canoniſtæ in *c.cum tibi de teſtam.* Item valeret, ſi teſtator coram ſeptem teſtibus hæredis quidem inſtitutionem, vel legata non exprimat, ſed tantum ſchedam oſtendat, vel referat ſe ad ſchedam traditam certæ perſonæ, aſſerens in ea contineri ultimam voluntatem ſuam; dummodo poſtea ſatis conſtet, eam ipſam eſſe ſchedam. Communis DD. apud Julium Clarum *l.3. recept. q.*4. & Laym. *tr.*5.*c.*1. *n.*3.

§. II. *Teſtamenta privilegiata.*

DIcuntur, ad quæ præter requiſita juris naturæ, & gen- 67
tium, vel nulla omnino juris civilis ſolemnitas requiritur, vel non tam plena, ſicut in teſtamentis aliis ſolemnibus. Inter teſtamenta hæc privilegiata primum locum obtinent teſtamenta, & legata ad pias cauſas facta, ſcilicet directe, ac principaliter ob Dei, Sanctorumque honorem, animæque ſpiritualem ſalutem: utpote quæ Eccleſiæ, aliiſque piis locis in captivorum redemptionem, Religioſorum, pauperum etiam conſanguineorum ſuſtentationem, in ſatisfactionem pro peccatis, denique in defunctorum ſuffragia relinquuntur. Alia teſtamenta privilegiata ſunt inter liberos militum, ruſticorum, item tempore peſtis, de quibus breviter loquemur.

I. *Teſtamentum ad pias cauſas.*

HUjus, ſicut & legatorum ſimilium, proprium, & in- 68
ſigne privilegium eſt, quod ſolo naturali, divino, ac gentium jure ſubſiſtat, perfecta ſcilicet expreſſione voluntatis quomodocumque manifeſtata, neque ad id ulla omnino civilis legis, vel conſuetudinis ſolemnitas requiritur, ſecundum unanimem Theologorum, Canoniſtarum, & Legiſtarum Sententiam *in c.relatum* 11. *de Teſt.* & L.1. *C.de SS.Eccleſiis.* Ratio eſt, quia jura ſæcularia cauſis Eccleſiaſticis maxime piis ſive ad ſupernaturalem hominis finem, ac ſpiritualem ſalutem directe ſpectantibus nullum præjudicium adferre poſſunt, niſi a Summo Pontifice approbata & recepta ſint, c. *Eccl.*10. *de Conſt.* Atqui ſolemnitates teſtamentorum ſub civili jure introductas circa pias, & Eccleſiaſticas cauſas receptas non eſſe con-

constat ex citato *c. relatum* 11. *de testam.* ubi Alexander III. judicibus mandat, *quatenus si causa talis* (*super relictis Ecclesiæ*) *ad eorum examen deducta sit, eam non secundum leges, sed secundum decret. statuta tractent, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis. Quoniam scriptum est, Deut. 17. In ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Sic Pontifex. Validum ergo est testamentum, legatum vel quævis ultima voluntas talis scripta manu testatoris, etsi nullus testis adhibitus fuerit, modo sufficienter constet esse testatoris manum, seu scripturam. Mol. aliique cit. Laym. hic *c.2. n.3.* Et si nuncupativum sit, sufficit quocumque signo externo declaratam esse voluntatem defuncti, etiam solo nutu, etiam natura muto, & surdo: quæ omnia jure civili essent irrita, uti optime probat Julius Clarus *l.3. receptarum sententiarum q.6. n.7.* Ratio est, quia naturæ, & gentium jure non plus requiritur. Quamvis autem utrobique ordinarie requirantur testes tres viri, vel quinque fæminæ, modo non suspecti sint: interventus tamen testium non requiritur ad substantiam, vel solemnitatem talis testamenti, vel legati, sed solum ad probationem, si aliud probationis genus haberi non possit. Unde si hæredi undecumque certo constet, voluntatem testatoris fuisse, ut aliquid ad pias causas expendatur, esto in foro externo nequaquam id probari possit, in foro tamen conscientiæ satisfacere obligatur: non enim in hoc foro probatione opus est, quando de veritate constat. Estque hæc magna multorum etiam Juristarum deceptio, existimantium debitorem solvere non obligari in conscientia, quia debitum suum in foro externo probari, seu demonstrari non potest. Posito ergo casu, Parochus, vel Confessarius post mortem cujusdam, profert schedam continentem legata quædam ad pias causas, asseverans ab homine illo, antequam decederet, esse scriptam, vel dictatam. Eritne pro legitima ultima voluntate habenda? Resp. Si manus testatoris agnoscatur vel duobus testibus probari possit, valet, & pia ejus voluntas implenda erit, ex paulo ante dictis. At vero si ipsemet Parochus, vel Confessarius schedam scripsit, legata annotando, non creditur, sine alio teste tunc præsente. Quare recte monet Laym. cit. n.5. Parochos, & Confessarios, ut ultimas dispositiones ad pias causas non excipiant, nisi, advocatis duobus testibus, masculis, vel fœminis, aut saltem uno teste masculo, qui possunt esse ex domesticis etiam testatoris, aut ipsius Parochi, v. gr. ædituus (nisi forte esset in propria causa) his enim cum ipso Parocho, vel Confessario ad pias causas, scripto, vel ore referentibus, omnino fides habenda erit, juxta communem sententiam, & praxim. Insuper aliqua adnotanda sunt.

69 I. Quod si testator in testamento, vel coram duobus, aut tribus testibus affirmavit, quod velit quædam ad pias causas erogari, sicut v.g. Confessario, vel Parocho suo mandaverit, (quod maxime evenit in occultis restitutionibus, vel satisfactionibus faciendis) Confessarius, vel Parochus audiri debet, & secundum ejus relationem executio facienda est, modo talia indicia afferat, ut spectatis circumstantiis verisimile esse possit, eam fuisse defuncti voluntatem, ut ex communi notant Navar. *l.3. cons.16. de testam.* Laym. *ib. c.4. n.5.* Sed caveant hi, ne se imprudenter intrudant, præsertim in propria causa, ne sinistros oculos moveant.

70 II. Validum etiam est testamentum, vel legatum ad pias causas, etsi alterius arbitrio committatur, vel in alterius voluntatem rejiciatur, v.g. instituto hærede bonorum meorum, vel partis certæ, pauperes illos, quo Confessarius, vel Titius ille amicos elegerit. Lego centum florenos alicui puellæ in dotem, calicem Ecclesiæ, si hæres meus voluerit, vel illi, cui hæres meus voluerit. Communis DD. in c. *cum tibi de test.* Julius Clarus *cit. q.6. n.5.* Lessius *l.2. c.19. dub.2. fin.* Mol. *disp.134. fin.* Dian. *p.7. tr.6. resp.20.*

71 III. Si moriturus cœperit facere testamentum, vel codicillum, & morte præventus non absolvit, licet secundum alia irritum sit, *L. si is, qui 25. ff. qui testamenta facere possunt*, valet tamen quoad relicta pia in illa sua imperfecta dispositione jam expressa; tametsi enim voluntatem suam testator mutare potuerit, cum tamen reipsa nullam mutationem significaverit, naturali, ac canonico Jure firma manet. Bartolus, Abbas, Fachin. Covarruvias, Molin. Vasquez, aliique, quos citant, & sequuntur Laym. *cit. c.2. nu.6.* Diana *p.7. tr.6. res.19.*

72 IV. Etiamsi perfecto testamento hæreditas adita non fuerit, utpote quia hæres antea mortuus, aut hæreditatem repudiavit, aut hæreditas disputabilis reddita est, adhuc legata ad pias causas præstanda erunt, ut ex communi docent omnes allegati. *Ratio est*, quia quod legata peti non possint, hæreditate non adita, est solemnitas juris civilis, *L. in testam. ff. de fideic.* quæ ad pias causas se non potest extendere. Hæc ad communem praxim hic sufficiant. Plura pro rariori casu habere poteris apud cit.

II. *Testamenta inter liberos.*

73 Alterum testamentum privilegiatum est, quod a patre, matre, aliove ascendente inter liberos conditum est, quod ratum haberi debet, etiamsi Juris civilis solemnitate destitutum sit, quantum & ad numerum, & qualitatem testium, subscriptionem, sigillationem &c. cit. *L. hac consultissima* §. *Et imperfecto. C. de testam.* Quod si tamen tale testamentum fiat in scriptis, ad cavendas liberorum fraudes jure novo statuit Justinianus in *Authent. de testam. imperfectis num.* 107. *c.1.* validum non esse, nisi subscribatur a testatore, & liberis institutis; aut ipse testator propria manu tempus conditi testamenti, nomina filiorum, & portiones eorum, in quibus instituti sunt in testamento, scripto exprimat: & quia hic nulla fit mentio testium, standum est Jure antiquo, nullos requiri. L. ult. C. familiæ herciscundæ: *Seu epistola parentis esse memoretur, sive quocumque alio modo scripturæ quibuscumque verbis, & indiciis inveniantur relictæ.* Quoad ejusmodi testamentum nuncupativum inter liberos nihil innovavit Justinian. quare validum erit Jure veteri, si fiat cum duobus, vel tribus testibus masculis, vel fœminis, teste Claro, Molin. Lugo, Laym. *cit. num.13.*

III. *Testamentum militum, & rusticorum.*

Tertium testamentum privilegiatum est militis in expeditione bellica degentis, ad quod sufficit, quocumque modo voluntatem ultimam declarasse, voce, vel scripto, tametsi aliquid *in vagina, vel clypeo, litteris, etiam sanguine annotaverit, aut in pulvere inscripserit gladio sub ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem dereliquit:* modo per duos testes etiam non rogatos probari possit, ut habetur *L. milites 15. de testam. militis*, & alibi. 74

Quartum testamentum privilegiatum est rusticorum, quibus concessum est *in leg. ult. Cod. de testam:* ut si ruri testentur, ubi plures testes, quam quinque, haberi non possunt, ii sufficiant tam in testamento scripto, quam nuncupativo. Nec in testamento scripto subscriptione opus est, si in eo loco litterati non reperiantur. Secus, si haberi possint, quo casu si unus tantum, vel duo fuerint litterati, debent hi pro aliis ignorantibus tamen præsentibus, & testatoris voluntatem intelligentibus, ut ex Juribus docet communis DD. & praxis.

IV. *Testamentum tempore pestis.*

Ultimum testamentum privilegiatum ob paritatem rationis communiter adsertur id, quod fit tempore pestis, de quo magna sententiarum contrarietas est apud *Molin. Laym. Lugo, Dian. cit.* Dico breviter: Quamvis spectato rigore Juris civilis etiam ad tale testamentum tempore pestis condendum requirantur septem testes licet non congregati, seu præsentes, & subscribentes, sed singulis saltem separatim adhibitis, ut docet communis DD. Attamen naturalis rationis æquitas postulat, ut eo tempore, vel loco, quo tot testes, vel notarius, haberi non possunt, non tantum sufficiant quinque testes, ut vult Baldus cum Sa V. *testamentum:* verum etiam absque omni Juris civilis solemnitate sufficiat sola æquitas Juris naturalis, & gentium: ut nimirum ultima voluntas sufficienter expressa sit coram duobus, vel tribus testibus masculis, aut his deficientibus, fœminis, ut fatetur etiam Laym. cit. *n.17.* & cum Julio Claro, Molina, & aliis docet Diana *par.7. tract.6. resol.34. & 41.* ubi bene monet Confessarios pestiferis inservientes, ut pro copia, vel inopia testium in re tam controversa tutiorem sententiam semper sequantur, ut nimirum primo septem, secundo quinque, tertio duos, vel tres mares, quarto demum fœminas admittant, vel advocent in defectu priorum. Immo probabiliter affirmant Joan. Molanus de *testam. piis cap.* 83. testamentum pestis tempore acceptum ab ipso Parocho, vel Confessario cum uno tantum teste possibili, valere debere, quod prudentibus expendendum relinquo. 75

§. III. *Codicillus.*

Dicitur testamentum imperfectum, quo nullus instituitur hæres, sed supposito hærede, vel ab intestato succedente, vel ex testamento jam instituto; aut adjicitur ipsi testamento jam condito ad illud declarandum, immo dandum, addendum, minuendum: aut etiam sine testamento hæredi ab intestato imponit legata, fideicommissa, aliasve dispositiones post mortem fiendas: *L. quod per manus 10. ff. de Jure codicillorum. L. hæreditatem 2. C. de Codicil.* Atque ad sui solemnitatem sive scriptus sit, sive nuncupativus codicillus, solum quinque testes etiam non rogatos, (etsi fœminæ) requirit, qui nimirum, vel codicillo scripto subscribant, vel nuncupativo ore testari possint. *L.ult.* §.3. *de codicillis*. Potest quis etiam facere plures codicillos, dummodo non repugnantes, alioquin prior a posteriori censetur esset revocatus, *L. Divi 6. ff. de Jure codicill.* Duo autem testamenta simul consistere non possunt, sed semper posterius derogat priori, etiamsi ex posteriore nullus hæres existat, utpote quia institutus noluit, vel vivo testatore mortuus est: tunc enim vocantur hæredes ab intestato §. *posteriore 2. institut. quibus modis testam. infirm.* 76

§. IV.

§. IV. *Testamenti infirmitas.*

77 Testamentum, sicut & omnis alia ultima voluntas legitime condita, natura sua mutabile est, & revocabile, ut pro testatoris arbitrio mutari possit, non tantum addendo, demendo, corrigendo, sed etiam penitus cassando, uti habetur *l. 4. de ff. de adim. legat.* Ubi dicitur. *Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum.* Et ipse Apostolus ad Heb. 9. *Testamentum in morte confirmatur.* Quando vero Juramento testamentum confirmatum est, distinguendum est: si enim juramento assertorio juretur solum ipsum testamentum, hanc nimirum esse testatoris voluntatem, quam post mortem suam omnino impleri velit, adhuc revocabile manet testamentum: Quod si vero juretur promissorie, testamentum non revocatum iri, jam irrevocabile testamentum manere debet. Communis DD. Molina *disp.* 151. Lugo *disp.* 24. *sect.* 2. *nu.* 31. Ratio est: quia juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, cui adjungitur, cum hac tamen limitatione, nisi juramentum addatur ad ipsam illam conditionem impediendam, quæ licite impediri possit: atqui conditio naturalis, & velut proprietas testamenti est, esse revocabile, nisi quis jurasset etiam, se non revocaturum: tunc enim juramento impedietur illa ipsa conditio testamenti, scilicet *revocari posse*, & jurans eo juramento obligabitur, ut licite, & sine peccato revocare non possit. Tametsi adhuc possit revocare valide, & testamentum aliud postea condere. Ut ex communiori docent Sanch. *lib.* 3. *Moral. c.* 1. *dub.* 17. & Lugo *cit. n.* 27. Ratio hujus est. Quia juramentum non revocandi non tollit revocabilitatem testamenti a parte rei, & ipsius actus, quippe ex natura sua consequentem; sed solum tollit, vel impedit irrevocabilitatem ex parte voluntatis, ut nimirum obstante religione juramenti amplius licite revocare non possit: itaque aliud testamentum conditum validum censeri debet, quamvis secundus hæres, qui testatori, sicut in commodis, sic etiam in debitis succedit, teneatur priori hæredi compensare damnum illatum a testatore per revocationem primi testamenti, posito, quod priori juramento promissorio non revocandi ipsi intimato, & acceptato, jus acquisiverit; adeoque tenebitur ei restituere ipsam hæreditatem, non quidem ut testamentario, quia testamentum valide revocatum est, sed ut creditori, seu damnum injustum passo a testatore revocante, ut ex communi docent *Laym. Lugo cit. num.* 18. Cæterum revocatur testamentum duobus modis. 1. Per factum contrarium Testatoris, puta, si scriptum testamentum laceret, hæredis nomen deleat, sigilla, aliamve ejus substantialem partem ex industria auferat, aut testamentum nuncupativum coram totidem testibus revocet, quot antea adhibuit. 2. Per alterum testamentum valide, & legitime conditum, & æqualiter cum priori perfectum, seu solemnizatum: si enim secundum minus esset solemne, prius testamentum non revocaretur, nisi in certis casibus Jure expressis, quos quia nihil ad forum conscientiæ spectant, videre potes apud *Molin. & Lugo cit.* latissime, & compendiosius Laym. *cit. cap.* 4. *num.* 1.

S E C T I O V.

De Legatis.

S U M M A R I U M.

78 *Legatum, qualiter differat a testamento, fideicommisso, donatione &c.*

79 Usque ad num. 84. *An, quid, & qualiter legari possit FF. Minoribus, & Capuccinis.*

84 Usque ad num. 88. *Quænam legari possint.*

88 Usque ad num. 92. *Quibus modis legata relinqui possint, vel soleant.*

92 Usque ad num. 95. *An, & qualiter valeant legata, seu relicta sub conditione nuptiarum, seu Matrimonii contrahendi, vel non contrahendi.*

78 Legatum definitur, *donatio quædam a defuncto relicta, & ab hærede præstanda*, §. 1. instit. de legatis. Sensus est: legatum est voluntas ultima, qua res particularis, & determinata disponitur, & quasi committitur hæredi, sive ab intestato succedenti, sive ex testamento instituto, ut post mortem legantis tradatur alicui alteri, qui legatarius dicitur. Unde differt a testamento, codicillo, & fideicommisso universali: convenit vero reipsa cum fideicommisso particulari, nam 1. Testamentum est, cum ipsa hæreditas relinquitur hæredi instituto, sive absolute, sive cum onere adjuncto. Codicillus est, quo, supposito jam testamento, vel hæreditate relicta, aliud quid disponitur observandum, vel exequendum ab hærede; inter quæ sunt legata, & fideicommissa particularia. 2. Fideicommissum universale est, quo tota hæreditas relinquitur hæredi: sed gravato cum onere, ut vel absolute, vel cum certa conditione ipsam alteri restituat, qui idcirco fideicommissarius dicitur, retenta tamen semper sibi quarta parte hæreditatis, quæ Trebellianica dicitur: & si hæres necessarius sit, portione legitima, quæ fideicommisso gravari non potuit. Ut habetur utroque Jure *ff. & C. ad Senatus Conf. Trebellian. &c. Raynaldus &c. Raynutius de testam.* Patet late differentia hujus a legato. 3. Fideicommissum particulare dicitur, quo etiam relinquitur hæreditas hæredi sive ab intestato, sive ex testamento, sed gravato cum onere aliquid particulariter determinatum tradendi alicui alteri: & hoc proprie dicitur legatum; adeo ut reipsa coincidant legatum, & fideicommissum particulare (prout etiam in Jure omnino coæquantur) differunt autem solum in forma verborum; quatenus enim verba diriguntur ad ipsum legatum, cui scilicet aliquid destinatur tradendum ab hærede, V.g. lego Titio 100. dicitur legatum, quatenus vero verba diriguntur ad ipsum hæredem v. g. hæres meus tradat Titio 100. dicitur fideicommissum particulare. 4. Denique differt legatum a donatione mortis causa, ut ex supradictis patet: quod nimirum legatum a testamento pendeat, tamquam accessorium a principalis; infirmato testamento corruit etiam legatum, stante autem testamento, legatum ab hærede præstandum est: non antea quam hæreditatem adiit. Donatio autem mortis causa a testamento, & hæreditatis aditione omnino independens est, sed ipsa morte donantis confirmatur, ut supra notatum. Videndum nunc breviter *cui*, *quid*, *quomodo* legari possit, & qualiter legatum impleri debeat. Nam quis legare possit, patebit sect. seq. ubi quis testari possit.

§. I. *Cui legari potest.*

79 Sicut omnis, & solus ille legare potest, qui testamentum vel codicillum condere potest, cum legatum necessario fiat in testamento, vel codicillo, & codicillum nemo facere possit, nisi qui & testari potest. *L. Divi* §. 3. *de Jure codicillorum:* ita ordinarie iis solum legari potest, qui hæredes institui possunt. Ut clare habetur *instit. de legatis* §. *legari* 24. Dico *ordinarie:* excipiuntur enim duo potissimum casus in spuriis, & Fratribus Minoribus. 1. Nam spurii licet heredes institui minime possint, valide tamen, & juste legantur eis alimenta competentia. Item dos succedens loco alimentorum arg. *L. is cui* 11. *ff. de alimentis, & cibariis legatis*, dummodo non fiat in fraudem, sed quatenus indigent. Uti ex communi notant Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 195. & Laym. *tract.* 5. *cap.* 10. *n.* 2. II. Licet FF. Minores, eorumque Monasteria, & Ecclesiæ hæredes institui nullo modo possint, cum hæredis institutio intelligi non possit absque jure acquirendæ hæreditatis, cujus illi omnino sunt incapaces (quidquid dicat Rodriquez noster *tom.* 2. *QQ. Regul. quæst.* 78. *art.* 5. volens Ecclesiæ Romanæ eo casu hæreditatem acquiri) cum tamen Ecclesia non suscipiat in se bona FF. Minorum, nisi quorum ipsi sunt capaces, ut ex declarationibus Pontificum patet; attamen valide iis legata relinquuntur per modum piæ donationis, vel eleemosynæ, idque ad simplicem usum facti tantum, quorum proinde dominium proprietatis, donec absumantur, penes hæredes maneat. Ut expresse habetur *Clement. Exivi de verb. signific.* §. *cupientes*, *& cap. Exivi* §. *ad hæc quia Fratribus de verb. signific. in* 6. Verum id quadruplici limitatione & cautela indiget.

80 I. *Nisi* legatum tantæ quantitatis sit, ut videatur relinqui in fraudem, ac sub nomine legati hæreditas dari *Clem. cit.* Tantum ergo solum ex legatis accipere possunt, quantum pro sua sustentatione spectatis circumstantiis personarum, locorum, ac temporum &c. Ministri judicaverint esse necessarium ad præsentem, vel certe imminentem necessitatem sublevandam: amplius nec valide, nec licite recipere possunt. Vide Rodriquez *tom.* 2. *QQ. Regul. quæst.* 126. *art.* 1. Et alios Expositores passim.

81 II. *Nisi* iis legetur domus, vel habitatio ab eorum Monasterio sejuncta, talem enim possidere non possunt, *cap.* 1. §. *confirmatos de religiosis domibus in* 6. Veteres tamen domos instaurare, & extendere possunt, si indigeant, & ad eum usum domum contiguam, sibi legatam acceptare, uti ex Sanchez notat Laym. *cit. cap.* 10. *num.* 3. *fin.*

82 III. *Nisi* legato rei mobilis, vel immobilis adjiciatur conditio, seu modus repugnans eorum professioni, ut si legetur vinea ad colendum, usufruendum, elocandum, &c. pecunia ad res pretiosas, ac superfluas comparandas, &c. *cap. exiit* §. *ad hæc quia Fratribus*. Quod si vere ejusmodi res absolute legetur, interpretari debet eo modo relicta, quo Fratribus utilis, & licita esse possit. V. gr. ut pro necessariis sustentationi commutetur, ibi *cit. cap.*

83 IV. *Nisi* iis pro victu, & vestitu integro legetur annuus redditus perpetuus, vel ad longum tempus, v. g. decennium: ejus enim sunt incapaces, *ex Clem. exivi*, §. *cumque annui redditus*. Ratio est, quia ejusmodi redditibus annuis pro victu, & vestitu eorum paupertas, & mendicitas omnino tolleretur. Interim nihil obstat eis per modum eleemosynæ gratuito præstandæ legari annuos redditus pro luminibus, aut ornamentis necessariis Ecclesiæ, pro vino Sacrificii, aut pro partiali victu, & vestitu, vel iis, quæ mendicatione acquiri non possunt: ut pro solutione carnis, vel vini, vel panis, aut medicinæ &c. aut absolute pro victu, & vestitu ad modicum tempus, v. g. duorum, vel trium annorum, quia censetur velut legatum, dummodo ejus solutio ita dividatur, ut per eam mendicitas non tollatur. Ita ex communi

muni DD. Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regul. quæst.* 126. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 26. Sylvest. & alii passim apud *Laym. cit. num.* 4.

§. II. *Quænam legari possunt.*

84 LEgari possunt non tantum res propriæ testatoris in re, & in spe, Jura, & actiones &c. sed etiam res alienæ, seu alteri obligatæ, ita ut hæres teneatur eas redimere, & præstare legatario, vel si redimere non possit, ejus æstimationem dare *L. cum alienam* 10. *C. de legatis.* Adde: dummodo defunctus scierit rem alienam esse. Non item si ignoravit, nisi ex circumstantiis præsumi possit, quod tametsi scivisset rem alienam esse, vel alteri obligatam, nihilominus alteri legasset. Mol. *disp.* 186. Vasq. & alii cum Laym. *cit. n.* 7. Et nisi res legata sit ipsius hæredis, tunc enim præstari debet, etsi testator putaverit esse suam, & ignoraverit esse alienam. *L. unus ex familias* 67. *L. si in rem tuam* 8. *ff. de legat.* 2.

85 II. Inutile est legatum, quo quis legat rem ipsius legatarii: quia *quod jam proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest*, instit. de legat. §. sed si rem 19. Item si debitor creditori legat centum aureos, quos ante ei debebat ex contractu vel delicto: quia legatum natura sua debet esse gratuitum: id autem gratis non datur, quod antea debebatur, ibid. §. *ex contrario* 14.

86 III. Quamvis autem debitor ejusmodi legato pro antea debito, effectu secuto, satisfaciat revera debito suo, Confessarius tamen contentus esse non potest, si pœnitens ejusmodi debita solum testamento, vel legato compensare velit: imo etiamsi morti vicinus sit, absolvendus non est, si ipsemet sine scandalo, vel infamia quoquo modo restituere possit cum effectu. Ita omnes, quo citant *Sotus*, *Sylvest. Navar.* uterque *Toletus*, *Rodriq.* aliique apud Laym. *cit. n.* 9. Ratio est, quia talis non videtur habere sincerum animum, & propositum restituendi, si supervixerit; ac testamenta, & consequenter legata sæpe infirmari, aut alias in iis contenta supprimi solent, ideoque injustissime sic exponuntur creditores periculo amittendi suum debitum, quod etiam alias suo loco indicatum est, quod si tamen appareat moriturum sincere agere, & cum ipse commode restituere non possit, credat hæredem commodius posse, & certo restituturum, & insuper hæres, vel executor testamenti viri boni sint, poterit Confessarius prudenter permittere infirmo, ut debita testamento relinquantur, aut sic committantur occulte, per modum legati ad pias causas: prius tamen aliis de hoc præmonitis, ut sect. præced. notavimus.

87 IV. Quod si debitor creditori testamento, vel codicillo aliquid relinquat, non exprimens, an ad satisfactionem debiti, vel omnino gratis, in dubio, distinguendum est: aut enim est debitor ex voluntario contractu, vel promissione gratuita, & tunc non censetur legatum esse animo compensandi, *argum. L. unic.* §. *sciendum*, *C. de rei uxoriæ actione*, aut est debitor ex necessitate juris, scilicet ex contractu oneroso, vel ex delicto, & tunc censebitur legatum esse animo compensandi debitum *L. si cum dotem* §. *si pater ff. solut. matrim.* & effectu secuto, debito satisfactum erit. Exempla afferuntur cit. loc. & obvia sunt.

§. III. *Quibus modis legatum relinquatur.*

88 LEgata relinquuntur variis modis. Simpliciter & absolute sine adjecta conditione, vel die &c. cujusmodi legatis id proprium est, quod quidem transeant ad hæredes legatarii, licet is ante aditam hæreditatem decedat, post mortem testatoris defuncti, *L. si post* 5. *ff. quando dies legati.* Attamen peti non possunt, antequam hæreditas adita sit, & si nullo adeunte corruat testamentum, etiam simul ruent legata, nec ab hæredibus ab intestato præstari debent. *L. si nemo* 9. *ff. de testam. tutela.* At vero statim, ut hæreditas adita est, legatarii dominium legatorum acquirunt, una cum fructibus rei legatæ post mortem testatoris, etiam ante hæreditatem aditam perceptis, juxta communem DD. cum Molina *disp.* 194. Laym. *cit. num.* 10.

89 II. Alia legata relinquuntur in diem certum: ut lego Titio centum aureos, dandos ad proximum Pascha, ad illas nundinas &c. quæ licet ante præfixum diem peti non possint, jus tamen petendi, & actio transmittitur ad hæredes legatarii, si post mortem testatoris ante illum diem decedat. *L. si dies* 21. *ff. quando dies legatorum.*

90 III. Alia legata relinquuntur in diem incertum: v. g. lego Titio centum aureos, dandos, quando Doctor creandus erit: quando primam Missam celebrabit; vel quando uxorem duxerit &c. & talis adjectio diei, si fiat in commodum ipsius legatarii, habet rationem conditionis pendentis in futurum, de qua mox. Si vero fiat in commodum ipsius hæredis tantum, legatum ad hæredes legatarii non transmittitur, si is ante diei eventum decedat, ut habetur eadem *L. si dies apposita.*

91 Alia legata relinquuntur sub conditione pendente in futurum, quæ evenire potest, vel non potest: eaque triplici sub conditione: *protestativa*, cujus scilicet eventus ex sola alterius voluntate pendet; ut lego Titio centum, si studere velit: sub conditione *casuali*, cujus scilicet eventus minime pendet ex voluntate alterius; ut si naves ex India venerint: aut sub conditione *mixta*, cujus scilicet eventus partim ex voluntate alterius, partim aliunde pendet: ut si talem uxorem duxerit; si tale officium consecutus fuerit. Omnia sic conditionate legata suspensa sunt, ut nec legatario cedant, nec ad hæredes ejus transeant, antequam conditio impleatur, sed eo mortuo omnino expirent. *L. unica* §. *autem* 7. *Cod. de caducis tollendis.* Intellige autem, dummodo principaliter legata sint intuitu ipsius personæ: secus si ob aliam causam pietatis, dignitatis, &c. v. g. legas Titiæ dotem, si nupserit, intuitu personæ, quia v. g. tibi fideliter, & pie servivit, ea mortua, legatum expirat: legas vero intuitu solius pietatis, ea mortua, alia puella dotanda erit. Ita communis DD. cum Abbate *in cap. nos quidem de testam.*

§. IV. *Relicta sub conditione nuptiarum, seu matrimonii contrahendi, vel non contrahendi.*

I. VAlida, & observanda est conditio hæreditati, vel legato addita: *si matrimonium contraxerit*: est enim 92
conditio justa, & honesta: quod si tamen is, cui tale legatum relictum fuit, Religionem ingrediatur, adhuc relictum consequi debet legatum, ob benignam juris interpretationem, & præsumptionem, quod si testatori in mentem venisset de Religionis ingressu cogitare, nihilominus legaturus fuisset. *Authent. nisi rogati. C. ad C. S. Trebellian.* Si tamen ita expresserit testator, v. g. si nupserit Titia, & Religionem ingressa non fuerit, legatum accipiat, adhuc standum erit testatoris voluntati, quæ bona esse potuit, quippe non ea intentione, ut a Religionis ingressu retrahat (hoc enim casu conditio turpis pro non adjecta haberetur) sed quia ad nuptias, & matrimonium magis necessariam putet pecuniam, quam ad Religionem, vel ob aliam causam justam. Qua ratione etiam valet, si alicui leges mille, si uxorem ducat; centum vero tantum, si Religionem ingrediatur. Ut contra Sylvest. Sa, & alios verius docent Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 34. *num.* 12. Molin. *disp.* 207. Laym. *cit. cap.* 10. *num.* 12. Ratio est: Quia conditio nuptiarum bonis moribus non repugnat, nec aliqua lege reprobatur, quin potius jure annexa primogenituris, & feudis quibusdam, quod Clerici & Monachi ejusdem capaces non sint. Attamen ut jam innui, conditionem absolute adjectam legato: *si Religionem ingressus non fuerit*, tamquam bonis moribus repugnantem, quippe directe a bono Religionis avocantem, pro non adjecta haberi debere, contra Sanch. cit. cum Medina, & aliis recte probat Laym. *cit. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 14.

II. Valida quoque, & observanda est conditio legato, vel 93
hæreditati ipsi adjecta; si nuptias cum certa persona contraxerit. *L. Titio* 71. *ff. de condit. & demonstr.* & docet communis Th. Th. apud Molinam *cit. disp.* 107. & Laym. *cit. nu.* 13. Excipe autem, nisi persona illa alias vel indigna sit, vel inhonesta, ut cum ea licite, vel honeste contrahere non possit, (tunc enim conditio pro non adjecta habetur *L. cum ita* 63. §. 1. *ff. eod.*) aut ipsa alia persona in causa sit, quominus nuptiæ celebrentur; tunc enim legatarius legatum absolute consequetur: nam conditio mixta a duorum voluntate pendens, si ex non culpa gravatis, sed alterius deficiat, habetur pro impleta, uti ex jure communi probat Sanch. *cit. de matrim. disp.* 22.

III. Legata, vel hæreditas legata sub conditione, si nuptias 94
non contraxerit, rejecta ea conditione, tamquam Reipublicæ, vel bonis moribus repugnante, absolute debetur. *L. quoties* 22. *L. cum tale* 72. *ff. de condit. & demonstr.* Similiter si alicui legentur ducenti aurei, si a matrimonio abstineat, centum vero tantum, si contrahat: ducentos consequi debet, etiamsi contrahat. *L. Titiæ si non nupserit* 100. *ff. eod.* Et hæc non tantum in externo, sed etiam in conscientiæ foro observanda sunt contra Medinam, Vasq. & alios rectius docent Sylvest. Covarr. aliisque citatis Molin. *disp.* 106. Sanch. *cit. disp.* 34. *n.* 4. Laym. *cit. num.* 14. Ratio est: quia justa legum dispositio testatoris voluntati prævalet. Sed excipe: valet ejusmodi conditio, si non excludat matrimonium simpliciter, sed tantum ad certum tempus, vel cum certa persona ex tali familia, vel gente, ex communi Sanch. *cit. disp.* 34. *quæst.* 12. *concl.* 5. Molin. *cit.* Item si adjiciatur legato relicto viduæ, vel viduo. *L.* 2. *C. de indicta viduitate.* Item si adjecta sit in favorem Status Religiosi principaliter. Molina *disp.* 207. Item si conjux moriturus conjugi legatum relinquat sub conditione, ut a secundis nuptiis abstineat, non scilicet volens absolute obligare, sed solum sub conditione, si legato potiri velit, obligabitur conjux in utroque foro, aut abstinere a nuptiis, aut, si nuptias contrahat, reddere legatum, idque ex justitia. Ita communis *ex authent. cui relictum. C. de indicta viduitate.* Laym. *cit. cap.* 10. *fin.*

IV. Quod si autem moriturus conjugem absoluta promis- 95
sione obligare voluit ad servandam viduitatem sine lucro reciproco, resolvunt cum aliis Sanch. *lib.* 7. *de matr. disp.* 88. *n.* 37. Laym. *cit. nu.* 55. per se quidem uxorem obligatam esse promissioni, si commode, & laudabiliter statum suum viduitatis servare possit: cum omnis promissio de objecto bono, ac possibili, servanda sit; ideoque peccaturam, si fidem temere violet; attamen secluso juramento, vel scandalo, tantum venialiter: quia præsumitur tantum se voluisse obligare

gare ex fidelitate, per se solum sub veniali obligante. Et licet intendisset se obligare ex justitia, tamen excusabitur a mortali ob parvitatem materiæ: quia exiguum inde damnum censetur inferri marito defuncto. Ab omni autem peccato excusabitur, & obligatione soluta erit, si postea incontinentiæ periculum immineat, ut ei consultum videatur nubere; cum ipso Apostolo teste 1. *ad Corinth.* 7. melius sit nubere, quam uri. Ratio est. Quia non censetur homini se obligare voluisse cum tanta difficultate, & gravamine, immo & periculo salutis. Lege Sanchez *cit.*

SECTIO VI.

De Testatore, ejus Consultore, Executore, & Hæredibus.

SUMMARIUM.

97 & 98 *Quinam prohibeantur testari, vel legare.*
99 Usque ad num. 103. *Quidnam in praxi Parochus, vel Confessarius testari volenti prudenter consulere possit, & debeat.*
103 *Executores testamenti strictissime obligantur ad ejus executionem juxta intentionem Testatoris.*
104 *Quid si certum est rem esse legatam, sed dubitatur, vel nescitur, cui proprie?*
105 *Quid si certum sit moribundum legasse, sed dubitetur quid, vel quas res?*
106 *Hæredes graviter obligantur adita hæreditate statim solvere legata, nisi rationabilis causa excuset.*
107 *Hæreditas quid.*
108 *Qui dicantur hæredes ab intestato, &*
109 *Quis sit, vel esse, & institui possit hæres ex Testamento.*
110 *Hæres ex testamento alius universalis, alius particularis.*
111 Usque ad num. 116. *Quinam sint, & dicantur hæredes necessarii, & non necessarii.*
116 *Hæres suus, & non suus.*
117 Usque ad num. 121. *An, & quando valeat renunciatio hæreditatis.*

96 CErte omnes homines habent liberam facultatem de bonis suis testandi, legandi, ac quomodolibet ante mortem suam disponendi, nisi Jure naturali, vel positivo prohibeantur. Ratio affertur L. 1. C. de Sacrosanctis Ecclesiis. *Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis (postquam jam aliud velle non possunt) liber sit stylus, & liberum, quod iterum non redit arbitrium.* Videndum ergo breviter, in primis, quinam prohibeantur Jure naturali positivo; deinde quidnam volenti testari, vel legare consulendum sit a Parocho, vel Confessario: Denique officia, cura executorum ultimarum voluntatum summatim adnotanda: ac pro complemento, & pleno intellectu terminorum, addenda est summula de hæreditate, & hæredibus.

§. I. *Quinam prohibeantur testari, vel legare.*

97 JUre naturali quidem prohibentur solum rationis usu carentes, ut infantes, furiosi, amentes, quorum tamen rata sunt testamenta, & voluntates ultimæ, facta tempore lucidi intervalli, licet postea in furorem reincidant, §. *præterea instit. quibus non est permissum testam.*

98 Jure autem positivo testari, codicillos condere, & consequenter legare prohibentur sequentes. I. Surdus, & mutus a natura, seu nativitate *L. discretis* 10. *C. qui testam. facere possunt.* Solum surdus omnia potest, solum cæcus, item cæcus, & surdus simul, ex accidente, vel infirmitate tantum, etiam potest, si scribere sciat. Denique etiam quomodolibet surdus, & mutus solo nutu testari, & legare potest ad pias causas: quia testamentum surdi, & muti validum est jure naturali: jus autem positivum civile in piis causis non habet locum. Omnia habentur in citata L. & videri potest Diana *par.* 7. *tract.* 6. *resol.* 13. II. Prodigus, cui bonorum administratio interdicta est, postea prohibetur testari, sed non antea §. *Item prodigus instit. eod.* III. Servus, seu mancipium. *L. filius fam.* 16. *ff. de testam.* IV. Usurarius manifestus, nisi prius satisfecerit, vel idoneam cautionem præstiterit, *cap. quamquam de usuris in* 6. V. Qui captivus, vel obses apud hostes detinetur, interim testari non potest: sed antea testata valent, *instit. quibus non est permissum facere testam.* §. *ult.* VI. Damnatus ad mortem naturalem, vel civilem, etiam testari prohibetur, & antea facta infirmantur. Excepta donatione facta conjugi. Ex jure communi Laym. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. VII. Filiusfamilias de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus libere potest testari: non autem de adventitiis, etiam consentiente Patre in foro externo. *L. qui in potestate* 6. *ff. qui testam. &c.* Potest tamen consentiente Patre de his testari ad pias causas, quibus Jus civile nihil præjudicat, *cap. licet de sepulturis in* 6. sicut etiam, eo consentiente, potest donare mortis causa. *L. filiusfam.* 6. §. 4. *ff. de donat.* Et absolute poterit, si Clericus factus est, *authent. presbyteros C. de Episcopis, & Clericis.* VIII. Item impubes ob judicii immaturitatem testari prohibetur. *L. si frater* 4. *C. qui testam. facere possunt:* at in foro conscientiæ valet ejus testamentum, quousque per Judicem rescindatur, ut supra de contractibus impuberum dictum est. IX. Clericus non potest testari de redditibus Ecclesiasticis superfluis, nisi de licentia Episcopi ad pias causas tantum. Ratio a nobis supra *cap.* 1. *sect.* 2. *num.* 93. indicata est. Potest autem ad quascumque causas de redditibus decenti sustentationi necessariis, & propria parsimonia collectis: quod quia plerumque supponitur, ideo permittuntur in his partibus communiter testari, vel legare, aut hæredes ab intestato succedere: & a fortiori testari possunt de suis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus. Vide dicta *cap.* 1. *loc. cit.* X. Religiosus professus testari non potest: quia nec sui juris est, nec ullum rerum dominium habet: quod etiam in Jure civili habetur, *authen. ingressi, C. de SS. Ecclesiis.* Potest tamen, & solet summus Pontifex dispensandi facultatem dare Religiosis extra Monasterium degentibus testandi, & legandi de bonis, quorum administrationem habuerunt, sed tantum ad pias causas, vel remuneratorie, minime vero ad causas mere profanas; cum bona sint spiritualia, & Deo, vel Ecclesiæ attributa, ut supponitur. Quod si tamen ante Religionis ingressum quis testamentum condidit, secuta professione, tanquam morte spirituali confirmatur. Interim tamen dum vivit, Monasterium bonis ejus fruetur, si capax sit Religio proprietatis. Secus est de Ordine Fratrum Minorum, ubi bona statim ad hæredem devolvuntur, facta professione. Communis DD. apud Laym. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 5. *a num.* 2. per totum.

§. II. *Praxis consulendi testatoribus, vel legatoribus.*

TEstamentum, aut legata relinquere volenti, ac desuper consultanti Parochus, vel Confessarius ita prudenter consulere debet. 99

I. Licet secundum Jus civile parentes liberis non nisi certam partem hæreditatis, seu portionem legitimam (infra §. 4. nominandam) relinquere cogantur; ideoque de reliquo uni plus, quam alteri conferre possint; idque etiam in conscientia licite, si justæ causæ subsint; quales sunt, si inter illos aliqui plus aliis de testatore obsequiis, vel officiis meriti sunt, si magis probi, si magis indigeant, si adhuc pusilli, si sumptus ad studia necessarii, secundum consuetudinem patriæ primogeniti aliis, masculi fœminis &c. præferri debeant: attamen plerumque peccant contra Charitatem, & justitiam distributivam, si inter liberos, quorum natura communis est, hæreditatis inæqualitatem constituant, sine justa causa, & ex affectu inordinato: utpote aut muliebriter, quia ex diversis matrimoniis natorum, unius matrem magis, quam alterius, dilexit; aut pueriliter, quia unus altero ipsi magis similis in physionomia, blandior &c. aut improbe, quia conjugium detrectat, & Clericatum, vel Religionem ambit &c. ideo aliis postponit. Huc spectat invectiva Salviani *lib.* 3. *ad Ecclesiam* apud Laym. *cit. cap.* 5. *num.* 13.

II. Jus naturale semper postulat, ut parentes liberis necessariam, & honestam sustentationem relinquant etiam ultra legitimam Jure civili debitam, ut docet communis DD. accedente auctoritate Sancti Augustini *tom.* 1. *serm.* 49. *de diversis*, nolentis ab Ecclesia suscipi legata, quæ necessitati liberorum parentes in testamento subtraxerant, de quo supra mentio facta sect. 2. ubi de donatione inofficiosa liberis. Similiter e contra a fortiori liberi decedentes parentibus egentibus necessaria relinquere debent, etiam ultra legitimam Jure civili debitam: & bene addit Molanus *lib. de piis testam. c.* 19. etiamsi ipsimet liberos habeant, tamen semper decens esse ob naturalem reverentiam, & pietatem parentibus debitam, ut eorum in testamentis sint memores aliquo legato in amoris, gratitudinisque signum. Eadem ratione quamvis secundum civiles leges Testator uxori ultra sua dotalia, item fratribus, & sororibus nihil relinquere cogatur, tamen jus naturale Charitatis, & pietatis exigit, ut si egentes sint, partem bonorum iis relinquat, cum etiam alias in necessitates talibus necessaria teneatur subministrare, ut habet communis doctrina in materia de Charitate, & nos in 4. præcepto *tract.* 3. *cap.* 5. *sect.* 1. *a num.* 9. 100

III. Quamvis testator numerosam prolem habet, tamen (nisi necessitas non permittat) expedit semper, ut aliquid ad piam causam legando, Christum Dominum iis cohæredem instituat, ut velut jure quodam ipsorum tutor, & contra omnia adversa protector esse velit, uti egregie monent SS. PP. D. Cyprianus *lib. de opere, & eleemos. cap.* 7. D. Chrysost. *homil.* 51. *ad popul. Antioch.* Sanctus Hieron. *Epist.* 150. *ad Hædibiam*, Basilius *homil.* 7. *in divites avaros*, ac optime D. August. *in Psalm.* 38. ad illud *thesaurizat, & ignorat, &c.* apud Laym. *cit. num.* 17. 101

IV. Quod si deficientibus, vel provisis jam descendentibus, & ascendentibus sua legitima, etiam fratres, vel consanguinei reliqui nulli singulariter egeant, expedit, & suadet ordo Charitatis incipientis a seipsa, propriam animam insti- 102

instituere hæredem, bona sua ad pias causas, & maxime pauperibus applicando: quia eo casu uxori, vel consanguineis nihil debetur; quorum querelæ, ut injustæ, negligendæ sunt, cum tamen interim ex Charitate, & misericordia obligatus sit pauperibus, immo & propriæ animæ suæ, ut a peccatis redimatur: juxta illud Prov. 13. v. 8. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ:* quod ad propositum optime applicat D. August. *lib.* 50. *Hom.* 19. Interea tamen semper consultum est divitibus, ut bona superflua tempore vitæ suæ in pauperes, & pias causas erogent potius, quam post mortem testamento relinquant. Tum quia hæredes, & testamentarii non semper integre, & fideliter relicta pia exequuntur: tum maxime, quia eleemosynæ a vivente erogatæ majoris meriti, & satisfactionis sunt apud Deum, quam si in tempus mortis differantur, quando homo dat, quod retinere diutius non potest. Ita Sancta Lucia matri suæ dixisse fertur in historia ejus 13. Decembris: *Non satis Deo charus est, qui illi dat, quod secum ferre non potest. Si vis Deo gratum esse, hoc illi da, quo adhuc uti potes.* Vide Salvian. & PP. *cit.* Ad extremum monendi sunt Confessarii ipsi, maxime Religiosi, consultum non esse, ut ipsi confectioni testamentorum intersint, aut testatori in particulari suadeant, cui hæreditas, vel legata in particulari relinquenda sint, præsertim propriis Ecclesiis, vel Conventibus: sed in genere solum eis pias dispositiones commendent, quo majori spiritu, libertate, & fructu eos juvare possint: nisi testator ipse consilium petens dirigendus sit, quidnam ad animæ salutem utilius, Deoque gratius videatur: & præsertim in communem necessitatem v. g. famis &c. semper eleemosynas aliis piis causis præferre debent. Vide hic Layman *cit. c.* 5. *fin.*

§. III. *Praxis, & obligatio executorum testamenti, ac ultimarum voluntatum.*

103 Executor testamenti duplex, legitimus, scilicet ipse hæres, aut in defectu aliorum executorum Episcopus seu Ordinarius loci: & testamentarius, qui scilicet ab ipso testatore ad exequendum suum testamentum instituitur. Omnis autem talis executor omni jure strictissime obligatur ad executionem testamenti juxta intentionem sufficienter cognitam, vel expressam testatoris, cui, quid, & quando tribuendum; quia intentio testatoris est anima legis. Unde quando intentio testatoris juste, & honeste impleri potest, executores, etiam Episcopus, non possunt licite in aliud quantumvis melius commutare, *c. tua nobis* 17. & *c. quia nos de testam.* & *c.* 4. 13. *q.* 2. ex *S. Gregorio lib.* 3. *Epist.* 9. dicitur: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet*, & Clem. *quia contingit, de Relig. dom.* dicitur: *Cum ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, converti.* Et Conc. Trid. sess. 22. c. 6. de Reform. jubet Episcopos de executione ultimarum voluntatum esse solicitos, adeo ut etiam habita licentia Apostolica commutandi, prius inquirant de veritate precum, & informationis factæ Pontifici. Excipe autem: nisi justa causa præignorata a testatore, vel de novo incidens subsit, quam si testator cognovisset, vel prævidisset, aliter disposuisset, & nunc quoque si viveret, contentus esset in illum alium usum converti: quod secundum epikejam interpretari ad Executores, & maxime Episcopum pertinet. Quo sensu intelligendum, & certum est, quod dicunt Covarr. Eman. Sa, & alii apud Laym. *cit. tr.* 5. *c.* 11. *n.* 11. scilicet posse Episcopum cum consensu Executorum convertere in majorem publicam necessitatem, quod ad minorem (vel modo omnino cessantem) erat relictum: scilicet per epikejam, non per dispensationem proprie dictam, quæ solum ad Summum Pontificem pertinet. E. g. Testator legat Ecclesiæ centum aureos pro ornamentis: Ecclesia autem tunc non indiget ornamentis, vel si indigeat, tamen interim alio providente, postea non indiget: indiget autem restauratione tecti, poterit Episcopus cum Hæredis, vel Executoris consensu pecuniam convertere in illum alium pium usum magis necessarium eidem Ecclesiæ. Quod si autem intentio testatoris ad illum usum pium a se destinatum impleri non possit, non ideo legato relicta caduca fiunt, cum principalis intentio relinquendi fuerit salus animæ, & honor Dei, sed arbitrio Episcopi, & Executorum ad aliam piam causam applicanda sunt, tanquam maxime conformiter voluntati testatoris.

104 II. Relicta incerta quoad legatarium, quia v. g. duo eodem nomine vocantur, aut si neque ex conjecturis possit cognosci, de quo testator locutus fuerit, licet spectato solo jure naturali recte doceat Mol. *t.* 1. *tr.* 2. *disp.* 197. dividenda esse ex æquo in utrumque, tamen simili jure boni publici causa ad vitandas lites statutum est, ut legatum corruat, seu caducum fiat, *L. si fuerit* 10. *L. si quis de pluribus* 27. *ff. de rebus dubiis.* Sed intelligendum de legatis profanis tantum: excipiuntur enim legata ad pias causas, quæ ob incertitudinem loci, vel personæ caduca non fiunt, sed quantum potest conformiter ad intentionem testatoris, uni, aut alteri applicari debent. *Authen. de Eccles. tituli c.* 9. ubi ponitur exemplum Christi; si quis uni Sanctorum legatum reliquisset, & in eodem loco plures Ecclesias haberet, dandum esse pauperiori in dubio, quia id conformius est intentioni testatoris. Unde etiam colligit Ludovicus Miranda *in man. t.* 1. *q.* 32. *a.* 8. in tali dubio Monasteria Monialium, quippe plerumque indigentiora præferenda esse Monasteriis Virorum. Similiter relicta generaliter pro pauperibus v. g. pro arbitrio Executoris, vel Episcopi distribuenda sunt in vere pauperes tantum, qui scilicet victum incertum habent ex eleemosynis fidelium, non autem in Xenodochia, vel Monasteria illa, quæ ex fundatione, vel eleemosyna annuum sufficientem victum obtinent. Item relicta generaliter ad pias causas, vel in pauperes, Executori testamenti, si Clericus, vel Religiosus sit (sed hic cum licentia Prælati, & non Minorita specialiter prohibitus) etiam propriæ Ecclesiæ, Monasterio applicare licite poterit, si vere egeat; sicut & quilibet Executor suis consanguineis vere egentibus præ aliis ejusdem inopiæ licite applicat, juxta communem DD. Sylvest. *v. testam.* 2. *q.* 2. Sanch. *lib.* 6. *Moral. num.* 59. Laym. *tr.* 5. *c.* 11. *nu.* 6. Neque executor in eo casu in propria causa Executoris auctoritatem præbet, quia distincta est causa Ecclesiæ, vel Monasterii a Clerico, vel Religioso, & inter dantem, & accipientem. Sed numquid etiam Executor ipse egens poterit tunc applicare sibi ipsi? Respondeo cum distinctione, non posse, si testator notitiam habuit ipsius paupertatis, ut supponunt communiter DD. quia tunc, si ei provisum voluisset, utique expresse ei aliquid reliquisset: quod si vero testator ignoravit inopiam Executoris, vel postea primo supervenit ei egestas, ex tali legato generali inter pauperes distribuendo non minus sibi ipsi, quam aliis applicare poterit secundum præsumptam voluntatem Domini. Et hoc sensu, & casu, vera est sententia *D. Th. Cajet.* & aliorum, sic licere, absolute asserentium.

III. Relicta incerta ex parte ipsarum rerum distinguenda sunt: aut enim res determinata est a natura ad certos limites, optimi, mediocris, minimi, ut equus, bos, triticum, vinum &c. Et tunc danda est una de mediocribus. *L. legato generaliter* 37. *ff. de legatis* 17. aut res non est determinata a natura ad certos ejusmodi fines, sed solum ab humana arte, vel æstimatione, ut domus, vestis, scyphus &c. Et tunc Executor, vel Hæres dando rem quamlibet, etiam minimam, liberatur, & satisfacit, *ff. cit.* Idemque dicendum de rebus legatis in numero, pondere, & mensura consistentibus; sufficit enim in eo genere, & quantitate minimum tribuere *l.* 3. *ff. de tritico, vino, & oleo legato:* Idque contra *Bartolum*, *Abbatem*, *Covarr.* & alios pie excipientes legata pia in meliori præstanda, non improbabiliter etiam ad legata ad pias causas, cum *Baldo*, & aliis extendunt Mol. *disp.* 198. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 13. Laym. *c. cap.* 11. *n.* 9. Ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis domini, qui nullo Jure solvere cogitur, nisi ostendatur debitor. Atqui Hæres est dominus bonorum defuncti, etsi cum onere solvendi legata secundum valorem a defuncto intentum: ergo in dubio non tenetur solvere de meliori, vel majori, sive ad pias causas, sive ad profanas: quemadmodum & ipse dominus, si aliquid Ecclesiæ promisisset, immo vovisset, in dubio satisfacit præstando rem in eo genere minorem *c. ex parte de censibus.* Et communis Doctrina in materia de votis. Intellige semper: *nisi aliud aliunde constare possit:* ut expresse dicitur L. nummis 75. ff. de legatis 3. *Nummis indistincte legatis, receptum est, ut exiguiores legati videantur; si neque ex consuetudine Patrisfamilias, neque ex Regione, unde fuerit, neque ex contextu testamenti possit apparere.* Vide Laym. c.

IV. Hæredes, aliique testamentorum Executores post hæreditatem aditam, & inventarium confectum, omni jure tenentur statim solvere legata, & alia exequi, quæ defunctus præceperat, nisi justo impedimento excusentur, aut causa rationabilis subsit v. g. ut res defuncti majori pretio vendi, & ampliores eleemosynæ secundum defuncti voluntatem fieri possint, dummodo non ad longum tempus differatur, juxta *c. si hæredes* 6. *de testam.* Communissima DD. cum S. Th. *Quodl.* 6. *a.* 14. Adeoque gravissime peccant absque justa causa diu differentes solutionem legatorum: idque non tantum injustitia contra legatarios, seu eos, quibus relicta sunt, qui etiam statim post hæreditatem aditam possunt contra illos instituere actionem, verum etiam impietate contra ipsum defunctum, si tarde, vel non integre præstentur legata pia, & eleemosynæ relictæ in remedium animæ per Sacrificia, Orationes, aliaque suffragia fidelium, quia & ipsa executio actualis legati pii non parvum momentum habet ad satisfactionem pro pœna peccatorum defuncti, cujus nomine, & voluntate fit. Vide optime S. Th. *Quodl.* 6. *a.* 13. & Gabriel. *in Can. Miss. lect.* 58. Cæterum spectato Jure communi Judex tam Ecclesiasticus, quam sæcularis compellere potest Hæredem, vel Executorem ad exequendas ultimas voluntates, si negligat, & si post monitionem ab utrovis Judice factam exequi intermiserit (excepta sola legitima hæredis necessarii) omni commodo ex testamento proveniente privatur; *Authent. hoc amplius, C. de fideicommiss.* Quæ tamen pœna in conscientia non obligat ante condemnationem Judicis. Est ergo officium hujus jurisdictionis mixti fori, datur que in eo locus præventionis; specialiter tamen demandatur Judici Ecclesiastico tam ad causas pias, quam profanas: nam Judex Ecclesiasticus

clesiasticus subvenire debet personis miserabilibus, omni auxilio destitutis, *cap. super quibusdam 26. in fin. de verb. sign.* Sed defunctus vere omni auxilio destitutus miserabilis persona censetur, cum causam suam ipsemet agere non possit: ergo, &c. *Laym. cit.*

§. IV. *Hæreditas, & hæredes.*

107 HÆreditas est devolutio juridica bonorum temporalium in personam aliquam, ratione stirpis, seu sanguinis, aut legitimæ institutionis. Sic Juristæ, & Theologi communiter. Dicitur autem *Devolutio*: Hæreditas enim proprie non acquiritur, sed relinquitur hæredi: & si dicatur, hæredem acquirere dominium hæreditatis, titulus acquisitionis revocari debet ad titulum occupationis, cum enim mortuo domino bona ejus derelicta jure naturæ essent omnibus communia, jure Gentium, ac Civili occupantur a conjunctis stirpe, vel sanguine, vel ab iis, quos moriturus instituit. Unde duplex est hæreditas, & hæres: *ab intestato, & ex testamento*: & hæres ex testamento alius *universalis*: alius *particularis*: alius *necessarius*: alius *non necessarius*: alius *suus*: alius *non suus*. Explico strictim.

Hæres ab intestato

108 DIcitur, qui Jure Gentium, ac Civili succedit in bonis alterius ratione conjunctionis, stirpis, vel sanguinis, seclusa speciali institutione, vel voluntate mortui: nullo ergo confecto testamento, aut confecto quidem, sed vel illegitime facto, vel postea rupto, succedunt hæredes ab intestato tali ordine. I. Ante omnes legitimi liberi tum mares, tum fœminæ dominii capaces (exceptis scilicet solis Religiosis Professis dominio rerum in communi, & particulari privatis, aut juste exhæredatis: de his infra) æqualibus portionibus. In quorum mortuorum locum succedunt nepotes in stirpem, non in capita. *Novel. Justinian.* 118. *collat.* 9. *c.* 1. II. Deficientibus liberis, ac nepotibus descendentibus succedunt pater, & mater defuncti, & in defectum eorum avus, & avia respective ad bona profectitia; ita ut in bonis profectis a patre, avus paternus, vel avia materna, in bonis autem profectis a matre, maternus avus, vel avia præferatur, Bartol. *in l. post dotem, C. soluto matrimonio*. III. Deficientibus & descendentibus, & ascendentibus succedunt fratres, & sorores defuncti, ex utroque parente conjuncti æquis portionibus, exclusis iis qui ex solo patre, vel sola matre conjuncti sunt: atque in illorum mortuorum locum etiam succedunt nepotes. *Authent. itaque Cod. communia de successionibus*. IV. Deficientibus fratribus, & sororibus ex utraque parte conjunctis, ac eorum filiis, succedunt fratres, & sorores ex una tantum parte conjuncti respective ad bona profecta, ut qui ex parte conjuncti sunt, succedant in bonis a patre profectis, & qui ex parte matris conjuncti sunt, succedant in bonis a matre provenientibus, in reliquis communibus bonis æqualiter omnes. Ut docet *Glos. in Auth. modo cit.* V. Deficientibus omnibus fratribus, & sororibus, eorumque filiis, succedunt propinquiores collaterales usque ad decimum gradum, civili computatione facta æquali divisione in capita, nulla habita ratione, utrum ex utraque, vel ex una tantum parte conjuncti sint; dummodo in eodem gradu vicinitatis conjuncti sint. *Authent. de hæredibus ad intest. c.* 3. & *Authent. post fratres, Cod. de legitimis hæredibus*. VI. Deficientibus etiam hæredibus collateralibus usque ad decimum gradum, succedit conjux defuncti, nisi inter eos fuerit divortium, *l. un. ff. & Cod. unde vir. & uxor.* Ubi plura vide. Denique si ab intestato decedentis neque consanguineus ullus, neque conjux extet, succedit fiscus in omnibus bonis, laici quidem, sæcularis: in bonis Clerici, Ecclesiasticus, *L. vacantia* 4. *C. de bonis vacantibus*. Vide Laym. cit. *tr.* 5. *c.* 6. *a n.* 1.

Hæres ex Testamento.

109 DIcitur, qui a morientis ultima voluntate instituitur ad succedendum in bonis suis. Institui autem potest omnis homo, non tantum singularis, etiam infans, amens, surdus, mutus, prodigus, servus: sed etiam communitates, & collegia; nisi speciali lege prohibeantur. *L.* 1. *C. de Sacrosanct. Eccles.* Quin etiam hæredes ex testamento institui, atque ab intestato succedere omni jure possunt omnes omnino Religiosi, ipsæque Religiones, ac Monasteria, quibus bona propria in communi concessum est habere: quales sunt omnes Ordines, etiam Mendicantium, exceptis solis Fratribus Minoribus de Observantia, & Capuccinis. *Clem. Exivi de verb. signif.* & expresse Concil. Trid. *Sess.* 25. *c.* 3. *de Regul.* Quia licet Religiosi per votum solemne paupertatis privati sint omni jure, & proprietate per se, & pro se in particulari, manent tamen capaces jurium, quatenus sunt membra Communitatis capacis ejusmodi jurium in communi: atque adeo, sicut ipso facto professionis omnia eorum bona, & jura (excepta sola legitima parte hæredibus necessariis debita, juxta mox dicenda) in Monasterium transeunt ipso facto absque alia apprehensione; quia scilicet transeunt accessorie ad ipsam personam transeuntem; ita omnia bona, & jura, quæ postea hæreditate, testamento, legato, donatione, industria, vel quovis alio titulo acquirit, non tam ipsi Religioso, quam ipsi Ordini, vel Monasterio acquiruntur; adeo ut talis hæreditas ab intestato, vel ex testamento censeatur delata ipsi Monasterio, ex intuitu Religiosi, atque etiam ignaro, vel invito Religioso, a Monasterio, seu Prælato adiri, vel acceptari possit: cum e contra Religiosus eam adire nequeat absque Prælati, vel Monasterii mandato: idque ex vi voti sui, ut contra Legistas recte docet Communis Theologorum, & Canonistarum, quos citant, & sequuntur Rodriquez *tom.* 2. *QQ. Regular. q.* 77. *a.* 1. Molin. *t.* 1. *tract.* 2. *disp.* 140. Sanch. *l.* 2. *Moral. c.* 12. *apud* Laym. *c.* 5. *n.* 7. Lege autem Civili prohibentur hæredes institui. 1. Civitates hostium, item Judæorum communitas, item collegia quævis absque publica auctoritate erecta; Jura cit. apud cit. *Laym. n.* 11. II. Ratione delicti institui non possunt Hæretici, & apostatæ, persecutores Ecclesiæ, vel Cardinalis, & ipse occisor testatoris, saltem per Judicis sententiam hæreditate privari debet, ex communi Julius Clarus §. *homicid. n.* 22. III. Spurii, seu nati ex quolibet coitu damnato, utpoto a personis, ita ut contrahere non potuerint, v. g. ab una, vel utraque parte ligatis, Clericis, Religiosis, consanguineis &c. omnis successionis in bonis tam paternis, quam maternis jure communi incapaces sunt. *Authen. licet. C. de natural. liberis*. Tenetur tamen parens spurio alimenta præbere, non tantum in infantia, sed etiam postea, si ipse comparare sibi nequeat, tam jure naturali Charitatis, quam Jure Canonico, *c. cum habere, de eo, qui duxit in matrim.* Quidquid nimis rigide statuatur Lege Civili, ut optime probat Lugo *disp.* 24. *sect.* 7. Filium autem naturalem, natum scilicet a personis solutis, sic constitutis, ut inter se contrahere possint, non tenetur quidem pater hæredem instituere: & si liberos legitimos habeat, non plus, quam unam hæreditatis unciam, seu duodecimam partem naturalibus liberis relinquere poterit: quod si vero filiis legitimis careat, non prohibetur naturales instituere, & eis quomodolibet sua bona relinquere, dummodo parentes, si supersint, legitima portione sua non priventur. *Authent. licet. C. de natural. lib.* At vero matri filii naturales æquali jure succedunt cum legitimis tam ex testamento, quam ab intestato; ubi jus commune observatur, *L. si qua illustris. C. ad S. C. Orificianum*.

Hæres universalis, & particularis.

HÆres ex testamento alius est *universalis*, sive ex asse, 110
qui instituitur ad succedendum in omnibus bonis, & juribus defuncti, & consequenter ad subeunda etiam omnia onera, seu debita realia ipsius. Alius est *particularis*, & in parte hæreditatis aliquota, v. g. sextante, quadrante, triente, semisse, id est, in sexta, quarta, media parte hæreditatis: tota enim hæreditas solet dividi in uncias, & singulis ejusmodi nomina dari in Jure, & talis etiam onera hæreditatis proportione partis suæ cum cæteris sustinere cogitur. Alius est hæres particularis in re aliqua certa, & determinata, & talis potius legatarii loco habetur, adeoque jura, onera, & debita defuncti ad eum nihil pertinent; sed ad hæredem proprie dictum, qui defuncti personam tam quoad jura, & commoda, quam quoad onera, seu debita repræsentare debet. *L. quoties. C. de hæred. instit.* Quod si tamen solus hæres particularis etiam in certa tantum re verbis ipsis directis institutus sit, aut alii hæredes particulares ante mortui fuerint, reliqua etiam hæreditas illi accrescere debet. *L.* 1. §. *si ex fundo, ff. de hæred. instit.*

Hæres non necessarius, & necessarius.

HÆres ex testamento non necessarius est, quem defunctus 111
non necessario instituere cogitur, uti sunt omnes tum extranei, tum etiam sanguine, vel stirpe conjuncti, sed non in linea recta descendente, vel ascendente; adeoque etiam fratres, & sorores defuncti, cujus proinde testamentum infirmare non possunt, quod præteriti sint, nisi aliquem infamem instituisset: tunc enim ipsis competeret querela inofficiosi testamenti, nisi & ipsi infames essent, vel de ingratitudine erga defunctum notati. *L. fratres* 27. *Cod. de inoffic. test.* Hæres autem necessarius dicitur, quem defunctus in portione legitima instituere cogitur, nisi justam exhæredandi causam habeat, qualis est omnis ingratitudo enormis, vel injuria atrox in testatorem: & tales sunt omnes descendentes, & ascendentes legitimi, circa quos breviter adnota.

I. Hæredibus descendentibus, scilicet filiis, ac in illorum 112
defectu nepotibus legitima portio debita est triens hæreditatis, si non plures, quam quatuor liberi existant: semis autem, si plures, quam quatuor. *Authent. de triente, & semisse. Authent. novissima, C. de inoffic. testam.* Eorumque numero accedunt etiam, qui hæreditati renuntiarunt: non autem, qui legitime sunt exhæredati, aut ingressione Religionis incapaces facti sunt; eo tamen discrimine, quod liberi immediati, eorumque nepotes, singulares de illa portione legitima participent in capita; nepotes autem unius plures tamquam unius partis personam repræsentantes etiam unius tantum portionem participent in stirpem *inst. de hæredibus ab intest.* §. *cum filius*. Unde sunt versus vulgares.

Qua-

Quatuor, aut infra, dant natis jura trientem.
Semissem vero dant natis quinque, vel ultra.

113 II. In defectu autem descendentium, ascendentium, legitima portio est semper triens hæreditatis, immediate debita parenti utrique, vel uni superstiti; & neutro superstite, in locum patris succedunt avus, vel avia paterna, in locum autem matris, avus, vel avia materna, *Auth. de hæredibus ab intest.* Utrisque autem hæredibus necesse est, portionem legitimam relinqui titulo honorabili, & gratuito absque ullo apposito gravamine, modo, conditione: alioquin pro non appositis habentur: *L. quoniam, C. de inoff. testam.* Excipe, nisi ii hæredes sponte sua in tale onus consentientes juri suo renunciassent, absque tamen præjudicio suorum descendentium, quibus in illa legitima portione nocere non possunt, ut ex *Vasq.* notat *Laym. tr. 5. c. 5. n. 10.*

114 III. Quod si alicui descendenti, vel ascendenti portio legitima non relinquatur; si quidem in aliqua minore, quam legitima portione instituatur, ei competit actio ad petendum complementum, legitima duratura usque ad triginta annos, prout ex Jure, & communi DD. probant *Molin. & Laym. cit. n.* 11. Si vero omnino prætereatur, & nihil ei apponatur, testamentum ipso jure nullum est, quoad alterius hæredis institutionem (non item quoad alia legata) *Auth. ex causa, C. de Liberis præteritis.* Et præterito hæredi competit actio triginta annorum ad testamentum nullum dicendum. Quod si autem legitima causa exhæredationis testamento inserta sit, sed ab hærede instituto probari non possit, tunc competit hæredi necessario querela inofficiosi testamenti, quod attinet ad hæredis extranei institutionem sed necessario absolvenda intra quinquennium. *L. si quis filium* 34. *L. scimus* 36. *Cod. de inofficiosis testam.* & ex communi DD. Julius Clarus hic *q.* 40. *n.* 5.

115 IV. Causæ autem legitimæ exhæredandi, seu portione legitima spoliandi hæredem necessarium, recensentur cit. *Authent. ut cum de appellat. cognoscitur c. 3. & 4.* apud Molin. *disp.* 176. & Lugo *disp.* 24. *sect.* 8. §. 2. *n.* 166. Et sunt generatim omnis enormis ingratitudo, vel injuria in testatorem: ut si filius manus impias in patrem injecit; gravem contumeliam intulit: criminaliter accusavit in iis, quæ non sunt contra Principem, Rempublicam, Fidem Catholicam: aut in iis non coactus, testis, vel advocatus fuit contra patrem: si vitæ ipsius insidias struxit: si pro incarcerato rogatus, fidejubere noluit: si in gravi necessitate rogatus potens succurrere, tamen noluit: si filia invitis parentibus indigne nupsit cum damno, & dedecore familiæ: si sufficienter dotanda, & digne maritanda a parentibus, vitam meretriciam instituit: non item pro unico tantum lapsu, præsertim occulto manente, ut latius videre potes apud citatos *Molin. & Lug.*

Hæres suus, non suus.

116 HÆres suus dicitur proximus descendens, in potestate defuncti mortis tempore existens, etiam posthumus, ac naturalis legitimatus per matrimonium: non item spurii, quamvis legitimati per dispensationem Principis, vel privilegium; cujus privilegium speciale est, quod prorsus una persona cum defuncto censeatur, quoad bonorum successionem, adeo ut bonorum dominium ipsa morte alterius, & antequam hæreditatem adeat, sibi plene comparet; & mortuus ipse, non secus, ac alia bona, vel jura sua ad hæredes suos transmittat: quod privilegium etiam competit filio Religionem professo, vel Episcopo creato, non obstante, quod per hoc patria potestate egressus sit, ut videre est apud Molin. *disp.* 179. & Layman *cit. tr.* 3. *c.* 6. *n.* 5. Hæres non suus dicitur omnis alius hæres, sive ab intestato, sive ex testamento, præter proximum descendentem in defuncti potestate constitutum: & talis hæreditatis dominium non acquirit, antequam eam adeat, seu voluntarie acceptet, profitendo se hæredem esse velle, §. *ult. instit. de hæred. qualit.* Et datur ei anni spatium, postquam sibi hæreditatem collatam cognovit ad deliberandum utrum eam adire velit, nec ne; & interea moriens usque ad finem anni potestatem adeundi ad hæredes transmittit, sed non ultra: adeoque semper in ejus libera potestate manet hæreditatem adire, nec ne: & si non adeat, nullam omnino inde obligationem contrahit: at vero postquam adiit, seu acceptavit hæreditatem, ipso facto etiam ante apprehensionem, & professionem, omnia jura, & commoda defuncti intra terminos positos in se transfert, simul etiam omnia onera, & debita realia defuncti consequitur, hoc tamen privilegio, quod si intra 30. dies a cognita sibi hæreditate delata inventarium conficere inceperit, & intra alios 60. dies absolverit, non teneatur defuncti creditoribus debita solvere ultra vires hæreditatis: si autem neglexit, tenebitur etiam solvere ultra vires hæreditatis: sed hoc tantum in foro externo, non in foro conscientiæ, ut cum *Abbate, Sylvest. Sanch.* & aliis recte probat *Laym. tr.* 5. *c.* 6. *n.* 7. Ratio est: quia ista Lex Civilis fundatur in præsumptione fraudis de hærede, si inventarium non conficiat: præsumptio autem cedit veritati cognitæ, *c. tua de usuris fin.*

Hæreditatis renuntiatio, & cessatio.

I. REnuntiatio hæreditatis futuræ, qua hæres necessario juri successionis, seu hæreditatis adeundæ in toto, vel in parte renuntiat, jure communi irrita, ac nullius roboris est, *L. qui superstitis* 94. *ff. de acquir. hæred.* Valebit tamen ejusmodi renuntiatio triplici casu. 1. Si juramento confirmata sit, c. quamvis pactum de pactis in 6. ubi ratio datur: *cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Laym. *cit. c.* 7. *n.* 1. 2. Si Filius vivente adhuc patre integram portionem accepit, quæ ipsi jure debetur, reliquæ hæreditati valide renuntiat, ex communi Clarus. *V. testam. q.* 44. 3. Si in ipso actu testandi renuntiat juri successionis suæ, aut testamento facto præteritus approbet præteritionem sui, valida erit renuntiatio. *L. non putavit* 8. *ff. de bonorum possess. contr. Tab.* 117

II. Omne prorsus pactum, conventio, obligatio circa hæreditatem alterius personæ viventis, alteri cedendam, ipso jure ita irrita est, ut nec juramento confirmari valeat. *L. ult. C. de pactis*, ubi ratio datur: *quia hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenæ tristissimi, & periculosi eventus*: idque *propter insidias, quæ parantur ejus vitæ, super cujus bonis paciscuntur*: ait Gl. ib. Valebit tamen ejusmodi pactio triplici similiter casu. 1. Si accedat consensus illius alterius, de cujus hæreditate agitur, isque in ea voluntate usque ad mortem perseveret, ut habetur in ipsa *cit. L. ult.* 2. Si tale pactum fiat circa hæreditatem personæ incertæ: ut si quis vitio donet hæreditatem quamlibet, quæ ipsi in sua vita, vel infra certum tempus obvenerit. Sumitur ex *L.* 3. §. *de illo* 2. *pro socio*, ubi approbatur hæc conventio, *si qua justa hæreditas alterutri obvenerit, communis sit*: Ratio est: quia cum persona, de cujus hæreditate agitur, incerta sit, nullum inde periculum insidiandi ejus vitæ oriri potest. 3. Etiam valet renuntiatio, vel pactum circa hæreditatem personæ certæ, si fiat alicui Communitati: ut si quis alicui Communitati, Collegio, vel Monasterio donet obventuram hæreditatem patris, vel cognati, etiam non requisito consensu ejus, de cujus hæreditate agitur: ut late probat Sanch. *lib.* 7. *Mor. c.* 2. *n.* 55. Ratio est: nam etiam hoc casu cessat ratio illa *L. ult. cit.* ne scilicet ansa acquiratur machinandi insidias vitæ alienæ: quia ut dicit Gl. in c. cum venisset de restit. spol. *quod Collegio datur, cum singulorum non sit, quasi nemini datur.* Et *naturale vitium est negligi, quod communiter possidetur.* 118

III. Jure Civili etiam irritum est pactum mutuum de futura successione reciproca: quia jus hæreditatis futuræ pacto acquiri, vel auferri nequit. L. hæreditas. C. de pactis conventis, & in *L. licet* 19. *C. de pact.* dicitur: *Pactum inter privatos scriptum, ut is, qui supervixerit alterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis causa gestæ, speciem efficaciter ostendere.* Eadem tamen *Leg. licet*, in hoc privilegium conceditur militibus, eorumque simile pactum juramento firmatum omni jure valebit: ut in simili supra dictum. Lege Sanch. & Laym. cit. *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 4. 119

IV. Jure novo Conc. Tr. *sess.* 25. *c.* 16. de Regul. specialiter ita statutum est de Novitiis. *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea* (id est ante expletum probationis annum) *facta etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante Professionem; ac non alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta Professione: aliter autem facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, sit irrita, & nullius effectus.* Hæc Concilium expresse solum loquens de renuntiationibus vel donationibus obligatoriis, & irrevocabilibus inter vivos; non item de testamentis, legatis, donationibus causa mortis ante Professionem secutam semper revocabilibus, ideoque libertati Novitii nihil præjudicantibus. Plura, sed minus frequentia, vide apud citt. *Molin. Less. Laym. cit. c.* 7. *n.* 4. Lug. & alios passim. 120

CAPUT IV.

De Mutuo, & Usura.

SECTIO I.

Mutuum quid sit, & quibus liceat.

SUMMARIUM.

1 *Mutui definitio.*
2 *Quænam res functionem recipiant, seu esse possint materia mutui.*
3 *Mutuum perficitur, & rei mutuatæ dominium transfertur ipsa traditione in mutuatarium.*
4 Usque ad num. 7. *Mutuum quando restituendum.*
7 *In mutuo restituendum est* tantumdem, *seu idem moraliter, & in valore.*
8 *Mutuo dans aurum, solvendum in argento, ultra æqualitatem arithmeticam licite aliquid exigit.*
9 & 10 *Secus, si similem, seu æqualem solum pecuniam mutuet.*
11 & 12 *Qui mutuum accipit in pecunia, si interea ejus valor creverit, vel decreverit, quid teneatur restituere.*

13 Us-

13 Usque ad num. 16. *Similiter quid, seu quantum reddendum in aliis rebus mutuo datis, v.g. frumento, vino &c. si interea eorum pretium crevit, vel decrevit.*
16 *An, & qualiter in mutuo liceat addere pactum, ut reddatur tantum, vel tantum, si pretium, seu valor crescat, vel decrescat.*
17 Usque ad n. 20. *An, & quando sit usura in autumno vendere, vel mutuo dare frumentum, vinum &c. cum pacto, ut restituatur in vere juxta pretium tunc currens.*
20 *Idem resolvitur de pecunia sic mutuata.*
21 & 22 *An in mutuo juste fiat pactum, ut pro re veteri, V. g. frumento, vino, &c. reddatur recens, vel novum.*
23 *Filiifamilias ex mutuo in pecunia accepto, efficaciter conveniri non possunt ad id solvendum, beneficio legis S. Con. 24. principaliter in favorem parentum, & pœnam fœneratorum latæ,*
25 & 26 *Exceptis aliquot casibus.*
27 *Si tamen filiusfamilias mutuatam pecuniam jam solvit, repetere eam non potest.*
28 *Favorabilis quibusdam locis, & personis.*
29 *Exceptio non numeratæ pecuniæ quando competat.*
30 *Præceptum mutuandi.*

ASSERTIO I.

1 MUtuum definitur ex Leg. 2. ff. de rebus creditis: *Est traditio rei in suo genere functionem recipientis, ut statim accipientis fiat, & postea restituatur tantumdem ejusdem generis, & qualitatis.* Alii definiunt: *Est traditio rei consistentis in pondere, numero, & mensura cum spe recuperandi statuto tempore, tantumdem in suo genere.* In re idem est, ut patebit explicatione.

§. I. *Est traditio rei in suo genere functionem recipientis.*

2 ILla dicuntur in suo genere functionem recipere, quæ sub eodem genere adeo similia sunt, ut in commutationibus, vel solutionibus alterum alterius vice fungi, sive pro altero substitui jure possit: adeoque materia mutui proprie sunt illa, quæ in pondere, mensura, & numero consistunt, ut vinum, oleum, frumentum, aurum, argentum, metalla &c. quæ omnia numerando, metiendo, vel ponderando damus, ut accipientis fiant, & postea eadem specie restituantur. Utrum autem etiam equi, oves, boves, & similia possint esse materia mutui, dissentiunt DD. Negat Lessius *l. 2. c. 20. n. 4.* eo quod hæc non consistant in numero, pondere, & mensura, sed esse tunc alium contractum innominatum, scilicet, *do, ut des* postea alium equum, ovem &c. Affirmant Molin. *tr. 2. disp. 299.* & Lugo *disp. 25. sect. 1. n. 1.* merito censentes, esse quæstionem de nomine: quia in his tota substantia mutui sane intervenit, revera enim oves, & boves consistunt, & æstimari possunt numero, & pondere; quare sicut unum ovum potest mutuo accipi, cur non etiam una ovis? ait Lugo ibidem.

3 Mutuum ergo *est ejusmodi rei functionem recipientis in suo genere traditio, ut statim accipientis fiat.* Mutuum enim non perficitur solo consensu, ut venditio, sed ipsa re, adeoque requiritur ipsa rei traditio, per quam statim transferatur rei mutuatæ dominium in mutuatarium. Unde sic dictum *mutuum*, quia ita a me tibi datur, ut *ex meo tuum fiat*, ait Justin. *instit. quibus modis re contrahitur obligatio*. Et per hoc jam differt a commodato, precario, locato &c. quod in his rei datæ dominium apud dantem remaneat, atque eadem numero res reddenda sit, sique casu pereat, vel deterior fiat, dantis damno accidit: in mutuo autem transfertur dominium rei in individuo; nec eadem numero, sed specie tantum res reddenda est, & si casu pereat, vel deterior fiat, mutuatarii damno accidit: ut habetur *L. 2. de rebus creditis, & instit. cit.* Differt etiam a permutatione, emptione, venditione; quia in his non idem pro eodem, sed diversum datur pro diverso, v. g. pro vino oleum, vel frumentum, vel pecunia, sicut conventum est: neque aliud pro alio invito creditore solvi potest v. g. Si ex vendito debeas equum, non satisfacis dando duos boves, quamvis essent ejusdem æstimationis cum equo.

§. II. *Et postea restituatur.*

4 MUtuum enim est contractus non mere gratuitus, sed onerosus dando alteri sic, ut obligetur restituere. At quando? certe non statim post acceptationem (ad quid enim esset tale mutuum?) sed postea, nimirum aut tempore constituto, aut post ejus usum completum. Itaque

5 I. Quando in mutuo dato terminus restitutionis constitutus est, eo ipso oritur obligatio in mutuante, ut non statim repetat, sed tempore præfixo. Hinc 1. Mutuatarius non tenetur mutuum reddere ante constitutum tempus, vel terminum completum, quamvis a mutuante repetatur, nisi in certis casibus, de quibus alibi: præcipuus est, quando mutuatarius merito timet de periculo suæ sortis. 2. Mutuatarius tamen potest antea reddere, si velit; nam (ut dicunt Juristæ) quoties in gratiam debitoris apponitur terminus, vel dies solutionis, potest debitor ante illum diem solvere: nec potest creditor vetare, aut in ipso contractu mutui obligare debitorem, ut ipse nequeat ante tempus præfixum solvere: quia integrum semper debet esse homini, rem, quæ domino debetur, eidem consignare, ut desinat esse debitor. 3. Si mutuatarius præfixo tempore non restituat, & propterea mutuans aliquod exinde damnum patiatur, vel ei lucrum justum cesset, tenebitur illi in conscientia resarcire ea damna, & ad interesse. 4. Sicut etiam debet ei in conscientia resarcire ea, quæ mutuans insumpsit in repetendo, vel recuperando suo debito: quia nimirum ipse fuit injusta causa ejusmodi sumptuum, seu damnorum: quæ hic obiter insinuata latius patent ex materia *de rest. tr. 4. c. 3. sect. 3. quando restituendum.*

II. Quod si nullus sit constitutus terminus ad reddendum 6
mutuum, adhuc certum est, non posse mutuantem statim repetere; quia sic nullum fuisset mutuum, aut certe nugatorium: ergo expectandum erit usque ad impletum usum, vel finem, ad quem mutuatarius mutuum accepit: idque arbitrio Judicis, aut boni viri determinandum ex fine, & circumstantiis; si enim mutuasti v. g. Agricolæ frumentum in hyeme, apparet te mutuasse usque ad messem: si ad nundinas Mercatori, Opifici ad suas operas &c. apparet te mutuasse usque ad venditas merces, & operas, ut ex communi notat Tamb. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 1. n. 5. a c. 11.* & ibidem §. 5. *n. 11.* sic habet: tempore penuriæ si tu pauper mutues alteri modium farinæ, tempus imbibitum huic mutuo, intelligitur una, vel altera hebdomada: at tempore abundantiæ etiam mensis: quod si sis dives, & mutuatarius sit rusticus inops, erit etiam annus, seu donec triticum ex sua tenui segete is recolligat. *Sic ille prudenter.* Eadem ratione discurrendum in cæteris.

§. III. *Tantumdem ejusdem generis, & qualitatis.*

I. TAntumdem. Ex hac particula maxime descernitur 7
quandonam in mutuo lateat, vel involvatur usura. Si enim plus requiras in quovis onere pretio æstimabili, quam valeat ipsa res mutuata, idque ex vi mutui, omnino committes usuram, & usurarius vocaberis, ut late patebit *sect. 3.* Simulque ostenditur hic differentia mutui ab omnibus aliis contractibus: in mutuo enim non restituitur res omnino diversa a re accepta, sicuti in emptione pro merce pecunia: in permutatione vinum pro frumento, equus pro bove: neque redditur res omnino in individuo, ut fit in commodato, & locato, sed reddendum est *tantumdem ejusdem generis* (sic loquuntur Juris Consulti) (certe aptius Theologi) *ejusdem speciei*, id est, naturæ, vel substantiæ, saltem moraliter, & qualitatis, id est, bonitatis, vel perfectionis; utpote vinum bonum pro vino bono: frumentum recens pro frumento recenti; non enim licet rem ejusdem quidem generis, & speciei, sed deteriorem reddere, v.g. vinum novum pro veteri &c. nisi aliunde defectus suppleretur. Ut habetur *L. 2. ff. de rebus creditis*, quod totum certe involvitur in prædicta particula *tantumdem*: quia nimirum aliter non redditur tantumdem. Cæterum hic insuper aliqua notanda sunt. Licet in aliis rebus mutuabilibus, frumento, vino; oleo &c. regulariter mutuum solvendum sit in eadem specie physica, utpote vinum pro vino &c. atque in iis spectetur bonitas intrinseca rei, non valor extrinsecus, ut mox videbimus, in pecunia tamen mutuanda non attenditur species physica, & materialis monetæ, auri, argenti, æris, &c. aut intrinseca aliqua bonitas, sed formalis valor, adeo ut in quacumque alia moneta ejusdem valoris solvi possit mutuum, nisi expresse aliter conventum esset, ut omnes agnoscunt. Et hinc

II. Qui mutuum accepit in moneta aurea, ducatos v. g. 8
etsi satisfaciat reddendo pecuniam argenteam cujusvis sortis, dummodo eumdem valorem adæquet, ultra tamen æqualitatem arithmeticam juste potest mutuator exigere supplementum, vel compensationem majoris utilitatis illius melioris monetæ aureæ (vulgo laggio, Vvxel-Gelt, aut Gelt, laschi) & apud nos solet esse grossus pro ducato, (modo tamen in dies crescit) aut exigere, vel etiam ab initio mutui pactum facere, ut sibi ejusdem rationis pecunia reddatur, qualem dedit, v. gr. ducatum pro ducato, &c. quod justissime fit, quando mutuatoris interest, eandem speciem monetam recipere ad negotiationem suam. *Ratio clara est*, quia moneta aurea utilior, & pretiosior est, quam argentea: & taleri, vel majoris sortis moneta, quam minutiores; atqui non tenetur mutuator se gratis privare ejusmodi commodis melioris, vel communioris monetæ: ergo juste vel eandem monetam exigit, & paciscitur, vel supplementum, & compensationem ejusmodi majoris commoditatis, ut ex communi docent Tamb. *l. 9. tr. 1. c. 1. §. 1. a n. 5.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 16. n. 15.*

III. E contra autem, qui mutuo dedit pecuniam argen- 9
team, ac minoris sortis, non potest exigere, vel pactum facere, ut sibi reddatur moneta aurea, aut argentea melioris sortis, v. g. taleri pro denariis, secundum omnes. Quia hic imponeret mutuator debitori onus ultra sortem debitam; cum, ut dictum est, pluris valeat moneta aurea, quam argentea, & hæc majoris, quam minutioris sortis: ideoque non *tantumdem*, sed plus requireret, quam deberet.

IV. Difficultas tota hic est, qualiter restituendum sit mu- 10
tuum, quando pecuniæ, vel rei mutuatæ valor extrinsecus postea crevit, vel decrevit. Ut distinctius procedatur, loqua-

loquamur prius de pecunia, postea de rebus aliis: habent enim non nihil diversas, vel proprias difficultates.

I. *Quoad pecuniam*.

11 Qui mutuum accepit in pecunia, tenetur postea restituere eumdem valorem pecuniæ: nisi aliud pactum accesserit, sive postea valor talis pecuniæ creverit, sive decreverit, v. g. mutuum accepisti centum ducatos, qui tunc singuli valebant 36. pacios, ut in circulo Franconico, postea tempore solutionis aucto valore singuli valent tres florenos, & singuli quadraginta quinque pacios, ut in Imperio, non poterit jam mutuator exigere centum ducatos in hoc valore aucto, sed satisfacis reddendo priorem valorem 100. duc. nisi aliter conventum sit in mutui contractu; quia alias non *tantumdem*, sed plus nimio restituere deberes. Sic DD. *citati*. E contra, mutuasti centum ducatos tunc valentes singulos 3. florenos, postea diminuto valore tempore solutionis valent singuli pacios 36. tantum; mutuator adhuc juste exigit, & tu solvere cogeris valorem aureorum præcedentem; ut proinde non satisfacias restituendo 100. ducatos, sed supplementum addere debeas, nimirum in singulos pacios novem; alioquin non reddes *tantumdem*, quantum accepisti, sed longe minus. Ita ex communi Mol. *tr.* 2. *disp.* 312. & sumitur ex ipso Jure Can. *c. cum olim & c. cum Canonici de censibus*. Ubi decernitur censum esse solvendum secundum monetam priorem, & non posteriorem, quæ forte curret, minoris valoris. Et eodem titulo *c. cum Canonici*, decernitur, pensionem esse solvendam juxta æstimationem prioris pecuniæ, quando imposita est pensio. Eadem ratio est in proposito.

12 Ratio ergo utriusque dicti nostri ex dictis patet: quia mutuatarius tenetur restituere, & mutuans recipere debet tantumdem, quantum mutuatum est, & non supra vel infra, plus, vel minus: atqui pecunia mutuata fuit secundum valorem temporis prioris, quo mutuum acceptum est, & non secundum valorem temporis posterioris (forte tunc ignoratum) quo mutuum reddendum erit; ergo illum, & non hunc valorem debet mutuatarius. Adde *efficaciter*. Valor pecuniæ crescens, vel decrescens Domino pecuniæ crescit, vel decrescit, sed in proposito mutuatarius est Dominus pecuniæ mutuo acceptæ, ut ex definitione mutui constat; ergo illi ejus utilitas, vel damnum cedere debet: ut si crescat valor, ipsius sit lucrum: si decrescat, ipsius damnum. Nav. *c.* 17. *n.* 294. contrarium docet, semper reddendum esse valorem posteriorem, quia, ait, mutuator erat servaturus suam pecuniam usque ad tempus, quo valor erat augendus, vel minuendus, si huic mutuo non dedisset. Sed hoc nihil contra nos, loquimur enim hic de mutuo secundum se, præscindendo ab alio contractu, quem quis potest inire cum mutuatario circa damnum emergens, vel lucrum cessans. Nam de hoc egemus satis Sect. seq.

II. *Quoad alias res*.

13 Similiter, & in aliis rebus mutuo datis, frumento, vino, oleo &c. restituendum est in ejusdem generis, speciei, & qualitatis eadem mensura, qua res mutuo data, & accepta est, etiamsi postea tempore solutionis aut ipsa mensura, aut rei mutuatæ pretium seu creverit, seu decreverit, si nullum aliud pactum accesserit; de quo plus postea seorsim, v. g. mutuasti certam hujus temporis mensuram frumenti, olei &c. contingat autem postea mensuram augeri, vel diminui, semper tamen tibi debetur, atque juste exiges mensuram illam, in qua mutuasti; quia jus habes ad tantumdem. Et hoc quidem rarius de mensura, frequentissimum autem quoad pretium. Igitur

14 Mutuasti hoc tempore quatuor modios frumenti, qui singuli tunc valebant aureos 6. postea autem tempore solutionis, aut propter penuriam frumenti, mensura valet aureos 8. aut 10. debentur tibi solum illi quatuor modii frumenti ejusdem speciei, & qualitatis tantumdem: aut propter abundantiam novam, dum modios valet aureos tantum 4. aut 3. adhuc debentur tibi iidem modii ejusdem speciei, & bonitatis, & qualitatis. Communis DD. *in c. ult. de usura*. Mol. *disp.* 312. *n.* 7. Less. *l.* 2. *c.* 20. *d.* 17. *n.* 146. Lug. *disp.* 25. *sect.* 7. *n.* 114. & alii apud ipsos. Ratio est, quia ita usu, & consuetudine, & quasi virtuali pacto inter mutuum contrahentes receptum est, ut nimirum si nulla præcesserit contraria conventio, res debeat reddi in pari bonitate, & quantitate, seu mensura, nihil supra vel infra abstrahendo a pretio: ergo etiam quando tibi mutuum do modium frumenti, modium frumenti semper a te mihi reddendum expecto, quidquid sit de pretio: non sic est, si mutuo pecuniam, quia tunc secundum ejus pretium, seu valorem tunc præsentem (qui est de essentia pecuniæ) mutuo, non autem secundum materiale massam, vel speciem metalli.

15 Sentiunt sane contrarium *Paludanus*, *Nav.* uterque, aliique plures apud Lug. infra citandum, docentes, posse peti valorem mensuræ, qui erat tempore mutui contracti. Verum contrarius est usus, & virtuale illud pactum modo dictum: nisi & id ipsum speciali conventione ita pactum sit, ut semper excipimus, & mox explicabimus. Atque hinc fit, quod quando in mutuo contracto nullus constitutus est terminus solutionis, aut jam effluxit, mutuator peccet contra justitiam, si nollet acceptare a mutuatario redditum frumentum eadem mensura, tempore vilioris pretii: quia sic privaret eum jure valendi solvere, quando vult. E contra vero non peccat, saltem contra justitiam, mutuator, si mutuum a se datum frumentum, vinum &c. studio non repetat, nisi primum eo ipso tempore, quo videt, ea pluris valere, seu majori pretio vendi, nam sibi ipsi imputare debet mutuatarius, quod prius non solverit, quando minus valebat tempore sibi commodiori. Ita Sotus *l.* 6. *de just. q.* 1. *a.* 1. Nav. *c.* 17. *n.* 219. Tolet. *l.* 5. *c.* 34. Mol. *c. disp.* 312. Laym. *c.* 16. *n.* 14. Solon. alii apud ipsos. Neque hoc durum tibi videri debet: nam sicut si mutuatarius solvisset tempore, quo minus valebat, non poterat illud mutuator non acceptare, sed contentus esse debebat, ut dictum est; ita si mutuans non aucto frumenti valore exigat, non poterit ei mutuatarius negare solutionem, quam vere jam debet, ut supponimus.

Dixi notanter utrobique tam quoad pecuniam, quam quoad alias res mutuatas: *si nullum aliud pactum accesserit*. Quatuor autem modis in mutuo addi potest pactum. 1. Expresse sic: ut si valor monetæ, vel pretium frumenti decrescat, reddatur tamen quantum æquivalet valori illius temporis, quo mutuum datum, & acceptum est. Et hic modus justissimus est, quia Dominus habet jus ad suas pecunias, vel mensuras tritici secundum præsentem valorem, vel pretium, quantum mutat: ergo etiam hunc valorem juste pacisci potest, esto prævideat jam valorem illum, seu pretium fore minuendum. 2. Sic, ut sive crescat, sive decrescat pecuniæ valor aut pretium frumenti, tamen primus valor pecuniæ mutuatæ, vel totidem mensuræ frumenti reddantur, quot acceptæ sunt. Et hic modus æque ac primus justissimus est: immo potiori ratione ut intuenti patet. 3. Sic, ut si valor pecuniæ, vel pretium frumenti postea augeatur, reddatur quantum æquivalet valori, vel pretio aucto temporis futuri. Et hic modus per se injustus, & Judaicus est (nisi alius titulus lucri cessantis, vel damni emergentis accedat, utpote, quia alias tuam pecuniam, vel frumentum reservares usque ad illud tempus majoris valoris cum certa spe lucri tui, tunc enim juste sic pacisceris, nec exigis plus, quam dedisti) *Ratio clara est*, quia tu non mutuas, nec potes juste mutuare secundum valorem futurum nondum existentem, in quem nullum jus adhuc habes, sed tantum secundum valorem præsentem; in hunc enim solum jus habes. 4. Sic, ut absolute reddatur tantum, quantum æquivalet valori futuri temporis, quo mutuum reddatur, sive dein valor augeatur, sive minuatur. Et hic modus similiter injustus erit, si jam tunc prævideatur valor, aut pretium augendum fore, propter eandem rationem modo datam. Justus autem erit, si sit æquale periculum, quod valor crescat, vel decrescat: tunc enim erit velut ludus sortis cum æquali fere periculo commodi, vel damni utriusque, ut alias patebit amplius. 16

Declaro rem practice sequenti casu. Estne usura, tempore autumni mutuum dare frumentum, vel vinum, ex pacto, ut restituatur in vere juxta pretium tunc currens; aut vendere frumentum in autumno ea lege, ut pretium solvatur tantum, quanti illud valiturum sit tempore veris, vel alio futuro? Resp. cum Greg. IX. *c. naviganti*, §. *ille quoque de usuris*, & communi DD. quos citant, & sequitur. Lessius *l.* 2. *c.* 20. *dub.* 17. *num.* 154. Molina, *tom.* 2. *disp.* 255. Laym. *c.* 16. *n.* 14. Lugo *disp.* 25. *de just. sect.* 7. cum distinctione. 17

Quod si dubium, vel æque incertum sit, plurisne, an minoris frumentum, vel vinum tempore veris valiturum sit, quam nunc in autumno valet, recte, & sine injustitia, vel usura ita in autumno mutuum datur, vel venditur. *Ratio dicta est*; quia tunc uterque contrahentium æquali fortunæ sponte se subjicit, est enim tunc velut ludus sortis cum æquali jure, & periculo commodi, vel damni utriusque, & cum Dominus frumenti, vel vini non teneatur mutuare, vel vendere, potest nolle mutuare, vel vendere, nisi cum tali justa conditione. Eademque ratione illicitum non erit mutuare, vel vendere frumentum cum pacto, ut restituatur, vel solvatur secundum valorem medium, quem ad tempus usque vernum v. g. habiturum est: quia tunc rursus utriusque contrahentis periculum æquale est; ut notat *Navarr*. 18

At vero si valde probabile, & quasi certum sit, pretium frumenti, vel vini ad tempus vernum seu solutionis faciendæ auctum iri, injustitiam, & usuram palliatam committit talis mutuator, vel venditor; quia plus exigit, quam dedit, & supra sortem datam onus pretio æstimabile imponit mutuatario emptori, quod scilicet restituere debeat frumentum, vel ejus pretium tempore, quo plus valet. *Accedit*, quod rei mutuatæ, vel venditæ periculum, vel damnum, & consequenter etiam lucrum, incrementum, vel commodum, non ad mutuatorem, vel venditorem, sed ad mutuatarium, vel emptorem jure pertinere debeat: juxta communem DD. apud *Lessium, Laym. Lugo citt.* Excipe rursus cum communi, nisi ipse mutuator, vel venditor frumentum, vinum &c. servaturus erat ad tempus, quo pluris distrahere potuisset: tunc enim revera ejus intererat antea non mutuasse, vel vendidisse, & consequenter ratione lucri cessantis pretium alterius temporis pacisci poterit, deducta tamen æstimatione custodiæ, conservationis, laboris, vel periculi, quod servando frumenta, vel vinum interim subire debuisset. Quo etiam spectat, quod supra 19

pra

pra jam notavimus, si mutuator non obliget mutuatarium, ut certò tempore reddat, quo pluris valiturum putatur, sed cum alterutri placuerit; tunc enim ille nihil peccabit repetendo frumentum eadem quantitate tempore cariori, & mutuator sibi imputare debet, quod antea non restituit.

20 [illegible]aque ratione discurrendum de pecunia mutuata, & alio tempore mutuati valoris reddenda; nam si æquale sit dubium, vel periculum incrementi, ac decrementi, juste in pactum deducitur, ut solvantur tot omnino aurei, quot dati sunt: si vero certò credatur augendus valor, injustum, & usurarium erit ita pacisci, nisi similiter id interesse creditoris postulet, quippe qui pecuniam alias usque ad illud tempus carius servaturus erat. Ut ex communi resolvit Lug. *cit. sect.* 7. §. *un.* Atque eadem ratione Lessius *l.* 2. *cap.* 22. *dub.* 8. resolvit in censu redimibili v.g. centum ducatis pro quinque annuis licitum esse apponere pactum, ut redemptio fiat in eadem specie monetæ; non tantum si certum sit valorem monetæ non esse mutandum; aut si utrinque par erat dubium, an sit augendus, vel minuendus (in quo consentiunt omnes) verum etiam, si certum erat valorem esse augendum, sed emptor statuerat pecuniam suam servare; tunc enim ratione damni quod patitur, pecuniam illam exponendo, potest tale pactum apponere. *Sic ille*. Verum hoc tamquam injustum, & usurarium recte reprobat Laym. *cit. c.* 16. *n.* 15. nam etiam in censu iniquitas committitur, si censuario supra naturam contractus, & loci consuetudinem aliquod novum onus pretio æstimabile imponatur: atqui hoc fit in proposito, cum enim justum pretium census redimibilis apud nos censeatur viginti pro uno, centum pro quinque secundum valorem, quem pecunia habet tempore contractus, magnum sane onus venditori imponitur, si postea reddere debeat pecuniam, non secundum eumdem, sed secundum alium valorem, quem certo, vel probabilissime habebit auctiorem. Neque prætextus lucri cessantis hic locum habet, immo repugnare videtur; si enim ille servasset centum ducatos usque ad tempus illud majoris valoris, interim quinque annuos in censu lucratus non fuisset; aut igitur quinque annuos ex censu dimittat, aut valoris incrementum non exigat, si usuram etiam, vel injustitiam vitare velit.

21 Denique juxta dicta colligendum est, an in mutuo juste fiat pactum: ut pro re veteri mutuata, v.g. pro frumento, vel vino veteri reddatur recens, vel novum; aut e contra: si enim hæc obligatio addat aliquod gravamen supra mutuum acceptum, injustum, & usurarium erit pactum: si vero non addat, erit justum; quia ergo regulariter vinum vetus supponitur melius, & plus valet, quam vinum novum, certe juste non poteris mutuare vinum recens cum pacto, ut reddatur vinum vetus; jam enim adderes mutuatario gravamen supra mutuum acceptum ab eo, & vere is plus deberet dare, quam acceperit. Poteris autem (sed certe non voles) mutuare vinum vetus, ut reddatur recens, sicut si absolute mutuasti vinum vetus, non satisfies, si reddatur novum, quia non reciperes *tantumdem*. E contra vero quia frumentum novum regulariter melius est, & pluris valet, quam vetus per se loquendo, non potes juste mutuare frumentum vetus cum pacto, ut reddatur novum, quia jam iterum adferres gravamen mutuatario, ultra mutuum acceptum, & plus exigeres, quam *tantumdem*. Dico tamen; *per se loquendo*. Secus enim sæpe est per accidens: quando nimirum mutuatarius agricola v.g. æque facile, aut etiam facilius reddet frumentum recens ex sua messe in æstate pro frumento veteri in hyeme accepto, tunc enim nullum gravamen impones mutuatario.

22 Atque hac ratione excusari potest communis praxis in nostris partibus, qua hyemis tempore Domini, vel ditiores mutuant rusticis frumentum vetus bonæ qualitatis (alioquin certe injustitia committeretur) ut recipiant æquali mensura tempore messis: tum ob rationem dictam, quia rustici facilius reddunt frumentum novum, quam vetus: tum quia frumentum proximæ collectionis, in hyeme adhuc non potest vocari vetus, quia per menses paucos, & non æstivos asservatum non patitur notabilem deteriorationem: ergo juste eis satisfit per frumentum novum sequentis messis, vel collectionis. Tum denique, quia communiter plus valet mensura frumenti in hyeme, quam messis tempore; ergo juste compensatur frumento novo etsi de se meliori. Tandem, potest hæc negotiatio circa rem veterem pro nova illa figura, & species contractus fieri sine ullo injustitiæ, & usuræ periculo, si nimirum vendas vinum v. gr. non justo pretio currenti, & anticipato simul emas ab altero vinum novum futuræ vindemiæ similiter justo pretio, ac mensura in dicto tunc currente, quod in vino communiter erit minus, in frumento autem majus, hic enim nulla omnino apparet inæqualitas; ut rursus suo loco videbitur.

§. IV. *Specialia aliqua circa mutuantes.*

Mutuum dare, & accipere certe possunt omnes quicumque contrahere possunt. Aliqua tamen specialia in Jure statuta sunt.

I. *Quoad filiosfamilias.*

23 I. L. 1. & sequentibus ff. & Cod. ad Senatus consultum Macedonianum statuitur, quod licet alioquin filiusfamilias pubes etiam sine Patris consensu ex omni contractu obligationem, & naturalem, & civilem contrahat, tamen ex mutuo accepto efficaciter obligari, & conveniri non possit, sed perpetua Senatus consulti exceptione tutus, sit & ipso filius & pater, si peculium filii possideat. Appellatur autem hoc SC. Macedonianum, quia latum fuit occasione cujusdam fæneratoris Macedonii, qui filiisfamilias pecunias mutuare solebat, reddendas post mortem Patrisfamilias: unde ipsi ansam capiebant patribus mortem machinandi, qui hæreditate parentum potiti, haberent, quo solverent.

II. Unde hæc lex principaliter lata est non in favorem filiorum, sed in favorem ipsorum parentum, atque in odium, & pœnam fæneratorum; & habet etiam locum in foro conscientiæ, ita ut filiusfamilias etiam in conscientia se per hoc Senatusconsultum defendere possit contra creditorem mutuatam pecuniam repetentem, postquam ea consumpta est, & filius inde locupletior factus non est: uti contra Covar. & alios docet communis Sententia cum Less. *cit. c.* 30. *dub.* 2. Molin. *cit. disp.* 301. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 37. Laym. *tr.* 4. *c.* 15. Lug. *disp.* 25. *sect.* 1. Ratio est quia certum est, quod lex civilis potuerit tum in odium fœneratorum, tum in favorem parentum, adeoque boni publici causa ita statuere, ut tam extra, quam intra judicium, adeoque in utroque foro talis exceptio creditoribus opponi queat ad filiosfamilias liberandos, atque etiam de facto ita voluisse aperte colligitur ex *cit. ff. lege, sed si §. sed etsi juncta l. tamen, si, ff. eod.* ubi absolute dicitur filiumfamilias perpetua exceptione tutum esse contra creditorem, adeo ut, etsi non opposita exceptione a Judice condemnatus sit, nihilominus Senatusconsulti exceptione uti possit. Quod tamen falsum, & iniquum foret, nisi etiam in animæ judicio exceptio ista illum tutum redderet. Et licet filiusfamilias huic Senatusconsulti exceptioni (quia non in sui, sed parentum potius, & Reipublicæ favorem introductæ) simplici promissione renuntiare non possit; si tamen promissionem juramento confirmarit, obligabitur in conscientia ad solvendum; cum omne juramentum servandum sit, quamdiu sine peccato servari potest, ut habet communis Doctorum. 24

III. Cæterum in utroque foro a dicto Senatusconsulto excipiuntur, & ad solvendum obligant sequentes casus. 1. Si filiusfamilias, qui mutuum accepit, peculium proprium castrense, vel quasi castrense habeat; quia in eo quasi Paterfamilias censetur; ideoque tunc cessat ratio legis prohibentis. Idemque dicendum, si peculii adventitii usum fructuum, & administrationem ex consensu patris habeat; ut ex communi observant *Laym. & Lugo citati*. 2. Si filiusfamilias miles sit, quando mutuum accipit. *Leg. ult. C. eod.* 3. Si filiusfamilias sui juris esse publice videatur, & a mutuante bona fide ex justa ratione credatur. *Lege* 1. *&* 2. *C. eod.* Ratio est: quia debet mutuator in aliqua culpa esse ad hoc, ut huic legi respectu ipsius pœnali subjaceat. 4. Si filiusfamilias mutuum accepit, & patris jussione, & consensu, saltem tacito, puta, quia scivit, & non contradixit, aut postea contractum approbavit verbo, vel ipso facto, v. g. partem debiti solvendo. *L. ult. C. eod.* 5. Si filiusfamilias legationis, peregrinationis, vel studiorum causa accepit ad necessarios sumptus, quos ipsius patris pietas recusare non potest. Secus esset si ultra eam quantitatem mutuatus esset, quam pater ministrare solebat, vel debebat. *L. item, ff.* eod. Atque eadem ratione Monasterium solvere cogitur pecuniam Religioso, studiorum, vel alia justa causa absenti mutuo datam ad sumptus necessarios, ex communi Molin. *disp.* 301. Laym. *cit. c.* 15. *n.* 4. 6. Si pecunia a filio mutuo accepta in rem patris versa fuit: tunc enim non sibi, sed patri accepit: *cit. L. item si §. proinde*. Similiter si pater, aut alius filiumfamilias negotiationi suæ præposuit, præsumitur ei facultatem mutuandi dedisse, nisi expresse prohibuerit. Ead. *L. item si, §. interdum*. 25

Denique cum verba Senatusconsulti dumtaxat numeratam pecuniam exprimant, non debet extendi ad mutuationem aliarum rerum frumenti, vini &c. nisi fieret in fraudem legis, ut nimirum iis distractis pecunia proveniat Ead. *L. §. mutui ff. eodem*. 26

IV. Cæterum quod si filiusfamilias utcumque mutuam pecuniam re ipsa solvit, solutum repetere non poterit, sicut posset pupillus, minorennis, vel mulier, fidejubens, ne indebite graventur ex contractu ob imbecillitatem sexus, & ætatis; unde etiam huic favori suo renuntiare possunt, maxime accedente juramento. At vero Senatusconsultum Macedonianum non est principaliter institutum in favorem filiorumfamilias, sed potius in odium fæneratorum: unde si jam solverint, nullus eis favor remanet: ante tamen solutionem huic exceptioni renuntiare non possunt, quia non in ipsorum, sed parentum favorem, & in odium creditorum introductum fuit; nisi tamen accedente juramento in foro conscientiæ tantum, ut cum aliis notat Lugo loco cit. *sect.* 1. 27

II. *Quoad loca, & personas, favorabilia.*

Utroque Jure, Civili, & Canon. Authent. *hoc jus porrectum, C. de SS. Ecclesiis, relat.* 10. *q.* 2. constitutum est, ut, si aliquis administrator, sive Curator personæ vel loci favorabilis, v. g. pupilli, minorennis, Ecclesiæ, hospitalis, civitatis &c. ejus nomine, mutuum accepisset, creditori onus pro- 28

probandi incumbat, pecuniam mutuatam in ejusdem personæ, vel loci favorabilis utilitatem conversam fuisse. *Ratio est:* quia cum administratores valde proni esse soleant ad mutuandas pecunias, ne id in detrimentum personarum, aut locorum favorabilium cedat, jure, & juste ita provisum fuit. De his specialia, si curiositas, vel occasio urgeat, vide apud *Molin. Laym. Lug. citt.*

III. *Quoad Confessionem mutui anticipatam.*

29 COd. toto titulo *de non numerata pecunia*, §. *unico*, & *inst. Leg. si ex cautione*, *L. Asseveratio*, *L. contractibus*, *instit. de litterarum obligatione* statuitur, eum, qui spe pecuniæ, vel alterius rei mutuo dandæ propriæ confessionis chirographum, vel scripturam publicam creditori anticipato dedit, intra biennii spatium posse opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ contra creditorem debitum exigentem, ut sic in ipsum actorem rejiciat onus probandi, pecuniam a se numeratam, vel aliam rem mutuo traditam fuisse; quod si deficiat in probatione, absolvitur mutatarius conventus a debito. Si autem post illud tempus biennii primo exceptionem mutuatarius opponat, ipsimet incumbit probatio, pecuniam non fuisse numeratam, vel aliam rem non esse traditam; *Ratio est:* quia desiderans rem aliquam sibi mutuo dari, fiducia hujus beneficii consequendi facile inducitur ad anticipandam confessionem accepti, quod nondum acceptum est: & sic ne possit fraude circumveniri, illa exceptione Jure prospectum est. Similis exceptio competit creditoribus in quocumque alio debito, cujus solutionem sic anticipato per scripturam, vel apocham confessi sunt, sed inter 30. tantum dies; ut latius videri potest apud DD. communiter. Cautio autem contra hujusmodi exceptiones est, si tabellio in publico instrumento scribat, in præsentia sui & testium pecuniam numeratam, vel aliud quid simile traditum fuisse; uti ex Molina, & aliis monet Laym. hic *l. 3. c.* 15. in fine. Lugo *disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 5.

IV. *Quoad præceptum mutuandi.*

30 EST sane præceptum Divinum naturale ex virtute Charitatis, & misericordiæ aliquo saltem modo mutuandi proximo in gravi, vel etiam extrema necessitate constituto, quando nimirum solo mutuo ejus extrema necessitas subservari potest, alioquin obligabit præceptum naturale eleemosynæ gratis succurrendi. Ratio sumitur ex generali mandato: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* Matth. 19. Et *Unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Eccl. 17. Sed de hoc fuse dictum alibi.

SECTIO II.

Tituli justi, & casus, quibus licite ex mutuo aliquid accipi potest ultra sortem sine vitio usuræ.

SUMMARIUM.

32 *Mutuans licite accipit non tantum liberaliter oblata a mutuatario ob gratitudinem mutui dati, vel dandi.*
33 *Sed etiam licite eum ad talem gratitudinem monere vel excitare potest.*
34 & 35 *Si vero fiat pactum de tali gratitudine exhibenda, distinguendum est.*
36 *Si mutuans nolit, vel significet, se nolle mutuare, nisi mutuatarius vicissim velit beneficium præstare, iterum distinguendum est.*
37 & 38 *Opus autem aliunde debitum licite exigitur ratione mutui.*
39 *Etiam pro obligando, vel contractu mutuandi imposterum sæpius, licite quid exigitur ultra sortem.*
40 *Sicut & pro labore, & expensis in mutuando insumendis.*
41 *Licitum etiam est pactum assecurationis, exigendo aliquid pro periculo suscepto.*
42 *Aliusve contractus adjunctus.*
43 *Ut pro lucro cessante in mutuo licite exigatur aliquid ultra sortem, tres requiruntur conditiones;*
44 *I. Ut mutuum datum sit vera causa cessantis lucri.*
45 *II. Ut non plus exigatur ultra sortem, quam sit lucrum cessans. Et*
46 *III. Ut mutuatarius de hoc onere compensandi lucrum cessans præmoneatur, & in se suscipiat.*
47 *Quando, & qualiter illa lucri cessantis compensatio fieri debeat, vel possit.*
48 *Similiter, ut in mutuo pro damno emergente ultra sortem licite quid exigatur,*
49 & 50 *Requiruntur etiam dictæ tres conditiones.*
51 *Resolvitur dubium.*
52 *Pro periculo amittendi sortem, & difficultate eam recuperandi etiam licite exigitur aliquid,*
53 *Proportionatum tamen pro ratione periculi majoris, vel minoris,*
54 *Rationabiliter prævisi, vel præsumpti.*
55 *Ut in mutuo licite apponatur, & exigatur pœna conventionalis, si ad præfixum terminum non reddatur,*
56 *Pariter tres requiruntur conditiones.*
57 Usque ad num. 60. *An pœna conditionalis debeatur in conscientia.*

MUtuum essentialiter contractus quidem onerosus est quoad ipsam sortem mutuatam a mutuatario integre restituendam, juxta dicta hactenus; eatenus tamen gratuitus, & liberalis contractus est natura sua, quatenus vi ipsius mutui ultra sortem mutuo datam nihil exigi, & accipi potest sine peccato usuræ, mox tota *sect. seq.* explicandæ, nisi aliunde sive ex parte dantis, sive ex parte accipientis mutuum, justus titulus, seu justa causa accedat, aliquid ultra sortem accipiendi. Hi tituli possunt revocari ad 6. vel 8. capita 1. *Gratitudo mutuatarii, aut opus aliunde debitum.* 2. *Onus susceptum a mutuante, vel alius contractus justus mutuo adjectus.* 3. *Lucrum cessans.* 4. *Damnum emergens.* 5. *Periculum sortis.* 6. *Pœna conditionalis.* Hos autem titulos hac Sectione breviter explicabimus, velut anticipato, ut postea ipsam usuram, casusque usurarios rectiori ordine, & claritate prosequamur. 31

§. I. *Gratitudo mutuatarii, aut opus aliunde debitum.*

I. CErtum est, sine usuræ vitio ob mutuum datum licite accipi posse non tantum id, quod ipse mutuator post mutuum contractum, & acceptum sua sponte liberaliter offert, vel ad gratitudinem testandam, vel etiam, ut animum ejus ad diutius mutuandum, vel non repetendum alliciat, quod omnes fatentur, sed etiam quod ita ultro offerat, ut moveat alterum ad ipsum contractum mutui, v. g. dicendo: si mutuo mihi dederis 100. ecce antidora, istud tibi do, vel dabo, hoc, vel illud in gratiam tui faciam &c. dummodo appareat animum promittentis fuisse liberaliter donare ex gratitudine, & non ex obligatione reciproca inducenda ratione mutui; tunc enim non erit usurarium, si tu spe acquirendi promissum, mutuo des, alioquin non daturus. *Ratio est:* quia sic nihil accipis ex vi mutui, sed ex liberali donatione, etsi intuitu mutui facta, quin etiam mutuatarius sua liberali promissione a te acceptata obligationem saltem fidelitatis contrahet, non vi mutui, sed vi gratuiti pacti, ac promissionis acceptatæ liberalis: & consequenter insuper 32

II. Per se licitum est, non tantum mente intendere, & sperare ratione mutui dati, aliquid accipere a mutuatario ex sola liberali gratitudine in compensationem beneficii accepti, ut *sect. seq.* §. 2. *de usura mentali* melius declarabitur, verum etiam verbis mutuatarium monere, vel excitare ad gratitudinem, ut aliquid nimirum præter sortem præstet ex mera gratitudine liberaliter, & mere voluntarie, idque etiam antequam quis mutuet; aut inter mutuandum, aut omnium tutissime post mutuum jam datum, eum admonendo de gratitudine, vel beneficio vicissim præstando, nullam interim novam obligationem ei imponere intendens. Ita ex communior DD. Molin. *to:* 2. *disp.* 305. Lugo *disp.* 25. *de Just. sect.* 4. *n.* 30. Dian. *p.* 1. *tr.* 8. *de contract. res.* 62. Ratio est: quia ejusmodi gratitudinem intendens, & petens, rem licitam, & honestam intendit, & petit: Quidni enim, quod licite potest intendi, etiam licite possit explicari verbis? & talis petitio, vel insinuatio non reddit donationem involuntariam; quia adhuc sponte gratis datur, etsi rogatus det; ergo nec reddet acceptionem injustam per se loquendo. Verum quidem est, quod si mutuator mentionem faciat de aliquo ultra sortem dando, vel præstando, & maxime antecedenter ad mutuum, vel in ipso contractu mutui, subesse periculum, & præsumptionem usurariæ intentionis, & pacti impliciti, ut etiam mutuatarius non censeatur sponte dare, sed rubore, vel necessitate compulsus (quo casu vera est opposita Sententia *Richar. Cajetan. Medinæ*, & aliorum apud *Lug. cit.* fatentium, id esse usuram mentalem) interim tamen certum est, re ipsa illam abesse posse, ut animus sit & dandi, & accipiendi tamquam liberale donum in compensationem præstiti beneficii mutuationis, ut etiam fatetur *Lay. sup. cit.* 33

III. At, quid si pactum fiat cum mutuatario, ut is det, vel faciat aliquid ex gratitudine pro mutuo accepto? *Resp.* cum distinctione. Si pactum fiat per modum simplicis conventionis, & consensus liberi, ut mutuatarius ex mera liberalitate, & pure voluntarie aliquid det, vel faciat absque ulla imposita obligatione Justitiæ, per se loquendo, & speculative illicitum, & usurarium non est æque, ac in casu priori. At vero practice loquendo omnino dissuadendum, & explodendum est ejusmodi pactum (sicut & simplex petitio, præsertim importunior) ut omnes advertunt, & serio monent: hic enim multo magis subest præsumptio intentionis usurariæ, & nimium periculum, ne imponat obligationem, & onus involuntarium mutuatario: nam ut eo casu vere effugiatur periculum injustitiæ, necesse est, ut mutuatarius omnino voluntarie, & liberaliter aliquid det, vel faciat: quod certe vix continget posito tali pacto, præsertim quando is timet, ne alioquin alia vice difficulter mutuum impetret. Quare practice hæc doctrina omnino comprehensa videtur in propositione 42. damnata ab Innocentio XI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.* 34

Quod si vero pactum ineatur obligans mutuatarium, ut omnino aliquid det, vel faciat ex gratitudine, seu ut mutuatarius obligatus sit vicissim beneficium præstare, non quidem 35

dem ex obligatione justitiæ, sed solius gratitudinis, & naturalis æquitatis tamquam antidoron (quidquid concedant Covarruvias, & alii cum Less. L.2. c.10. dub. 8.) omnino illicita, & clara usura est ab Innocentio XI. damnata; quia sic clare mutuatario superaddit obligationem, & gravamen aliquod. Quod autem dicas, non esse obligationem ex justitia, sed gratitudinis tantum, videtur implicare contradictionem: quia virtus gratitudinis ad positive compensandum beneficium acceptum, per se, seclusa alia lege, levissime obligat, solo morali debito, & tantum generaliter ad qualecumque beneficium vicissim præstandum pro suo placito: ergo si pacto expresso mutuatarius obligatur, & gravius, & determinatius ad certum beneficii genus præstandum ratione mutui, jam ipsi imponitur ratione mutui novum onus, & obligatio nova, quod ipsum sufficit ad usuram: atqui illa nova obligatio ex pacto non potest esse nisi obligatio justitiæ; ergo tunc erit ex justitia, & per se non erit ex Justitia, & mutuatarius non gratis ex gratitudine, sed obligatus ex justitia daret, quod implicat; quia juxta Jura nemo in necessitate liberalis existit. Vide Laym. *lib.4. tr.10. c.ult. n.9. de Simonia*. Unde adhuc multo magis falsum est, quod docet Adrianus, & alii quidam: quod si mutuatarius ex gratitudine obligetur ad aliquid dandum, posse id deduci in pactum, quo strictius, hoc est ex justitia obligetur; eo quod tunc ista nova obligatio non æstimetur a mutuatario. Falsum utrumque; quia revera ista nova obligatio inducit gravamen pretio æstimabile. Nec verum est, id a mutuatario semper parvi æstimari. Quod si tamen revera parvi, vel nihili æstimet, & nos consentiemus infra.

36 Quid tandem, si mutuator nolit, vel significet se nolle mutuare, nisi mutuatarius vicissim velit beneficium præstare, aliquid dando, vel faciendo v. g. apud ipsum tantum merces emere, molere &c. de quibus *sect. seq.*? Iterum distinguendum est: Si enim petatur ex vi mutui; hoc est, tamquam debitum pretium mutui ex pacto, ipsissima usura est, juxta late dicenda *sect. seq.* Si vero solum petatur, ut conditio mutuandi, vel mutuum continuandi, non erit usura, ut plurimis citatis etsi non ita distinguentibus, distincte docent Molin. *to. 2. disp.* 308. *n.* 7. Laym. *hic c. 16. de contract. n.* 3. Lugo *disp.25. sect.5. n.* 52. Dian. *cit. res.* 60. Ratio disparitatis est: quia petere aliquid pro mutuo, ut pretium ex pacto, est inducere utrinque obligationem, ut mutuator obligetur dare, vel continuare mutuum, & mutuatarius reddere tale quid pro pretio ultra sortem, quod clare usurarium est: petere vero aliquid pro mutuo, ut conditionem mutuum continuandi, est solum petere ab altero causam, vel motivum congruum, ut velit mutuare, quod alioquin juste posset nolle absque omni obligatione nova introducta; quod sane ex se malum non est: sicut enim quis juste potest negare ei mutuum, quem antea pro præstitis beneficiis ingratum expertus est, v. g. quia tibi prius mutuanti alter postea petenti mutuum negavit: ita juste potest nolle mutuare illi, quem prævidet postea ingratum futurum, v. gr. non mutuare: ergo explorandum, an juste poterit ponere ejusmodi conditionem: v. gr. volo tibi quidem mutuare pecuniam, vinum &c. sed etiam scire volo, an sis futurus gratus, & cum indiguero, etiam velis mutuare frumentum, vel aliud beneficium præstare: Si velis, paratus sum mutuare nunc, vel mutuum prolongare tamquam grato, interim nec me, nec te ad aliquid obligando: si nolis, & ego juste tibi nego mutuum tamquam ingrato. Licet autem hæc, re ipsa verissima speculative, in praxi tamen admodum periculosa sunt, ne subsit usuraria intentio, adeoque ante factum caute consulenda, post factum vero accurate inquirenda, & distinguenda a Confessario, ut bene monent *Laym. & Lug. l. c.* Tandem ad gratitudinis titulum commode referimus breviter

Opus aliunde debitum.

37 Juste ratione mutui a mutuatario exigitur id, quod is aliunde tibi certo debet ex justitia. E. g. certo debes mihi 100. ex mutuo, empto &c. jam rursus exigenti mutuo tibi alia 100. sed eo pacto, ut ad certum terminum reddas simul & alia 100. ex justitia debita; juste exigo. Ex *Molin. cit.* ac communi. Ratio est: quia tunc non peto illa alia 100. ex vi mutui, sed ex vi alterius debiti justitiæ ante mutuum contracti. Eadem est ratio, si mutues Judici ex pacto, ut in certa causa tandem justam sententiam ferat, & sic de similibus. Atque hinc infert Petrus Navar. *lib. 3. c. 2. nu.* 147. te posse mutuare cum usura ei, cum quo justum bellum geris, sicut enim vi & bello illum spoliare potes, ita & usuris, ait Tamb. *l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 2. n.* 10.

38 At, quid si opus debitum sit ex charitate tantum (E. g. es Medicus, certo deberes mederi gratis, ac succurrere huic pauperi ægroto in extrema prope jam necessitate) ego tibi ita petenti mutuo 20. sed eo pacto, ut ultra sortem mihi debitam, tu medearis dicto pauperi, cum alius non adsit, qui possit: an licite sic exigo? Negat Petr. Nav. *cit. n.* 353. hac ratione: quia sic imponerem ipsi novum onus ex justitia, cum ille ante solum obligatus fuerit ex Charitate. Sed rectius affirmat *Molin. cit. disp.* 309. Ratio est: quia cum Medicus absolute mederi eo casu obligatus sit ex Charitate, parum superaddit, qui addit etiam obligationem ex justitia, ut proinde moraliter non censeatur superaddi novum onus. Dixi autem in eodem casu, *quando certo debes*: Secus enim dicendum, si dubie tantum deberes; clara enim esset injustitia certo exigere, quod dubio solum debetur, ut contra Caramuel. bene docet Tamb. *l. 9. c. 1. de mut. & usur. c. 3. §. 8.*

§. II. *Onus susceptum a mutuante; vel alius contractus justus mutuo adjunctus.*

I. Obligatio mutuandi.

Justus est titulus accipiendi aliquid ultra sortem pro ipsa obligatione mutuandi in posterum, quoties volueris; vel pecunia indigueris, aliaque re. Justus scilicet est contractus ille onerosus innominatus, *do, ut des*, quo quis alteri se obligat ad mutuandum in futurum quoque tempore, sed cum reciproca obligatione, ac pacto solvendi aliquod pretium, aut præstandi reciprocum beneficium. *Ratio est*: quia revera illa obligatio est onus grave, & pretio æstimabile, nulli gratis debitum, & omnino distinctum a mutuo ipso. Unde est praxis multorum locorum, ut nummulariis solvatur pretium pro ejusmodi obligatione mutuandi quibuscumque, & quandocumque petentibus, debitamque cautionem restituendi petentibus. Ex communi Molin. *disp.* 318. Laym. *c. 16. n.* 8. Quia justa merito censentur ejusmodi pacta: promitto, ac obligo me tibi mutuare pecuniam, si vicissim obliges te mutuare frumentum, merces apud me emere, aut aliquid simile præstare: non enim tunc exigitur talis pretio æstimabilis obligatio ex mutuo præstanda, sed ex prævia suscepta obligatione mutuandi, non minus pretio æstimabili. Recte autem admonet post Molin. Lug. *disp.* 25. *sect.* 4. Si talis obligatio mutuandi suscipiatur immediate ante ipsum mutuum, ad nihil obligare posset alterum: quia tunc esset nullius momenti, nec pretio æstimabilis: ille enim qui vult jam statim mutuum dare, vel vendere, pro nihilo reputat, se obligari ad hoc. Unde vanus, & usurarius esset contractus, si quis diceret mutuum petenti per annum, nolo aliquid recipere pro mutuo, sed gratis mutuo tibi ad mensem unum; deinde me obligo etiam ad mutuandum pro mense secundo, tertio, reliquis; at pro hac obligatione in singulos menses aureum peto: quia hoc mutuum cum tali obligatione ab initio est verum mutuum per annum; vult enim simul dare per annum, adeoque obligationem immediate adjunctam pro nihilo habere debet, tamquam pretio non æstimabilem. 39

II. *Labor, vel expensæ in mutuando.*

Justus est titulus accipiendi aliquid ultra sortem in mutuo ratione notabilis laboris in mutuando; ut in numerando magnam quantitatem pecuniæ, triticum, vel vinum mensurando, vel etiam de loco ad locum transferendo ob eamdem rationem supra; aut si etiam expensæ in mutuo fieri debeant pro famulis &c. inde enim justus, & a Leone X. in Conc. Later. approbatus est Mons Pietas in Italia; nimirum summa grandis pecuniæ piorum legatis, vel collationibus collecta, ex qua ad impediendas usuras Judæorum pauperibus civibus, vel rusticis mutuum datur in annum, relicto interim pignore, quod, cum solutio fit, redditur pro exiguo auctario v.g. uno pro centum, quantum scilicet requiritur ad ministrorum montis sustentationem: si autem solutio non fiat, pignus venditur, & retenta sorte cum illo exiguo auctario, reliquum domino redditur. Omnino pium, & justum est. Similiter justa negotiatio est in Germania nostra, cum Mercator, vel civis nummosus pecunias paratas habere debet mutuandas opificibus, v. g. textoribus &c. relicto pignore, v. g. ipsa tela, vel opere fabrifactoris, ut postea solutio fiat cum auctario, communiter grosso in singulos florenos: quod nimirum auctarium non recipitur ratione mutui, sed ratione obligationis, laboris, & curæ susceptæ in gratiam mutuum petentium, ut nimirum civis ille toto anno pecunias in promptu habeat, iisque mutuatis interim careat, sæpe non sine lucro majori cessante, vel periculo, ut quocumque tempore adventantes in domum admittat, pecunias numeret &c. quæ omnia sunt pretio æstimabilia, & nulli gratis debita: ergo juste lucro aliquo proportionato compensanda. 40

III. *Pactum assecurationis.*

Justus, & ab usura liber est contractus, quando mutuans pecuniam v. g. mercatori ad nundinas, suscipit in se periculum pecuniæ, & pro eo periculo suscepto exigit aliquid ultra sortem; dummodo mutuatarius ultra contractum mutui, sponte consentiat in illum alium contractum assecurationis, aut ipsemet ita petat, quia res mutuata jam erat in dominio mutuatarii ex mutuo, & sicut ab aliquo alio, ita & ab ipso mutuante potest petere ejus assecurationem, toto illo itinere, & sicut alius tertius, ita & ipse mutuator potest petere pretium pro ista assecuratione, qui certe non fit deterioris conditionis ex eo quod mutuet. Secus dicendum, si mutuator ex vi mutui præstiti obligaret mutuatarium ad illum alium contractum assecurationis pro pretio ineundum; tunc enim usura committeretur. Communis Theologor. Navar. *c. 17. n.* 284. Molin. 41

Molin. *cit. disp.* 318. Laym. *c.* 16. *n.* 13. Lug. *disp.* 25. *sect.* 6. Contra Canonistas communiter in *cap. naviganti*, *de usura*, ubi respondet Pontifex: *Naviganti*, *vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo*, *quod suscepit in se*, *periculum*, *recepturus aliquid ultra sortem*, *usurarius est censendus*. Sed commode intelligitur in secundo sensu jam concesso, quando scilicet mutuator ad id obligaret mutuatarium, non item si sponte consentiat, vel ultro petat. Sed magis placet conjectura Bernartii apud Laym. *cit.* mendum irrepsisse in textum omissione particulæ *non*: ut legendum sit: usurarius *non* est censendus; quod clare colligitur ex contextu sequenti, qui sic habet: *Ille quoque*, *qui dat decem solidos*, *ut alio tempore totidem sibi grani*, *vini*, *vel olei mensuræ reddantur*; *quæ licet tunc plus valeant*, *utrum plus*, *vel minus solutionis tempore fuerint valituræ*, *verisimiliter dubitatur*, *non debet ex hoc usurarius reputari*. Notas? hic *quoque non*; ergo nec prior.

IV. *Aliusve contractus adjunctus*.

42 SI cui mutues pecuniam auream, vel argenteam majoris monetæ, ut ipse possit reddere argenteam, vel minoris sortis, juste accipis ultra sortem; tunc enim mutuo accedit contractus cambii realis, cujus taxam consuetam juste accipis, & exigis. Idemque est; si Passavii mutues pecuniam Titio Romæ degenti consignandam: tunc enim accedit mutuo contractus cambii localis. Item si mutues amico 100. aureos, & simul suscipias onus, illos pro ipso expendendi, coemendo merces, solvendo debita &c. poteris saltem aliquid proportionatum accipere; quia novo contractu *facio, ut des*, suscipis onus omnino pretio æstimabile. Huc spectat, si mutuum degeneret in ludum sortis: v. g. numeras Titio 100. aureos eo pacto, ut, si moriaris intra spatium 10. annorum, nihil restituas, si supervivas, restituas duplum: licitus est contractus; cum sit par periculum amittendi, vel lucrandi, ideoque non est contractus mutui, quod in omni eventu restitui debet, sed est contractus ludi sortis, qui per omnes est licitus. Perperam ergo *Sylvest. Armilla*, Angelus noster *v. usura*, hunc contractum vocant usurarium; cum revera non sit mutuum, quod solum est sedes usuræ, ut observat Tamb. *l.* 8. *tr.* 3. *c.* 8. §. 5. *n.* 6.

§. III. *Lucrum cessans*.

43 JUstus titulus in mutuo exigendi, & acquirendi, vel accipiendi aliquid ultra sortem, est *lucrum cessans*, cum scilicet quis mutuum dando amittit occasionem lucrandi ex sua pecunia, qua poterat sibi censum, domum, agrum &c. emere, aliave negotiatione licita lucrum quærere: illud enim lucrum debite æstimatur; ut si mercator mille florenis, quos tibi mutuo dat, æstimatis omnibus certo lucrari posset sexaginta, hos ipsos a te stipulari potest, atque in pactum deducere, ut suo tempore una cum sorte, seu capitali ei restituas: ita contra D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. *ad* 1. *Abulensem*, *Durand. Innoc. Sot.* jam communissima, & receptissima Sententia DD. quos late citant, & sequuntur Molin. *t.* 2. *disp.* 3. 16. Less. *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 80. Laym. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 8. Lug. *cit. disp.* 25. *sect.* 6. §. 1. *n.* 90. & revera etiam Scotus noster 4. *d.* 15. *q.* 2. *a.* 2. *n.* 18. male ab Adversariis in oppositum citatus; licet enim ibi aperte non distinguat de damno emergente, & lucro cessante, ut alii, dum tamen absolute asserit: licitum esse deducere in pactum interesse, manifeste sentit etiam lucrum cessans posse in pactum deduci, quia revera hoc quoque est interesse non minus, quam damnum emergens. Ratio est: quia spes certa lucri, qua se privat mutuans in gratiam mutuatarii, pretio æstimabilis est, & nulli gratis debita: ergo ejus compensatio exigi, atque etiam in pactum deduci semper potest, cumque tu mutuatarii hujus jacturæ sis causa, omnia resarcire teneberis. Cæterum ut juste exigatur in mutuo hoc lucrum cessans, tres communiter requiruntur conditiones.

44 *Prima conditio est*: quod mutuum datum sit vera causa cessantis lucri, ut scilicet ideo tibi lucrum cesset, quia mutuum das, alioquin non cessaturum, adeoque requiritur, quod pecuniam, vel rem mutuo dandam jam ad negotiandum, vel lucrandum destinaveris; alioquin sicut nullum intendisti, vel speravisti lucrum, ita mutuum tibi non erit causa cessantis lucri, consequenter pro eo nihil exigere poteris. Addunt tamen DD. cit. *Molin. Less. Laym. Lugo*, tametsi mercator alias pecunias in arca servet ex qualibet causa, & negotiationi destinaverit alias certas, quas postea mutuo dat, adhuc posse exigere lucrum cessans, quod revera tunc illi cessat ratione hujus pecuniæ: quia de facto hæc pecunia fructificatura erat, & non alia illa in arca seposita. Quin imo probabile censent *Laym.* & *Lug.* cum *Less. cit.* quod, etsi quis pecunias suas de facto nulli negotiationi destinarit, voluisset tamen destinare, sed ideo noluit, & apud se servavit, quia scivit aliquos a se mutuo petituros, adhuc compensationem lucri cessantis exigere, & recipere posset, quia revera in gratiam mutuatariorum lucro alioquin sperato abstinuit; & de facto revera mutuat id, cujus carentia est causa, ut sibi illud lucrum cesset: & licet tunc mutuum non sit causa immediata lucri cessantis, quando jam transiit opportunitas lucrandi, est tamen causa mediata; quia, ut alteri mutuarem, cum damno meo pecuniam a statu fæcundo ad statum sterilem transtuli, prudenter existimans, id alios cupere, & ratihabituros. Vide *Lugo cit.* de hoc late, & doctissime disserentem; quamvis moneat Confessarios, ut hic in consiliis cauti sint; neque enim in praxi est facile concedendum, ob periculum palliandi usuram. Denique si mutuans dubius sit, an talem pecuniam alioquin negotiationi destinasset, necne, non poterit tunc accipere hoc lucrum saltem totum, sed ad summum aliquid pro ratione dubii a prudenti viro decernendi, ut observat Tambur. hic *lib.* 9. *tr.* 1. *cap.* 3. §. 4. *n.* 3.

Secunda est, ut servetur æqualitas, ut scilicet non exigatur ultra sortem, nisi quantum istud lucrum cessans valere potest, detractis expensis faciendis, vel æstimatione periculi, ac incertitudinis lucri, judicio viri prudentis: quia lucrum in spe minus valet, quam lucrum in re, hinc quando lucrum est dubium, seu sub periculo; aut quando tu non eras voluntate firma negotiandi, cum nescires occasiones superventuras, certe multo minus accipere poteris, judicio experti viri. Sed numquid etiam deducere debebis æstimationem laboris tui, quem alias adhibere deberes in negotiando tuis pecuniis, vel aliis rebus, quas modo alteri mutuas? Affirmant multi. Multi negant. At *Less.* & *Lug.* commodius ita distinguunt. Si mutuans non velit laborem suum pecunia redimere, sed potius velit laborare, quam aliquid lucri amittere, poterit totum lucrum cessans exigere etiam comparato labore, nihilo pro eo detracto. Si autem laborem suum parte lucri redimere velit, debet eam partem de lucro detrahere. *Ratio est*: quia quoad compensationem lucri cessantis accedit mutuo contractus innominatus: scilicet do tibi tantum ultra sortem, ut aliunde non lucreris, & insuper a labore vaces: si ergo alter dicat: non curo de meo labore, sed omnibus modis lucrari volo, tunc totum lucrum cessans exigere poterit: si vero acceptet vacare a labore, tunc partem lucri labori respondentem necessario remittere, & detrahere debet; alias mutuatarius nimium solveret, scilicet pro toto lucro, & simul pro labore, cum tamen otium concedatur ipsi volenti, ut acute arguit Lugo *cit. n.* 98. Cum ergo labor ei involuntarie cesset propter mutuum tibi datum, non erit privandus lucro illi labori in negotiando correspondente; quemadmodum juste vulnerans pauperem opificem, tenetur ei compensare totum fere lucrum cessans, etsi is jacens in lecto otietur; quia involuntarie otiatur, & omnino laborare mallet, & lucrari: ex altera autem parte, quia communiter homo cessationem notabilis laboris emeret aliquo parvo pretio, ideo ejusmodi pretium in proposito erit deducendum. 45

46 *Tertia* est: ut de hoc opere scilicet lucro cessante compensando præmoneatur mutuatarius, ut id in pactum deducatur: nam fortassis ille sub hoc onere mutuum accipere nollet. *Excipe*: nisi tu ad mutuandum cogaris, ut in simili de damno emergente mox dicam §. *seq.* Hoc autem pactum compensandi lucrum duobus modis fieri potest. 1. Tunc statim determinando lucrum mediocre, quod ex tua pecunia speras, deductis expensis, & aliis supra expressis: & huic lucro postea standum erit, sive tu plus, sive minus, vel omnino nihil lucratus fuisses; quia par fuit periculum, & tanti vendidit illud lucrum mutuans, quanti tunc prudenter æstimatum fuit: ergo tanta correspondens merces erit danda. 2. Sic ut fiat pactum indeterminate, ut tantum ultra sortem detur, quantum mutuanti cessabit de lucro alioquin acquirendo: quantum autem lucri cessaverit, deprehendi poterit, vel ex eo, quod mercatores alii in simili negotiatione lucrati sunt, vel ex eo, quod ipse mutuans alias lucratus est in negotiatione simili per aliam æqualem pecuniam: ubi in foro conscientiæ suam ipse consulat conscientiam: in foro externo enim difficulter probari poterit, vel quod cessaverit lucrum, vel quod tantum cessaverit, ut docet Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 109.

47 *Quartam conditionem* merito addunt RR. ut scilicet compensatio lucri cessantis non solvatur statim a mutuatario, sed postea tempore conveniente, quo scilicet mutuans fecisset illud lucrum, si non mutuasset. Ex communi Medin. Tolet. Molin. *disp.* 316. Less. *lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 11. *n.* 99. Lug. *cit. disp*: 25. *sect.* 6. §. 1. *n.* 106. & alii apud ipsum. Ratio est: quia si lucrum cessans ex mille mutuo acceptis sint quinquaginta, & hos statim solvas, reipsa, non accipis mutuo mille, sed tantum 950. quibus non respondet tantum lucrum, sed aliquid minus. Intellige tamen, nisi aliquid aliud addatur, quo id justificari possit. Less. *cit. n.* 100. hoc remedium suggerit, ut v. g. mutues alteri 1000. ita tamen, ut cum interesse lucri cessantis mutues solum 950. reliquos 50. sine interesse: hos 50. statim recipere poteris sine injustitia pro interesse 950. tunc enim mutuatarius non solvet lucrum ex ipsa summa mutuata cum interesse, sed ex alia: neque is plus æquo gravabitur, cum alioquin postea deberet certo solvere illos 50. & onus nunc anticipato dandi compensari sufficienter videtur ex eo, quod reliqui 950. deinceps gratis tibi mutuati maneant. Subtilius remedium suggerit Caram. *l.* 1. *Theol. Mor.* 155. ut fiant duo contractus, unus mutui, alter venditionis lucri sperati. Alium crassum modum excogitavit *Azorius*, ut nimirum illud interesse statim solvatur non in pecunia, sed in alia re æquivalenti, vino, frumento &c. sed hoc certe impro-

improbabiliter, cum ejusmodi res data utique vicem pecuniæ subire debeat. Vide late *Molin. & Lug. cit.*

§. IV. *Damnum emergens.*

48 Justus est titulus, in mutuo accipiendi aliquid ultra sortem, *damnum emergens*: idque duplex aut *intrinsecum* ipsi rei mutuatæ; ut si in Vere mutues frumentum restituendum in Autumno, quando minus valebit, aut *extrinsecum*, seu aliunde proveniens; ut si pecuniam destinatam emendo frumento, vel vino tempore abundantiæ, mutuo des, unde postea cariori pretio emere cogaris; aut ex absentia pecuniæ mutuatæ res tuas viliori pretio vendere cogaris, ob occurrentes necessitates: & ejusmodi damni debite æstimati compensationem juste a mutuatario stipulari atque in pactum deducere poteris. Ita communissima DD. cum D. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. & expresse Scotus cit. 4. *dist.* 15. q. 2. a. 2. n. 18. quem miror iterum ab Adversariis in oppositum citari, cum tamen expresse dicat: *Debitor, ex cujus non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de Justitia satisfacere creditori de interesse &c.* Quæso, lege: & post eum, optime Barth. Mastrium *Theol. Mor. disp. 5. q. 2. a. 3.* Ratio solidissima est: quia ratio naturalis manifeste dictat ut nemo obligetur cum suo damno beneficium præstare alteri, & major sane ratio est de damno emergente, quam de lucro cessante, quæ in hoc solum differunt, quod damnum emergens afferat jacturam eorum, quæ habebas, & lucrum cessans afferat jacturam eorum, quæ habere poteras, & nondum habebas: si ergo possum pascisci de indemnitate quoad ea, quæ non habui, sed tantum habere potui, quanto magis de indemnitate eorum, quæ jam habeo, & ratione mutui in gratiam mutuatarii damno exponere debeo? licet ergo nihil accipere possim ultra sortem ex mutuo præcise, tamen omni jure mutuando possum me servare indemnem, & nullo jure in proposito teneor pati damnum in gratiam mutuatarii: ergo omni jure possum pacisci de mea indemnitate, seu damno emergente compensando, neque tunc revera exigo aliquid ultra sortem: si enim mutuo tibi centum, & inde debeo incurrere damnum in decem, reipsa mutuo tibi centum, & decem: ergo tantumdem juste exigere possum, atque pacisci etiam ante mutuum pactum a die contractus celebratum, quia justam rem posco. Scotus autem *loc. cit. ar. 3. n. 26.* (ubi communiter in oppositum citatur) dum ibi ad objectionem sibi formatam ait; *Si non vult damnificari, pecuniam sibi necessariam reservet, quia nullus eum necessitat ad faciendam misericordiam proximo, sed si vult misericordiam facere, necessitatur ex divina lege, ut non faciat eam vitiatam:* adeoque quod vel mutuator non debeat mutuare, vel si mutuat, debeat absque ejusmodi obligatione mutuare &c. solum vult, nihil accipi posse pro mutuo præcise, improbans damnum prætextum ab usurario, quo exigit aliquid ultra sortem intuitu ipsius mutui, & hoc est, quod lex divina prohibet; non vero negat, nec improbat hos titulos damni emergentis, lucri cessantis, & alios pretio æstimabiles, quin propter eos licite possit mutuator aliquid ultra sortem accipere ad se indemnem servandum; nam mox supra *art. 2. num.* 18. explicat tres casus, in quibus licitum est aliquid ultra sortem accipere, secundum casum, ait, esse ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, & ait, debitorem in tali casu teneri in conscientia ultra sortem ad interesse, quæ verba clariora esse nequeunt.

49 Porro, ut juste, & licite exigatur ejusmodi compensatio damni emergentis: itidem tres requiruntur conditiones. I. Ut mutuum sit revera causa hujus damni, idque ratione mutui dati certo tibi eventurum sit, vel eventurum rationabiliter timeatur, neque aliter impediri possit: si enim mutuans habeat alias pecunias, aut illas facile comparare queat, quibus impedire possit damnum suum: cur illud damnum tribuat mutuatario, aut ratione damni illius exigat aliquid ab ipso, cum revera mutuum non sit causa illius damni? Ita omnes cum Navar. *c.* 17. *n.* 211. II. Ut iterum servetur æqualitas, & juxta damnum, vel damni periculum æquale pretium detur, neque id excedat limites damni. *Rursus omnes.* Cum autem incerta plerumque sit æqualitas damni, quod tibi ex mutuo alteri dato eventurum sit, id omnibus consideratis expendet vir expertus, juxta modo supra dicta in simili de lucro cessante. III. Ut mutuatarius expresse præmoneatur, seu quod idem est, ut ab initio pactum fiat de ejusmodi damno emergente compensando, fortassis enim is nollet cum eo onere mutuum recipere: si ergo taceas, censeberis id condonare, & nihil in pactum deduxisse: tametsi postea damnum ex mutuo dato incurras, nullam amplius compensationem poteris postulare, ut recte monet Laym. *cit. nu.* 10. Excipe tamen, nisi ab altero potente, Principe v. g. ad mutuandum coactus fueris, coactio enim illa ad mutuandum merito censetur implicitus consensus ad omnia, quæ mutuans patitur, compensanda. Idemque dic de Lucro cessante. Ex communi Laym. ibid. Tamb. *cit.* §. 3. *n.* 3. Itaque sicut quoad lucrum cessans, ita etiam quoad damnum emergens in mutuo fit alius contractus innominatus natura sua justus, *facio, ut des:* utpote in gratiam tui mutuans desisto ab hoc lucro, hoc vel illud damnum subeo, ut ultra sortem reddendam des mihi 10. florenos: potest autem hoc pactum dupliciter fieri. 1. Sic, ut mutuatarius se obliget ad compensandum istud damnum, cum contigerit, quodcumque illud futurum sit; idque justissime servatis conditionibus. 2. Sic, ut statuatur certa quantitas justa, mediocris, attentis circumstantiis, & quantitate damni probabiliter emersuri, juxta secundam conditionem, & hanc taxam acceptatam postea ultra sortem reddere obligabitur absolute mutuatarius, & mutuans juste recipiet, sive damnum majus, sive minus, sive forte nullum emerserit, quia æquale est periculum, ut in simili supra dictum de lucro cessante.

50 Nota autem hic per omnem modum non semper loqui de damno emergente, & lucro cessante pro tempore ipsius mutui concessi, quo scilicet ex conventione durat mutuum usque ad terminum præfixum, quo mutuum debet reddi: aliud est interesse seu lucrum cessans, & damnum emergens mutuanti ex culpabili mora solutionis, quando scilicet mutuatarius post terminum præfixum in mutuo jam impletum, est in culpabili mora solvendi, eoque consequenti tempore mutuanti vere ratione mutui non soluti damnum emergit, vel lucrum cessat. Et de hoc interesse compensando ex culpabili mora debitoris generaliter in quovis debito ex delicto, & re accepta ex quovis contractu, adeoque etiam mutuo, ex professo late egimus *tract. 4. c. 3. sect. 3. quando restituendum*, præsertim §. 6. Ex dictis incidentaliter,

51 *Resolves* hoc dubium; ego a te mutuo accepi 100. ea lege, ut propter verum tuum interesse, scilicet lucrum cessans, vel damnum emergens, restituam tibi 100. & 10. possumne mutuare hæc eadem 100. alteri, ut ab illo recuperem illa 10.? Resp. *cum dist.* si enim supponas, propter mutuum a te tertio datum tibi emergere simile damnum, vel cessare lucrum, poteris similiter illud lucrum exigere mutuando, servatis conditionibus prædictis. Si vero supponas, nullum tibi emergere damnum, vel cessare lucrum ex mutuo illi tertio dato, non poteris illud lucrum exigere ab illo tertio mutuatario ex eo prætextu, quod mihi primo mutuanti tantum debeas; nam finge, me tibi vendidisse equum injuste 100. aureis, cum vis valeat 60. poterisne ideo tu eumdem equum alteri sic injuste vendere, ut excessum pretii a me tibi ablatum recuperes? Certe non. Idem est in proposito, & ratio responsionis patet ex dictis, quia quando quis patitur damnum ex mutuo alteri dato, justum est, ut alter compenset, si est causa illius novi damni; injustum autem si causa non sit: at in prima suppositione tertius mutuatarius est causa tui novi damni: juste ergo solvet: in secunda vero suppositione non est causa illius damni, sed ego: cur ergo ille solvet?

§. V. *Periculum sortis, difficultas recuperandi, &c.*

52 Justum est in mutuo accipere aliquid proportionatum ultra sortem, quando rationabiliter timetur periculum amittendi sortem, vel non nisi difficulter, aut cum expensis recuperandi: idque ex conditione ipsius mutuatarii quippe qui sit homo dubiæ fidei, pluribus debitis obstrictus, cui probabiliter periculum timeri possit, ne deficiat in solvendo, aut non nisi cum expensis, aut magna molestia debitum ab ipso recuperari possit. Ita contra *Sotum, Nav.* & alios non paucos docet communior DD. *Sylvest. Medina, Petr. Nav. Valentia, Sa, Mol. Lessius, Laym. cit.* Lug. *disp. 26. n.* 81. Diana *par. 1. tract. de controv. resol.* 37. Ratio est, quia sine dubio pretio æstimabile est, quod mutuans subeat periculum amittendi suam sortem, seu pecuniam mutuatam, quod toto tempore mutui molestiam passurus sit, forte etiam expensas ad recuperandum facturus: certe quilibet prudens mallet 10. florenos donare, quam 100. tali homini incurio, vel periculoso credere, seu mutuare; ergo ejus compensatio juste exigi poterit, accedit enim etiam hic contractus innominatus natura sua justus; subjiciam me huic periculo in gratiam tui, si dederis 10. *Confirmatur.* Si tibi locem, vel commodem equum, probabiliter timens, ne apud te hominem socordem, vel dubiæ fidei pereat, aut deterior fiat, nonne possum aliquid exigere, ac recipere ratione istius periculi? Omnino: ergo & in casu nostro. Certe ipse Navar. hic nobis adversarius *lib. 6. Consil. 3. de usur.* recte defendit pactum, quo aliquis mercator in Syriam naviganti ita mutuavit 100. ut si navis pereat, nihil recipiat: sin autem salva redeat 125. recipiat. Idemque Navar. c. 17. n. 285. cum communissima Sententia recte docet, fidejussorem pacisci posse, ut ei aliquid a debitore reddatur, non solum pro obligatione, quam in ejus gratiam suscepit, sed etiam multo magis pro periculo, quod interim subiit, damni incurrendi, ut constat ex *L. hoc jure 19. §. 1. ff. de donat.* Quod etiam ipsi mutuanti consentiente mutuatario licere dictum est *supra* §. 2. *num.* 41. Eadem omnino ratio est in casu nostro: ergo &c.

53 Dixi 1. *aliquid proportionatum posse recipi*: scilicet pro proportione periculi majoris, vel minoris: nam aliquando est majus, aliquando minus periculum ob varias circumstantias personæ mutuatariæ, propter longius, vel brevius tempus, quo mutuum debet restitui, vel quid simile; in quo merito anguntur timorati fideles: & tamen nulla alia regula certior afferri potest, quam judicium experti viri. Illud erit adjumento, ut videas, quanto pretio mercatores communiter similem negotiationem assecurent, seu fide-

jubeant in foro, & exinde, quid possis tu in similibus periculis exposcere, perpendas. Interim jam vides mutuator quando apud te habes certum pignus pro assecuratione tui mutui, vel fidejussorem fidelissimum, te non posse ex hoc capite periculi aliquid sumere, quia tunc cessat periculum, & molestia consequens. E contra tamen id solatii etiam habes, quod, etiamsi tibi postea præfixo tempore totum mutuum recte solvatur, possis nihilominus dictum aliquod proportionatum exigere, & retinere: *Ratio est*, quia hoc exigis ratione gravaminis, quod certo subiisti tolerando per annum, vel plures annos illud periculum, & timorem amittendi mutuum, ut bene docet Tamb. *de contract. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 6. num. 4.*

54 Dixi 2. *quando rationabiliter timetur periculum &c.* Nam si tale periculum timeatur irrationabiliter ex sola pusillanimitate, vel diffidentia mutuantis, posse tunc aliquid accipi merito negant DD. communiter. Molina *disp. 36. n. 5.* Salas, & alii apud Lugo *cit. sect. 6. n. 45.* Ratio est, quia tunc illius molestiæ, & timoris non est causa mutuum, sed mutuantis falsa apprehensio, & vitiosa dispositio; cur ergo id luat mutuatarius insons? alioquin certe, quo quis est meticulosior, eo plus posset exigere ex mutuo, qui eo majorem molestiam patitur. Debet ergo timor periculi niti aliqua ratione probabili ex parte mutuatarii, ita ut quilibet vir prudens, attenta qualitate mutuatarii, cæterisque adjunctis, probabiliter queat dubitare, & timere ejusmodi periculum non recuperandi sortem. Quare si id non adest, & solum adest falsa apprehensio, vel diffidentia mutuantis, non erit justa, & sufficiens causa ad aliquid accipiendum: quemadmodum in Matrimonio metus ex falsa apprehensione conceptus non est satis ad illud irritandum, ut late probat Sanch. *lib. 4. de matrim. disp. 1. num. 15.* Ipse tamen *Lugo cit.* contrarium innuit, sed timide, & aliorum judicio relinquens, quem lege, si vacat.

§. VI. *Pœna Conventionalis.*

55 JUste, & licite mutuo communi consensu apponitur pœna conventionalis a mutuatario solvenda, nisi ad terminum præfixum mutuum restituat: etiamsi nullum interim damnum emerserit, vel lucrum cessaverit, aliudve periculum subsit mutuanti. E. g. Do tibi mutuum 100. aureos pro hoc anno; si in fine anni non reddideris, solves mihi in penam quinque aureos. Communissima DD. apud meos passim cum Scoto cit. *dist. 15. quæst. 2. ar. 2. n. 18. Mastrius; Mol. Less. Laym. Lug. Tamb. cit.* Ratio est, quia in omni contractu juste ponitur ejusmodi pœna parti resilienti, vel contractum non observanti, nam pœna juste imponitur pro culpa: cur ergo non etiam in mutuo?

56 Cæterum, ut juste ejusmodi pœna imponatur, ac obliget mutuatarium, tres requiruntur conditiones. I. Ut talis pœna non ponatur in fraudem, seu ad palliandam usuram, utpote, quando mutuans lucrum vult habere ex ipso mutuo, advertens autem nullo subsistente justo titulo esse usuram, ad eam occultandam, seu palliandam, dictam pœnam obtrudit, & clare patet ejusmodi palliatio, atque vera usura realis est, quando imponitur pœna solvenda, nulla culpabili mora mutuatarii intercedente; puta, quem mutuator sciebat intra talem terminum præfixum, scilicet nimis brevem, non posse solvere. Usuram vero mentalem sapit, quando mutuator mavult pœnam solvi, quam ipsum mutuum a mutuatario: ut cum aliis optime explicat Lug. *cit. sect. 6. §. 2.* II. Quod intercesserit culpa mutuatarii, isque culpabiliter pactum, ac præfixum terminum transgrediatur; ubi enim nulla culpa, nulla debetur pœna, quæ necessario culpam supponit: quare si mutuatarius in præfixo termino sine sua culpa non habeat, unde solvat mutuum, non obligabitur ad dictam pœnam, quia tunc nullam culpam commisit. At, quid si ideo nunc non habet, quia prodige vixit vel inutiliter sua expendit? Resp. tunc adhuc teneri ad pœnam: sufficit enim culpa antecedens, qua debitor prævidet se taliter vivendo impotentem fore ad solvendum, ut ex communi notat Lugo *disp. 22. sect. 19. n. 398.* Molinæ, & Lessio sufficit, quod debitor id prævidere potuerit. III. Quod pœna sit moderata, & proportionata culpæ, prudentis judicio: nam secus, quod culpam excedit, utique injuste exigeretur. Quo spectat quarta conditio a nonnullis addita, ut mora solvendi sit notabilis: hinc si per biduum, triduum, aut septimanam ultra terminum præfixum solutio differatur, non æstimabitur culpa saltem digna tota pœna. Item si ad terminum præfixum pars, non vero totum debitum, solvatur, pœnam quoque proportionaliter diminui justum erit: excepto nisi expresse ita conventum esset, ut tota summa reddatur simul sub tali pœna, aut nisi totum simul non solvi æque intersit, ac noceat mutuanti, ut si ideo prædium emere, aliumve utilem contractum inire non potuit, quia totam summam simul non habuit, ut ex *Bonac.* notat Tamb. *cit. tr. 1. cap. 3. §. 5. n. 9.* Et addit creditorem acceptantem partem solutionis debiti, si nihil addat, aut explicet, se acceptare sine præjudicio sui interesse, censeri liberare debitorem a mora: sibi enim eam partem acceptandi præjudicat. Jam vero qualiter, vel quando ista pœna conventionalis solvenda sit; an scilicet ante sententiam Judicis, vel ante petitionem partis: variæ sunt sententiæ apud Lug. *disp. 22. sect. 15. num. 406.* Quidam dicunt, non deberi in conscientia ante sententiam Judicis, multo minus ante petitionem partis. Alii volunt deberi in conscientia ante sententiam Judicis: multo minus ante petitionem partis. Alii volunt deberi in conscientia, & ante sententiam Judicis, & ante partis petitionem. Alii medio modo dicunt, deberi quidem ante sententiam Judicis, sed non ante petitionem partis. Sed breviter, & distincte ita resolvendum est.

I. Pœna conventionalis semper debetur in conscientia ante sententiam, vel condemnationem Judicis. Communis 57
DD. cum *Nav. Laym. Lug. cit.* Ratio est, quia semper hæc præsumitur paciscentium esse intentio, ut velint se obligare inter se, absque obligatione recurrendi ad Judicem, quippe cujus judicium incertum est, & non sine sumptu, vel molestia obtinendum. Unde incidenter nota hic obiter differentiam inter pœnam legalem, quæ a lege, seu a Jure decernitur infligenda ob certum crimen commissum (& hæc in foro conscientiæ numquam obligat ante Judicis sententiam, nisi sit privativa tantum, & latæ sententiæ, ut excommunicatio &c.) & pœnam judicialem, quam in partiali causa Judex imperat, & obligat juxta ejus præceptum, & pœnam hanc conventionalem, quæ partium contrahentium consensu statuitur solvenda ab eo, qui a contractu recesserit, vel in mora solvendi culpabilis fuerit: de qua *L. si pacti, C. de pact.* atque hæc juxta conventionem contrahentium solvenda erit.

II. Quod si pœna conventionalis apposita fuit propter 58
interesse, damnum emergens, vel lucrum cessans contrahenti ex dilatione solutionis, sine dubio debetur in conscientia, & ante sententiam Judicis, & ante partis petitionem, quia in eo casu etiamsi non esset imposita pœna illa in contractu, adhuc tamen mutuatarius teneretur mutuatori compensare totum damnum consecutum ex solutione culpabiliter dilata. Idemque est in omnibus aliis contractibus onerosis, vel damnosis ob fidem injuste violatam ab altera parte contrahente.

III. Quando vero pœna conventionalis imposita est, se- 59
cluso omni interesse, præcise ad puniendam culpam culpabilis dilatoris, probabilissime quidem debetur ante sententiam Judicis: non tamen ante partis petitionem, juxta communiorem DD. cum Lug. *cit. sect. 15. n. 403.* Ratio, quia nisi aliter conventum sit, ea semper præsumitur fuisse contrahentium intentio: quemadmodum enim pœna legalis non debetur ante sententiam, & exactionem Judicis, ita eodem modo pœna conventionalis, quæ mere pœna est, intelligitur sic imponi, ut non debeatur ante exactionem, & quasi sententiam partis contrahentis læsæ, seu creditoris frustrati, qui in hac lege privata quasi Judex, & legislator est. Quod vero *Laym.* cum aliis oppositum tenens objicit L. magnam, C. de contrah. stipulat. *Dies statuta pro homine interpellat; cum ea, quæ quis promisit ipsi, in memoria sua servare, non ab aliis manifestari, debeat poscere*, verum est in omnibus obligationibus contractuum, non tamen in pœnalibus, cum nullus debeat punire seipsum in judicio externo.

His ergo sic explicatis (quidnam scilicet occasione mutui, ratione justi tituli accidentalis juste accipi possit ultra sortem) sepositis, planius ipsam usuram explicare aggrediamur.

SECTIO III.

De Usura, ejusque speciebus, & casibus variis.

SUMMARIUM.

60 *Usura generatim alia est compensatoria, alia punitoria, alia lucratoria.*
61 Usque ad n. 66. *Explicatur essentia, & natura usuræ.*
66 *Citra usuram mutuator accipere nil potest. I. pro absentia pecuniæ, ejusque molestia sibi inde orta.*
67 *II. Pro commoditate ipsi mutuatario ex mutuo proveniente.*
68 *III. Pro voluntate mutuandi: ac*
69 *IV. Pro promissione, vel obligatione mutuum non statim repetendi.*
70 *Probabilius etiam est, secluso lucro cessante, & damno emergente, pro sola obligatione non repetendi mutuum ad aliquod tempus longius, nil accipi posse.*
71 Usque ad n. 75. *Referuntur, & solvuntur fundamenta sententiæ oppositæ.*
75 *Usura alia realis, alia mentalis.*
76 *Usura mentalis quid, & quando.*
77 *In mutuo sperare, vel interius intendere benevolentiam, vel gratitudinem, non est usura; nam*
78 *Ut sit usura mentalis completa restitutioni obnoxia, debet aliquid ultra sortem, & a mutuatore interius intendi, & a mutuatario dari* tamquam debitum ex justitia ratione mutui. *Unde*
79 *Usura restitutioni obnoxia non est, si quid detur liberaliter, & accipiatur ut debitum. Secus est e contra, si detur ut debitum, & accipiatur, ut donatum.*
80 *In dubio, an mutuatarius det, vel dederit aliquid liberaliter, vel tamquam debitum, distinguendum est.*

81 &

81 & 82 *Quid, si quid detur ex timore, & metu non inveniendi alia vice mutuum?*
83 *Usura realis est, quidquid pretio æstimabile pacto expresso, vel tacito exigitur, & recipitur vi mutui tamquam debitum ex justitia.*
84 *Unde I. usura est, cum pacto mutuatarium obligare ad quodcumque munus a manu, a lingua, ab obsequio.*
85 & 86 *II. Usura est, obligare mutuatarium ad remittendam aliam obligationem.*
87 *III. Usura est, obligare mutuatarium ad dandum vicissim aliud mutuo, vel quemvis alium contractum ineundum. Item*
88 Usque ad num. 92. *IV. Usura est imponere mutuatario gravamen aliquod in ipso mutuo accipiendo, vel reddendo &c.*
92 *Quid pro tali onere, vel gravamine usurarie imposito compensari, vel restitui debeat.*
93 *Praxis Confessariis valde notanda.*
94 *Quando, & qualiter a vitio usuræ, & restitutione excusentur ejusmodi onera, & gravamina mutuatario imposita.*
95 *Usura palliata quid, & qualiter fieri soleat, & possit sub pallio.*
96 *I. In deposito,*
97 *II. In emptione, & locatione,*
98 *III. In venditione, & emptione, ac*
99 & 100 *IV. In venditione, & reemptione.*
101 *Usura etiam est, dare mutuum, accepto aliquo pignore interea utendo,*
102 & 103 *Nisi justus titulus accedat.*
104 *An in mutuo cum pignore locum habeat pactum legis commissoriæ.*
105 Usque ad num. 109. *An, & quando ex contractu usurario bona fide facto possit lucrum retineri, quod ex contractu justo haberi potuisset.*

60 PRænota, usuram late sumptam non male ab aliis dividi in *compensatoriam*, *punitoriam*, & *lucratoriam*. Usura *compensatoria*, vel restauratoria dicitur, qua mutuator aliquid exigit, & recipit, ut sibi compenset, vel restauret, suum interesse, lucrum cessans, damnum emergens periculum &c. ex mutuo dato alteri, de quo §. 3. 4. & 5. Hoc enim sensu L. *socium*, *ff. pro socio*, dicitur. *Socium, qui reddendo pecuniam moram adhibuerit, usuras quoque præstare debere, sed non quasi usuras* (scil. proprie dictas) *sed quod socii intersit, moram non adhibuisse.* Usura *punitoria* dicitur, qua mutuans obligat mutuatarium, ut, si tempore præfixo non reddat mutuum mora culpabili, incidat in pœnam solvendi aliquid; estque ipsa pœna conventionalis modo explicata. Usura *lucratoria*, & proprie dicta est, qua lucrum intenditur, & exigitur ex mutuo, & de hac solum deinceps sermo erit. Et dicitur etiam *fœnus*, quod sit velut fœtus pecuniæ, vel alterius rei mutuo datæ: solum enim locum habet in mutuo formali, vel virtuali, ut patebit. Nota etiam, usuram hic non accipi formaliter pro ipsa actione, qua aliquid ultra sortem injuste accipitur, sed objective pro ipso objecto, seu lucro, quod sic ex mutuo injuste accipitur. Sit ergo

§. I. *Usuræ definitio, & divisio.*

61 USura est lucrum quæsitum ex mutuo vi mutui. Ita Canonistæ in *Rubrica de usur. cap. 3.* Sumitur ex D. Ambr. relat. in decr. 14. q. 3. *Quodcumque sorti accedit, usura est.* Et ex Concil. Agathensi ib. rel. *Usura est, ubi amplius requiritur, quam quod datur.* Quod scilicet lucrum ex mutuo vi mutui quæritur. Jam explico terminos.

62 I. *Lucrum:* Intellige quodvis temporale pretio æstimabile acceptum ultra sortem, seu id, quod mutuo datum est, sive id pecunia sit, sive aliud quodvis, quo gravetur mutuatarius. Dico autem 1. *quodvis temporale:* si enim ultra sortem aliquid exigatur mere spirituale, ut Orationes, Sacrificia, Reliquiæ, Indulgentiæ, Beneficium Ecclesiasticum &c. jam non erit usura saltem simplex, sed duplicata malitia simoniæ: scilicet & contra justitiam, quatenus indebite gravatur mutuatarius: & contra virtutem Religionis, quatenus temporale commodum mutui compensare petit improbus mutuator re spirituali. Dico 2. & *pretio æstimabile*. Si enim exigas aliquid ultra sortem, quod pretio æstimabile non sit, v. g. gratuitam benevolentiam, amicitiam, honorem mutuatarii &c. usura non erit, ut postea patebit. Merito hæ duæ particulæ adderentur in definitione usuræ, dicendo: *Usura est lucrum temporale, & pretio æstimabile, quæsitum ex mutuo vi mutui.*

63 II. *Quæsitum*: Intellige sive sola mente, & intentione interna lucrandi ex mutuo (dicitur *usura mentalis*) sive expresso pacto inito, ut ratione mutui præcise lucreris aliquid ultra sortem, & dicitur *usura realis*. Item *quæsitum* vi mutui ex mutuo, sive principaliter, sive minus principaliter vel secundario, si enim principaliter mutuando intendas amicitiam, vel benevolentiam mutuatarii, secundario vero, & minus principaliter quæras lucrum ex vi mutui, adhuc usurarius eris, ut ex Valentia notat Tamb. *lib. 9. tr. 1. cap. 3. §. 1.* Ratio est, quia quando aliquid ex se malum est, semper malum, & peccatum erit illud etiam minus principaliter & secundario intendere: ut si judex principaliter damnet reum ob Justitiam, secundario vero, & minus principaliter ob inimicitiam, odium, & vindictam privatam erga reum, utique adhuc peccat, quia inimicitia &c. semper mala est: sic est in proposito: ergo &c.

III. *Ex mutuo:* Intellige sive expresso, sive tacito, seu palliato, ut suo loco declarabitur: in solo enim mutuo expresso, vel tacito usura locum habet. Unde si lucrum, quantumvis injustum non sit ex mutuo, sed ex alio contractu, v. g. emptione, venditione, locatione &c. usura non erit, sed alia species furti, seu contractus damnosi: unde si etiam ipsam pecuniam tuam alteri concedas non ad usum dominii, sed v.g. ad ostentationem, postulato pretio, usuram non committis: imo in pretio justo non peccas, quia revera non accipis ex mutuo, sed ex locato, scilicet pro usu aliquo pecuniæ tuæ sub tuo dominio permanentis, sicut si ad similem finem locares torquem aureum, quod iniquum non est. 64

IV. *Ex vi mutui:* in hoc consistit tota essentia, & differentia essentialis usuræ, atque triplicem intellectum, seu sensum importat. 1. *Ex vi mutui:* intellige per se, & præcise, & secluso alio accidentali, & justo titulo aliquid accipiendi ultra sortem mutuatam: si enim ex mutuo aliquid accipiendo lucraris non ratione ipsius mutui per se, sed ratione alterius justi tituli adjuncti, seu propter verum interesse lucri cessantis &c. usura non erit, ut late ostensum sect. præced. tota. 2. *Vi mutui:* intellige obligatorie, tamquam debitum ex justitia: nam illud *vi* significat urgentem, & omnimodam obligationem, quæ est ipsissima obligatio Justitiæ. Dicitur tamen *tanquam* ex Justitia: revera enim non est debitum ex Justitia, sed vera injustitia, usurarium lucrum, etsi exigatur inique tamquam ex Justitia debitum. Quod si ergo ratione mutui aliquid accipias ultra sortem, sed non tamquam sic debitum ex Justitia, sed solum ex benevolentia, vel gratitudine mutuatarii, ab usurarii crimine immunis eris, omnium consensu, ut eadem Sect. præced. dictum. 3. *Vi mutui*, intellige adæquate sumpti, quoad omnia sua intrinseca, & necessario connexa, adeo ut usura sit, quidquid temporale pretio æstimabile accipitur ultra sortem ratione ipsius mutui, vel alicujus in ipso mutuo essentialiter imbibiti, vel ei necessario annexi. Declaro per sequentes casus. 65

I. *Pro absentia pecuniæ, ejusque molestia.*

NImis clarum est, nihil posse a mutuante accipi ratione ipsius absentiæ pecuniæ mutuatæ, quippe ex essentiali ratione mutui in dominium, & usum mutuatarii translatæ, ut constat ex definitione. Sed nunquid mutuans aliquid accipere poterit ratione molestiæ, quam recipit ex absentia suæ pecuniæ, seu ratione carentiæ, consolationis, & gaudii, quo frui solet domi in arca suam pecuniam præsentem habens, contemplans, & tractans, & dicere possit cum illo avaro apud Horatium: *At mihi plaudo domi, dum nummos contemplor in arca?* Certe affirmant *Medina*, & alii nonnulli, eosque citans Caram. *lib. 4. Theol. Mor. d. 14. n. 326.* ubi sic habet: Est vere aliqua recreatio in videndis rebus pretiosis, cur non & in possidendis? pro audienda Comœdia, vel videnda bestia datur pretium, & nemo contradicit: cur non pro videndis, & possidendis optimis auri partibus? ratione ergo hujus molestiæ a carentia hujus pecuniæ subortæ, præciso omni alio periculo, posse quid ultra sortem accipi, & affirmant Medina, & D. Thom. interpretes, judicantes speculative probabile. Ita *Caram.* Sed quidquid sit de probabilitate speculativa, nobis ad praxim attendendum est, & respondendum, in praxi minime concedendum esse, uti post alios docent Dicast. *lib. 2. de just. tr. 10. disp. 2. d. 11.* Tamb. *cit. lib. 9. de contr. cap. 5. §. 3.* Ratio est, quia hæc molestia in praxi adeo levis est, ut inter homines in communibus comerciis non veniat in considerationem, nisi forte ridiculam: adeoque nec pretio æstimabilis, nec materia lucri esse debeat. Dein hoc concesso, aperiretur nimis ampla porta ad usuras; quanti enim non æstimaret avarus quisque hanc suam molestiam, & privationem solatii ex absentia pecuniæ suæ? an non quilibet sibi ejusmodi molestiam facile fingeret? sane tam facile, ut tandem in hoc casu, & in sua generalitate ab Innocentio XI. merito damnata sit hæc Propositio 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sint numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* De hac Propositione vide optime P. Joan. de Card. Dissert. 25. 66

II. *Pro commoditate mutui.*

CErtum est, nihil posse accipi ex mutuo pro commoditate, quæ mutuo accepto provenit ipsi mutuatario, ut ex communi recte notat Lugo *disp. 25. n. 10.* Ratio clara est, quia commoditas illa, omne utique mutuo concomitans, non est tua, sed mutuatarii: ergo tu illam vendere non potes; & juxta Legistas: nemo suum commodum emere cogitur: alioquin certe panem unius v.g. denarii posses vendere 100. aureis, seu tanti, quanti valet hominis vita, quia panis ille conservaret vitam ementi extreme esurienti. At nunquid aliquid accipere poteris pro commoditate, qua te ipsum privas ex mutuo alteri dato? Resp. 67

Resp. cum Tamb. *cit. c.* 4. §. 6. non licere. *Ratio est:* quia in dando mutuo per quod fit beneficium mutuatario, semper involvitur aliqua commoditas ipsi donata a mutuante; & consequenter aliqua incommoditas a mutuante suscepta. Quod si tamen magna, & extraordinaria esset ejusmodi commoditas, qua se privat mutuans, utique vendi, & pro ea aliquid proportionatum recipi posset: sed jam vides: tunc clare reduceretur ad alium justum titulum, scilicet interesse, lucrum cessans, damnum emergens &c.

III. *Pro voluntate mutuandi.*

68 CLarum, & quæstione indignum est, nihil posse accipi pro ipsa voluntate mutuandi, cum hæc voluntas imbibatur in ipso actu mutuandi; si enim mutuas, certe mutuare vis; sicut ergo si vendis domum tuam justo pretio, non potes aliquid ultra accipere pro voluntate vendendi: sic & in proposito. Dic enim venditor emptori: ego vendo tibi domum meam justo pretio 100. aureis, & quia vendere tibi volo, exigo adhuc viginti pro voluntate vendendi: nonne gravis injustitia, immo insania est? tu enim non obligaris quidem vendere: posito tamen, quod vendas, sive sponte, sive rogatus ab alio, non poteris exigere, nisi quantum res tua valet: ita est in casu nostro. At numquid poteris aliquid accipere pro voluntate continuandi ultra terminum sorte præfixum? *Resp.* per se, & secluso alio justo titulo non potes: est enim velut novum mutuum semper imbibens voluntatem mutuandi: estque continuatio beneficii, sicut hactenus, ita deinceps gratuito præstandi. Loquimur autem semper de aliquo accipiendo ex pacto, tanquam debito: quod enim liceat ex libera mutuatarii gratitudine, jam partim patuit supra, partim amplius patebit §. *seq.*

IV. *Pro promissione, seu obligatione non repetendi mutuum.*

69 CErtum rursus apud omnes esse debet, nihil posse exigi pro promissione, ac obligatione non repetendi mutuum statim usque ad commodum tempus, prout *sect.* 1. §. 2. *n.* 6. explicatum, quia nimirum alioquin nullum, vel nugatorium fuisset mutuum, si statim, & ante tempus, commodum intentum repeti posset. Sed quæstio difficilis, & controversa valde est, an per se juste possit aliquid exigi, & recipi ex mutuo pro obligatione non repetendi mutuum ad aliquod certum tempus longius, v. g. ad integrum annum, ad duos, decem &c. idque per se, & secluso omni alio justo titulo lucri cessantis, damni emergentis, &c.

Sententia communis, & mihi vera

70 REspondet, omnino esse illicitum, injustum, & ipsissimam usuram. Ita communis DD. quos recitant, & sequuntur Mol. *tom.* 2. *disp.* 308. *n.* 8. Less. *lib.* 2. *c.* 20. *d.* 14. Bonac. *de contr. disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 6. Tann. *hic disp.* 4. *q.* 7. *d.* 3. Laym. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 8. Lug. *disp.* 25. *de justit. sect.* 3. *n.* 17. merito oppositam sententiam vocans falsissimam. Dicast. *tract.* 10. *de just. disp.* 2. Henrix *tom.* 3. *de mutuo q.* 2. Pluribusque congestis ex professo Nicolaus Dubois ad Propositionem 42. inter damnatas in Decreto Alexandri VII. (& est hæc ipsissima usura) *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Et in praxi approbat Tamb. *lib.* 8. *Decal. tract.* 3. *cap.* 8. §. 5. etsi more solito adhærens Sententiæ laxiori. Ratio solida est, quia pro ipso mutuo in se nihil potest accipi sine vitio usuræ: atqui illa promissio, seu obligatio non repetendi mutuum ad tale certum tempus, est imbibita essentialiter in ipsa natura mutui, obligatio autem non repetendi ad tale certum tempus longius, nihil aliud est, quam mutuum prolongatum, seu extensio beneficii gratuiti ad longius tempus, & licet addat aliquid supra naturam mutui in communi, nihil tamen addit supra hoc mutuum in specie: ergo sicut ipsum mutuum natura sua est gratuitum, ita etiam obligatio non repetendi essentialiter imbibita in illo mutuo debet esse gratuita, & consequenter pro illa obligatione non repetendi, non potest aliquid accipi ultra sortem sine vitio usuræ. *Confirmatur* 1. efficaciter ab absurdo consequenti. Hoc semel concesso, numquam committeretur in mutuo peccatum usuræ, nisi forte per accidens ignorantia, vel simplicitate mutuantis non potentis distinguere titulum lucri: quod enim injuste accipis ob ipsum mutuum, juste accipere posses ob obligationem non repetendi mutuum datum; at consequens sine dubio est absurdum, & Reipublicæ perniciosum, ergo. *Confirmat.* 2. egregia ratione a priori Lug. *cit. n.* 21. Ultra sortem, vel solutionem rei adæquatam nihil potest juste accipi, vel exigi: atqui quod mutuans obliget se ad non repetendum certo tempore, privando se interim jure negotiandi, vel utendi illa pecunia, adæquate ei solvitur reddendo postea mutuum cum simili facultate: sicut enim mutuo dando 100. privavit se facultate utendi, & lucrandi illa pecunia semper, ita postea redduntur ei 100. cum æquali facultate utendi, & lucrandi illa pecunia semper, quæ facultas ita æquivalet illi facultati, qua se privavit ad tempus, sicut pecunia reddita æquivalet pecuniæ datæ. Neque enim minus valet pecunia reddita post annum cum facultate utendi illa & fruendi postea semper, quam pecunia mutuata ante annum cum facultate utendi illa semper, etsi mutuans interim eo anno ea facultate caruerit: quod in omnibus aliis materiis commutandis constat. Imo etiam in foro Dei: sint enim duo æqualis meriti, & unus moriatur hodie, alter post annum, vel decem annos, recipient omnino æqualem gloriam, & tamen prior accepit gloriam cum facultate fruendi illis decem annis, quibus posterior frui non potuit.

Sententia opposita non improbabilis.

COntrarium, atque ita licitum esse docent non ignobiles DD. Med. Ledesma (dicens idem doceri a discipulis S. Th.) apud Less. *l. c.* qui multis argumentis probat, non esse improbabile, licet non concedendo. Alii plures apud Dian. *p.* 1. *tr.* 8. *de controv. res.* 484. & *p.* 5. *tr.* 13. *res.* 50. qui relatis hinc inde sententiis nihil definire audet. *Ratio* potissima est: quia negari non posse videtur, obligationem illam non repetendi mutuum, v. g. per integrum annum, esse novum onus pretio æstimabile, & distinctum a mutuo, quod subsistere magno beneficio posset per aliquot menses: ergo quod pro ea accipitur, non accipitur ex vi mutui usurarie, sed ex vi talis novi oneris juste. Sed jam responsum est numero antec. Non enim est onus distinctum ab hoc mutuo in particulari, neque pretio æstimabile, secluso alio justo titulo lucri cessantis, damni emergentis, periculi sortis &c. certe ipsi Adversarii in explicanda hac sua sententia recurrunt ad periculum indigentiæ pecuniæ in futurum, quale periculum numquam deesse volunt in mutuo ad longum tempus dato. Sed hoc supposito jam in re conveniemus: poterit enim sane aliquid accipi, sed non ratione ipsius obligationis non repetendi in se, sed ratione illius periculi adjuncti, quod certe non semper adesse solet, & quodnam erit illud periculum indigentiæ, nisi alicujus lucri cessantis, vel damni emergentis? 71

Confirmant tamen 1. Possum licite mutuare Petro 100. ea lege, ut si ego supervivam, ipse mihi anno decimo reddat 200. quasi decem in singulos annos, si vero decimum non attingam annum, nihil omnino restituat, ut etiam nos supra concessimus: at hujus alia ratio non est, nisi quod onus expectandi per tot annos cum timore tot periculorum sit pretio æstimabile: ergo similiter in casu nostro pretio æstimabile erit: quo ego subeo periculum, ne tanto tempore mutui tibi concessi, v. g. in integrum, duos, vel tres annos, inopinatus eveniat casus, quo ego pecunia mea indigeam, cum tu interim certus sis, te in omni casu superveniente posse uti pecunia mea, quam non repetere eo toto tempore promisi, & me obligavi. *Resp. neg. conf. & parit.* Quia in illo casu revera non est mutuum, sed alius contractus innominatus; *do, ut des*: & velut ludus sortis, ac talis periculi. Secus est in nostro casu, in quo est merum mutuum, & tu pro tuo incertissimo periculo indigentiæ pecuniæ certum pretium exigeres. Quod si autem periculum certum, vel valde probabile esset, iterum concedo, te posse aliquid exigere, at non ratione mutui per se, sed per accidens ratione illius adjuncti periculi, quod non semper aderit. 72

Confirmant. 2. Qui rem alteri locat, etsi ipse ea minime egeat, aut uti intendat, juste tamen pretium recipit. 73 Simile est, si habeas agrum, quem neque colis, neque colere intendis: si tamen aliquis te velit obligare ad non colendum eum agrum per unum, aut alterum annum, quod hoc in ejus utilitatem cederet, licite pro ea obligatione pretium reciperes, quia revera pretio estimabilis est: ergo a simili, cum quis mutuo dat pecuniam, etsi ea minime egeat, vel ea uti intendat, adeoque nullum inde ei lucrum cesset, tamen pro illa obligatione non repetendi ad tantum tempus tamquam revera pretio æstimabili, juste, & licite pretium recipere poterit. *Resp. Neg. conseq. & parit.* Quia in locato & exemplo de agro illo non transfertur dominium rei in alterum, sed penes concedentem, vel locantem manet: atqui nemo tenetur gratis alteri concedere usum rei suæ, aut novam rei suæ obligationem admittere. In mutuo autem transfertur dominium pecuniæ, vel rei mutuatæ in mutuatarium, & consequenter etiam omnimoda facultas, & jus ea utendi, ut dictum est, pro quo stato tempore redditur similis res cum simili omnino facultate utendi: ergo tu pro illa obligatione non repetendi interea nihil juste exigere poteris.

Confirmant denique 3. pro ipsa obligatione mutuandi pecuniam in futurum, v. g. intra annum, quando libuerit, licite potes recipere pretium, ut *sect.* 2. §. 2. concessum est ex communi doctrina: ergo etiam pro obligatione non repetendi pecuniam per annum v. g. juste recipies pretium. *Resp.* iterum *Neg. conf. & parit.* Quia obligatio ad mutuandum postea est aliquod onus patenter distinctum a mutuo: pro quo onere nihil æquale solvit mutuatarius, cum solum reddat, æquale pro mutuo dato, non autem pro obligatione prævia, seu necessitate mutuandi, quæ onus gravissimum est; & ideo juste pro illo onere distincto exigitur distinctum pretium: at vero in ipso mutuo obligatio non repetendi tanto tempore est intrinseca ipsi mutuo, ut tale est, & nullum onus affert mutuanti, nisi carere facultate eo tempore utendi pecunia, vel re sua, cui omnino æquale reddit mutuatarius dando ei æqualem pecuniam cum æquali 74

æquali facultate libera utendi illa in perpetuum pro suo libitu, ut supra ex Lugo dictum est.

Usuræ divisio indicata.

75 ALia dicitur *realis*, alia *mentalis*. Usura *mentalis* dicitur, qua lucrum usurarium non deducitur quidem in pactum exterius, tamen mente intenditur, & speratur, non ut gratuito offerendum, sed tamquam debitum ex vi mutui reddendum a mutuatario, de hac mox §. 2. Usura *realis* dicitur, qua lucrum ex mutuo, vel exterius in pactum deducitur, v. g. dicendo: mutuo tibi 100. sed ea lege, & pacto, ut ultra sortem des tantum, facias mihi hoc, vel illud &c. vel saltem tacite dicendo, v.g. scis bene, quid moris sit, habere me familiam alendam, confido pecuniam non reversuram vacuam, &c. Usura realis alia est *aperta*, quæ in mutuo formali, & expresso fundatur ut in allato exemplo: alia *palliata*, quæ committitur in mutuo non formali, expresso, sed virtuali, & implicito, nimirum sub alterius contractus specie, & quasi pallio occultata. De his §.3. & 4.

§. II. *Usura mentalis*, *& casus ab hac usura liberi, vel ambigui.*

76 USura ergo mentalis perfecta, & completa est, quidquid pretio æstimabile intenditur, & speratur a mutuatario ratione mutui tamquam *debitum* accipiendum, & *ut sic acceptum*, *& datum* tamquam debitum, ratione mutui, restitutioni obnoxium est. *Omnes*. Et clare constat *ex cap. consuluit* 10. *de usur.* mox tamen explicando. Ubi habetur *Usurarium mentalem esse inducendum in animæ judicio* (id est in foro conscientiæ) *ad restituenda*, *quæ accipit per usuram mentalem*: ergo usurarius mentalis verum dominium rei a se mentaliter sic tamquam ratione mutui debitæ intentæ, & sic datæ, non acquirit, sed restituere debet. Unde Molin. *disp.*306. cum aliis merito reprobat Sententiam Richardi docentis, usurarium non teneri ad restitutionem, nisi suam intentionem exigendi aliquid ultra sortem mutuatario manifestaverit: eo quod alioquin censeatur gratis dare: sic enim sequeretur, usurarium mentalem nunquam teneri ad restitutionem, contra expressum §. *Canon.* Eo ipso enim, quod sit solum mentalis, jam non manifestat suam intentionem pacto expresso: deinde falsa est illa præsumptio: nemo enim censetur gratis donare, vel rem suam prodigere, ut suo loco patuit. Dixi autem; *perfecta*, *& completa*: item *ut sic acceptum*, *datum tamquam debitum ratione mutui*. Si enim alio titulo intendatur, vel speretur mentaliter, vel alia intentione, aut titulo detur, non statim erit usura mentalis completa, & restitutioni obnoxia, ut patebit. Restat ergo solum ponere, & examinare casus ab hac usura liberos, vel ambiguos.

I. *Spes benevolentiæ*, *vel gratitudinis tantum.*

77 NOn est usura sperare, & intendere ex mutuo gratiam & benevolentiam mutuatarii, quam sicut aliis beneficiis, & obsequiis, ita etiam in mutuo intendere, & sperare possumus absque omni etiam levi peccato. Neque usura est sperare, ac intendere a mutuatario lucrum, vel compensationem quamlibet præstandam ex sola benevolentia, ac libera gratitudine, secluso omni pacto, vel debito Justitiæ: ut si quis mutuum det Principi, vel Episcopo ea intentione, & spe, ut ab eo officium, vel Beneficium Ecclesiasticum sibi, vel suis consequatur, quod etiam sine simonia fit: cum nullum pactum intercedat, sed mera spes gratitudinis. Neque quoad hæc refert, an lucrum speratum sit motivum principale, an secundario, causa motiva, an impulsiva tantum: quod enim desiderare possumus, etiam intendere possumus per media licita consequi. Communissima DD. quos congruunt Molina, Lay. Lugo *disp.* 25. *sect.* 4. *a n.*28. Ratio clara est, quia usura essentialiter pertinet ad injustitiam: non potest autem esse injustitia, vel injuria, ubi id, quod datur, omnino voluntarie datur, sine ulla admixtione involuntarii quemadmodum datur, quidquid ex sola gratitudine datur: ergo non spectat ad usuram, etsi aliquando ad avaritiam: ut cum quis non vult mutuum dare, nisi iis, quos novit fore gratos. Cæterum adhuc eo casu gratis damus mutuum, cum nullam obligationem, vel pretium exigamus ab alio, sed solum beneficio ad beneficium provocemus. Illud Christi Lucæ 6. *mutuum date*, *nihil inde sperantes*; intelligi debet uti consilium: quatenus excludit spem beneficii ex gratitudine a mutuatario accipiendi; præceptum autem est, quatenus excludit spem lucri sperandi, & præstandi tamquam ex debito, utpote veram usuram mentalem. Similiter quod Urbanus Papa, *in cap. consuluit de usur.* respondet. *Eum qui mutuat alias non mutuaturus*, *eo proposito*, *ut licet omni conventione cessante plus tamen sorte recipiat pro ejusmodi lucri intentione*, *judicandum esse male agere*, *& efficaciter ad restitutionem inducendum*: intelligi debet de eo, qui mutuum dat cum intentione lucri, seu pretii debiti ex mutuo accipiendi, qui censeri debet verus usurarius mentalis, quod autem ex gratitudine tantum datur, proprie non dicitur lucrum: nam lucrum proprie ex negotiatione, vel industria nostra oriri debet.

II. *Intentio lucri ex parte unius tantum.*

INsuper ad usuram mentalem completam, & restitutioni obnoxiam necessario requiritur, ut & mutuator speret, ac intendat accipere, & mutuatarius velit, ac intendat dare aliquid ultra sortem tamquam pretium, seu debitum justitiæ ratione mutui, quamvis secluso pacto externo, quia tunc solum censetur mutuatarius secundum quid involuntarius, vel invitus dare. 78

Unde quando mutuatarius quidem gratis, & liberaliter dedit aliquid ultra sortem, mutuator autem mala fide accepit tamquam debitum ratione mutui, est quidem usura mentalis inchoata, sed non perfecta, nec restitutioni obnoxia simpliciter, quia ex parte donantis fuit voluntas libera, & sufficiens ad transferendum dominium, etsi fuerit vitiosa voluntas acceptantis. Ita contra Antiquos nonnullos docet communis DD. Scotus 4. *d.*15. *q.*1.*a.*2.*n.*19. *v. sine pacto etiam*, quem, teste Mastrio *c.*1. *n.* 52. sequuntur non solum Scotistæ omnes, sed etiam major pars Juristarum & Theologorum, Lessius *l.*2. *c.*20. *dub.*6. Molina *disp.* 306. Amicus *disp.*20. *sect.*5. Lugo *cit. sect.*4. *n.*29. Ratio est, quia solus animus habendi rem alienam non facit aliquem habere rem alienam actualiter, sed requiritur, ut illam actu habeat, ac retineat, invito domino: at usurarius mentalis recipiens aliquid ultra sortem animo solum usurario, rem alienam habet animo solo, non autem reipsa: ergo non habet rem alienam, nec consequenter tenetur ad restitutionem. Ma. patet. Min. prob. quia mutuatarius omnino liberaliter dat ultra sortem, ut hic supponimus; ignorat enim, quod usurarius intendat habere illud ratione mutui, ideoque dominium illius lucri in illum transfert. *Confir.* ex Amico cit. Ubi nulla intervenit juris læsio, ibi nulla potest esse restitutionis obligatio, sed in tali casu nulla intervenit læsio juris, cum mutuatarius non coacte, & involuntarie mixte, sed sponte, & libere det: ergo per se nulla erit obligatio restituendi in mutuante. Licet ergo peccaveris mala fide accipiendo, & durante illa mala fide ob conscientiam erroneam restituere obligeris, attamen deposita illa conscientia erronea, & veritate cognita, nimirum alterum revera gratis donasse, tuto & retinebis, & si dedisti, repetere poteris, quia jam habes justum titulum retinendi, scilicet gratuitæ donationis. E contra vero, si mutuatarius quidem dedit quasi ex debito, sed mutuator accepit bona fide, quasi donatum liberaliter ex gratitudine eo quod nullum pactum de lucro præcesserit, est quidem usura materialis: cum datio fuerit secundum quid involuntaria absque animo donandi, & insufficiens ad transferendum dominium; non tamen erit usura formalis completa, nec obnoxia restitutioni; quandiu lucrum sic bona fide acceptum, bona fide possessum, vel absumptum fuit. Secus dicendum, si cesset bona fides, & mutuator resciat, intentionem dantis fuisse tamquam debitum: tunc enim evadet in usuram formalem restitutioni obnoxiam, ut per se patet; nam licet accipiendo bona fide non peccaveris nec illa bona fide persistente restituere tenearis, attamen cessante illa bona fide, & veritate cognita, cum tibi desit justus titulus retinendi, omnino restituere debebis lucrum acceptum, vel si jam bona fide absumpsisti, quantum inde ditior factus es; si in nullo ditior factus, rursus nihil debebis juxta Regulas restitutionis a possessore bonæ fidei. 79

III. *Quid in dubio de intentione dantis.*

QUid si dubium sit, utrum mutuatarius dans ultra sortem aliquid mutuanti, dederit liberaliter, & gratis ex libera gratitudine, an vero ex vi mutui tamquam debitum, facta sufficienti inquisitione de intentione dantis, dubioque perseverante? *Distinguendum est*: si enim dubium mere negativum sit, lucrum acceptum retinere non poteris, sed restituere teneberis. *Ratio est*, quia in tali dubio melior est conditio domini innocentis, & certo possidentis rem suam; atqui in proposito, etsi tu lucrum jam acceptum possideas materialiter, seu ut vocamus, mere naturaliter; mutuatarius tamen tamquam adhuc verus dominus, & innocens adhuc possidet vere, & civiliter, donec constet de vero titulo translationis dominii: quemadmodum quando prædo possidet rem tuam ablatam, possessio vera, & civilis apud te manet, licet possessio materialis, seu naturalis sit apud prædonem. Ita contra Cajetanum Less. *cit. dub.*5.*n.*45. Lugo *disp.*25. *sect.*4.*n.*32. At vero, si dubium positivum sit ob rationes utrinque probabiles, aut verosimiles, ac rationabiles conjecturæ adsint, mutuatarium donare, vel donasse liberaliter, jam sequendo probabilem Sententiam tibi favorabilem, tuto recipies, & retinebis, donec de opposito constet, juxta dicta alibi. Cæterum signa, vel conjecturæ rationabiles, quod aliquid donetur, vel donatum sit liberaliter, in proposito sunt. 1. Si mutuans serio recuset, vel reddat lucrum acceptum mutuatario: isque nihilominus iterum donet. 2. Si idem mutuatarius alioquin sit dives, liberalis, magnificus. 3. Si in dando lucrum non præseferat tristitiam, vel molestiam: præsertim quando is non speret iterum ab eodem mutuum accipere. Contra vero si mutuatarius sit inops, sit parcus, avarus, si in dando tristitiam, vel molestiam præseferat, 80

rat, si conqueratur de amicis, de jactura lucri dati: si pateat ipsum moveri ad dandum lucrum, ne denuo petenti mutuum negetur, ne capitale repetatur &c. (de hoc mox iterum) hæc, & hujusmodi erunt non vulgaria indicia involuntarii, adeoque non liberalis donationis: uti ex Dicast. optime adnotat Tamb. *l.8. Decal. tr.3. c.8. §.2. nu.16.*

IV. *Datum a mutuatario ex timore.*

81 QUid si mutuatarius det aliquid ultra sortem, non quidem tamquam debitum vi mutui, cum nullum pactum præcesserit, sed quia timet, se alia vice, cum indigebit, non accepturum mutuum, ne videatur, vel vocetur ingratus, aut ne alioquin capitale diutius mutuandum repetatur? eritne mutuator id sciens, & scienter acceptans usurarius mentalis, & obnoxius restitutioni? Affirmant sane multi ob resolutionem usurariæ intentionis. Sed æque probabiliter negant multi cum *Lugo cit. n.35.* dummodo revera desit animus accipiendi tamquam pretium, vel ut debitum ex justitia, quod ad veram usuram requiritur ab omnibus Doctoribus; atqui aliquid ex tali timore dari, non facit, quod detur, ut pretium vel debitum; sed potius ut gratuitum motivum ad alliciendum mutuantis animum, ut novum beneficium in dantem conferat, aut ne cesset a beneficio, a quo licite cessare posset. Quemadmodum nec simonia est, quando Episcopus famulo, vel Officiali Beneficium confert, nullo pacto præcedente, timens tamen ne famulus alioquin ab ejus obsequio discedat: nec famulus etiam id sciens simoniace accipit Beneficium: quia revera nullum intervenit pretium, sed solum conciliatio novæ benevolentiæ. Loquimur autem in casu, quando mutuatarius ex se ita timet velut timore ab intrinseco concepto. Aliud esset, si metus talis esset incussus ab ipso mutuatore utpote minante infamiam ingratitudinis, numquam amplius mutuaturum, aut capitale repetiturum, &c. tunc enim esset usura vere mentalis cum obligatione restitutionis: quia licet non datum esset ut pretium, tamen datum esset involuntarie ex causa injuste posita, scilicet injusta extorsione per metum, quæ ipsum obligat ad restitutionem.

82 At quid si ita intendas, aut etiam paciscaris cum mutuatario: Mutuabo tibi centum, interim tu hoc, vel illud mihi præstabis, v. gr. meam officinam, meum molendinum frequentabis, merces apud me emes, vel aliud simile quid præstabis; at quando desieris hæc præstare, debebis mihi mutuum reddere? Aut sic: Non repetam mutuum tibi concessum, quamdiu hoc, vel illud præstiteris, vel dederis, intelligendo semper non tamquam debitum vi mutui, sed ex liberali tua gratitudine in recognitionem beneficii mei? Resp. Quamvis omnes fateantur, id esse periculosum, neque in praxi facile concedendum; attamen in rigore loquendo, si sine fuco, & fallacia fiat, revera usuram non esse, docent gravissimi DD. Less. *l.c.* Mol. *disp.309.* Lug. *disp.25. n.53.* aliique apud Dian. *p.11. tr.8. res.23.* Ratio est, quia nihil hic exigo tamquam ex Justitia, seu tamquam pretium mutui quod certe gratis concedo, sed volo experiri beneficentiam, seu gratitudinem reciprocam mutuatarii: & volo illum esse terminum mutui, qui est terminus liberalitatis, vel obsequii ejus: numquid enim licite possum desinere tibi beneficium conferre, quando & tu mihi desinis benefacere? aut quæ injustitia in me, si ego nolim perseverare in beneficio mutuandi, quando & tu recusas mihi conferre aliud beneficium? nonne merito possum te tamquam ingratum repellere, etenim gratitudinem tuam requiro non tamquam pretium mutui, sed tamquam conditionem mutui continuandi? ut in simili dictum est *sect.2. §.1.* Sed quidquid sit de probabilitate speculativa, quam certe negare non possum; in praxi tamen simpliciter non acquiesco (nisi certissimus essem de sincera intentione ita mutuantis) propter nimium periculum usurariæ intentionis, & certe semper fere annexum involuntarium ex parte mutuatarii, ut ibidem notavi.

§. III. *Usura realis aperta, & Casus certo usuram continentes.*

83 USura ergo realis aperta est, quidquid pretio æstimabile pacto expresso, vel tacito exigitur, & recipitur vi mutui per se tamquam debitum ex justitia, seu tamquam pretium mutui in pactum deductum. In hoc conveniunt omnes; & *Ratio* patet ex dictis: quia in hoc ipso consistit formalis ratio, & malitia usuræ, quod ratione mutui natura sua contractus gratuiti salva sorte, absque ullo alio titulo injuste obligetur mutuatarius ad aliquid, seu ei imponatur quodcumque onus pretio æstimabile, quasi deberetur ex Justitia: atqui talis obligatio, & onus imponitur mutuatario, quotiescumque expresse, vel tacite in pactum deducitur, ut ratione mutui præcise ultra sortem obligatus sit aliquid tale dare, vel præstare: tunc enim illo acceptante & promittente censetur exigi, & recipi tamquam debitum ex justitia, seu tamquam pretium mutui in pactum deductum: ergo tunc semper est usura realis aperta. Casus nimirum varios ad aliquot certas classes revocatos breviter percurramus.

I. *Munus a manu, a lingua, ab obsequio.*

USura est, mutuum dare cum pacto, ut mutuatarius obligatus sit ultra sortem præstare quodcumque munus, non tantum 1. *a manu*, scilicet mihi, vel meis aliquid largiri in pecunia, vel alia re pretio æstimabili, nimis notum: sed etiam 2. *a lingua* utpote, ut laudem, commendationem apud alios impertias in ordine ad quamcumque commoditatem, vel promotionem officii, beneficii, connubii: ut pro me alloquaris Principem, Judicem, pro me apud Principem intercedas, vel meum negotium geras: aut 3. *ab obsequio* utpote, ut me, vel uxorem honoris causa comiteris ad Ecclesiam, forum; ut pro me aliquod iter suscipias; pro me fidejubeas, vel aliquod opus in meum obsequium facias, ut medendi, docendi, advocandi &c. ut fœmina mutuataria usum corporis concedat: ut Princeps vel Episcopus mutuatarius officium, vel beneficium vacans, vel Emphyteusin concedere teneatur: aut interim te a tributis, vel oneribus liberet, & cætera his similia innumerabilia. Communissima DD. Mol. *disp.310. & seqq.* Lug. *disp.25. sect.5. n.58.* Ratio patet ex dictis: quia in iis, & similibus omnibus ultra sortem imponitur mutuatario onus grave, & pretio æstimabile; & licet aliqua ex istis, ut laus, commendatio, honor in se non sint pretio æstimabilia, ipsa tamen obligatio, & onus ista præstandi in gratiam mutuatoris pretio æstimantur, ut pro ejusmodi opere, vel obligatione etiam mercedes, vel salaria constitui soleant. Hinc merito Valentia *to.3. disp.4. punct.2.* communiter receptus ab aliis, docet, illicitum, & usurarium esse, ratione mutui a mutuatario exigere etiam amorem, amicitiam, benevolentiam, tamquam quid debitum ex justitia, ut mutui. *Ratio est* quia si exigeres amorem ex justitia, exigeres plus, quam tibi a mutuatario debetur: ex mutuo enim non debetur tibi amor, nisi tantum ex convenientia, ac debito morali, & libero, non autem ex obligatione ulla justitiæ. 84

II. *Obligatio remittendi aliam obligationem.*

USura est, mutuum dare alteri cum pacto, ut remittat tibi obligationem restituendi, non tantum in bonis fortunæ, sed etiam famam, vel honorem, quem antea injuste læseras: cum talis obligatio tibi onerosa, & molesta sit, ideoque ejus condonatio pretio æstimabilis Less. *lib.2. c.20. d.7.* Laym. *cap.16. n.2.* Lug. *ibid. sect.5. n.37.* Eademque ratione usura erit mutuare cum pacto, ut mutuatarius abstineat ab actione injuriarum, quam ipse juste intentare posset: cum & hoc jus ipsius pretio æstimabile sit. *Communis apud modo citt.* Etsi contrarium teneant Sotus, & alii cum Nav. *c.17. n.238.* Ea ratione, quod satisfacere pro injuria quis non teneatur ante sententiam Judicis, consequenter hic nihil dimittatur pretio æstimabile. Sed respondetur facile, hic non remitti directe ipsam satisfactionem nondum debitam, sed ipsum jus exigendi satisfactionem a Judice, quod mutuatario læso statim competit, & sine dubio pretio æstimabile est. Attamen in istis casibus recte monet Laym. *loc. cit.* nisi aperte constet, raro timendam esse usuram, quia plerumque præsumi potest, mutuatarium, si vir humanus sit propter præstitum sibi mutuationis beneficium prædicta debita gratis remittere, & condonare. Et hoc sensu forte *Sot. cit.* negat hæc pacta esse usuraria, & quod ejusmodi obligationes soleant per amicitiam condonari. 85

Ex dictis resolves aliud dubium vulgare: utrum possis mutuare inimico tibi offenso, a quo vindictam times, cum pacto, ut mutuatarius ab illa vindicta desistat. Resp. enim cum distinctione potes licite sic pacisci, ut desistat a vindicta injusta, vel injusto modo intentata (v. gr. propria auctoritate, cum tamen debeat fieri auctoritate publica) sicut etiam ut desistat ab odio, inimicitia &c. *Ratio* clara est: quia sic petis, quod is tibi antea debet, sive ex Charitate, sive ex justitia: & sic non imponis illi novum gravamen. Non autem potes ita pacisci, ut desistat a vindicta, seu satisfactione justa, vel quam potest implorare ab auctoritate publica: quia revera sic imponis illi novum gravamen pretio æstimabile, juxta modo dicta, & cum eadem animadversione intelligendo. 86

III. *Obligatio vicissim contrahendi.*

USura est, mutum dare cum pacto, ut mutuatarius obligatus sit vicissim aliquid aliud mutuo dare, aliumve quemcumque contractum emptionis, venditionis, locationis &c. inire: merces apud te tantum emere: in tuo tantum molendino molere: operam suam tibi locare: tuam scholam, vel officinam tantum frequentare, & cætera innumera. Communis DD. cum S.Th. *2.2. q.78. ar.2.* Nav. *cap. 17. n.220.* Molin. *disp.309.* Lay. *cap.16. n.3.* Lug. *disp.25. sect.5. n.46.* Alii apud ipsos. Ratio eadem, quæ supra: quia in his, & similibus omnibus mutuatario ultra sortem suo tempore reddendam, onus, seu gravamen imponitur, quod est pretio æstimabile: etenim obligatio mutuandi, emendi, locandi, onus quoddam est, pro quo potest aliquis pretium accipere, ut supra dictum: ergo est usurarium, & quoad æstimationem oneris illius, seu quantum mutuatario interest, onus tale non fuisse impositum, restitutioni obnoxium: pro quo tamen duas observationes notabiles 87

tabiles generales dabo mox post numerum quartum. Scio, *Sotum*, *Petr. Nav.* immo & *Mol.* negare esse usuram, si cui des mutuum eo pacto, ut postea justo pretio colat agros: probantque communi praxi, qua homines dant rusticis pecunias cum pacto, ut postea agros eorum, vel vineam colant. Sed certe non possunt loqui, vel intelligi, id licere ex vi mutui per se: jam enim aliud gravamen præter sortem adjicis, ut manifestum est. Intelligendi ergo sunt, id licere per accidens ex aliquo adjuncto, & mox infra observandis. Caram. *lib.2. Th. Mor. n.748.* more suo subtiliter explicat, & salvat id per compensationem gravaminum: dominus enim mutuans subit gravamen multiplex. 1. Ut non repetat pecuniam ante tempus, quo solent agricolæ, etiamsi indigeret. 2. Ut non adhibeat alios rusticos ad suos agros colendos, quos posset habere forte commodiores. 3. Obligat se ad solvendam reliquam pecuniam, eamque comparandam, si forte non habebit, ut rustico fidem servet. Si ergo dominus hæc gravamina subit, non erit injustitia ad illud onus colendi agros rusticum mutuatarium obligare. *Sic ille*. Vide an placeat: placebunt magis infra dicenda.

IV. Gravamen impositum in ipso mutuo accipiendo, vel reddendo.

88 I. Usura aperta est, si mutues alicui 100. aureos cum pacto, ut is cum notabili suo labore, vel molestia (& maxime, si cum expensis) exigat illos 100. a tuo debitore, aut ut partem mutui accipiat a te in pecunia, & alteram partem in debito, quod difficulter recuperari poterit. Item, ut accipiat 50. in pecunia, alia 50. alia merce, vino, frumento, panno, &c. non facile vendibili saltem tanti, Mol. *disp.310.*

89 II. Usura est, si mutues pecuniam cum pacto, ut teneatur eam tibi solvere tempore messis, vel autumni in frumento, vino, aliisque fructibus, etiam justo pretio, quo tunc illi fructus valebunt: *Azor.* aliique cit. Tamb. *lib.9. de Controv. tr.1. c.4. §.3.* Quia etiam sic addis novum gravamen: mutuum enim pecuniæ requirit, ut solvatur in pecunia, tu vero obligas, ut det vinum, frumentum, fructus &c.

90 III. Usura est, si mutues hic Passavii pecuniam, vinum, frumentum, cum pacto, ut reddat tibi alibi, Viennæ v.g. ubi plus valet, vel etsi non plus valeat, transportatio tamen illi onerosa est: *Navarr.* Quod si tamen ille in illo alio loco frumento indigeat, & tu tuum frumentum ibidem existens ei ibi mutues cum pacto, ut reddat hic Passavii, Tamb. *cit. §.4. num.5.* excusat te ab usura: quia tunc perinde est, ac si tu illud frumentum illuc trasportares in commodum mutuatarii, ut ille vicissim transportet hoc in commodum tui mutuantis: adeoque esset æqualis commutatio gravaminum. *Sic ille*. Sed tu considera: an putas gravamina æqualia esse, cum tuum sit imaginarium, alterius reale?

91 IV. Usura est: si mutues vinum v.g. Austriacum cum pacto, ut reddatur tibi vinum alterius qualitatis, vel Regionis, quod paratu sit difficile. Item mutuare cum pacto, ut quod tibi debeo disjunctive, vel in pecunia, vel in frumento vel vino, reddam tibi determinate in pecunia tantum, aut in vino tantum. Item cum pacto, ut, quod tibi debeo post annum, reddam nunc, vel post duos menses: & cætera his similia innumera. *Ratio* horum, & similium omnium est, quia sic gravamen imponitur novum mutuatario. Quod si tamen debeam, tibi 200. post duos annos solvendos, & paciscar tecum, dare 100. statim primo anno; ut pro aliis expectes adhuc unum annum, nempe usque ad tertium, tu ab usura certe immunis eris, tunc enim esset compensatio gravaminum: ego enim do gravamen reddendi 100. statim primo anno, cum potuissem post duos dare; & tu das mihi gravamen pro aliis 100. expectandi diutius adhuc annum, scilicet usque ad 3. cum posses exigere anno secundo. Denique, si vellem secundo anno primum solvere tibi 100. cum pacto, ut pro aliis 100. expectares tertium usque annum, jam ego usurarius, aut certe injustus essem: sic enim aggravarem te creditorem meum, ut expectes ad tertium annum, quod certe non teneris. Tamb. *cit. cap.4. §.7.* Jam vero quoad prædicta omnia addo duas magni momenti observationes.

OBSERVATIO I.

Quoad compensationem, seu restitutionem ejusmodi gravaminum.

92 Qui mutuum dedit cum ejusmodi onere pretio æstimabili, utique pro illo onere, vel gravamine ei compensare tenebitur. Et quidem re adhuc integra, ante executionem talis oneris solum mutuator debet mutuatarium liberare ab illo onere imposito, & pactum dissolvere, ut nolit eum civiliter obligatum, sed in ejus libera voluntate esset ex gratitudine tale quid præstare. Post vero opus jam exhibitum, & factam executionem gravaminis illius, restituendum erit proportione damni, quod mutuatarius in executione illius oneris passus fuit: ut si apud alium meliores merces, vel viliori pretio emisset, alteri carius vendidisset, commodius, vel meliori mercede laborasset, minori labore, vel breviori via ad aliud molendinum accedere potuisset &c. Quod si vero in executione ejusmodi oneris nullum damnum passus est, sed mutuator reciprocum mutuum fideliter solvit, merces justo pretio vendidit, vel emit, justum pro mercede laborem reddidit &c. tunc nihil restituendum est ex parte mutuatoris respectu sui commodi, quod inde percepit, sed solum adhuc ex parte mutuatarii, quantum gravamen, & obligatio illa suscepta æstimari potest. Et certe talis obligatio ex se semper pretio æstimabilis est, atque etiam, si quis ipsam rem facile, & sine sua molestia, vel incommodo faciat: v.g. Musicus, etsi facillime, & cum voluptate semper cantans, & ludens, si tamen ad id obligaretur, tantum ei pretium deberetur: quia jam habet gravamen, dum, quod alias libenter, & libere facit, jam ex obligatione facit: sic quamvis mutuatarius nullum incommodum sentiat in gravamine a te imposito, v.g. tibi suas operas locando, tuum molendinum adeundo, utpote sibi vicinum &c. non ideo negabis, esse aliquod gravamen pretio æstimabile, ideoque a te compensandum, si id ex obligatione faciat vi mutui a te concessi: excepto semper, nisi ipsemet nihil faciat, adeoque condonare videatur.

Ubi pro praxi valde advertendum est, quod usurarius quidem tentet mutuatario imponere debitũ ex justitia ad præstandum aliquid ultra sortem, reipsa tamen non imponit, cum implicet per injustitiam imponi debitum, seu onus justum; ideoque revera nulla imponitur obligatio naturalis in conscientia, sed solum imponitur obligatio externa, quasi civilis, seu vinculum humanum promissionis, ac fidelitatis externæ, cui homines honesti, vel honorati resistere non audent, postquam utcumque promiserunt, ne scilicet male audiant, vel imposterum careant; quod ipsum tamen onus pretio æstimabile est, & in proposito injuste impositum restitutioni obnoxium, & eo magis, quo magis rationabiliter æstimatur illud onus ab onerato mutuatario. De facto tamen plerumque censetur æstimari parvi, vel a mutuatario condonari. Unde recte infert Mol. *disp.309. nu.5.* Quod si onus illud minime curetur a mutuatario, nullumque ei gravamen adferat, quippe qui etiam mutuo non accepto libenter tale pactum iniisset, aut ultro sua sponte se ad hoc obtulit, tunc mutuatorem non teneri ad ullam restitutionem, sicut nec proprie committit usuram: quia tunc nullum adest involuntarium necessario requisitum ad injuriam, seu injustitiam, qualis essentialiter est usura. Et hac ratione forte intelligendi sunt Angelus, Major, & alii, ejusmodi pacta usuraria esse negantes. 93

OBSERVATIO II.

Quoad executionem illorum gravaminum.

Prædicta, & similia gravamina a mutuante imposita mutuatario, sæpissime excusantur & a vitio usuræ, & ab onere restitutionis, aut quia mutuatarius vere liberaliter, voluntarie, & ex libera gratitudine ea præstet, nullum attendens debitum, vel obligationem, aut etsi obligationem agnoscat, non tamen curat, vel æstimat, quia ei difficile, vel incommodum non est, juxta modo dicta: aut denique & maxime, quia in ejusmodi pactis revera non est contractus mutui, sed emptionis, vel conductionis, aut locationis, vel simile, v.g. si mutues rustico pecuniam cum pacto, ut pro ea restituatur frumentum &c. usura est ex dictis. At vero, si des pecuniam rustico egenti, & petenti, emendo ab eo frumentum futuræ messis nunc anticipato solvendo, & consignandum suo tempore, juxta pretium tunc currens, certo usura non est, sed emptio justa, quam alicubi vocant contractum ad metam. Item si des mutuo pecuniam rustico, ut is obligatus sit in æstate colere tuos agros, usura est ex dictis. At si illa pecunia tamquam jam anticipato soluta, conducas ipsius operas futuras in colendo agro tuo, nec mutuum, nec usura erit, sed contractus justus conductionis & locationis. Idemque est in simili; ut si pecuniam des Medico, Chirurgo, Opifici, non tamquam mutuum, sed conducendo eorum operas anticipato solutas (seu ut vocamus vulgo ad demerendum, *zum abverdienen.*) quod valde notandum Confessariis, & pœnitentibus prudenter explicandum. 94

§. IV. *Usura palliata, & Casus dubie usurarii.*

Usura palliata est, quæ committitur in mutuo non formali, & explicito, sed virtuali, & implicito, quippe sub alterius contractus specie, & nomine occultato, & quasi palliato. Exempla sunt. 95

I. Sub pallio depositi.

Deponis apud aliquem pecuniam (idemque est, si eadem conditione aliquem instituas procuratorem redditum tuorum) data ipsi facultate utendi ex pacto, ut propterea obligatus sit aliquod tibi pretium solvere, v.g. 8. pro 100. usura palliata est, sub nomine depositi: revera enim contractus ille non est depositi sed mutui, ut habetur *L. certi, & seqq. ff. de rebus creditis*. Nam in deposito rei dominium manet penes deponentem; cum autem jus utendi immo absumendi pecuniam datur, transfertur jus dominii illius rei in utentem; ergo fit mutuum, & consequenter ex dato, ac recepto inde pretio, usurarium; ut bene notat Navarr. *lib.3. consil.1. art.4. de deposito;* assignata hac pulchra 96

Regu-

Regula. *Omnis depositio rei consistentis in numero, pondere, & mensura, concessa facultate utendi, & adjecto pacto aliquid propterea solvendi, injusta est.*

II. Sub pallio emptionis, & locationis.

97 Alicui mutuum petenti respondes, non tibi mutuo, sed pecunia ista, v.g. 50. aureis emo a te duas vaccas, quas tibi locatas volo pro annua pensione 6. florenorum, an juste, Resp. Siquidem alter vaccas revera non habeat, nec habiturus sit, merissima usura est sub ficto emptionis, & locationis nomine palliata. Si vero de facto vaccas utiles habeat pro ea pensione, serventurque conditiones contractus locationis (& maxime hæc, ut periculum vaccarum ad locantem tamquam emptorem spectet) is ab usura immunis erit; ex communi DD. Similiter juxta paulo ante dicta *Molin. Laym.* & alii *cit.* ab usura recte defendunt hunc contractum, si mercator indigenti, & petenti dicat: nolo tibi mutuare, sed hac pecunia conduco tuas operas ad futuram messem, & autumnum, anticipata solutione mercedis.

III. Sub pallio venditionis, vel emptionis.

98 Mercator mercem minus valentem 80. florenis tantum ob solam solutionem pretii dilatam carius vendit, v.g. florenis 100. est usura palliata sub specie venditionis: revera enim nihil aliud agit, quam quod 80. florenos tamquam pretium justum statim solvendos emptori in longius tempus mutuo det, ut eos post annum, v.g. reddat cum auctuario floren. 20. quod tamquam verissima usura reprobatur *c. in civitate 6.* & *c. consuluit* 10. Excipe semper nisi mercatori intersit, solutionem pretii non differri ratione scilicet lucri cessantis, vel damni emergentis: neque lateat emptorem ob solutionem dilatam mercem carius vendi. E contra si mercem plus valentem, v.g. 100. florenis, ob solam anticipatam pretii solutionem minoris emit, quam res valeat, v.g. florenis 90. vel 80. usura palliata est, sub specie emptionis; quia diminutionem istam justi pretii lucratur non ut emptor, sed tamquam mutuator pecuniæ citius solutæ pro illo pretio detracto, ut habetur *cap. naviganti fin. de usuris*. Excipe rursus; nisi alia justa causa subsit: utpote, quia certo scitur, vel creditur, mercem futuro tempore minoris valituram, ut si a te emam frumentum tempore veris tunc valens 5. florenis, sed tradendum primum tempore autumni, quo probabiliter creditur minus valiturum, anticipata solutione utique juste, & sine usura potest emi minoris, v.g. 4. florenis cum dimidio, vel adhuc minoris, quia fieri posse putatur, ut tunc adhuc minus valeat.

IV. Sub pallio venditionis, & reemptionis, seu Mohatræ.

99 Non raro contingit, quod quis indigeat, v. g. pecuniis, quas mutuo acciperet, si mutuantem inveniret, sed quia dantem mutuo non invenit, vadit, v.g. ad mercatorem, a quo merces aliquas summo pretio justo, sed credito, solvendas scilicet post annum, v. g. & statim eas eidem mercatori pretio infimo pro numerata pecunia revendit (qui contractus apud Hispanos dicitur *Mohatra* apud Italos *Stocco*) sic, v.g. Petrus mercator credito vendit Paulo pannum, aliamve mercem pretio summo, v.g. aureis 100. & statim eundem pannum numerata pecunia reemit pretio infimo, v.g. 90. tantum aureis: aut e contra Paulus indigens pecunia præsenti, emit a mercatore pannum credito, dicto summo pretio, is mox revendit pretio infimo numerato, sic ut Paulus maneat debitor in illo summo pretio 100. aureorum: quæritur an licite, & juste. Usuram palliatam ordinarie præsumendam merito agnoscunt DD. *communiter*: Quia revera nihil aliud agi videtur, quam quod sub specie emptionis, & venditionis reciproce homini pecunia indigenti mutuentur 90. v. g. aurei cum pacto, ut postea restituat 100. lucrum non aspernabile. Et vere certa usura erit, si initio statim ita paciscantur; & maxime, si ipse mercator prior ita in pactum deducat, & verb. gr. mutuum petenti dicendo: Non mutuabo tibi, sed vendo tibi hanc mercem justo, & rigoroso pretio 100. aureis, ut mox mihi revendas, vel: Ego redimam pretio infimo numerato 90. aureis, & tu manebis postea debitor in 100. ut bene probat noster Gabriel 4. *dist.* 15. *qu.* 11. *art.* 3. *d.* 3. Et agnoscunt DD. *communiter*. Quo sensu merito damnata est ab Innocentio XI. Propositio illa 40. *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis, prævie inito cum intentione lucri.* Utpote sic generaliter, & ut jacet, scandalose, & perniciose docens, licere sic vendere cum prævio pacto retrovenditionis cum intentione lucri. Nam scandalose docetur, usuram esse licitam: sed hujusmodi mohatra est usura saltem palliata: ergo scandalose docetur. Ma. constat. Min. prob. Quia nihil aliud est vendere rem valentem 100. addito pacto retrovenditionis pro solum 90. quam velle mutuare 90. cum pacto, ut alius teneatur solvere 100. & sic supra sortem 10. accipere: ergo in hoc contractu mohatra cum pacto retrovenditionis respectu ejusdem personæ primo vendentis majori pretio, quam in retrovenditione pactum est, datur quædam propria, palliata quidem, usura, seu *lucrum ex mutuo vel ex vi mutui proveniens*. Vide desuper fusius alios in propositiones damnatas scribentes.

At vero secluso ejusmodi pacto expresso, vel implicito, 100
atque intentione usuraria, ex se non est illicitum, vel injustum, dummodo vere emant, vendant, nec palliare velint mutuum cum usura, & mercator bona fide vendens rem summo pretio, relinquat in emptoris libertate revendendi, cui velit, aut emptor ipse ipsum rogaret, ut redimat. Ita vere communis DD. Angelus *v. usura n.* 2. Navarr. *c.* 23. *nu.* 91. Petrus Navarr. *l.* 3. *c.* 2. Less. *l.* 2. *c.* 21. *dub.* 16. Laym. *hic c.* 16. *n.* 16. Lug. *disp.* 26. *n.* 205. Tamb. *l.* 8. *Decal. tr.* 3. *c.* 7. §. 8. *n.* 9. Ratio est: 1. quia prior, & posterior venditio justa est, quippe justo pretio sine fraude facta, ut supponimus. 2. Alius quilibet mercator posset illum pannum, vel mercem dicto infimo pretio emere, ut omnes concedunt: cur ergo non etiam ille idem, qui vendit? 3. Quia sic Paulo libere volenti, & petenti non solum nullam infert injuriam, sed etiam liberat eum labore quærendi alium mercatorem, qui certe labor pretio æstimabilis est. 4. Quia merces ultroneæ vilescunt, eo enim casu mercator, ut redimat, rogari solet: immo hoc casu, quo rogatur, non solum infimo, sed adhuc viliori pretio emere poterit: quia merces ultroneæ vilescunt, juxta mox dicenda *c. seq. de empt. & vendit.* Plura vide apud citt. præsertim *Lug.* Duo adhuc magni momenti dubia restant.

Dubium primum.

Quid de mutuo cum pignore fruendo, vel lucrando?

Usurarius omnino est contractus dictus *antichrisos* 101
(vulgo ein Pfandtschafft) cum quis mutuo dat accepto pignore cum pacto, ut interim fructus pignoris lucretur. Communis DD. Cajet. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. Sotus *l.* 6. *q.* 1. *art.* 2. Nav. uterque, aliis citt. Molin. Lug. Laym. *cit. nu.* 17. & constat ex utroque Jure; Civili L. 1. & 2. *C. de pign. action.* & L. 1. *de dist. pig.* Et Can. *c.* 1. & 2. & *c. conquestus de usur. c. cum contra, c. significavit, de pignor.* Ubi dicitur: fructus rei oppignoratæ computandos esse in sortem, detractis expensis. *Ratio fundamentalis est:* quia sic creditor vere ultra sortem aliquid lucratur: nam omnis res suo domino fructificat: atqui in pignore quocumque dato non transfertur dominium pignoris in eum, cui datur, sed remanet in dominio ipsius mutuatarii: ergo huic, & non illi fructificat: consequenter mutuans sibi eos fructus applicare non potest, sed detractis expensis debet eos reddere mutuatario, vel computare in sortem, seu in partem solutionis debiti: ergo ulterius pactum illud, ut fructus pignoris cedant mutuanti, usurarium est: quia sic clare mutuans lucratur aliquid ultra sortem, seu pecuniam creditam; additque nimium gravamen mutuatario. Atque ob eandem rationem, quando res non fructifera in pignus datur v.g. vestis pretiosa, vel similis res, quæ usu atteritur, non potest poni pactum, ut ea re impignorata uti possit mutuator: nam & hoc esset novum onus mutuatario, qui præter sortem integram suo tempore reddendam pateretur damnum in commisso usu rei suæ; & si absque pacto, vel licentia mutuatarii mutuans tali re utatur, peccat contra Justitiam, cum invito domino utatur re aliena; ideoque debebit compensare æstimationem talis usus in omni casu. Excipe tamen duo hunc rigorem temperantia. *Unum est:* si talis res impignorata usu non atteratur, vel deterior notabiliter reddatur; v. g. vas argenteum, torques aureus, &c. tunc enim facilius potest præsumi ipsum dominum, vel concedere licentiam, vel non gravate ferre usum rei suæ: certe erit parvitas materiæ semel, vel iterum ea uti. *Alterum est:* quando rei pignoratæ ipse usus moderatus prodest, ne vestis, v. g. tineis vel pulvere fere atteratur; tunc enim certo præsumi potest consensus domini, nisi oppositum constet, ut suo loco videbitur.

Cæterum justi tituli accedere possunt lucrandi fructus 102
sine diminutione sortis. I. Titulus, & optimum medium vitandi usuram est secundum communem DD. apud citt. præsertim Lugo *disp.* 25. *sect.* 8. si res oppignoranda non detur in pignus pro mutuo, sed vendatur pro debito, cum pacto retrovendendi, cum tibi libuerit (quod licitum esse patebit infra) tunc enim res pignoris naturam amittit: adeoque non ut pignus priori domino, sed ut res empta emptori, & possessori fructificat, ejusque damno perit, donec reddito pretio redimatur. Adde: dummodo pretium justum sit: si enim nimis parvo pretio redimatur, præsumitur usura palliata, ut recte notat Lug. *l. c. n.* 132. II. Titulus est, si accedat contractus censualis, & fructus pignoris non excedant quantitatem census, super eadem hypotheca secundum morem patriæ constituti: ut si Princeps indigeat decem millibus florenorum, quos Nobilis gratis mutuare nolit, ut evitetur usura, & oppignorat ei oppidum adjecto contractu censuali accipiendi quingentos annuos, donec sors restituatur. Eadem ratione per emptionem census excusatur ab usura usitatissimus in Orbe, præsertim Germania, contractus accipiendi quinque pro 100. salvo capitali, ut suo loco videbimus, & cum aliis notat Laym. *c.* 16. *n.* 17. III. Titulus est Juris maritalis in pignus pro dote datum: sicut enim ipsius dotis ita etiam pignoris pro dote dati fructus sine diminutio-

nutione sortis jure percipit maritus, donec ei sors reddatur, ut nimirum interim habeat unde onera matrimonii sustinere possit; unde etiam non dato pignore quotannis certam summam exigere potest in compensationem illorum onerum. Communis doctrina *ex c. salubriter de usur.* Nav. *comment. de usur. notab.* 21. Mol. *t.*2. *disp.*321. Less. *l.*3. *c.*20. *dub.*16.*n.* 141. Lug. Laym. *cit.n.*19. IV. Titulus est dominii directi in feudum, vel emphyteusim, quæ proprietario domino ipsi oppignorata, ipsi fructificare debet, cum revera non ipsa substantia rei, cujus ille antea Dominus est, sed fructus tantum oppignorentur & inconveniens videatur, rem apud directum Dominum existentem alteri fructificari: interim tamen fructuario omnino remittere tenetur. Sic habetur *c. de feudis*, *c. conquestus de usur.* Hic consequenter incidentaliter

103 *Dubitabis* 1. Quid si quis vendat rem fructiferam, v. g. agrum creditor reservando sibi interim fructus, vel redditus, quousque pretium solvatur? Quæstio difficilis necessario remittenda in proprium locum *cap. seq. sect. ult.* §. *ult.*

104 *Dubitabis* 2. Utrum in mutuo cum pignore locum habeat pactum Legis commissoriæ, hoc est: utrum, sicut Lex commissoria in venditione locum habet, ex *toto tit. ff. de Lege commissor.* ubi venditori alicujus rei conceditur, ut si emptor pretium non solvat constituto tempore, res habeatur ut non vendita, & possit venditor ad suum arbitrium repetere sibi rem suam, sicque dicatur cedere in commissum: similiter in mutuo cum pignore juste apponatur pactum, ut, si mutuatarius præfixo tempore mutuum non reddat, pignus datum intelligatur quasi venditum ipsi mutuanti pro suo credito, seu mutuo dato; & sic ipsi absolute acquiratur, sicque mutuatarius cadat in commissum rei suæ. Resp. tale pactum in omnibus pignoribus, atque adeo etiam in pignore pro mutuo dato absolute prohiberi sacris Legibus utroque Jure *L. ult. C. de pact. pignor.* & *c. significante* 7. *de pignor.* & merito. Ratio est: quia pignus sæpe, immo plerumque est majoris valoris, quam creditum, vel mutuum datum: nam nemo facile accipiet pignus minoris valoris, & æqualitas non facile attingitur: unde ad cavenda pericula injustitiæ, & damna civium, recte ejusmodi pactum Leges simpliciter reprobaverunt: & quia istæ Leges pœnales non sunt, ad bonum commune spectantes, utique etiam obligant in conscientia. At, quid si ita fiat pactum, ut, debitore non solvente debitum constituto tempore, pignus vendatur, vel remaneat venditum non pro ipso credito, vel mutuo dato, seu pro pretio justo secundum consuetudinem loci, & arbitrio boni viri, reddito excessu, si quis sit, ipsi debitori, sed mutuatario: eritne licitum? Resp. cum distinct. Si id fiat mero arbitratu creditoris, seu mutuantis, adeoque tamquam gravamen mutuatario imponatur, illicitum, & usurarium fore, ex dictis liquet. At si fiat, ut creditor habeat suum, seque indemnem servet, licitum, & justum erit, ut ex communi docet Molina *disp.* 324. Ratio est: quia generaliter justa sunt pacta, quæ ordinata sunt ad hoc, ut creditor secure habeat suum, seque indemnem servet; cujusmodi sunt pacta, petere pignus, vel fidejussionem sufficientem, hypothecam generalem, vel specialem, & ejusmodi in proposito est, petere justam venditionem pignoris post elapsum terminum solutionis; quilibet enim securitatem suæ rei potest juste postulare: & ita jam habet praxis communis.

Dubium alterum.

Quid de mutuo explicite injusto, & usurario, sed implicite justo ob bonam fidem mutuantis.

105 Titius bona fide celebravit contractum usurarium, vel alias injustum, v. g. dedit tibi mutuo 100. ut post annum reddas ei 100. & 10. vel per singulos menses unum aureum, invincibiliter ignorans esse usuram, bona fide procedens, & putans esse licitum, atque ita constitutus, ut si scivisset esse usuram, facile tecum, vel cum alio fecisset alium contractum justum cum simili lucro, v. g. emptionem anticipatam frumenti, vel fructuum, emptionem census, contractum societatis, vel similem, ut infra annotabo, quo contractu alio, omnibus expensis itidem lucratus fuisset decem, vel duodecim, vel amplius ultra suam sortem: his ita constitutis, potestne Titius exigere licite, & retinere illos decem, vel 12. aureos ex primo contractu revera explicite injusto, tamen implicite justo propter bonam fidem, & facultatem aliter juste contrahendi? Id in praxi non facile concedendum, approbant omnes, etiam citandi; & simpliciter non licere, supponere videntur DD. communiter. Nihilominus

106 Resp. Id probabilissime esse licitum, saltem quando mutuans intendit, & expressit, se velle contrahere omni meliori modo. Ita late Less. *l.*2.*cap.*20. *d.*12. Saltem si mutuans scit illum alium modum juste contrahendi (secus, si nesciat.) Ita optime Lugo *disp.*25.*sect.*9. tota. Vel absolute sine limitatione Emman. Sa *verb. usur. n.*8. dicens: *Qui fecit contractum usurarium bona fide credens justum, potest tantum lucri retinere, quantum acquisivisset alioquin per contractum licitum.* Sic ille. Item Tanner. *in* 2.2.*disp.*4.*q.*7. *dub.*3.*n.*99. Et Dian. *p.*2. *de Cont. res.*47. Præter varias apud hos Auctores videndas, *ratio* esse debet potissima: quia ex una parte mutuans, dum bona fide procedit, & non est dispositus ad exercendas usuras, semper implicite contrahit cum voluntate non committendi usuram, & cum voluntate habendi lucrum: ergo contrahit cum voluntate contrahendi justo modo possibili, seu meliori modo, quo potest, quod totum involvitur in illa bona fide (sanum sane consilium *Less. cit.* ut ita expresse intendat, vel exprimat) ideoque contrahit consensu absoluto, & non conditionato, hoc sensu: v. g. si hunc contractum injustum scivissem, alio justo modo contraxissem; quam conditionalem, cum nihil ponat in esse, non sufficere ad justificandum lucrum, omnes fatentur. Ex altera autem parte mutuatarius jam consentit dare totum id, quod petit mutuans; immo debet consentire in id, quod justo titulo petit mutuans, etsi ipsi ei ille titulus non manifestetur, ut patet ex dictis supra de lucro cessante; ideoque si consentiat cum involuntario mixto irrationabiliter invitus erit: non enim potest suam intentionem alligare ad titulum injustum apparentem, sed debet contrahere juxta capacitatem materiæ: ut in titulum justum consentiat, in injustum autem non consentiat nisi involuntarie, & retinendo sibi jus suum, ut optime explicat Lugo *cit. num.* 182. ergo cum adsit sufficiens utriusque voluntas cum titulo justo implicite saltem contento, jam adest totum, quod necessarium est ad juste contrahendum, & lucrandum. Et hinc non sequitur, idem posse fieri ab eo, qui mala fide contraxit, sciens contractum esse usurarium; grandis enim disparitas; qui enim bona fide contraxit, implicite quidem, & absolute vult modo bono contrahere, ut dictum est: at vero, qui mala fide contrahit, sciens contractum esse injustum, jam expresse vult malo, & non recto modo contrahere, ne implicite quidem. At, inquies, si talis scivisset alium bonum modum contrahendi, etiam is bono hoc modo voluisset contrahere; ergo ipse habuit voluntatem implicitam hoc bono modo contrahendi. Resp. *Neg. conseq.* cum enim conditionalia nil ponant in esse, & talis expresse mala fide contrahere voluit, non est attendendus ille conditionalis consensus, vel potius habitualis tantum mentis dispositio, sed hic consensus malus absolutus, qui vere adfuit in esse.

Dices: quid si ergo quis absolute ita contrahat? Mutuo tibi 100. ut ultra sortem lucrum a te recipiam; v. g. 6. 8. 10. vel 12.? Resp. *cum distinct.* Aut enim talis 1. advertit nullum titulum justum adesse, quo ipse aliter lucrari possit; & tunc clara usura erit ex dictis, & pulchro casu declarat Tamb. *l.*8. *Decal. tr.*3. *c.*8. §.3. Aut 2. advertit ad bonos titulos, v. gr. lucri cessantis, damni emergentis, aliosve contractus, quibus tale lucrum supra sortem juste accipere posset; & tunc contractum justum fore, etiam ex dictis constat. Aut 3. adest quidem justus titulus, quo is licite lucrari possit, sed ille præscindens nihil cogitat de titulo justo, vel injusto; & tunc si bona fide contraxit, ex modo dictis probabilissime etiam contractus licitus censendus erit: quia nimirum ipse bona fide sua implicite, justum aliquem titulum, & contractum involvere censetur, cum nemo præsumendus sit delictum velle committere, nisi id expresse constet, v. g. ex mala conscientia, vel consuetudine prava mutuantis usurarie, ut notat Tamb. *ibid. num.* 72. 107

Corollarium.

Ad summam titulorum, seu modorum lucrandi aliquid ultra sortem, v. g. consueta illa 5. pro 100. salvo capitali sine vitio usuræ, Valent. *t.*3. *disp.*5. *q.*25. *pu.*2. ab aliis communiter receptus, & relatus, in fine sic optime colligit. Quatuor sunt modi tolerabiles accipiendi annuatim certum lucrum, salvo, & securo capitali, utpote 5. pro 100. I. Si ad id suppetat titulus aliquis ex certioribus, ut lucri cessantis, vel damni emergentis, qui modus latissime patet. De his, & annexis satis egimus *sect.* 2. *tota*. II. Si societas ineatur cum pacto assecurationis capitalis, & lucri &c. De hoc *c.* 6. *sect.* 3. *tota*. III. Si ematur census realis cum pacto utriusque redimendi, assecurandique &c. De hoc ex professo *ibid. c.*6. *sect.* 1. IV. Si absque expressa determinatione contractus societatis, vel census, intentio saltem generalis sit accipiendi lucrum aliquod ante modo licito, ad quem consideratis personarum, & facti circumstantiis, videatur factum ipsum revocari posse. Hactenus *Valentia*. Hic quartus modus is ipse est, quem modo defendimus. Addi posset quintus modus emptionis anticipatæ frumenti, vini, aut conductionis operarum per anticipatam solutionem, de quibus *sect. præced.* in fine innui satis. 108

SECTIO IV.

De usuræ prohibitione, acquisitione, restitutione, & cooperatione.

SUMMARIUM.

109 Usque ad nu. 114. *Usura Jure Canonico, positivo, divino, & naturali prohibita.*
114 & 115 *Est peccatum ex genere suo mortale.*
116 Usque ad n. 119. *Usurarium acquirere dominium usurarum, probabile est, sed*

119 *Probabilius est, non acquirere.*
120 *Unde nec alienare potest res alienas usurarius, quando adhuc in individuo separatim extant.*
121 *Secus si jam sint commixta cum rebus propriis, & is aliunde potens sit ad solvendum.*
122 *Usurarius obligatur strictissime restituere omnia per usuram acquisita.*
123 *Etiam fructus rei usurariæ.*
124 *Quæ obligatio restituendi non afficit quidem ipsius bona propria.*
125 *Transit tamen ad hæredes.*
126 *Quæ sint pœnæ usurarii.*
127 *Sine justa causa usuram petens peccat.*
128 *Non tamen eam solvens postea.*
129 *Qualiter peccent alii ad usuras cooperantes, &*
130 *Principes, vel Magistratus eas permittentes.*

§. I. *Usura quo Jure prohibita.*

109 OMnis usura lucrativa, mentalis, realis, aperta, palliata illicita est, & vetita tam Jure naturali, quam Divino positivo, & Canonico; quidquid sit de Jure Civili. Est Catholica & universalis Doctrina, contra Judæos, Hæreticos Albanenses, Machiavellum, & novissime Carolum Molinæum in pestilenti suo tractatu *de Commerc. & usur.* docentem nullas, nisi excessivas tantum usuras Jure Divino esse prohibitas. Dixi autem: *Quidquid sit de Jure Civili:* nam Leges Civiles certe concedunt usuras moderatas toto *tit. de usur.* An vero positive approbent (& tunc certe injustæ sunt) an solum ob bonum commune permittant, quemadmodum etiam permittunt lupanaria, occisionem adulteri cum uxore, vel filia in flagranti deprehensa &c. ut communius intelligunt Theologi, perinde est, cum certum sit, Jus Civile quoad hoc correctum esse a Jure Canonico. Cæterum usura usurarum, græce Anatocismus (vulgo superinteresse) cum scilicet lucrum adjectum sorti non statim solutum, rursus aliud lucrum parere debet, etiam Jure Civili prohibita est. *L. placuit. L. ut nullo. C. de usuris.* Quidquid ergo sit de Jure Civili, usura certo prohibita, & illicita est.

I. *Jure Canonico, & Sacris Conciliis.*

110 NOn tantum prohibetur usura Jure Canonico variis locis, totis titulis *de usuris in* 5. *&* 6. *Decret.* & in Clem. un. *de usuris.* Et in Decreto *dist.* 14. *&* 17. verum etiam illicitam esse tanquam de fide certum definitur in variis Conciliis, *Nicæno, Lateran. Lugdun. Viennen.* relatis ex dictis locis Juris, & in Clem. cit. *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuram non esse peccatum, decernimus, eum velut hæreticum puniendum &c.*

II. *Jure positivo divino in SS. Litteris.*

111 GRavissime prohibentur, & damnantur usuræ Ezech. c. 18. Exod. 22. Prov. 28. & Psal. 14. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Psal. 54. *Vide iniquitatem, & contradictionem in Civitate &c. & non defecit de plateis usura, & dolus.* In Nova Lege celebre est illud Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes:* quæ verba licet consilium contineant quoad mutuum dandum, præceptum tamen continent, ut nihil inde ultra sortem sperandum, exigendum, & accipiendum sit tanquam debitum: quemadmodum etiam intelliguntur illa verba Psalm. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Et quamvis totaliter de consilio intelligi possent illa sola verba, stantibus tamen simul aliis locis Scripturæ, de præcepto recte intellexerunt Summi Pontifices, Urbanus III. *in c. consuluit.* Alexand. III. *in c. quia in omnibus, tit. de usuris.* Quod autem dicitur Deut. 23. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram &c. sed alieno:* explicant SS. PP. ibi solum permitti, idest, non specialiter puniri usuram erga alienos, tanquam minus malum, ut a majori malo, scilicet fratribus fenerandi, arceantur Judæi, in illud vitium pronissimi; sicut in eodem capite dicitur: *Non erit meretrix de filiabus Israel:* non quod meretrices alienigenæ approbentur, sed quod non puniantur lege ista sicut meretrices Israelitæ. Aut certe (quod magis placet) respondent aliter SS. PP. permissum esse Judæis, ut a Gentilibus usuras accipiant tanquam ab hostibus, concesso iis dominio, & facultate eo modo spoliandi hostes, sicut licentiam dederat spoliandi Ægyptios: Ita D. Ambrosius lib. de Tob. c. 15. dicens: *Cui merito inferuntur arma, huic merito auferuntur usuræ.* Plures pro utraque responsione Patres videre potes apud Molin. *t. 2. disp.* 304. Denique, quod in Parabola *Luc.* 19. servo pigro dictum est: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* hic per usuram intelligitur lucrum licitum ex negotiatione: dare enim ad mensam, non est dare mutuum, in quo solo usura vetita titulatur; sed est dare mercatoribus ad negotiandum, utpote ad contractum societatis *a banco.*

III. *Jure naturali.*

112 EТiam illicitam esse usuram, naturali lumine agnovit Aristoteles 4. *Eth. c.* 1. Et 1. *Polit. c.* 7. Ratio autem naturalis ducitur ex duobus principiis certis. *Primum* est: in mutuo ex gratuita voluntate mutuantis transferri dominium rei mutuatæ ad mutuatarium, qui tamen maneat obligatus reddere tantumdem suo tempore. *Alterum* est; non posse te accipere lucrum ex re alterius, nisi id ex aliquo justo titulo tibi competat: his principiis positis sic formatur *Ratio:* Justitiæ commutativæ naturaliter repugnat in commutatione unius rei pro alia plus exigere, quam res valeat; ut scilicet pars contrahens plus reddere cogatur, quam accepit, nisi alius titulus accedat, ratione cujus illud amplius juste exigatur: atqui hoc fit in usura, 100. enim non valent nisi 100. adeoque qui dedit 100. & recipit 105. vel adhuc plus, plus recipit, quam res valeat, & alter plus reddere cogitur, quam accipit: Jam quæro, quo titulo accipias illud plus, seu lucrum illud 5. supra 100. per se loquendo? si enim adferas verum aliquod tuum interesse lucri cessantis, damni emergentis, periculum sortis, aliumve justum contractum initum, jam aliunde justificaberis ex hactenus dictis: quem vero alium? an ex parte tua carentiam pecuniæ, obligationem non repetendi, impotentiam utendi, fruendi, vel utilitatem capiendi interea? atqui hæc omnia sunt intrinseca mutuo, atque adæquate tibi compensantur reddendo æquivalentem pecuniam cum æquali facultate ea utendi, & fruendi; sive enim quis longiori, sive breviori tempore possit uti pecunia, non ideo plus valet, quam valet unicus præcipuus ejus usus distractionis, qui æque utiliter potest accidere brevi, ac longo tempore, ut supra etiam ostensum est: ergo adhuc plus accipis, quam dederis. An denique esset aliquid ex parte mutuatarii, utpote ipse pecuniæ, vel rei mutuatæ usus, seu facultas ea utendi, ac utilitas inde capienda? atqui jam in terminis deprehenderis verissimus usurarius; ob idipsum enim diceris usurarius, & lucrum tuum ultra sortem acceptum, usura, quia pro usu non tuo, quippe rei non amplius tuæ lucrum exigis: nam hoc ipso, quo transfertur plenum alicujus rei dominium in alterum, etiam necessario, & eodem pretio computato transfertur illius rei usus, seu facultas utendi, & fruendi illa re; in hac enim facultate consistit ratio formalis dominii: definitur enim dominium facultas legitima disponendi de aliqua re tanquam sua; ergo adhuc plus recipis quam dederis: ergo naturali ratione ex natura Justitiæ commutativæ, adeoque ipso jure naturæ iniqua, & illicita est usura. Atque hoc luculenter confirmant rationes assignatæ a *D. Th. & Scot. cit.* Ille enim sic arguit: Per se injustum est, commutare eandem rem bis, ac seorsim computare, quod non potes seorsim computare; atqui hoc facit usurarius, qui enim mutuans 100. ultra sortem exigit 5. pro usu pecuniæ, ipsum usum commutat bis, & computat seorsim a pecunia ipsa, cum tamen non possit seorsim computari, cum enim dominium pecuniæ eatenus valeat, quatenus valet ejus præcipuus usus utilis, eo ipso, quod dominium pecuniæ mutuatæ compensetur per æqualem summam, etiam compensatur ejus usus: adeoque ultra sortem accipiendo aliquid ultra usum, ipse usus bis compensatur. Coincidit vere ratio Scoti 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 2. Ex natura rei iniquum est, ut accipiam a te aliquid pro eo, quod non est amplius meum, sed plane tuum, atque aliunde compensatum a te, vel compensandum: atqui usus pecuniæ a me tibi mutuatæ non est amplius meus, sed plane tuus factus per translationem dominii pleni ipsius pecuniæ in te, atque aliunde adæquate compensandus reddendo æqualem sortem cum æquali omnino usu: ergo ex natura rei iniquum est pro illo usu accipere aliquid ultra sortem. Denique per se iniquum est, petere ab altero fructum illius rei ea ratione, qua omnino infructifera, & sterilis est; sed res mutabiles, pecunia, frumentum, vinum &c. per se omnino sunt infructiferæ, & steriles; accedente autem industria, & negotiatione fructificant quidem, nulli tamen aliter, quam suo domino, qui in proposito est ipse mutuatarius: ergo &c. Et his bene perceptis facile est occurrere objectionibus. Vide cit. & præ aliis, quos sciam, solidissime Valent. *t.* 3. *disp.* 5. *q.* 21. *pu.* 1.

IV. *Quantum ergo peccatum usura.*

USura est peccatum injustitiæ mortale ex genere suo. 113
Nimis clarum ex dictis. Insuper aliqui apud Dian. *p.* 5. *tr.* 5. *res.* 30. volunt, ita facere pactum esse mortale ex objecto, ut nulla in eo detur parvitas materiæ excusans a mortali, sicut multi docent de simonia. Ratio eorum est; quia dictio illa SS. Canonum: *Quidquid accipitur ultra sortem:* etiam de re minima verificatur. Sed vera est contraria communis Sententia DD. apud Lug. *disp.* 25. *fin.* dari nimirum parvitatem materiæ, & culpam venialem ratione ipsius in usura. *Ratio est:* quia tota malitia usuræ est contra Justitiam, quatenus usurpatur alienum sine sufficienti titulo; ideoque injuste: sed impossibile est, esse gravem, adeoque mortale, injustitiam, quando id, quod injuste usurpatur, est quid exiguum, utpote levissimum lucrum ultra sortem, v. g. pro 100. aureis unum Julium: ergo. Deinde, si illum Julium sine mutuo, simplici furto accipere, per se loquendo non esset peccatum grave, vel mortale: ergo multo minus peccatum grave erit, si accipiam propter mutuum, quo alteri beneficium præsto; major enim cæteris paribus est injuria furti, quam usuræ; & consequenter ad gravitatem usuræ major requiri debet

debet quantitas materiæ, quam ad gravitatem furti. Aliud est (quidquid sit) de simonia saltem juris naturalis: ut quando res proprie spiritualis, v. gr. Sacramentum pretio venditur: nam quo minus temporale pretium accipitur pro re sacra, & spirituali, eo major injuria rei sacræ irrogari censetur contra virtutem Religionis.

§. II. *Acquiritne usurarius dominium usurarum?*

114 Nota, res per usuram acquisitæ aut 1. non suscipiunt per se functionem, ut vestis, equus, prædium, aut 2. suscipiunt functionem, ut pecunia, frumentum, vinum, oleum &c. & hujusmodi: aut 3. usurarius jam commiscuit cum suis propriis rebus, pecuniis, frumentis &c. ita ut discerni amplius nequeant, aut 4. non commiscuit, vel ita immiscuit, ut tamen discerni adhuc possint. His notatis, dico breviter.

I. *Acquirere dominium.*

115 Consentiunt omnes, usurarium acquirere dominium usurarum, si illas v. g. pecunias cum aliis suis propriis & juste acquisitis pecuniis ita commiscuit, ut discerni amplius non possint; idque ex speciali dispositione Juris §. *si duorum 27. inst. de rer. div. L. si alieni 78. ff. de solut.* & alibi. Attamen certe dominium infirmum, & cum obligatione restituendi in æquivalenti, omniaque damna resarciendi, ut late probant Mol. *disp.326.* Less. *l.2.c.20. nu.156.* attendentes merito, mutuatarium, & generaliter eum, cujus pecunia, vel alia res ita permixta est cum pecuniis, vel rebus alienis, habere jus in eo cumulo, quamdiu extet; sive apud ipsum usurarium, vel furem, sive apud alium, & ante omnes creditores, illi debere ex eo cumulo satisfieri. *Ratio est*: quia in eo cumulo certum est adesse rem suam tanquam Domini, quamvis ea non discernatur: ergo potior ratio est habenda ipsius domini, quam aliorum creditorum, qui rem suam non habent in cumulo isto. De hoc latius egimus supra *c.1. sect.6.* §.3. & 4.

116 Porro universaliter usurarium acquirere dominium usurarum, sive res acceptæ functionem non recipiant, sive recipiant, etiamsi nondum commixtæ, vel ita commixtæ sint rebus propriis, ut adhuc discerni possint, v.g. moneta aurea usuraria cum proprio argento (rursus tamen dominium debile, & infirmum cum omnimoda obligatione restitutionis ejusdemmet rei, ac damnorum) expresse docet D.Th. *opusc.73. de usur.* Et supponit Scotus *l.c.* Ubi ad objectionem, quod mutuatarius transferat Dominium usuræ respondet: *Etsi transferat dominium, tamen recipiens tenetur restituere; sicut in mutui datione transfertur; & tamen debitor tenetur tantum restituere creditori suo.* Hæc Scot. Idem docet Nav. *c.17. n.265.* aliique non pauci, quos refert, & sequitur Lug. *cit. disp.25. sect.11.* Ratio est: quia ad transferendum dominium requiritur, & sufficit voluntas libera transferentis acceptata ab altero, non obstante aliquo adjuncto involuntario mixto: qua ratione in communiori Sententia *supra cap.2. sect.4.* allata, dictum est, contractum ex quocumque metu, etiam gravi, & injusto extortum jure naturæ esse validum, & dominium transferre, quia adest voluntarium simpliciter, etsi quoque adsit involuntarium mixtum secundum quid, atque etiam adsit injuria extorquentis, propter quam contractus fiet rescissibilis: atqui etiam in proposito supponitur adesse in mutuatario voluntas simpliciter solvendi usuras, etsi non sine involuntario mixto: quia scilicet nollet dare usuras, nisi alter exigeret, aut si sine usura mutuare vellet: ergo transfert dominium, etsi etiam infirmum, & ob injuriam illatam mutuatario restitutioni obnoxium. Sententia, fateor, probabilis.

II. *Non acquirere dominium.*

117 Usurarium non comparare sibi dominium ullarum usurarum, nisi res functionem suscipientes ita commixtæ sint cum rebus ipsius propriis, ut discerni nullo modo possint, docet communior, & mihi omnino vera Sententia DD. plurimorum, quos congerunt, & sequuntur Molin. *cit. disp.324.* Less. *l.2. c.20.d.18.* Laym. *l.3. tr.5. c.16. n.7.* Tamb. *hic tr.1. c.7.* §.1. Ratio communis est, quia deest titulus, seu causa justa accipiendi: atqui sine titulo dominia rerum non transferuntur: ergo &c. Nec valet, quod dicant Adversarii, titulum esse ipsam dationem mutuatarii simpliciter voluntariam, etsi cum admixto involuntario secundum quid. *Contra*: illa ipsa datio ipso facto, & jure naturæ irrita est, & nulla: ergo non potest esse titulus justus transferendi dominium. Antecedens probatur: Quia (ut supra *c.2. sect.4.* §.2. in probabilissima Sententia probavimus) omnis contractus metu gravi, & injusto extortus ipso jure naturæ irritus est, & nullus; quia nimirum implicat ex injustitia, & injuria nasci justitiam, jus, & obligationem justitiæ; ubi autem nulla obligatio, nullus est contractus, qui essentialiter definitur *ultro, citroque obligatio*: atqui datio illa lucri ultra sortem vere per injustitiam, ac injuriam extorquetur ab usurario, tanquam vere meticulosa: vere enim mutuatarius nollet dare, sed non potest aliter facere, ne mutuum nunc, vel postea negetur, ne infidelis, vel vilis habeatur &c. cumque datio illa sit injuste extorta, vere & intrinsece est affecta, & maculata ab injustitia, & injuria mutuatoris; quidquid contendat *Lug. c.* hanc esse injustitiam, seu injuriam extrinsecam tantum: esto enim sit extrinseca dationi in genere, non tamen dationi huic singulari, & actu injuste extortæ, ut bene notat Tamb. *cit. n.11.*

III. *Usurarius alienans res usurarias in specie.*

Quando apud usurarium extat usura, pecunia, vel alia res aliena in specie (in individuo potius dialectice loquendo) nec suis rebus indiscernibiliter immixta, non potest illam ille valide alienare, nec tu ab illo recipere v.g. donatione, venditione, mutuo &c. Ita DD. nostræ sententiæ *n. præc. cit.* Ratio est: quia res aliena invito domino contrectari non potest sine specie furti: atqui res illa vere est aliena, quippe ejus dominium usurarius non acquisivit in nostra sententia: ergo. Quare si tu mala fide, & sciens accipis, teneberis restituere domino ex injusta acceptione: si bona fide, sed si ignoranter accepisti, teneberis ex re accepta, postquam innotuit, juxta generales restitutionis Regulas. Excipiunt tamen Medina, & alii cum Valent. *supr. cit.* Mol. *disp.330.* res usu consumptibiles, ac functionem recipientes, v.g. pecuniam, frumentum, dummodo ex illa alienatione usurarius non fiat impotens ad restituendum Domino. *Ratio* potissima debet esse: tum quia res functionem suscipientes ex se natę sunt restitui in æquivalenti: tum maxime, quia si usurarius ex illa alienatione non est factus impotens ad restituendum domino, creditor, seu dominus non potest censeri rationabiliter invitus ad alienationem rei suæ alias in equivalenti plene restituendæ: ideoque transfertur dominium in te accipientem bona fide, donatione, venditione &c. nam si mala fide accepisti, invalidam esse acceptionem, teque obligatum ad restitutionem ex radice injustæ acceptionis, dubium non est, quia hic nullus potest præsumi consensus domini. Eademque ratione *Lug. cit.* excipit etiam res functionem non recipientes, ut sunt vestes, vas argenteum, torques aureus &c. dicens: Excipitur, qui rem illam ab usurario emit, quando præsumi facile potest consensus domini. Unde excusari possunt, qui pignore usurarie occupata ab usurariis emunt, ut ab Hebræis, quia domini non solent multum curare, ad quos postea perveniant illæ res. *Sic ille.* 118

IV. *Usurarius alienans alias res suas.*

Usurarius debitor (uti etiam fur) si non cedat in fraudem vel damnum creditorum, utpote si aliunde habeat, unde satisfaciat omnibus creditoribus, licite potest donare, emere, vendere, ludere, & quoslibet contractus inire, per quos non fit impotens ad solvendum de aliis rebus suis, quorum ipse dominium liberum habet; & consequenter tu ab eo accipiens, accepta licite, & juste retinere poteris, etiamsi postea primum debitor per alias alienationes, vel aliunde reddatur impotens ad solvendum. *Ratio* sufficiens est; quia sic nulla obstat ratio, quominus usurarius, immo & fur de suis rebus disponere libere possit. Contra vero, si ita fieret in fraudem, & damnum creditorum, utpote si usurarius, vel fur per alienationem rerum suarum fieret impotens ad satisfaciendum suis creditoribus, vel defraudatis, non poterit sine injustitia, & injuria contra dictos creditores illas res suas alienare non solum contractu gratuito, donatione, v.g. sed etiam oneroso contractu, v.g. emptione, non æque utili, utpote ad superfluas commessationes, potationes &c. Et qui sciens, & maxime ad hoc inducens acciperet, peccaret contra justitiam, & teneretur ad restitutionem secundum omnes. *Ratio* clara est: quia nemo potest se voluntarie inhabilem reddere ad satisfaciendum suæ obligationi in damnum, & fraudem creditorum; sic nimirum, ut fiat impotens ad reddendum illud, quod ipsi ex justitia debet: (illa enim inhabilitas, vel impotentia est saltem indirecte voluntaria in sua causa, adeoque formaliter injusta, & injuriosa creditoribus,) nec consequenter alter huic inhabilitati, vel impotentiæ juste, & licite cooperari poterit. Duas tamen Exceptiones jam indicavi in terminis. Nam dixi 1. *Contractu non æque utili*: quando enim usurarius per venditionem, vel emptionem tantum utiliter accipit, quantum tradit, v. g. emendo domum, agrum &c. jam non injuste agit. *Ratio* patet: quia jam habet tantumdem, quantum habuit antea: ergo jam non fit magis impotens, quam fuit antea, nam etiam in illa domo, vel agro empto poterit satisfieri creditoribus: & ita in similibus. Dixi 2. *Qui sciens, & maxime ad hoc inducens acciperet*; nam aliam exceptionem ex Mol. *disp.328. & 330.* quam probabilem censet Lug. *cit.* insinuavi supra de Restitutione: nimirum te non peccare, nec onus restitutionis contrahere de jure naturæ, quando acceptasti solum, sed non induxisti usurarium, vel furem ad tibi donandum, vel vendendum rem suam, quamvis ipse inde fiat impotens ad satisfaciendum suis creditoribus. *Ratio est*: quia ex una parte uteris tuo jure, dum acceptas rem tibi a suo Domino oblatam, & nulli alteri realiter obligatam ut supponimus. Ex alia autem parte non cooperaris cum ipsius peccato: te enim non inducente, ipse solus jam suum peccatum fecit offerendo, tu autem in tuum commodum acceptando, 119

do, solum uteris ipsius peccato jam libere commisso (quod certe impedire non teneris, nec potes) & in re omnino indifferenti.

§. III. *Usuraria obligatio, & pœnæ.*

120 Usurarius (sive acquirat dominium usurarum, sive non acquirat, perinde est) obligatur strictissime utroque jure restituere omnia acquisita per usuras usque ad æqualitatem damni illati: utpote 1. ipsas res in individuo, vel in se, adhuc existentes, vel in æquivalenti: quia per injustitiam accepit. 2. Omnes fructus rei fructiferæ per usuram acquisitæ, detractis tamen expensis, & æstimatione laboris, ac industriæ in foro conscientiæ tantum. 3. Omne lucrum cessans, vel damnum emergens mutuatario ex solutione usurarum. *Ratio est:* quia horum omnium ipse est causa injusta. 4. Non tamen tenetur restituere fructus solius industriæ, illud nimirum, quod pecunia, frumento, vino aliisve rebus per usuram acquisitis negotiando, vendendo, emendo &c. lucratus est: quia usurarius fit vere dominus illius lucri; cum hoc non sit fructus rei, sed solius industriæ, & personæ, ut mox iterum notabo. Hæc omnia breviter congesta, ex professo explicata, & probata habes *tr.4. de restit.c.2. sect.2. tota.* Aliqua tamen specialia quoad usurarios adnotanda sunt.

I. *Quoad fructus rei usurariæ.*

121 Usurarius obligatus est restituere fructus veros rei usurariæ. 1. quos ipse de facto recepit, v.g. ex usura rei acquisito prædio, agro, equo &c. etiamsi dominus per negligentiam suam illos fructus non percepisset, si rem suam habuisset. *Ratio est:* quia omnis res suo domino fructificat: atqui in nostra sententia per usuram res illæ acquisitæ non sunt usurarii, sed remanent in dominio mutuatarii; ergo fructus illarum rerum non usurario, sed mutuatario, ut vero domino debentur, secus in opposita Sententia docet *Lug. l.c.* nimirum ob oppositam rationem. 2. Obligatur etiam restituere fructus, quos ipse usurarius per incuriam non percepit, attamen percepisset dominus, si rem suam habuisset. *Ratio* est lucrum cessans injusto domino ex ipsius causa. *Omnes*. 3. Nihil tamen tenetur restituere usurarius, immo & fur, si nec ipse ex re usuraria fructus aliquos percepit, neque mutuatarius ipse propter similem negligentiam percepisset, si rem suam habuisset, quia nec in aliquo dominum damnificavit, nec res domini ullos fructus habuit. Communis apud Tamb. *c.tr.1.c.9.* §.1.*n.2.* 4. Denique res ipsæ, quas usurarius sibi emit, v.gr. pecunia usuraria, quamvis non permixtæ cum ipsius usurarii rebus propriis transeunt in dominium usurarii, vel furis, prout omnes concedunt, etiam illi, qui negant, dominium usurarum acquiri ab usurario: & late probat Mol. *disp.326.* Et colligitur aperte ex Jure, *L. si quis alteri . C. de rei vindic.* Ratio est, quia res empta non est fructus pecuniæ natura sua sterilis, sed est effectus industriæ, seu voluntariæ emptionis, & negotiationis susceptæ: cum ergo illa emptio, seu negotiatio sit tota ipsius usurarii (idemque est de fure) ideo in ipsius ementis, seu negotiantis dominium res empta transibit, remanente semper obligatione restituendi pro re usuraria, vel furtiva in æquivalenti, & damna inde secuta mutuatario compensandi: ut notat Molin. *disp.327.* & nos iterum *cap. seq. de vendit. & empt.*

II. *Quoad bona usurarii.*

122 Cum in usurario remaneat prædicta strictissima obligatio restituendi usuras, quæritur, an hæc obligatio afficiat solam personam usurarii, an etiam ipsius bona, ita ut omnia bona usurarii maneant realiter obligata, vel quasi hypothecata pro usuris solvendis. Resp. Nulla bona usurarii sunt realiter hypothecata pro usuris solvendis: sive loquamur de bonis usurarii ex ipsis usuris negotiatione acquisitis, sive de aliis bonis aliunde justo titulo habitis. Ita contra aliquos maxime Canonistas cum aliis Tamb. *cit. cap.7. n.5. & 6.* Ratio est: quia ex parte una res empta est fructus negotiationis, adeoque fit ejus dominii: ex altera autem parte omnis hypotheca, vel obligatio realis debet induci, vel a Jure ita disponente, vel ex conventione partium: atqui sive loquaris de rebus emptis per pecuniam usurariam, sive de rebus aliunde habitis, non apparet in toto Jure, unde sint hypothecatæ realiter pro usuris, neque sunt hypothecatæ ex partium conventione, quod per se patet: ergo nec a nobis talis hypotheca inducenda est. Quia tamen ipsa persona usurarii, vel furis obligata est ad solvendas usuras, hinc omnia bona sua ab eo possessa tacite obligata sunt pro iisdem usuris (sicut & furis pro furtis) solvendis; cum non aliunde, quam de bonis suis, eorumve pretio solvere possit, & debeat: ea tamen obligatio non est alligata ipsis bonis suis, ita ut quocumque perveniant ejus bona, cum hoc onere transeant, sed tota hæc obligatio est ipsius personæ: & ideo si aliquid ex ipsius bonis donatione, vel venditione transeat in dominium alterius possessoris, qui personam usurarii non repræsentat uti hæres, res vendita, vel donata excutit a se ejusmodi obligationem, quod non posset fieri, si esset realiter obligata, seu hypothecata creditoribus. Communis apud cit. Quando ergo Pontifex *c.1. de usur.* decrevit, ut ad solvendas usuras venderetur prædium usuris emptum, locutus est manifeste de prædio, quod pecunia usuraria ipse usurarius emerat, & possidebat, cum utique de bonis ipsius, & maxime talibus satisfaciendum sit; non autem de prædio, quod translatum fuerat ad alios, quod tamen etiam deberet fieri, si res usurarii pro usuris realiter hypothecatæ essent. Et licet potuisset idem statuere, non tamen statuit Pontifex, ut venderentur alia bona usurarii ex alio titulo possessa ab usurario, sed solum empta cum pecunia usuraria, nimirum in odium, & pœnam delicti usuræ.

III. *Quoad hæredes usurarii.*

Obligatio restituendi usuras juxta prædictos modos, scilicet aut ipsas res adhuc in specie existentes, aut in æquivalenti cum fructibus, omnimodis transit ad hæredes usurarii (intra tamen vires hæreditatis, si inventarium debito tempore confecerunt, juxta communem doctrinam in materia *de Restit.*) idque omni jure. Unde *c.tuæ nos de usur.* dicitur: *Filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur.* Ratio est: quia hæredes personam defuncti repræsentant, & sicut in omnibus ejus bonis, juribus, & commodis succedunt, ita etiam in ejus oneribus, & debitis realibus. Unum, & alterum notandum restat. *Unum est:* quando hæredes sunt plures, non obligantur omnes in solidum, sed singuli pro rata parte debiti portioni suæ hæreditatis respondente. Quare si unus eorum non restituat, non tenebitur alter ad ejus partem restituendam. *Ratio* clara est: quia sicut bona dividuntur in partes, ita & debita proportionaliter dividi debent: & sicut ex parte commodum sentiunt hæredes, sic ex parte sentire debent & onus: ita communiter contra Navar. alii, ex communi Molin. Lug. *disp.25. sect.9.* §.2. Excipe semper: nisi quis ex cohæredibus rem ipsam restituendam in specie apud se haberet: nam hæc tota debebitur domino, res enim aliena semper pro domino clamat. Excipe etiam cum Bon. *tr. de contr.disp.3.q.3.pu.15. propos.5.n.14.* nisi unus ex cohæredibus in culpa fuisset, ne totalis restitutio fieret: tunc enim velut nova causa totius damni, utique tenebitur ad totum compensandum. *Alterum* est: Legatarius autem usurarii, sicut & donatarius per se non obligatur restituere pro usuris, vel furtis defuncti, quia hic non repræsentat personam defuncti, & sicut non succedit in ipsius jure, ita nec in onere succedere debet. Excipe rursus semper: nisi ipsa res usuraria, vel aliena in individuo esset legata, vel donata: hæc enim semper debetur suo domino. Excipe 2. nisi usurarius, vel fur non reliquisset alia bona sufficientia ad restituendum usuras, aliaque debita ex delicto, vel contractu, aut etiam pro legitima descendentium, vel ascendentium; tunc enim etiam legata debent concurrere ad restitutionem usurarum, quatenus primo solvi debent debita defuncti, & specialiter etiam ex delicto, vel usuraria. Deinde danda portio legitima hæredibus, & tandem, quod remanet, distribuendum legatariis, juxta generalem originem restitutionis. Hactenus dicta intelligenda sunt generaliter in omni restitutione ex delicto, ut sæpius innui. 123

IV. *Quoad pœnas usurarii.*

Alii sunt occulti, alii manifesti, seu notorii: idque tripliciter. 1. Evidentia facti, ut si publice in civitate exerceant usuras. 2. Evidentia Juris, cum scilicet per manifestam sententiam Judicis de hoc crimine condemnatus est. 3. Per propriam confessionem, ita ut res in plurium notitiam deveniat. Quoad forum conscientiæ neuter usurarius absolvi potest, antequam restituat, vel sufficientem cautionem præstet, aut si non possit, etiam juret, se non posse, & cum primo poterit, satisfacturum. Et urgente morte, si usurarius notorius sit ultra promissionem restituendi, etiam facultatem debet concedere Confessario revelandi Episcopo suam promissionem restituendi, ut effectu non secuto Episcopus possit, vel ipsum supervictorum, vel defuncti hæredem compellere ad satisfactionem; ut ex communi docet Filliuc. *tr.34.p.2.c.8.n.155.* Sed hoc ultimum non videtur in praxi receptum. Quoad forum autem externum usurariis notoriis gravissime pœnæ in Jure decernuntur, quas juribus allegatis præter alios passim recensent Lay. *hic c.16.n.21.* & Lug. *disp.25.sect.11.* §.3. Et breviter sunt 1. Jure civili usurarius est infamis. 2. Jure Canonico est irregularis, & inhabilis ad Sacros Ordines, Beneficia, & Officia Ecclesiastica; ideoque si Clericus jam sit suspendendus ab Officio, & Beneficio Ecclesiastico. 3. eodem Jure Canonico admittendus non est ad sacram Communionem Altaris, & ejus oblationes recipiendæ non sunt, privandusque Ecclesiastica sepultura. 4. Testamentum & omnis ultima voluntas usurarii manifesti ipso jure irrita sunt, nisi ante mortem restituerit, vel de restituendo idoneam cautionem præstiterit per pignora, vel fidejussionem, ut alibi indicatum est. 124

§. IV.

§. IV. *Quid de mutuatario, aliisque cooperantibus ad usuram.*

I. *Mutuatarius petens usuram.*

125 PEccato scandali mortaliter peccant, qui absque justa causa ab usurario etiam parato petunt mutuum sub usuris. Communissima apud *Lug. cit.* Ratio patet, quia sine justa causa præbere alteri occasionem peccati mortalis, seu ruinæ spiritualis, peccatum mortale scandali est, *secundum omnes*. Excusat autem omnis justa causa non tantum necessitatis, sed etiam utilitatis propriæ, vel alienæ, ut mutuum petere ab usurario peccatum non sit. Communis DD. quos late congerit Sanch. *l. 3. moral. cap.* 8. Ratio est: quia tu uti poteris jure tuo petendo id, quod indiges, & quod alter sine peccato facere posset: quod autem alter non sit facturus sine peccato, hoc est, non gratis, sed sub usura tantum mutuaturus, non sequitur ex petitione tua, sed ex spontanea malitia mutuatoris: neque tu ejus peccatum teneris impedire cum tuo proprio incommodo: ergo non inducis, nec cooperaris ad peccatum illius, sed solum ob justam causam id permittis. Addunt recte Mol. *disp.* 335. & Lugo *sect.* 11. §. 1. Cum quis certo scit, alterum non mutuaturum, nisi sub usura, posse absolute offerre usuras, dicendo v. g. da mihi mutuum tantum, & ego solvam tibi tot supra sortem, seu lucrum usurarium, quod petieris. Ratio est: quia hoc non est inducere ad peccatum, non petis enim absolute, ut alter usuras exigat, sed solum petis mutuum, & quia is non vult dare sine usura, ostendis voluntatem tuam, etiam solvendi lucrum usurarium, adeoque licet verba hæc exterius videantur absoluta esse, revera tamen sensum conditionatum habent: quod si nolueris dare gratis, vel quia scio, te non gratis daturum, offero usuras.

II. *Mutuatarius usuras solvens.*

126 HIc non peccat post acceptum jam mutuum sub usuris usuram solvendo, cum scit alterum sponte non remissurum. *Omnes*. Ratio est: quia ipse non cooperatur peccato usurarii, sed solum offert, quod promiserat: qua oblatione posita, potest usurarius, & deberet nolle acceptare: si acceptet, & peccet, sibi imputet. Neque debet mutuatarius abstinere a solutione, ut devitet peccatum usurarii; tum quia usurarius jam habet voluntatem accipiendi usuras, a qua voluntate non desistet ex eo, quod ei usuræ non solvantur: immo ea occasione alia peccata facit, odii, detractionis &c. tum quia ex parte mutuatarii fere non potest fieri sine graviori ejus incommodo, utpote nota infamiæ, timore damni, quia alia vice nemo ei mutuabit &c. ut bene notat *Lugo cit.*

III. *Alii cooperantes ad usuras.*

127 OMnes efficaciter cooperantes ad usuras exigendas, & solvendas, peccant mortaliter contra justitiam, & ad restitutionem obligantur, etiam quisque in solidum in defectu aliorum. *Omnes:* & passim allati. Tales autem sunt. 1. Consulentes, & persuadentes ad usuras exigendas. 2. Scienter dantes pecuniam usurario ad usuras exigendas. Secus si id ignorent. 3. Judices, & domini compellentes ad solvendas usuras, vel impedientes, quominus solutæ usuræ repetantur, vel restituantur, in quos est excommunicatio latæ sententiæ in *Clemen. unic. de usur.* 4. Conficientes instrumenta usuraria per modum contractus liciti, suppressa usura: itemque testes subscribentes. Ex communi Fill. *cit. cap. 7. q. 7.* Denique 5. omnes ministri principales usurarii ad usuras concurrentes, ut negotiorum gestores, factores, correspondentes &c. Sylv. *v. usura c. 7. q. 4.* Ratio: quia hi omnes habentes a domino commissam potestatem ejus nomine exigendi, & recipiendi usuras, ad eas efficaciter concurrunt, adeoque peccati participes, & in defectum usurarii principalis ad restitutionem obligantur. Secus est de famulis minus principalibus, qui scilicet ad ipsum contractum usurarium per se minime concurrunt, sed solum manualiter ministrant, pecunias dando, & accipiendo, rationes dati & accepti scribunt, ex quibus tamen non fiat fides in judicio, pignora accipiunt, & servant: licet enim etiam hi peccent sine justa causa injusto servitio vacantes, quia tamen ad usuras injustas efficaciter non concurrunt, ad nullam restitutionem obligantur.

IV. *Princeps, vel Magistratus usuras permittens.*

128 CHristiani Principes, ac Magistratus, & possunt, & tenentur Judæis, vel aliis sibi subditis prohibere usuras, alioquin sine justa causa permittentes, & de peccato, & restitutionis obligatione participant omni jure: quidquid sit de consuetudine moderna aliquarum Provinciarum, sane iniquissima: & licet permissio mera, aut non abrogativa usurarum majoris mali vitandi causa interdum licita esse possit, ut cum Lessio etiam docet Laym. *cit. cap. 6.* gravissime tamen contra justitiam peccant Magistratus, si usuræ licentiam dent cum obligatione, seu pacto majoris tributi solvendi; cum propterea Judæi, vel alii usuras augere, & pauperes incolas magis opprimere, & exsugere cogantur, ut notant DD. cit. Sed de hoc jubet magis ingemiscere.

CAPUT V.

De Venditione, & Emptione.

SUMMARIUM.

1 *Permutatio quid, & quæ ejus materia.*
2 *Ut pecunia sit justa, tria requiruntur.*
3 *Emptio, & venditio.*
4 Est contractus onerosus,
5 Constitutus ex mutuo consensu absoluto
6 Dandi mercem pro pretio, & e contra.
7 *Intelligendo pretium determinatum, unicum, & statim debitum.*

PRÆNOTATIO.

De permutatione, & origine venditionis, & emptionis.

PErmutatio est contractus ille innominatus *do ut des*, 1
quo nimirum commutatur res pro re, ultro, citroque transferendo dominium; v. g. dando vinum pro frumento &c. De hac ita recte concludit Scotus 4. dist. 15. q. 2. n. 13. *Domini rerum juste eas permutant, si sine fraude servent æqualitatem valoris in commutatis secundum rectam rationem &c. Quod primo additur, sine fraude, excludit fraudem in substantia, quantitate, & qualitate. In substantia; ut non commutetur aurichalcum pro auro, nec aqua pro vino. In quantitate*, ut non commutentur res mensurabiles inæquali mensura, pondere, numero. *In qualitate*, ut non commutetur vinum corruptum pro puro. Additur, quod æqualitas valoris servetur secundum rectam rationem attendentem scilicet naturam, & qualitatem rerum permutandarum, non secundum esse physicum, sed secundum esse usuale, seu usum humanum, quoad necessitatem, utilitatem, voluptatem, quia secundum S. Aug. l. 2. de Civ. Dei cap. 16. *melior est in domo panis, quam mus;* cum tamen esse vivum nobilius sit simpliciter non vivo in esse naturali. Hactenus in his fere terminis *Scot.* recte addens, hanc æqualitatem rerum commutandarum non consistere in indivisibili: siquidem impossibile foret semper attingere indivisibile punctum æquivalentiæ, & rei, sed habere magnam latitudinem æstimandam ex Lege, vel consuetudine, seu æstimatione hominum, ut mox patebit de pretio rerum. Olim ergo ante inventam pecuniam in usu erat sola permutatio rerum, quando unusquisque pro ratione necessitatis, vel utilitatis, sua non necessaria, vel inutilia pro necessariis, vel utilibus permutabat: cum plerumque contingat, ut quod uni superest, alteri desit. Verum quia non semper, nec facile concurrebat, ut tu haberes, quod ego desiderarem, ego vicissim haberem, quod tu accipere velles, & sæpissime rerum commutandarum inæqualis esset valor: si enim vacca commutanda esset cum equo, longe pluris æstimaretur equus, ideo Gentium jure, & consensu electa est materia certa, cujus publica, & perpetua æstimatio difficultatibus permutandarum, quoad æqualitatem quantitatis subveniret. Et hæc materia dicta est *nummus* a græco *nomos*, idest, *lex* quod scilicet publica lege quantitatem æstimationis suæ consecutus sit. Item *pretium;* quia aliarum omnium rerum in communionem venientium publica mensura, seu æstimatio est. Item *pecunia:* vel quod primi nummi pecudis nota signari solebant, teste Plinio *lib. 33. cap. 3.* Vel certe quod sicut divitiæ, & substantiæ hominum olim in pecoribus, ita nunc in nummorum multitudine consistant. Atque hinc ex contractu generali permutationis natus est specialis contractus emptionis, & venditionis: nam quatenus permutatur res quæpiam pro tali pretio, vel pecunia, dicitur *venditio*, cujus proinde materia dicitur *merx*, scilicet quodvis pretio æstimabile; quatenus autem commutatur, & datur tale pretium, vel pecunia pro aliqua re, dicitur *emptio*, cujus proinde materia est ipsum pretium, vel pecunia.

Pecunia porro, seu moneta, ut justa sit, tria requiruntur. 2
1. Legitima cudendi auctoritas. 2. Materiæ integritas. 3. Justum materiæ pondus. In quibus singulis quomodo falsificetur, dictum est supra *tr. 5. c. 5. sect. 6. in Appendice, ubi de criminibus falsi*. Duplex ejus assignatur valor, *intrinsecus, & extrinsecus*: valor pecuniæ *intrinsecus* sumitur partim ex metalli, auri, argenti, æris &c. naturali bonitate, ac proprietatibus, partim vero ex communi hominum omnium apprehensione, æstimatione, & affectione: super utrumque enim lege publica constituitur, & pecuniæ imponitur tantus, vel tantus valor, & æstimatio significata per expressam figuram. Pecuniæ valor *extrinsecus*, seu impositititius dicitur, qui a Magistratu monetæ imponitur, & variari solet non habita ratione intrinsecæ bonitatis, vel æstimationis metalli, sed ob aliquam causam, aut necessitatis publicæ, qua ratione tempore belli Bohemici talerus valebit 10. florenis: aut melioris bonitatis minorum monetarum; qua ratione talerus in Franconiæ circulo valet 18. paciis tantum, alibi autem 22. cum dimidio, æstimatione mere extrinseca ratione minorum monetarum, quæ in illo districtu dicuntur meliores esse, quam alibi. Quatenus autem, & quibus de causis Principes, & Magistra-

gistratus possint variare, vel augere valorem pecuniarum, vide late, & optime Laym. *l. 3. tr. 3. p. 1. c. 4. a n. 7.* ubi etiam late tractat illam quæstionem; quod si post contractum emptionis, venditionis, mutui, fiat mutatio, augmentum, vel diminutio valoris pecuniæ debitæ, vel solvendæ, cujusnam id lucro, vel damno accidere debeat, creditoris, an debitoris, an scilicet antiqua moneta, an nova variata solvi possit. Sed de hoc nos satis egimus suo loco *cap. præced. sect. 1. de mutuo a num. 11.*

Emptionis, & venditionis Definitio.

3 EMptio est *pactio pretii pro merce*. Venditio est *pactio mercis pro pretio*. L. 1. *ff.* de contrahenda emptione. Sensus integer, & clarus definitionis est: venditio, & emptio est *contractus onerosus constitutus mutuo consensu absoluto dandi mercem pro pretio, ac dandi pretium pro merce*: intelligendo *pretium determinatum, unicum, & statim debitum*: uti recte addendum censent Lugo *hic disp. 26. sect. 1.* Tamb. *l. 8. Dec. tr. 3. c. 7. §. 1.* Explico breviter particulatim.

I. Est contractus onerosus.

4 NImirum pro utraque parte obligans, scilicet vendentem ad tradendam mercem, & ementem ad tradendum pretium: estque contractus bonæ fidei, non stricti juris, ut constat ex generaliter dictis *cap. 2. sect. 1.* Ubi consequenter dicta de valore contractuum ex parte consensus personæ contrahentis, & materia, etiam emptioni, & venditioni applicanda sunt; & quoad specialia applicabuntur infra suis locis.

II. Constitutus mutuo consensu absoluto.

5 NAm emptio, & venditio essentialiter perficitur mutuo consensu de tali pretio, pro tali merce dando, & accipiendo, consensu, nimirum verbo, vel nutibus, immo etiam litteris expresso; quare etiam inter absentes per litteras, vel nuntium fieri potest. Hoc consensu mutuo posito utrinque statim acquiritur jus ad rem, scilicet hinc ex parte ementis, ad accipiendam mercem, inde vero ex parte vendentis ad accipiendum pretium: unde non est necesse, ut per venditionem, & emptionem transferatur actu dominium, sed sufficit, quod sit translativa dominii, & uterque ex vi contractus maneat obligatus ad dominium transferendum, utraque enim pars tenetur ad traditionem, & consequenter transferendum dominium, ideoque emptio, & venditio integraliter completur per traditionem, & apprehensionem, & mercis, & pretii; quo facto utrinque acquiritur jus in re, & dominium perfectum, licet hoc per accidens impediri possit, ut si res empta sit aliena, aut pretium furtivum, de quo infra patebit. Dixi autem, *mutuo consensu absoluto*: nam si consensus conditionatus fuerit v. g. vendo tibi frumentum meum, si in militiam proficiscar &c. tunc perficietur contractus primum, quando conditio impleta erit, atque obligatio tunc retrotrahitur usque ad tempus initi contractus, perinde ac si venditio ab initio fuisset absolute celebrata, ideoque commoda, & pericula rei venditæ pro illo tempore priori etiam ad emptorem spectant. Idemque dicendum, quando requiritur alterius ratihabitio: est enim velut venditio conditionata in hunc sensum, vendo tibi hoc prædium, si tuus pater, tutor &c. habuerit ratum. Vide Molin. *tom. 2. disp. 337. n. 14.* Less. *l. 2. cap. 21. dub. 1. n. 3.*

III. Dandi mercem pro pretio, ac pretium pro merce.

6 IN hoc ergo contractu, quatenus emptio dicitur, pretium, seu pecunia, quatenus vero venditio dicitur, merx, seu res vendibilis, materia est. Accipitur autem merx non stricte, & proprie pro sola re mobili ad vendendum exposita: sed latius, ut est correlativum pretii, scilicet pro omni re pretio æstimabili, ac vendibili; nam emi, & vendi possunt etiam res immobiles, domus, prædia, fundus &c. Item jura, & debita, immo & servitus, ut si tibi vendam jus currus, vel pecora per meum agrum ducendi, ut patebit infra *sect. 2.* Patet ergo jam clara differentia emptionis, & venditionis ab omnibus aliis contractibus; & gratuitis, cum emptio, & venditio sit contractus onerosus; & onerosis, cum in emptione, & venditione detur merx pro pretio, translato ultro citroque dominio: in aliis autem contractibus onerosis, aut datur nullum dominium rei, sed solum usus, ut in locatione, conductione &c. aut datur res pro re, ut in permutatione, & mutuo, aut pecunia pro pecunia, ut in eodem mutuo, & cambio. At quid si pro merce detur partim pretium, partim alia res? ut si vendas domum solvendam partim in pecunia, partim in frumento, vino, vel pecore &c. Resp. *disting.* 1. Si data pecunia valore superet rem datam aliam, simpliciter emptio erit: atque pro ea debebitur gabella forte tali rei imposita. Contra 2. Si alia res pecuniam datam valore superet, simpliciter permutatio erit, atque tunc non debebitur gabella, pro tali re vendita imposita. Ratio utriusque est: quia accessorium sequitur principale. 3. Quod si pecunia, & res data æqualis valoris sit, vel quasi æqualis, attendenda erit mens contrahentium, aut censebitur partim venditio, partim permutatio, & debetur gabella pro rata venditionis, ut ex Abbate, & aliis resolvit Laym. *lib. 3. tr. 4. cap. 17. num. 2.* Et Tamb. *l. 8. Decal. tr. 3. cap. 7. §. 1. n. 7.*

IV. Intelligendum pretium determinatum, unicum, & statim debitum.

DEterminatum, & certum pretium debet esse, alioquin invalida erit venditio, & emptio: ut si dicas: vendo tibi hanc vestem justo pretio, quanti volueris, quantum judicaverit expertus vir, invalida est hæc venditio, quia certum pretium non constituitur. Contra vero, valida erit emptio, & venditio, si dicas: emo a te hunc equum, hanc vestem &c. quanti tu emisti, quanti hoc tempore in his nundinis solet vendi &c. emo hac pecunia, quanta est in meo marsupio, quia jam adest certum, & determinatum pretium. Vide Tamb. cit. §. 1. n. 4. *Unicum, & statim debitum* pretium intelligendum est, per se loquendo, in contractu emptionis, & venditionis, ut nimirum perfecte distinguatur emptio, vel venditio a locatione, conductione, & emphyteusi, in quibus licet non conferatur dominium ipsius rei, sicut in venditione frumenti, revera tamen confertur dominium utile, seu usus, & fructus rei pro pretio; at non pro pretio unico statim debito; & solvendo, sed pro pensione successive, & annuatim solvenda; quia scilicet non debetur tota statim ab initio, sed successive etiam per partes, prout etiam successive per partes, accipitur ipse usus, seu fructus rei: in emptione autem, & venditione, tam pretium, quam merx statim tota simul debetur; unde si dominus daret jus utendi, vel fruendi tali re pro unico pretio statim simul toto debito, & solvendo, esset verissima emptio, & venditio talis juris per modum mercis, uti observat *Lugo cit. sect. 1.* Venditionis, & emptionis valor pendet, & explicari debet ex quadruplici capite. 1. Ex parte pretii. 2. Ex parte mercis, 3. Ex parte venditoris: 4. Ex parte emptoris. Quoad emptorem, & venditorem, quinam nimirum emere, & vendere possint, deque eorum consensu requisito, generaliter patet ex late dictis *c. 2. toto.* Specialia patebunt infra suis locis. De pretio ergo, & merce potissimum agendum est in hoc capite. 7

SECTIO I.

De justo pretio rerum.

SUMMARIUM.

9 *Pretium* legitimum, *seu* legale, *est pretium lege publica taxatum.*
10 & 11 *Quando taxa illa cesset.*
12 & 13 *Quando taxa non obliget.*
14 *Pretium* naturale, *seu* vulgare *quid.*
15 *Pretia rerum* naturalia *augeri possunt I. ex parte mercis, & pretii.*
16 *II. Ex parte ementium.*
17 Usque ad n. 21. *III. Ex parte vendentium, &*
21 Usque ad n. 25. *IV. Ex parte modi vendendi, aut emendi.*
25 *An, & quando necessitas, vel utilitas magna augeat pretium rei.*
26 *Pretium naturale, seu vulgare triplex,* summum, medium, infimum.
27 *Deceptio, vel excessus in pretio ultra summum, vel infimum justi pretii in conscientia restituendus est.*
28 *In foro autem externo neutro Jure succurritur venditori, nisi ultra dimidium justi pretii deceptus fuerit.*
29 *Cui restituendus excessus injustus pretii.*
30 *De emente pecunia furtiva, aut moneta falsa.*
31 *Supra legitimum pretium non licet rem carius vendere eo solo prætextu, quod credito vendatur.*
32 *Nec rem justo minoris emere, ex eo solum, quod anticipato emens nunc des pretium, recepturus rem postea.*
33 & 34 *Non tamen peccat, qui vendit, vel emit rem pretio præsenti, quod scit brevi augendum, vel minuendum.*
35 *Casus notabilis.*
36 & 37 *An vendens, vel emens alieno nomine possit sibi lucrari de pretio v. g. vilius emendo, vel carius vendendo, quam ei commissum erat.*
38 Usque ad n. 41. *Resolvuntur casus varii valde notabiles.*

ASSERTIO.

PRetium rerum venalium duplex est: *legitimum*, & *naturale*, seu *vulgare*. Et hoc triplex; *summum, medium, infimum*. Omnia sufficientia ad justum contractum emptionis, & venditionis. Explico singula. 8

§. I. Pretium legitimum, seu legale

DIcitur, quod publica Lege, seu Decreto Principis, vel Magistratus taxatur, considerata qualitate rei, & omnibus circumstantiis; atque pro tali habendum est, & acceptandum, quoties non constat, Superiorem inique ignorantia, 9

rantia, odio, avaritia, aut muneribus duci in eo taxando; illique omnino standum erit: tum quia Magistratus melius potest cognoscere omnes circumstantias ad justam taxationem faciendam: tum quia Respublica in bonum commune disponere potest de bonis subditorum, & prohibere, ne plus accipiant, vel minus dent, & subsistente justa causa præcepto parendum est. Hoc ergo pretium legitimum consistit in indivisibili, atque ex justitia sub onere restitutionis observandum est, adeo ut quomodocumque excedatur, seu plus exigendo, seu minus dando, supra, vel infra taxam, injustitia committatur, & adsit obligatio restituendi excessum, vel defectum taxati pretii. Ratio patet intuenti. Amplæ tamen sunt exceptiones.

10 I. Taxa cessat obligatione, si Princeps sciat, & patiatur populum non vendere, & emere juxta taxam, sed pretio vulgari arbitrario; tunc enim tacite censetur consentire; idque etiam si unum, vel alterum puniat, aliis dissimulatis: nam unius punitio videtur facta ad experiendum, an alii taxæ legem acceptent: ut ex *Fagund.* notat Tamb. *cit.* §. 4. *num.* 19.

11 II. Taxa cessat obligatione, si evadat injusta, mutatis circumstantiis: ut si post dictam taxam superveniat ejus mercis abundantia, vel e contra penuria: sicut & plene non obligat, si ab initio manifeste injusta fuit, ut si jubetur, ut frumentum superveniente sterilitate eodem pretio minori vendatur, quo antea tempore copiæ, aut e contra, ut eodem pretio majori vendatur superveniente tempore copiæ, quo antea tempore inopiæ. Ratio est: quia ubi notabilis adest mutatio circumstantiarum, unde mercium æstimatio pendet, pretium quoque a Magistratu mutari convenit, teste Navar. *c.* 23. *n.* 88. Less. *l.* 2. *c.* 21. *dub.* 2. Mol. *disp.* 353. Laym. *c.* 17. §. 1. Unde licet Magistratus juste, immo necessario taxet pretium frumenti, debet tamen id facere consideratis circumstantiis abundantiæ, aut sterilitatis, sumptuum, laborum, ac necessitatis agricolarum. Neque minuendum pretium frumenti, non imminuto pretio aliarum rerum ipsis necessariarum, ut sic agricola frumentum suum vili vendere, alia vero sibi necessaria caro emere cogatur: idemque observandum, cum taxatur pistoribus, & lanionibus pondus panis, & carnis, ut fiat secundum proportionem valoris tritici, vel pecoris, alioquin enim injustam læsionem patientur.

12 III. Taxa non obligat, quatenus est favorabilis contrahenti; hinc quia pretium plerumque taxatur in gratiam emptorum, ut venditor non possit ultra illud accipere: ideo tunc emptor potest minus licite dare alteri volenti, & acceptanti, dummodo naturale pretium, infimum, attingat, aliquando vero pretium taxatur in gratiam venditorum, ut non possit emptor minus dare, ut fit in emptione censuum pecuniariorum, & fructuariorum, in quibus de facto in Germania recepta taxa est viginti pro uno, & tunc potest venditor absque injustitia plus exigere: dummodo tamen non excedat pretium vulgare summum. Ratio utriusque est, quia nullus obligatur favore suo.

13 IV. Taxa non obligat, quando res, vel merx tua est notabiliter, seu longe præstantior (nam parum hic pro nihilo reputatur) quam res aliæ, quæ communiter in foro taxato pretio venduntur; tunc enim vendere poteris aliquanto pluris supra taxam; sicut e contra, si res tua, frumentum, vinum, fructus &c. sit moraliter pejor, minoris proportionaliter vendere debes. Ratio est, quia taxa semper intelligitur de rebus ordinariæ bonitatis: ex communi Lug. *disp.* 26. *sect.* 5. *n.* 64. ubi etiam *nu.* 66. contra Diana *p.* 1. *tr. de contr. res.* 35. approbat, posse te licite fructus v. g. tuos longe meliores separare, & vendere aliquanto ultra taxam, vendendo cæteros fructus juxta taxam; dummodo cæteri remaneant æque boni, ac illi, qui venduntur communiter taxato pretio; nam hinc merito damnabis nostros laniones, seu macellarios, qui danti majus pretium meliores carnes vendunt, ossa vero, & viliora carnium dant aliis pretio taxato, debent enim æqualiter dispartire carnes, cum proportionata parte partium ossium, & viliorum, vel quo deterius dant, eo viliori pretio debent esse contenti. *Tamb. Laym.* At numquid rei tuæ extraordinariæ bonitatis admiscere aliquid materiæ vilioris poteris, v. g. frumento electo hordeum, vel avenam, vino valde generoso aquam, &c. & sic conflatum, atque æquale redditum cæteris rebus, frumento, vino communiter venditis, taxato pretio vendere? Quæstio potius mercem, quam pretium concernit. De frumento aliquid concedemus, at de vino simpliciter rogabimus sect. seq. ubi de merce vitiata.

§. II. *Pretium naturale, seu vulgare.*

14 Dicitur, quod seclusa definitione Legis paciscentium consensu constituitur ex ipsa natura mercium, non quidem absolute spectata in esse physico, sed secundum esse usuale, seu in ordine ad usum humanum ratione necessitatis, utilitatis, affectionis, seu voluptatis. Qua ratione pluris emitur, & æstimatur generosus equus, quam homo servus; gemma, quam equus; fructus rarus, quam panis &c. ob majorem scilicet, utilitatem, vel affectionem hominum ut de pane respectu muris etiam S. Aug. *l.* 11. *de Civit. Dei c.* 16. notat. Justitia ergo pretii naturalis rerum venalium sumenda est non ex unius, vel alterius hominis privato affectu, sed ex communi hominum æstimatione, juxta *L. pretia*, *ff. ad L. Falcidiam*, adeo ut illud censeatur justum mercis pretium esse, quod loci constitutio approbat secundum communem æstimationem hominum ex abundantia, vel penuria mercis ordinaria, acquirendi facilitate, vel difficultate, ex utilitate, affectione, aliisque circumstantiis, ut ex communi omnium docent Laym. *c.* 17. §. 1. *n.* 9. Lug. *disp.* 26. *sect.* 3. Communes autem, & justæ causæ, ob quas pretia rerum naturalia variari, augeri, minui, ipsæque res majoris, vel minoris, æstimari, vendi, ac emi possunt, congrue revocantur ad quatuor capita. 1. Ex parte rei venditæ, & pretii. 2. Ex parte emptorum. 3. Ex parte venditorum. 4. Ex parte modi vendendi.

I. *Ex parte mercis, & pretii.*

Abundantia, & penuria mercium, sicut e contra abundantia, & inopia pecuniæ, minuit, vel auget rerum valorem, ac pretium, ut nimis notum est nostris temporibus: hinc quando multi sunt venditores, & pauci emptores, merces viliori venduntur; tunc enim merx est abundans. Contra quando multi sunt emptores, & pauci venditores, rerum pretia augentur; tunc enim inducitur penuria mercium. Unde in transitu Principis, cum magno comitatu, vel exercitu rerum pretia accresci solent. E contra in fine nundinarum delapsis jam emptoribus, & mercibus prostantibus, merces vilius emuntur: sicut & tempore pestis, post partam victoriam, ut notat *Laym. cit. n.* 10. Huc reduci potest novitas, vel antiquitas rerum, quæ, quia raritatem indicant, pretium augent, ut in fructibus, in statuis, imaginibus, numismatibus antiquis. 15

II. *Ex parte ementium.*

Jam indicatum est, quando emptores sunt frequentes, carius merces vendi, quam quando sunt rari; & juste quidem: accedentibus enim multis emptoribus, inducitur rerum penuria: comparentibus paucis, persistit abundantia. Sed Quæstio vulgaris est, utrum exterius liceat carius vendere res suas, quam civibus, vel indigenis, maxime vicinis. Resp. Intra latitudinem justi pretii naturalis nihil prohibet exteris vendere pretio summo rigoroso; civibus autem ex benevolentia pretio mediocri: at vero ultra justum pretium etiam summum naturale, non licet, nisi quando per adventum, vel concursum multorum externorum, ut in adventu Principis, exercitus, in comitiis, in nundinis, populosis Processionibus &c. inducitur inopia rerum venalium, & sic per se pretia crescunt: tunc enim rursus poteris exteris vendere pretio illo aucto, indigenis autem ex benevolentia pretio minori, quod antea fuit. Ita Molina *disp.* 346. Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. Ex quibus colligit Tamb. *cap.* 7. §. 4. *n.* 9. posse, Principem, vel Magistratum statuere, ut pro exteris vendantur res pretio summo justo, pro civibus medio; aliquid enim concedendum est civibus, qui oneribus propriæ Civitatis, vel Communitatis perpetuo subsunt. 16

III. *Ex parte venditorum.*

Universaliter, qui ex officio vendunt, ut mercatores, carius vendere possunt, ut lucrentur ad sui sustentationem, cum maxime pretio æstimabile sit, quod ii ad bonum commune rebus conquirendis, conservandis, & distrahendis attendant, relictis aliis occupationibus, & lucrandi rationibus. Non item alii, qui per accidens quidpiam vendunt: ut cum aliis docent Lessius modo *cit.* & Lugo *cit. sect.* 7. Ratio jam indicata est; quia Reipublicæ multum interest, habere mercatores, apud quos in promptu habeantur merces omnis generis ad communem usum, & commodum necessariæ: ergo congruum est, ut eis hæc licentia lucrandi concedatur quoad pretium naturale, & vulgare; nam si adsit alicujus mercis pretium legitimum, & taxatum, non potest supra illud mercator vendere, quia taxatione legitima pretii jam haberi solet, & debet haberi ratio officii mercatorum. Addit tamen *Less. ibid.* etiam alium, qui non est mercator ex officio, posse aliquando saltem vendere ex consequenti pretio mercatorum, quia posito, quod mercatores ita vendant, ejusmodi pretium jam fit vulgare in Civitate. 17

II. Expensæ, pericula, & damna venditorum communiter occurrentia in quærendis, transportandis, conservandis mercibus, earum pretium vulgare juste augent; sicut e contra earum facilitas, & securitas minuere debet, ut omnes concedunt. Dico tamen, *communiter occurrentia*: nam ex eo, quod unus mercator singulare damnum patiatur in suis mercibus naufragio, latrocinio, incendio, inundatione &c. non augetur juste pro ipso pretium: res enim tanti valet, quanti per se æstimatur communiter, non vero quanti tibi per infortunium, vel imprudentiam valuit. Quod si tamen ejusmodi infortunium esset commune multis mercatoribus, v. g. tempore bellorum, sic, ut induceret penuriam mercium in communi, tunc utique crescet pretium, non tamen ob unius mercatoris causam, vel damnum. 18

19 III. Huc spectat, approbante usu, res etiam pluris venditur apud insignem singulariter artificem, vel mercatorem; nam nobilitas mercatoris, vel artificis nobilitat merces, vel artefacta, quia supponitur, nobiliores mercatores, atque artifices magis laborasse in conquirendis mercibus, aut artefactis, vel efformandis: pretium autem vulgare rerum pendet in æstimatione hominum.

20 IV. Denique quilibet juste carius potest vendere rem suam, aut ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ex venditione intempestiva talis rei suæ, juxta dicta supra de mutuo, huc omnino applicanda; aut ratione singularis affectionis, vel commoditatis, quam venditor in re vendenda habuit, eaque in gratiam emptoris se privat, dummodo de hoc emptorem moneat, & hujus sui commodi compensationem in pactum deducat, ne alter decipiatur. Molin. *disp.* 351. Less. Laym. Lugo *cit.* At vero specialis affectio, vel commoditas, quam emptor ex re empta ob industriam, vel fortunam suam percipere potest, non auget pretium mercis; quia nemo suam commoditatem emere cogitur, ut ex *D. Thom. supra*, *Navar. & aliis* recte notat Less. *cit. num.* 31.

IV. Ex parte modi vendendi, aut emendi.

21 I. CArius res vendi solent, quando minutim emuntur, quam si magna quantitate simul. Ratio est: quia prior modus plures labores, & expensas venditori affert, merito majori pretio compensandas: sicut e contra quando simul emis magnam quantitatem mercium, minoris emere potes, quia exoneras venditorem multis curis, & occupationibus circa illas merces, ait bene Lessius *cit. capit.* 22. *dub.* 4. *num.* 38.

22 II. Res a venditore sponte oblatæ ad emendum, & rogante, facilius emuntur, quam in propria mercatoris officina: merces enim ultroneæ vilescunt pro tertia parte pretii, cum id arguat paucitatem emptorum, & modicam mercis necessitatem, vel utilitatem; ut cum Cajetano, aliisque docet Less. ibid. Lugo *disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 45. Immo easdem ultroneas merces vilescere usque ad dimidium, docent Rebellus, Megala, Bartholomæus *a S. Fausto* apud Diana *p.* 1. *tr.* 8. *resol.* 53. & 78. Et Lugo ibid. *n.* 45. refert, nec refellit *Palacium* docentem, pallium, quod in officina valet 5. aureis, posse a te emi duobus, si rogatus fueris. Universaliter ergo, qui emit in gratiam venditoris, utpote rogatus, potest emere minoris: qui autem vendit in gratiam emptoris similiter rogatus potest vendere pluris, tamen juxta supra dicta, si per hoc aliqua sua commoditate se privet.

23 III. Res, quæ sub hasta, seu foro scrutario venduntur, viliori æstimari solent, quam quæ venduntur in propria officina, quæ proinde res tanti possunt, & emi, & vendi, quanti aut emens, aut vendens sine fraude extorquere potest, etiam infra, vel supra dimidium ejus, quo res in propriis officinis valeret; quia ex praxi omnium, & etiam timoratorum, in eo modo vendendi justum pretium est, quod inveniri potest; adeoque quanti minoris emere, vel quanti majoris vendere potes, licet. Ita Molina, Bonacina, aliisque cit. Laym. *cit. n.* 10. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *res.* 12. Dixi tamen *sine fraude*: si enim vi, vel fraude decipiatur aut emptor, ut carius emat, aut venditor, ut vilius vendat, utique injustitia committetur, & excessus, vel defectus pretii restituendus erit juxta damnum, quod domino fit.

24 IV. Merces, quæ communiter credito, seu data fide solutionis ad certum tempus, vendi solent, pluris vendi possunt: quia talis vendendi modus excitat copiam, & fervorem emptorum, & plerumque incommodum est mercatori, tanto scilicet tempore pretium expectare. E contra vero modus vendendi communiter solutione præsenti, vel anticipata, facit pretium decrescere; quia inducit varietatem emptorum, & pluralitatem venditorum, ut notant Mol. *disp.* 360. Less. *cit. dub.* 7. apud Laym. *cit. n.* 10. Dixi autem: *Quæ communiter sic venduntur*. Secus est in casu particulari, de quo supra mentio facta, cum *de usura palliata*; & ex professo infra §. 4. agetur. Ex dictis resolvenda est illa

Quæstio: An necessitas, vel utilitas magna talis mercis augeat ejus pretium.

25 R*Espondetur cum distinctione*. Aut enim *primo* necessitas, & utilitas mercium est communis; & tunc utique auget pretia; quia tunc erunt plurimi egentes, & consequenter ementes. Aut *secundo* necessitas, & utilitas talis mercis est ex parte ipsius venditoris; quia scilicet ipsi res vendenda necessaria valde, vel utilis est, & tamen illam vendit in gratiam emptoris; & tunc potest venditor augere pretium juxta paulo ante dicta, quia privatio ejusmodi commoditatis, immo & justæ oblectationis pretio æstimabilis est, & habet se per modum lucri cessantis, vel damni emergentis venditori, ideoque ab emptore jure compensandum. Aut *tertio* necessitas, vel utilitas talis, & specialis talis mercis est ex parte emptoris tantum; & tunc non potest augeri pretium ultra justum, ut etiam supra indicatum; alioquin certe posses esurienti præ fame de vita periclitanti panem assis unius vendere 100. ducatis, quo nihil absurdius. Ratio a priori est; quia nullus potest vendere, quod suum non est: at necessitas, & utilitas ementis nullo modo est vendentis; ergo injuste, & invalide pro ea auget pretium ultra justum, & cogit alterum emere suum proprium commodum. Denique sermo semper est, & erit de pretio rerum ad communem usum pertinentium, victum, vestitum, habitationemque: nam res, quæ non habet communem usum, ut gemmæ, canes, simiæ, aves, aliaque animalia peregrina, vel fructus exotici, & cætera ejusmodi, quæ non habent pretia constituta, nec a Principe, nec ab usu fori, habent sua pretia ex mera voluntate ementis, & vendentis juxta illud: in suis rebus unusquisque est moderator, & arbiter. Addunt *Valentia, & Sa apud Lugo mox citand.* quia cum in his nulla necessitas cogat emptorem, judicatur is donare excessum supra pretium vulgare: quamvis oppositum cum aliis sentiat Lugo eadem *disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 47. non posse nimirum ejusmodi vendi, quantum tu vis, & potes quocumque excessivo pretio, quia pretia debet commensurari valori rationabili rerum. Sed certe non indigenti, & libere volenti sic excessive emere, non fiet injuria, ideoque, nisi repetatur, venditor pretium acceptum meo judicio juste retinebit.

§. III. *Pretium naturale, seu vulgare justum rerum, ejusque defraudatio.*

PRetium naturale, seu vulgare justum rerum non consistit in indivisibili, sed latitudinem habet omnium 26
consensu: nam etsi Justitia commutativa requirat proportionem, seu æqualitatem Arithmeticam inter datum, & acceptum, & in proposito Deus ipse videat quidnam pretium simpliciter sit æquale cuivis rei, vel merci, id tamen non vident homines, nec possunt attingere indivisibile punctum inter quamvis mercem, & pretium: ergo etiam cum pretium naturale pendeat ab hominum æstimatione, & affectu, iique valde varie judicent de rebus, necessario concedenda est latitudo aliqua in commensuratione pretii ad mercem. Itaque triplex rerum pretium a Doctoribus statuitur: *summum*, seu rigorosum; *medium*, & *infimum*; quorum quolibet juste res vendi, & emi potest. Communissima cum *S. Thom. Scot. Navar. cit. & aliis passim*. Ratio jam data est, atque in hoc non raro initur lucrum juge negotiantium; emunt enim infimo justo pretio, vendunt autem medio, vel summo, etiam justo. Quanta autem sit differentia inter illa tria pretia, fatentur omnes, non posse unam certam Regulam assignari; quia id ex variis circumstantiis varie æstimandis dependet. Mol. *disp.* 347. (uti consentiunt *Lessius, Laym. Lug.* alii) ponit exemplum: Ponamus medium pretium esse 10. aureorum, infimum erit 8. cum dimidio, summum vero 10. vel 11. cum dimidio, & sic servata proportione, sed semper minuenda, v. g. si pretium medium sit 100. infimum debet esse 95. summum 105. *sic ille*. Sed certe pro hoc tempore scrupulose: nam omnia pendent a judicio prudentis, consideratis circumstantiis, seu prout in foro, & communibus negotiationibus sine fraude apparet. Nunc de ejusmodi pretii defraudatione, vel deceptione agendum erit.

I. Deceptio in pretio quoad forum conscientiæ.

IN foro conscientiæ omnis venditio, qua justi pretii lati- 27
tudo notabiliter exceditur ultra summum, & omnis emptio, qua justi pretii, etiam infimi quantitas non attingitur, injusta, & illicita est, & per restitutionem ad æqualitatem reducenda. Communissima cum D. Aug. *l.* 3. *de Trin. cap.* 3. D.Th. *q.* 77. *art.* 1. Scot. supra *cit.* 4. *d.* 15. *q.* 1. Navar. *cap.* 23. aliisque cit. Mol. *disp.* 350. Laym. *cit.* §. 1. *n.* 5. Lug. *sect.* 6. *n.* 81. Sumitur ex Apost. 1. *ad Thess.* 4. pro hibente: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam Vindex est Dominus de iis omnibus*. Et D. August. *loc. cit.* ait: *Velle vili emere, & caro vendere, utrumque vitium est*. Ratio a priori est: quia in emptione, & venditione ex Justitia commutativa debet servari æqualitas inter datum, & acceptum: atqui non servatur æqualitas, si pretium æquale rei venditæ non sit infra latitudinem justi pretii, sed inæquale, vel per excessum supra summum, vel per defectum infra infimum; ergo ejusmodi venditio, vel emptio injusta, & illicita est, & per restitutionem ad æqualitatem reducenda, restituendo nimirum totum id una cum fructibus forte perceptis, quod in venditione accipitur ultra justum pretium, vel quod in emptione de justo pretio detrahitur, & non datur. Non ergo in foro conscientiæ, sed pro foro externo tantum (de quo mox) valet illud Legistarum placitum: licere ementibus, & vendentibus se invicem decipere usque ad dimidiam partem justi pretii, scilicet pluris vendendo, vel minoris emendo; non, inquam, valet in foro conscientiæ, nam in conscientia nemini licet proximum suum, ne in obulo quidem decipere. Sed limita, nisi liberalis datio, vel remissio ejus, qui deceptus est, expressa, vel præsumpta adsit. Ratio est, quia ad injuriam necessario requiritur involuntarium saltem minus, utpote in proposito, quia contrahens, vel ex ignorantia valoris justi decipitur, aut quia aliter emere, vel vendere non potens, cogitur in pretium

tium injustum consentire. Quod si adsit autem liberalis datio, vel remissio, volenti non fiet injuria. Ubi advertunt DD. cum Scot. cit. in dubio potius præsumendum esse, quod contrahentes invicem remittere, & condonare velint, si in contractu inæqualitas modica, & non admodum notabilis accidat: si vero notabilis sit inæqualitas, utique donatio præsumenda non est: cum nullus præsumatur, rem suam velle prodigere, nisi ex circumstantiis id conjici possit, ut si contrahentes sint amici, benefici, aut si scientes justum valorem pretii, sine necessitate, vi, vel fraude sic contrahant: ut notant etiam *Navarr. Lessius, Molin. Laym. cit.*

II. Deceptio in pretio quoad forum externum.

28 IN foro externo utroque Jure Civili, & Canonico (ob vitandam litium multitudinem, cum quasi connaturale sit homini velle caro vendere, & vili emere) non succurritur, nec conceditur actio venditori, nisi ultra dimidium justi pretii deceptus fuerit, ut scilicet neque dimidium justi pretii partem acceperit, ut si mercem revera ad minimum valentem 10. aureis, vendit minus quinque aureis; tunc enim competet ei actio adversus emptorem, ut vel rescisso contractu mercem restituat, recepto pretio, vel stante contractu, justi pretii defectum suppleat. Sic habetur *L.2. C. de rescind. vendit. & cum dilecti de empt. & vend.* & alibi. Quamvis autem Jura id beneficium, seu actionem rescissoriam expressam solum venditori decepto concedant, tamen per æquiparantiam etiam emptori decepto concessum, intelligendum est, si ultra dimidium justi deceptus sit, omnium consensu. Sed controversia est, quomodo dimidium justi in emptore computandum sit. Communis Sententia apud Mol. *tom. 2. disp. 349.* affirmat, eodem modo, sicut in decepto venditore spectatur dimidium infra justum pretium modo prædicto, ita etiam in decepto emptore spectandum esse dimidium ultra justum pretium, ut si merx valeat summum 12. aureos, & emptor solvat ultra 18. contractus rescindendus sit, vel excessus pretii emptori restituendus: & vera sententia est, quatenus Jura, vel Judex spectant quantitatem læsionis: si enim merx valet 12. æquale damnum erit, & venditoris, si vendidit infra 6. & emptoris si emit ultra 18. ut manifestum: neque decens videtur, quod jura permittant majorem læsionem in emptore, quam venditore, cum contrahentium debeat esse æqualis conditio. Nihilominus *Abb. Fach.* & alii apud Laym. *cit. n. 7.* docent requiri, quod emptor duplum supra pretium solverit, v.g. 24. si merx summum valuit 12. Ratio horum est, quia tunc solum læso succurritur, si plus, quam duplum dedit, & minus, quam dimidium accepit: atqui id in venditore accidit, si mercem valentem duodecim, vendidit infra sex: in emptore autem, si emit ultra 24. ergo & hæc sententia probabilis est, quatenus jura, vel Judex attendunt ad declinandam litium multitudinem publicæ quietis causa, in hac enim Sententia erit æqualis litium occasio; in priore autem communi Sententia sæpius contingit læsio ex parte emptoris, quam venditoris: facilius enim aliquis dabit emendo 18. pro 12. quam accipiat vendendo 6. pro 12. Sed res est fori externi, de qua latius *Mol. Laym. & alii.* Quod si ergo ejusmodi emptio, vel venditio ob excessivam læsionem postea rescindatur, fructus temporis intermedii ad emptorem ut dominum pertinebunt, sicut & periculum rei ad eumdem pertinebat. Communior DD. Less. *cap. 21. dub. 15.* Mol. *disp. 349.* Sa *v. emptio*. Ratio jam indicata est. Alia est ratio, quando venditio rescinditur propter pactum adjectionis in diem (idem est, si intra certum temporis spatium alius majus pretium obtulerit, res inempta esto) vel si venditio rescindatur ob adjectum pactum commissorium, hoc est, si intra certum temporis spatium pretium solutum non fuerit, res inempta est: quia enim, rescisso contractu propter ejusmodi pactum, perinde est, ac si emptio, & venditio nulla intervenisset; adeo ut dominium rei absque ulla traditione ad venditorem statim redeat; ideo etiam fructus temporis intermedii ad eumdem venditorem spectare debent. Vide late Molin. *disp. 377.* Denique, licet etiam jure Canonico decepto infra dimidium justi pretii denegetur actio judicialis, conceditur tamen denuntiatio Evangelica, vel charitativa, seu imploratio officii Judicis Ecclesiastici, quatenus deceptores de iniquo damno resarciendo frustra admoniti per Prælatum Ecclesiasticum compellantur ad id, quod sub peccato mortali præstare debent, ut colligitur ex *cap. novit. de judic.* Restat unum, aut alterum dubium.

III. *Cui restituendus excessus injustus pretii, immediato, an mediato damnificato.*

29 EXempli gratia. Vendidisti frumentum Titio pistori, vel molitori excessivo pretio, v.g. uno aureo per singulos modios supra taxam, vel pretium justum naturale. Idem pistor, vel molitor ad se servandum indemnem idem frumentum, aut ex eo factam farinam, vel panem vendidit eodem excessivo pretio populo; cuinam tu excessum pretii restituere debebis, pistori, vel molitori, an populo? Respondet recte Sanch. *lib. 1. Consil. cap. 7. dub. 12.* & Lugo *disp. 26. n. 76.* te primum venditorem nihil debere restituere pistori, vel molitori, vel primo emptori cuivis; quippe qui non sensit damnum, sed se indemnem servavit, etsi injuste, sed populo, seu secundis emptoribus, qui soli damnum senserunt: quia tamen hi secundi emptores plerique sunt incerti, vel incogniti, restituendus erit ille excessus pauperibus, juxta communes regulas restitutionis pro debitis incertis ex delicto. Quam sententiam late confirmat Tamb. *lib. 8. Decal. tr. 3. §. 5. num. 7.* contra *Franciscum Bardi* contendentem, restituendum esse pistori, seu primo emptori: recte tamen addens *num. 15.* quod si tu juxta hanc contrariam sententiam forte jam reddidisti excessum pretii pistori, seu primo emptori, non esse te cogendum, ut iterum reddas populo; nam æquitas postulat, ut, quia jam purgasti tuum delictum reddendo excessum, nec aliquid alienum inveniris habere, non debeas amplius molestiam pati. Restituat ergo tunc populo ipse pistor, quemadmodum etiam deberet restituere in casu, quo tu nolles, vel non posses restituere; non enim ex hoc ipse liberatur ab obligatione restitutionis contracta ex suo etiam delicto contra populum commisso.

IV. *Emens pecunia furtiva, vel moneta falsa.*

EMens rem pecunia furtiva, vel aliena etiam cum suis pecuniis non permixta, acquirit dominium rei emptæ: 30
attamen is manebit obligatus restituere domino pro pecunia aliena, & tenebitur venditori de evictione pecuniæ alienæ. Sed hoc ob connexionem materiæ explicabitur *Sect. seq.* cum de merce, seu re aliena, & vendita.

Quoad falsam monetam distinguendum est: Aut enim 1. moneta est falsa, vel adulterina solum formaliter, quoad signum Regis, vel Principis a falso monetario privata auctoritate monetæ justi metalli, & ponderis appresum: & tunc non peccat contra Justitiam commutativam, eadem falsa moneta emens, vel aliter negotians; esto enim peccaret ille, qui signum Principis falsificavit, non tamen tu peccas, talem monetam expendendo, quia nullum alteri damnum infers; jam enim alter habet monetam legitime æquivalentem, & in foro habendam pro legitima. Aut 2. moneta falsa est quod materiam ob defectum ponderis, justi metalli, ex admixtione materiæ vilioris, aut plene materiæ adulterinæ, v. g. stanni anglici pro argento: & ejusmodi monetam exponens emendo, vel negotiando peccas contra Justitiam, cum onere restitutionis, quia alteri injustum damnum infers diminutione justi pretii, etiam non obstante, quod tu ipse ab alio ejusmodi falsa moneta deceptus sis: tuum enim infortunium, & damnum non debet luere proximus tuus innocens. Vide Navarrum *c. 17. n. 167.* Quin etiam, si ignorans inculpate ejusmodi monetam adulterinam exponas emendo, etsi pro tunc non pecces, statim tamen cognita veritate, maxime monitus a parte læsa, obligaris ad restituendum pretium ei, qui damnum tulit, non quidem ex injusta acceptione, neque ex re accepta, ut patet, sed ex contractu, quo obligaris solvere justum pretium pro re empta. *Omnes.*

§. IV. *Casus speciales quoad pretium emptionis, & venditionis.*

Casus I.

Vendens majori pretio, quia credito.

SUpra legitimum, vel vulgare justum pretium non licet carius vendere ex eo solo prætextu, quod credito res ven- 31
datur. Communissima apud omnes *cit.* Ratio manifesta est: quia justum pretium rei est illud, quo valet res tempore traditionis, & non quo valebit postea; & adest hic mutuum implicitum, & vera usura palliata, ut supra: nam si mercem pretio justo etiam summo valentem 100. aureos tantum, ob solam dilationem vendas 105. re ipsa nihil aliud agis, quam quod emptori 100. aureos tamquam justum pretium statim solvendos in longius tempus mutues, ut postea restituat 105. quæ est ipsissima usura. Idipsum in simili diximus supra *cap. 4. sect. 1. §. 3.* eadem enim est ratio, ut patet. Dixi tamen: *Ex eo solum prætextu, quod credito vendatur.* Secus enim dicendum, si (quemadmodum in mutuo supra late declaratum) etiam in tali venditione credito facta alius justus titulus accedat accipiendi aliquid ultra pretium justum, ac sortem creditam, utpote si venditoris intersit, solutionem pretii non differri tam diu, utpote propter periculum, vel difficultatem pretii postea recuperandi, propter interesse lucri cessantis, vel damni emergentis interim ex carentia pretii. Quo spectat, si venditor suam rem fuisset alio translaturus, ubi plus valet; vel alio tempore venditurus, quando plus valebit, & his similia; in iis enim casibus venditor pluris vendendo non vendit dilationem temporis in pretio solvendo, modo usurario, sed vendit, ut sua interest, ad se servandum indemnem. Notant tamen DD. passim, *Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 6.* Molina *disp. 335.* in hoc casu, ut quis pluris vendere possit credito, quatuor requiri conditiones. 1. Ut vere tu alias esses nume-

numerata pecunia venditurus rem tuam, nisi huic venderes credito; ubi vides, passim delinquere mercatores, qui indifferenter quibusvis vendunt carius credito, etiam cum pauci, vel nulli sunt, qui emissent, numerata pecunia. Certe injuste si enim mercator alias non vendidisset, numerata pecunia, non habuisset jam pecuniam, qua negotiando potuisset aliquid lucrari, & sic nullum ei lucrum cessasset. 2. Ut revera tu illa pecunia statim soluta fuisses negotiaturus. 3. Ut de lucro exigendo minuatur, seu detrahatur, quod ratione expensarum, & periculorum arbitrio boni viri in ea negotiatione fuisses expensurus. 4. Ut omnino significetur id emptori, alioquin enim forte nollet a te emere, cum hoc onere compensandi tibi lucrum cessans, vel damnum emergens ex dilata solutione: si non præmoneas, ignarum gravas, & onus restitutionis contrahes, secundum *Omnes*. Quæ omnia in simili latius habes supra de mutuo, & usura, *sect.* 2. eadem enim omnino est ratio utrobique.

II. *Emens viliori pretio, quia anticipato.*

32 Non licet tibi rem minoris justo pretio emere ex eo solo capite, quod anticipato emens, nunc des pretium, vel partem ejus, numerata pecunia, postea recepturus mercem emptam. Certum apud *Omnes*. Ratio clara est, quia justum pretium rei est illud, quo res valet tempore traditionis: & adest rursus mutuum implicitum, ac usura palliata; nam si rem, v. g. equum 100. aureos juste valentem ob solam anticipatam pretii solutionem emas minoris, v. g. 90. vel 80. perinde est, ac si mutuares ipsi nunc 90. vel 80. aureos, recepturus post annum 100. insigni usura. Dixi rursus, *Ex eo solo capite, quod anticipato emat*. Secus enim rursus dicendum, & excipiendum est, si justa causa subsit, vel titulus justus accedat ita minoris emendi, utpote, si adsit periculum non nisi difficulter habendi mercem emptam suo tempore: si tibi propter expectationem mercis emptæ lucrum cesset, vel damnum emergat, (servatis conditionibus in simili modo supra positis) si certo sciatur, vel credatur, mercem alio tempore minoris valituram, ut si tempore veris emas anticipato frumentum, tunc quidem valens 6. aureos, at consignandum in autumno, quando non valebit, nisi 4. vel 5. aureos, utique proportionaliter minoris emere poteris. Addunt aliqui apud *Tamb. cit.* §. 7. *nu.* 7. juste sic minoris emi anticipato, quando venditores passim offerunt, aut etiam rogant emptores ad sic anticipato emendas suas merces, v. g. frumenta, vina, pecora, ut nimium nunc habeant pretium, vel saltem ejus partem ad sua debita solvenda, ad res sibi necessarias comparandas, aliasve commoditates sibi procurandas. Et placet ratio ex dictis §. 2. petenda; quia scilicet merces ultroneæ vilescunt in tertia parte, & multiplicatis venditoribus rerum pretia minuuntur: certe autem libentius vendunt homines pretio anticipato, cum dilatione mercis consignandæ, ob commoda, quæ inde percipiuntur, quam cum necessaria consignatione præsente: ideoque venditores multiplicantur. Cæterum abstrahendo ab ejusmodi causis excusantibus ad vilius emendum pretio anticipato per se loquendo merito sciscitaris, quomodo constituendum erit pretium pro mercibus anticipato emptis. Resp. duobus modis: 1. Ut sit res empta, ac vendita illo pretio justo, seu legitime taxato, seu vulgari currente, quo res, frumenta, vina, pecora &c. valebit tempore consignationis, seu traditionis mercis. 2. Ut nunc statim determinetur illud pretium, quo probabiliter creditur res valitura tempore traditionis mercis: aut si ejusmodi probabilitas futuri pretii haberi non potest, constituatur certum pretium prudentis arbitrio: atque tali pretio semel constituto omnino standum erit, etiamsi res tempore consignationis multo pluris valeat, vel multo minoris, quia in utraque parte par fuit periculum lucrandi, vel perdendi: & veluti ludus fortunæ, prout in simili etiam de mutuo supra dictum est. Vide *Molinam* hic. Denique, an liceat vendere credito, ut statim vilius reematur, satis dictum est *cap.* 4. *sect.* 3. *de usura palliata*. Neque hic aliquid speciale addendum occurrit.

III. *Vendens, vel emens pretio præsenti, quod scit postea augendum, vel minuendum*

33 Non peccat contra Justitiam (immo neque contra Charitatem) qui frumentum, v. g. vel alias res hodie vendit pretio currente legitimo, vel vulgari majori, conscius privatim, brevi pretium minuendum esse notabiliter, seu etiam intra paucos dies, v. g. ob superventuram frumenti, vel mercium copiam, anni fertilitatem, adventum hostium &c. & e contra, qui emit pretio currente minori, prope sciens, pretium mox augendum esse ob similes causas, ipse deinde lucrum habiturus. Communissima DD. cum S. Thoma 2. 2. *qu.* 77. *art.* 3. & innumeris aliis Molina *disp.* 354. Lessius *c.* 21. *dub.* 5. Laym. *c.* 17. §. 1. *n.* 9. Lugo *disp.* 26. *a n.* 139. §. 2. Tambur. *c.* 7. §. 4. *n.* 21. Ratio est: quia tanti res juste emitur, & venditur, quanti tunc valet publice: neque scientia de variando valore debet scienti obesse: adeoque talis vendens, vel emens utitur jure suo vendendi, & emendi merces pretio justo currente in communi. Neque enim pretia rerum ex privata unius, aut alterius notitia, sed ex communi omnium æstimatione, ac sensu accipienda sunt; ergo talis nihil peccat contra Justitiam; immo neque contra Charitatem, ut recte docent *Lessius*, *Laym. Tamb. cit.* Quia quilibet potest rebus suis prospicere, altero neglecto, etiamsi inde sequatur aliquod damnum proximi, saltem non nimium, quod certe rarum erit. Intellige semper, & excipe, dummodo alia fraus absit: ut si scias pretia rerum augenda, mentiendo spargas, esse adhuc minuenda, & sic emas pretio currente minori, vel e contra dicas, pretium minuendum; & sic minori emas; quilibet enim habet jus, ne per fraudem decipiatur. At quid si de hoc interrogeris? Nihil dicas: vel dic cum congrua excusatione, ut alios desuper interroget, non enim teneris cum tuo incommodo tunc veritatem aperire.

Dixi etiam notanter: *sciens privata notitia*. Excipiendi 34 enim sunt ipsi Magistratus, Consiliarii, Officiales, pretia rerum ipsimet mutaturi: hi enim ex officio tenentur curare, ut ex suis legibus, quantum fieri potest, unus plus altero non gravetur: attamen alii privata notitia sine fraude obtenta scientes, Principem, vel Magistratum jam decrevisse pretium frumenti, vel alterius rei aliter taxare, certum genus monetæ prohibere (idem censet *Lug. cit. n.* 144. de libro mox prohibendo) adhuc eodem jure supra dicto uti, & currente justo pretio ejusmodi vendere, vel emere poterunt, ut contra *Mol.* docent *Lessi. Laym. Lug. cit.* Ratio est: quia licet fateamur, Magistratum, vel Consiliarios injuste acturos, si ejusmodi decretum omnibus civibus æqualiter promulgandum alicui antea prodant, vel ipsimet antea ea scientia utantur cum aliorum damno: alii tamen, qui non sunt de Magistratu, vel Consilio, quibusque nulla officii obligatio incumbit impedire, ne cives occasione decretorum damna patiantur, nulla lege justitiæ, vel Charitatis prohiberi videntur, quominus ad avertendum damnum proprium merito præponderans damno alieno, ejusmodi privatim cognita notitia decreti promulgandi utantur. Idemque a fortiori dicendum de privatim cognitis novis, de adventu Principis, magna copia mercium, vel e contra.

Ex dictis eadem ratione defendi potest Quæstor ille, qui 35 a Principe domino suo, accepto mandato, ut mox mille scaphas frumenti pretio currenti 5. florenorum divendat, pecuniamque ad aulam destinet; is probe sciens, pretium frumenti brevi auctum iri, statim misit pretium currens 5000. florenorum, tamquam venditi frumenti, quod primum post alterum mensem vendidit, aucto jam pretio unius floreni, adeoque sex millibus, lucrumque 1000. florenorum sibi retinuit; nam hic, siquidem saltem implicite frumentum, antea pretio currente vendendum alii, ipsi sibi emerat, postea vero tamquam suum jam factum, carius distraxit, ab injustitia immunis erit; sicut enim alius emptor mox ita carius distrahere potuisset absque injuria primi domini, cur non & ipse Quæstor? Sed hæc pro foro conscientiæ, nam pro foro externo tu cogita, quid Princeps factum resciens facturus fuisset. Sed jam sequitur quæstio generalis, & casus frequens.

IV. *Vendens, aut emens alieno nomine, potestne sibi lucrari de pretio?*

Titius rem suam vendendam tibi tradit, aut absolute, ut 36 ejus nomine vendas justo pretio; aut assignato certo pretio, v. g. pro decem: tu autem industrius vendis duodecim, aut pretio summo, quod potuisses vendere pretio mediocri inferiori; sive tu, commissarie venditor, sis famulus illius domini, vel mercede conductus, sive tamquam amicus gratis id officium præstandum susceperis, non potes tibi illum excessum pretii in toto, vel in parte retinere, sed totum pretium justum, quod invenisti, debes reddere domino, qui rem vendendam tradidit, per se loquendo. *Omnes*. Ratio est, quia tota res vendenda, quantum juste valet, suo domino valet, & velut fructificat: cum ergo non tuo, sed alterius nomine vendideris, totum pretium alteri, & nihil tibi acquisivisti, consequenter nihil juste retinere poteris: & si is pretium determinavit, censetur determinasse, ne minoris vendas, non autem, ne pluris: neque præsumitur, tibi voluisse cedere reliquum; nemo enim censetur velle prodigere rem suam: si autem indeterminate dixit, ut justo pretio venderes, adhuc tibi moralis diligentia adhibenda est (qualem scilicet venditores rerum suarum adhibere solent) ad inveniendum pretium majus, quantum potes; talem enim diligentiam tacite promisisti, sive ex officio, vel mercede, sive gratuito officium vendentis susceperis. Dixi, *per se loquendo*. Exceptiones mox dabo infra per numeros.

Idem omnino dicendum, si tibi commisi, vel rogavi te, 37 ut emas mihi triticum, equum, vel aliam rem in nundinis, v. g. aut absolute justo pretio, aut determinato pretio pro decem: tu autem industrius emas per octo, seu pretio justo infimo, non poteris illa duo tibi retinere. Ratio est: quia eo ipso, quod annuisti emere alteri, ejusque nomine, & commodo, tacite promisisti, per moralem diligentiam utiliter rem alterius gerere, & emere, quanti minoris potes, perinde ac famulus meus esses, vel mercede conductus:

ergo

ergo tunc nihil tibi acquirere potes. Excipe tamen hic specialiter: nisi mercator, seu venditor specialiter in tui gratiam partem aliquam justi pretii remisisset; v. g. tibi sartori, mei nomine pannum pro vestimento ementi dicat mercator: quia sæpius ad me venis, vel ut sæpius officinam meam frequentes, emptoresque adducas, de pretio justo a domino solvendo, v. g. 10. aureis, remitto, & dono tibi unum in singulas ulnas: tunc enim juste retinere poteris, quia eo modo mercator vere de suo tibi remittit, & donat. Dummodo duos scopulos caves, 1. Ut tu prius adhibeas diligentiam moralem ad emendum ab hoc, vel alio mercatore, quanto potes minori pretio; alioquin dolum contra dominum sine dubio committes, & restituere debebis, 2. Ut mercator vere, & sine fallacia rem illam justo pretio, scilicet pro decem vendere consuescat; adeoque aureus ille unus, vel alter tibi remissus, & donatus vere sit de pretio justo rei: nam alioquin mercator non e suo tibi dabit, sed de alieno, cum damno domini, & ambo simul furtum palliabitis cum onere restitutionis, ut ex se clarum est. Jam do exceptiones aliquas generales.

38 I. Quod si vendens, vel emens alieno nomine ultra intentum domini specialem, & extraordinariam diligentiam, industriam ac laborem adhibuit in vendendo rem domini majori pretio, aut ipsi emendo viliori, ut si justus, vel rogatus vendere, vel emere in hoc loco, vel solum his mercatoribus, tu ad alium locum distantem, cum labore, vel expensis transtulisti, ubi majus pretium invenisti vendens, aut longe viliori emisti, quam dominus intendebat, vel sperabat: tunc poteris excessum pretii, dummodo operæ, & industria tua proportionatum, tibi retinere. Ratio communis est, quia non teneris, nisi ordinariam, & moralem diligentiam adhibere ita vendendo, vel emendo alteri: hæc autem extraordinaria est; & qui utitur ejusmodi industriis extraordinariis, non intendit domino, sed sibi negotiari: quodque certum apud *Omnes* quoad ementem alieno nomine. Atque etiam quoad vendentem rem alterius docent *Molina*, *Salas*, aliique *cit.* Lugo *disp.* 26. *sect.* 9. nam licet ex una parte res pro domino vendatur, & quocumque portetur, suo domino valeat, & velut fructificet, ut dictum est, sicque in rigore loquendo videaris tibi solum posse sumere expensas, & æstimationem laboris tui, cæterum vero totum pretium debere domino restituere: attamen ex altera parte dominus, rem suam tibi vendendam tradens, censetur solum a te velle pretium vulgare in suo territorio per moralem diligentiam conquisitum, cætera vero tibi remittere, vel non curare, saltem quoad lucrum non nimium excedens, ut etiam observat Tamburinus *cit. cap.* 7. §. 9. *n.* 10.

39 II. Quando Dominus rei vendendæ pretium tibi determinavit, hac arte uti poteris. Si adhibita diligentia hic, & nunc non invenisti, nisi pretium a Domino taxatum, speres autem inveniri majus imposterum, tunc eo pretio a domino taxato, statim rem pro te emas, soluto domino pretio suo taxato (prout fecit quæstor ille in casu supra posito) deinde rem illam licite vendere pluris, ac summo pretio justo poteris in tuam utilitatem, inventoque quocumque majori pretio, excessum tibi retinere; vendis enim rem jam factam tuam: & ex alia parte fideliter rem domini egisti, adhibita morali diligentia ad majus pretium inveniendum. Dummodo non ficte, sed vere tibi emas, prius, & deinceps sicut tuo commodo, ita etiam tuo periculo, & damno habere rem, ac vendere velis: secus enim furtum palliare convinceris. At numquid eadem arte uti poterit alterius nomine emens, v. g. Titius famulus jussus ab Hero emere equum ad summum pro 50. fortuito inventum viliori pretio, v. g. 40. emit sibi ipsi: postea facta morali diligentia non inveniens alium equum similem venalem vili pretio, & aliquot aureis majori ad 50. circiter, eodem majori pretio eundem equum sibi prius emptum, domino revendit: an juste? Videtur quidem approbare Lugo *cit. sect.* 9. *n.* 151. eo quod moralis adhibita diligentia pro inveniendo equo in viliori pretio videatur ipsum excusare. Sed merito non approbat Tamburinus *cit. n.* 8. Ratio est: quia famulus erat obligatus illam primam emptionem pro Domino facere; hoc enim requirit ipsa diligentia moralis, ut non prætermittatur occasio emendi vili pretio pro Domino, præsertim volenti ex industria lucrari pro se. *Sic ille*, loquens, tam de famulo, quam de mercede conducto. At vero in gratuito sic pro alio emente ego reprobare non ausim, cum nec audeat doctissimus Lugo; quem vide.

40 III. Quando dominus determinavit pretium rei vendendæ pro se, ut nimirum tanti vendas, expresse tibi remittens, si quid pluris vendere possis, nimis clarum est, te tunc totum excessum pretii tibi posse retinere, quippe de expressa voluntate Domini, seu pacto expresso; atque tale pactum tacitum, seu consensus tacitus præsumitur, quando res vendenda tanti traditur non famulo, sed alteri, nullo assignato, vel promisso laboris pretio, cum ille non possit rationabiliter velle sibi serviri omnino gratis: non autem præsumitur talis consensus tacitus, quando famulus, vel pretio conductus ad vendendum mercede servit, tunc enim non præsumitur Dominus velle etiam concedere aliud lucrum, scilicet excessum illum majoris pretii inventi; ut notant DD. cit. Atque eadem ratione dicendum, quando Dominus, tradito tibi in manus pretio, vult sibi emi rem, equum v. gr. pacto expresso, vel tacito, ut si minoris emas, reliquum tuum sit. Nota autem valde, omnia intelligenda esse supposito pretio justo: si enim commissarius ille rem vendat supra, vel emat infra pretium justum, quocumque dictorum modo, restituere debebit, utique non Domino, sed decepto emptori, vel venditori, secundum *Omnes*: immo etiam ipso Domino, si in assignando pretio deceptus fuit, v. g. si ex ignorantia jussit vendi rem suam infra justum pretium, & tu, commissarie, vendas longe majori, justo tamen, domino restituere totum debebis, secluso alio pacto. Ratio sæpe dicta est: quia res, quantum valet, suo domino valet.

IV. Denique universaliter: an alieno nomine vendens, 41
vel emens gratuito (scilicet nec famulus, nec mercede conductus) possit aliquid labori suo proportionatum decerpere de pretio, non consentiunt DD. Negat cum multis Molina *disp.* 363. Quia, ait, Domino putante, te gratis suscepisse vendendi, vel emendi laborem, remanet ipsi erga te gratitudinis obligatio. Affirmat autem Fagundez apud Tamburinum *cit. n.* 6. addens: etiamsi dixisses, te gratis facturum, quia sic mendax quidem, sed non injustus eris, cum nemo teneatur gratis servire; obligationem autem illam gratitudinis esse incertam, ideoque non prohibere, quominus serviens certum suum laborem compenset. Atque hæc Sententia mihi non displicet, dummodo excipias casum, certe valde communem: nimirum si Dominus scivisset, te non velle gratis servire, certe elegisset famulum ordinarium, vel amicum, qui sine pretio laborem suscepisset: & quidem facile in tanta amicorum frequentia invenisset, quoniam ergo tu dominum, simulando te gratis serviturum, decepisti, illum indemnem servare debes, nihil tibi corradendo; ait Tamburinus *cit. num.* 6. *fin.* Et hactenus de pretio.

SECTIO II.

De merce, seu re vendita, ac vendibili. Quænam scilicet res vendi, vel emi possit, & de fraudibus occurrentibus.

SUMMARIUM.

42 *Vendi possunt omnia nostra* 43. *in re.* 44. *in spe.* 45. *in Jure, &* 46. *in credito.*
47 Usque ad n. 52. *Resolvuntur varia de pretio justo, seu venditione, & emptione creditorum, debitorum, chirographorum &c.*
52 *Vendi non possunt res sacræ, probibitæ, alienæ, furtivæ, &c.*
53 *Quid si ergo quis scienter rem alienam vendat emptori ignaro?*
54 Usque ad n. 58. *Resolvuntur casus varii.*
58 *Quid si quis emat scienter rem alienam a venditore ignaro, & bonæ fidei?*
59 *Quid si uterque, & vendens, & emens sciat rem esse alienam?*
60 Usque ad n. 64. *Quando, & qualiter ementes scienter rem alienam excusari possint.*
64 *Vendi non possunt res vitiatæ pro bonis.*
65 *Unde venditor manifestare tenetur vitium rei, tam in interrogatum,*
66 *Quam latens, vel occultum mercis,*
67 *Non vero patens. Immo*
68 *Sive patens, sive latens sit vitium, si tamen res adhuc serviat ad finem ab emptore intentum sine ejus damno, id necessario manifestari non debet.*
69 *E contra emptor obligatur manifestare non tantum vitium pretii, quo emit, sed etiam rei emendæ bonitatem, & pretium venditori simplici, & ignaro;*
70 *Secus, si in communi hominum æstimatione illa bonitas pretium rei non augeat.*
71 *Aut primum post peractam venditionem, & emptionem res vilis cognoscatur esse pretiosa.*
72 *Quid si in re vili empta lateat quid pretiosum, v. g. in pisce unio, in veste, vel ephippio &c. pecunia?*
73 *Quid de iis, I. qui vendunt rem per positivam deceptionem, v.g. vitium rei celando, colorando &c. aut*
74 *II. Qui vendunt quid pro quo, ut pharmacopolæ, vel*
75 *III. Qui rem diminuunt, aut deteriorant prætextu vilioris pretii, eam vilius vendendo pro re bona, aut*
76 *IV. Qui rei admiscent materiam viliorem specialiter vino aquam?* Usque ad n. 82.
82 *Nemo invitus rem suam vendere cogitur.*
83 *Exceptis certis casibus.*

ASSERTIO.

Summarie vendi juste, & licite possunt omnia nostra in re, spe, jure, credito; seu quæcumque sunt nostri juris, & commercii. Vendi ergo non possunt, quæ non sunt nostri juris, & commercii, quæ sunt aliena, neque merces vitiatæ pro bonis. Explico

§. I. *Vendi possunt omnia nostra.*

42 NOn tantum nostra in re, quæ scilicet pretio æstimabilia actu possidemus, pretio justo æquivalente, sed etiam nostra in spe, jure, vel credito; etsi pretio non nihil minori. Ratio generalis omnium est; quia omnia ista sunt nostri juris, ac commercii, & pretio æstimabilia, quia vero plus valet res in se, quam in spe, jure, vel credito tantum, ideo spes, jura, credita, chirographa, juste aliquanto minoris emuntur, quam ipsa res sperata, vel debita in se valeret, ut mox determinabimus. Percurramus prius strictim singula.

I. Omnia nostra in re.

43 NOn tantum quilibet rem suam in particulari actu possessam, sed etiam omnia bona sua, tam præsentia, quam futura, adeoque omnia sua in re, & in spe quilibet vendere potest. Communis DD. cum Bartol. in *L. stipulatio, ff. de verb. signific.* Ratio est; quia eorum omnium est Dominus, ut de iis pro libitu disponere possit: neque quoad venditionem adest Lex prohibens, sicut adest quoad donationem omnium bonorum: exceptis certis casibus (de quo supra suo loco) Ratio disparitatis est: quia per donationem omnium bonorum homo depauperatus fit intestabilis, seu impotens ad testandum, a quo Leges Civiles abhorrent; non item per venditionem omnium bonorum: potest enim testari de pretio recepto. Advertit tamen Molina *disp.* 340. Quando quis dicit, se vendere omnia bona sua (aut in casu licito donare omnia bona sua) censetur solum vendere, vel donare omnia præsentia, non autem futura, nisi aliud ex verbis colligatur. Ratio est: quia venditio est onerosa, adeoque restringenda.

II. Omnia nostra in spe.

44 QUamvis id, quod non existit, vendi non possit, quia nihil venderetur; attamen quæ sunt in spe nostra, vel potius ipsa spes habendi talia, juste vendi, & emi possunt, pretio tamen majori, vel minori, juxta majorem, vel minorem spem, seu probabilitatem existentiæ futuræ; Sic enim juste venduntur anticipato greges futuræ, seu partus pecorum, vel etiam cervorum, futuri fructus agri, vineæ, arborum: item jactus retis piscationis, venatio unius diei, lucrum ex unius anni negotiatione proventurum &c. Dummodo semper absit fraus, & venditor in causa non sit, quominus emptor speratum effectum consequatur. *Argum. L. si jactum* 12. *ff. de action. empt.* Tenetur enim venditor diligentiam adhibere moralem, qualem sibi ipsi adhiberet, ut emptor effectum consequatur, alioquin ad restitutionem tenebitur damni inde emptori provenientis. Insuper aliqua hic differentia notanda est: quando venduntur partus, vel fructus, si nihil nascatur, emptor non tenetur solvere pretium conventum, & jam datum repetere potest: at vero quando venditur jactus piscationis, venationis &c. tametsi nihil capiatur, adhuc tenetur emptor solvere pretium. Ita Jura apud *Molin. cit. & alios.* Ratio disparitatis est: quia in priori casu semper aliquid nasciturum supponitur, ideoque in illa emptione (nisi aliud exprimeretur) intelligitur tacita conditio, si aliquid nascatur: dicis enim, tunc te emere partus, vel fructus; id est, rem ipsam, si proveniat; at vero in secundo casu non supponitur semper aliquid capiendum, adeoque in illa venditione non intelligitur illa tacita conditio, si aliquid capiatur, dicis enim, te emere jactum, venationem &c. id est, spem præsentem, & non ipsam rem, ideoque si spes fallat, emptoris damno accidit.

III. Omnia nostra in Jure.

45 VEndere juste possumus omnia nostra jura, & actiones adversus alterum, etiam invito altero *L. venditor. act.* 23. *ff. de hæredit. vel act. vend.* (sed sine dubio pretio minori, ut ex se patet) Excipitur tamen, quod actio, seu res litigiosa vendi, vel cedi non possit alteri potentiori ratione officii, seu potestatis exercendæ in debitorem: sic enim constitueretur inæqualitas partium in præjudicium debitoris: & talis venditio, vel cessio irrita est ex Jure, & cessor, vel creditor vendens jure agendi privatur, *L.* 2. *Cod. de liceat potentioribus &c.* Excipitur rursus: nisi ita fieret, vel ex justa causa, vel auctoritate Judicis. Sed hæc spectant ad forum externum. Cæterum potest etiam hæres vendere hæreditatem totam, vel in parte, quantum est de jure naturæ, monito tamen illo, cui in hæreditate succedit: at eo vivente, venditio est nulla jure positivo. *L.* 1. *ff. de hæred. vel act. vend.* cum sit contra bonos mores ob periculum machinationis mortis. Addunt Leges, si ad emptorem postea deferatur, eam ab ipso esse tollendam, & applicandam fisco. Exceptiones hic sunt eædem, quæ supra de donatione, vel cessione libera hæreditatis.

IV. Omnia nostra in credito.

46 VEndere etiam possumus omnia nostra credita, seu nobis debita, eorum chirographa, scripturas &c. dummodo similiter non alteri potentiori respectu debitoris, juxta modo dicta: atque tunc emptor non solum habet jus, & actionem in rem debitam, verum etiam in pignus, vel hypothecam, seu fidejussorem. Communis ex *L. emptori* 6. *ff. de hæredit. vel act. vend.* Ratio patet ex dictis. Jam vero quoad pretium justum ejusmodi jurium breviter resolvo.

I. Certum est, ejusmodi jura, credita, chirographa, licite posse minoris emi, v. g. jus ad 100. aureos 90. vel adhuc minoris, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis emptori in expectando tale debitum: item ratione periculi obtinendi, aut difficultatis in obtinendo solutionem a debitore, non sine molestia, & labore, immo lite, & expensis; & universaliter quando jus, vel creditum est difficile, periculosum, incertum, litigiosum, non sine expensis obtinendum. Tantum ergo de summa potest detrahi in pretio, quanti hæc omnia æstimari juste possunt, seu juxta proportionem ejusmodi difficultatum: immo etiam juxta temporis longitudinem; quo enim longiori tempore expectandum, eo plura incommoda, vel pericula timentur; plerumque quo plus rogaris emere, eo magis merces vilescunt, prædicta autem omnia secundum communem æstimationem minuunt rerum pretia. Ita Communis DD. quos citant, & sequuntur Mol. *disp.* 361. Less. *c.* 21. *dub.* 8. & 9. Lugo *disp.* 26. *sect.* 7. §. 1. *n.* 93. Qui merito addunt, tantam posse esse difficultatem, vel incertitudinem solutionis, ut ejusmodi debitum possit dimidio valore emi; immo adhuc minoris, ut habet communis Sententia, & praxis. 47

II. Quin etiam, si alicui particulari non sit difficile impetrare solutionem ob suam industriam, vel favorem apud debitorem, v. g. apud Principem, vel ejus Officiales, quod tamen debitum alter, cui debetur, v. g. miles, civis, rusticus, difficile impetrabit, adhuc ipsum juste posse minoris emere, rectius docent *Molina, Lessius, Lugo cit.* Laym. *cap.* 17. §. 5. *n.* 33. Ratio est; quia valor rei non debet desumi ex tua privata industria, favore, aut utilitate, sed ex communi omnium æstimatione: atqui debitum illo attento communi rerum statu æstimatur difficile acquisitu; ideoque communi æstimatione minoris valet: ergo juste minoris emitur, non obstante tua privata industria, vel fortuna; neque tua amicitia, vel favor apud Principem, v. g. debitorem, tibi nocere debet, prout certe noceret, si alii possent, tu autem non posses, ejusmodi debita ita minoris emere, quin & ipsos Officiales Principis v. g. ita emere posse, testatur Lessius *dub.* 9. Dummodo difficultas solutionis non ex ipsorum culpa proveniat. Sed *Laym.* fatetur, rem valde periculosam esse, & suspectam, de quo mox infra rursus. 48

III. Difficultas gravior est: utrum jus, vel debitum omnino liquidum, & certum, v. g. post annum petendi centum aureos, tantumdem valeat, ac centum aurei præsentes; an vero adhuc minori juste emi possit, v. g. 90. secluso omni periculo damni, vel lucro cessante. Ita affirmant graves DD. *Abbas, Navarr. Cajetan. Tolet. Bellarm.* alii, quos afferunt Lessius *cit. dub.* 8. Lugo *n.* 95. Laym. *ibid.* qui non improbabilem censent saltem extrinsece ob auctoritatem tantorum DD. Immo vere probabilis intrinsece videtur. Ratio est: quia ibi non venditur ipsa pecunia, vel debitum postea solvendum per modum mutui, sed jus illud accipiendi: atqui revera jura, vel credita, quantumvis liquida, & certa, communi æstimatione minus æstimantur, quam præsens pecunia numerata, & merito: nam illo toto tempore, quo non solvuntur, sunt inutilia; pecunia autem præsens semper utilis est. Accedit rursus, quod communiter homines rogentur emere ejusmodi credita; atqui merces ultronæ vilescunt; ergo. Et sine dubio uti communior, ita & tutior est opposita sententia negans, hæc minoris emi posse. *Sotus, Angelus, Gabriel, Petrus Navarr. Medina, Lopez*, aliique innumeri, quos citant, & sequuntur Molina *disp.* 361. Less. *dub.* 8. Laym. *num.* 32. Lugo *num.* 96. Ratio est, quia debitum liquidum 100. aureorum, in quo recuperando nulla est difficultas, molestia, vel periculum in se omnino valet 100. aureis: & si statim tunc esset solvendum, nemo dicet, quod non valeat 100. aureos: atqui non potest minui ejus valor ex sola dilatione temporis, v. g. quod primum solvendum sit post annum, seclusa omni difficultate, molestia, periculo, &c. alioquin certe usura esset licita: si enim 100. hodie mutuo dati post annum solvendi, non amplius valent 100. sed minus, v. g. 90. tantum, juste a mutuatario potero exigere auctarium sortis, scilicet 100. & 10. contra *Omnes*: ergo &c. Attamen recte notat Lugo ipse *cit.* controversiam hanc magis esse speculativam, quam practicam: ubi enim hodie reperitur debitum usque adeo liquidum, certum, & in tuto positum, ut excluso omni periculo, vel metu periculi, omni occasione damni in securitate æquivaleat pecuniæ præsenti? Atque hoc sensu loquitur, adeoque practice vera est prior Sententia. 49

IV. Sed restat acre dubium, an quando ejusmodi credita possunt minoris emi ab alio tertio, similiter possint minoris redimi, vel extingui ab ipso debitore. Negat cum multis, & omnino improbabile dicit *Molina* loc. cit. Concedit autem Fagundez, cum aliis apud Tamburinum approbantem *cit. cap.* 7. §. 8. *numer.* 3. ob eandem rationem; quia scilicet minus valet jus rei, quam res: si ergo alteri tertio ob id licet 50

licet minoris emere, cur excludetur ipse debitor? Sed excipe per omnem modum, dummodo ipse debitor non sit in causa ejusmodi minoris valoris, & difficultatum in recuperando, cum ipsemet teneatur ex justitia difficultates removere, & curare, ut sine difficultate solvat. Quod ipsum intelligendum est de debitoris ministris, v. gr. Principum Quæstoribus, Bursariis, Nummulariis &c. Unde inique agunt isti, quorum officium est pecunias Principis exigere, & easdem solvere creditoribus, cum propter hoc caput difficultatis impetrandi minoris emunt a creditoribus debita Principis: nam in iis ii personam Principis gerunt, atque adeo ipsi ex justitia debent superare difficultates, quo creditoribus integre satisfiat. Quod si tamen penes ipsos non stet, ejusmodi difficultates tollere, tunc probabilis videri potest sententia *Lessii* supra N. II. allata.

51 Pro Coronide accipe casum singularem in terminis, sed quoad rem non adeo rarum, ut facile advertes. Titius nobilis debebat Principi 1000. aureos ex emphyteusi; idem autem Princeps ex aliqua causa debebat itidem 1000. cuidam Hospitali: Titius callidus lucrandi artifex orat Principem, ut ipsi debitos 1000. aureos pro ipso possit solvere Hospitali, ac facultate impetrata, vel sperata, facili negotio emit, longe minori, utpote 400. tantum aurei creditum Hospitalis ingenti lucro 600. aureorum. Quæritur, an licite, & juste. Licite putat Lugo eadem *disp. 26. sect. 7. §. 1. num.* 103. Illicite autem *Molina* apud eundem. Ratio mox utriusque patebit. Distinguit autem meo judicio recte Tambur. *lib.* 8. *Decal. tract. 3. cap. 7. §. 8. num.* 7. Si Titius eam facultatem a Principe impetravit, antequam emeret creditum ab Hospitali, illicite & injuste se gessit, juxta sententiam *Molinæ*. Ratio est, quia, quando Princeps illi istam licentiam, seu commutationem concessit, transtulit in ipsum onus solvendi pro ipso illos 1000. adeoque sine difficultate: ergo (ut recte arguit Molina) sicut ipse Princeps non poterat tali minori pretio illud debitum extinguere, ita neque Titius, qui illam commutationem impetravit, & nomine Principis solvere debet. At vero, si postquam ab Hospitali creditum illud ita minoris emit Titius, postea primum a Principe facultatem illam satisfaciendi Hospitali impetravit, non egit illicite, vel injuste, juxta sententiam *Cardinalis de Lugo*. Ratio est: quia nullo modo est minister Principis quoad solvendum Hospitali; jam enim Princeps nihil amplius debet Hospitali, & tuum subsequens artificium, aut favor Principis tibi nocere non debet. Quod si ergo creditum illud, ob difficultatem impetrandi solutionem ab ipso Principe, revera tanto minoris valuit, consentiente Hospitali, vel ejus Curatore, juste sic minoris emisti, juxtra supra dicta, & consequenter nulli fecisti injuriam. Secus dicendum puto, si Princeps ipse paratus fuisset solvere Hospitali integre illos 1000. aureos: tunc enim non potuisti tanto minoris emere: quia tunc deficit periculum, & difficultas prædicta impetrandi, quæ debuisset minuere pretium crediti.

§. II. *Vendi non possunt, quæ nostri juris, seu nostra non sunt, sed aliena, vel furtiva.*

52 Vendi ergo in primis non possunt, quæ non sunt juris humani, seu divini, ut sunt omnes res sacræ, non tantum spirituales, ut Sacramenta, Sacrificia, Orationes; sed etiam corporales Deo solemniter consecratæ. Licet hæ quatenus ratione materiæ pretio æstimabiles sint, ut sacra vasa aurea, vel argentea, supellex &c. vendi, vel oppignorari possint ob captivorum redemptionem, ob debita solvenda, aut aliam urgentem causam, quæ alienatio debet fieri alteri Ecclesiæ, si integra ea sint; si vero conflata, vel profanata, etiam Laico. Sed de hoc in materia de Simonia. Item vendi non possunt, quæ sunt juris communis, ut publicum forum, theatrum &c. *Instit. de inutil. stipul.* §. 1. Item quæ speciali Lege vendi prohibentur, ut Jure Civili bona pupillorum, & Jure Canonico Bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia, pretiosa permanentia, nisi ob justam causam necessitatis, vel utilitatis majoris, & adhibita debita solemnitate. Sed hæc, quia supra nos, nihil ad nos. Item vendi non potest homo liber, excepto casu gravissimæ necessitatis, ubi potest pater filium, vel filiam, sub sua potestate constitutum vendere, ut colligitur ex *c.* 21. *Exod.* & habetur *L.* 1. *&* 2. *Cod. de Patribus, qui filios suos distraxerunt*. Si tamen pater postea ad meliorem fortunam revertatur, cogitur filium redimere, ut ex multorum Sententia docet Mol. *tom. 1. tr. 2. disp.* 33. Quin etiam se ipsum in casu necessitatis vendere quis non prohibetur, illustri exemplo S. Paulini Nolæ Episcopi. Ratio: quia homo sicuti famæ, & honoris sui, ita etiam libertatis suæ dominus est, quam proinde ob causam licite alteri tradere potest, teste Navarro *c.* 17. *n.* 88.

Sed his rationibus insuper habitis, specialiter, & latius hic agendum est de venditione, & emptione rei alienæ, vel furtivæ, ejusque evictione, & casibus annexis. Ubi prænotandum ex natura contractus venditionis, sicut & alterius onerosi, ut locationis, emphyteusis &c. venditor tenetur emptori de evictione mercis, seu rei acceptæ: & e contra venditori emptor de evictione pretii, ut habetur *tot. tit. ff. & Cod. de evict.* Evictio autem, vel evincere est auferre rem emptam, vel alio contractu oneroso debitam, ab emptore, vel possessore per sententiam judicis, ex eo, quod alius probet, rem istam esse suam, vel ad se pertinere, & non fuisse venditoris, vel ejus, qui eam alienavit: adeoque teneri, vel obligari de evictione, & venditorem teneri emptorem servare indemnem, adeoque restituere ei pretium, & omne damnum consequens, si ab eo res empta tamquam alterius in judicio evincatur: (idemque est ex opposito de pretio) dummodo is, lite sibi mota, quamprimum venditori denuntiaverit, ut litem prosequatur, seque defendat; ut habetur variis legibus *in ff. & Cod. citt.* Non ergo habet locum evictio in contractibus gratuitis, seu lucrativis, ut donatione, legato, commodato: si enim res donata, legata, commodata alicui, ab eo evincatur, donans, legans, vel commodans, nihil tenetur ei solvere; quia donatarius legatarius, vel commodatarius ex hoc nullam jacturam, vel damnum subit: quia rem evictam ipse habuit gratis. Communis Doctrina apud *Molinam*. His notatis ordine, & clare procedamus ad Casus.

I. *Vendens scienter rem alienam emptori ignaro.*

Quando solus venditor, vel dans, scivit rem esse alienam, vel furtivam, emptore ignaro, & bona fide emente, vel accipiente, contractus omni jure validus est, non quidem simpliciter, quia rei venditæ dominium non transfertur in emptorem, cum de facto existat sub dominio alterius: *L. traditio 20. ff. de acquir. rerum domin.* Sed secundum quid juris, seu quoad aliquod jus collatum emptori, quia scilicet venditor emptori de evictione tenetur, ut, si res in judicio evincatur a domino vere probante, rem ad se pertinere, venditor ei pretium restituat, & omne damnum inde ortum, seu quantum ei intererat, rem evictam non esse, compenset: idque tam jure naturali, quo omnis præbens alteri injustam causam damni tenetur ei compensare; quam Jure positivo Civili, juxta modo prænotata. Quamvis autem in hoc casu rei venditæ dominium non transferatur in emptorem, ut dictum est, venditor tamen, seu bonæ, seu malæ fidei, acquirit dominium pretii, uti præter alia varia loca Juris apud *Molinam, & Laym. cit.* constat ex L. si vas 48. §. ult. ff. de furtis, *Nummus, qui redactus est ex re furtiva, non est furtivus*. Adeoque si fur pecunia illa ex re furtiva vendita accepta emat, v. g. panem, tam pistor acquirit dominium pretii, quam is dominium panis, ut recte inferunt Molina *disp.* 327. & Layman *num.* 21. *cap.* 17. Sicut contra, qui aliquid emit, vel mercatur nummis alienis, mercis dominium acquirit, ut habetur expresse *L.* 1. *& penult. Cod. si quis alteri, vel sibi*. Nummi tamen traditi venditori non acquiruntur (nisi bona fide cum propriis commixti sint) sed emptor de eorum evictione tenebitur. Ratio horum est: quia alienæ mercis vel pecuniæ, invito, vel ignaro domino, dominium transferri non potest; potest tamen quis transferre dominium mercis, vel pecuniæ propriæ: in proposito autem, etsi merx sit aliena, pretium tamen est proprium emptoris, vel e contra, licet pretium ementis sit alienum, merx tamen est propria venditoris. Ulteriusque, licet talis invalide, illiciteque vendat rem alienam, non transferendo dominium rei, quia tamen alteri obligatur de indemnitate sua, & evictione rei, si repetatur, quod æquivalenti pretio æstimabile est, valide, & licite recipit pretium, interea autem nisi de evictione conveniatur, semper personaliter obligatur proprio domino (eodemque modo discurrendum de emente pretio alieno.) Unde non est hic aliqua inæqualitas inter emptorem, & venditorem, quod hic acquirat dominium pretii, alter vero non acquirat dominium mercis, seu rei emptæ; quia loco dominii, ipse venditor de evictione rei obligatus manet, quod ipsi perinde debet esse, ac si dominium acquisivisset, maxime cum elapso tempore legitimo accedere possit titulus præscriptionis. Quod si autem interea facta evictione venditor non compareat, aut satisfacere non possit, suo infortunio imputet, aut Judicis officium imploret, sicut in multis aliis. Huc proprie spectant varii casus in superioribus sparsim traditi: aliquos in gratiam juniorum breviter annoto. 53

I. Si fur, fœnerarius, injustus possessor, alienis pecuniis negotietur, & lucretur, acquirit dominium totius lucri; cum non sit fructus pecuniæ, quippe secundum se sterilis, & infructiferæ, sed solius industriæ, ipse tamen personaliter obligatur, & ipsi domino pecuniæ de omni damno, & connegotiatoribus de evictione pecuniæ alienæ. Communissima, asserta in *Tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 2. §. 5. Ubi idem diximus de Officialibus negotiantibus pecuniis dominorum. 54

II. Aliquis ludendo falsis aleis lucratur pecunias, earumque cum propriis pecuniis jam commixtarum partem donavit alteri scienti quidem, sed non cooperanti ad fraudem, hic donatarius ad nullam restitutionem obligatur, cum ille lusor pecuniæ jam suæ dominium in ipsum transtulerit, nisi forte donans ipse fieret impotens ad restituendum ex ea donatione. Ex communi Laym. *num.* 22. 55

III. Titius a fure bona fide emit equum, quem postea intelligit esse Caji; sed res ita constituta est, ut Titius jacturam pretii facere debeat, si equum restituat Cajo Domino, 56

no, fure jam fuga dilapso: aut Cajus faciat jacturam equi sui, si Titius rescisso contractu, pretioque recepto, reddat furi equum: quid agendum bono Titio? Respondent probabilius cit. Molina *tom.* 3. *tract.* 2. *disp.* 722. Azorius *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 2. cum, & apud Laym. *cit. num.* 24. Domino rem suam esse restituendam: ponamus enim hoc casu dominum coram adesse, & rem suam vindicare; utique injuriam infert Titius Cajo, si rem non ipsi repetenti, sed furi restituat, atqui perinde esse videtur, sive Dominus rem suam repetat, sive ob facti ignorantiam non repetat, quia ignorantia ipsi rem suam non admittit: ergo Domino restituendus equus, & actio instituenda contra furem de evictione, si secus accidat suo infortunio, vel incuriæ adscribat Titius. Hæc Sententia uti communior, ita sine dubio tutior est. Contrarium tamen non improbabiliter tenent *Sylvester*, *Gabriel*, *Navarr.* uterque. Aliisque citt. Vasquez *de restit. cap.*9. §.2. *dub.*2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 3. & optime Lugo *cit.* Licitum scilicet esse hoc casu pretium a fure repetere, reddito sibi equo, proprii damni declinandi causa: tum quia in æquali necessitate proprium damnum alieno præferendum est; tum maxime, quia sic non facit injuriam Cajo, quia rem suam jam in bono statu constitutam apud Titium, reddendo furi, non constituit positive in statu deteriori, sed solum relinquit illam in pristino statu malo, in quo eam invenit, & a quo eam servare ipse cum tanto incommodo suo certe non obligatur. Exemplum cape de eo, qui in aquis submergendum conatur extrahere, sed videns se ipsum periclitari de vita maxime propria, æqualis periculi declinandi causa, recte dimitteret: idem omnino est in nostro casu, si rem bene perpendimus.

57 IV. Titius equum a fure emptum bona fide vendidit Sempronio: nunc vero Cajus comparet, demonstrans, se verum equi Dominum esse: ad quid tenebitur Titius? Respondent DD. communiter cum Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 23. Laym. *num.* 25. contra *Sotum*, *Petrum Navarrum*, *Sayrum*, & *alios*, Titium in hoc casu ad nullam restitutionem obligari Cajo, sed solum emptori Sempronio debere pretium restituere, si Cajus ab eo equum evincat. Ratio patet: quia per eam rei alienæ venditionem, bona fide factam, pretii justi dominium sibi acquisivit. Quod si tamen Titius equum furtivum ex titulo lucrativo donationis, legati &c. accepisset, & postea Sempronio vendidit, tenebitur is pretium restituere Cajo, si hic equum evictione ab emptore Sempronio recuperare nequeat. Communis DD. Navarr. *c.* 17. *n.* 7. Lessius *lib.*2. *c.*14. *dub.* Ratio patet ex dictis *tr.*4. *c.*2. *a n.*102. Quia tunc Titius vendens, ex re aliena factus est ditior.

II. Emens scienter rem alienam, vel pretio alieno, venditore ignaro.

58 QUando venditor rei alienæ, vel pretio alieno est bonæ fidei, scilicet ignorans rem esse alienam, & solus emptor scit rem esse alienam, contractus ex parte venditoris eatenus validus est, quatenus vere acquirit dominium pretii non furtivi, quippe a vero ejus domino voluntarie sibi dati; & ad nullam restitutionem tenetur, neque mercis venditæ bona fide, quia possessio bonæ fidei, & bona fide determinata excusat a restitutione, ut suo loco dictum: neque ipsius pretii, quippe cujus verum dominium acquisivit. At vero ex parte emptoris simpliciter nullus est contractus, & omnimodis ad restitutionem mercis emptæ obligatur emptor, tanquam possessor malæ fidei, in quo omnes conveniunt. Quod si vero venditor bona fide mercem propriam vendidit pro pretio furtivo, ut si fur 100. aureis furtivis a Sempronio bona fide vendente emit equum, & postea compareat Dominus pretii, id repetens a Sempronio venditore, tenetur solum restituere, si illud pretium, 100. aurei v. g. in specie adhuc existant; sin autem consumpti jam sint, vel cum propriis nummis Sempronii commixti, ut discerni non possint, ad nullam restitutionem obligatur Sempronius: non enim ratione injustæ acceptionis, cum bona fide egerit, proprium equum vendens, & ignoranter pretium alienum recipiens, neque ratione rei acceptæ, vel possessæ; quia revera alienos nummos non possidet, postquam eos absumpsit, vel cum propriis pecuniis indiscernibiliter miscendo, eorum dominium acquisivit, neque inde locupletior factus est, quia justo pretio equum vendidit. Ita ex communi Sanchez *lib.*2. *Moral. cap.* 23. Petrus Navarr. *lib.* 3. *cap.*4. Vasquez *de restit. cap.*9. §.2. Laym. *cit. num.* 23. Etsi contrarium doceat Lessius *lib.*2. *cap.*20. *dub.*18. ex eo capite, quod Jura decernant, si duorum Dominorum materiæ confusæ fuerint, ut discerni nequeant, utrique vindicationem pro parte sua competere, uti & nos diximus supra *cap.* 1. *sect.*6. §. 3. Sed respondetur, id verum esse de aliis rebus, non item de pecuniis bona fide sic commixtis: de his enim speciale statutum est, ut nummorum alienorum dominium acquiratur per commixtionem cum propriis bona fide factam. Ratio videtur: quia nummi ex propria institutione sua transeunt de manu unius possessoris ad alium: quare nemo fere securus esset, utrum suarum pecuniarum dominium haberet, & non aliquæ furtivæ, seu alienæ sint, nisi jura statuissent, ut verum dominium per commixtionem cum aliis propriis acquiratur; & eo casu solum actio personalis contra furem concedatur; juxta *Gloss. in L. si alieni*, *ff. de rei vindic.* Hæc ratio non ita militat in commixtione aliarum rerum diversi domini non ita frequenti. Sed vide latius dicta supra *loc. cit.*

III. Vendens, & emens scienter rem alienam.

QUando uterque contrahens, venditor, & emptor scivit, rem alienam esse, contractus simpliciter est nullus, & nulla ad invicem oritur obligatio, sed uterque in solidum obligatur rem restituere Domino, vel ejus valorem. Communissima cum D. Thom. *quæst.* 62. *art.* 7. Ratio clara est; quia venditor malæ fidei, vendens scilicet scienter rem alienam, dat novam causam injustam damni domino rei, ideoque tenetur restituere in solidum ratione injustæ damnificationis. Emptor autem scienter emens rem alienam est possessor malæ fidei, ideoque restituere tenetur in solidum ratione ipsius injustæ acceptionis, seu detentionis; idque etiam si eam rem multo pretio emisset, & etiam si hoc pretium a venditore nunquam sit recuperaturus: quia qui sic dolose agit, dignus est, ut amittat & rem, & pretium. Et hinc fit. 1. Si venditor, v. g. rem furtivam sibi conscio vendidit, & tradidit, & postea facti pœniteat, non debet pretium restituere tibi emptori, sed Domino rei; ut probat Molina *disp.* 330. Ratio est: quia tunc tu emens sciebas rem illam furtivam esse, sponte, & culpa tua te subjecisti periculo amittendi pretium, & rem. 2. Contra; si emptor ipse restituat rem alienam Domino suo, aut quoquo modo Dominus recuperavit rem suam ab ipso emente, venditor ei pretium reddere tenebitur, & non sibi retinere poterit; quia æquitas non patitur, ut fur ditescat aliena pecunia ex re furtiva, vel mala fide habita. 3. Sicut e contra, si Dominus jam recuperavit pretium rei suæ ab ipso fure, non erit æquum, ut simul etiam recipiat rem suam ab emptore, & ita ex aliena malitia ditescat in duplo. Quare reddere debebit pretium emptori, re sua repetita, aut ei relinquere suam, si pretium retinere velit. 4. Quando ergo dicimus, utrumque & emptorem, & venditorem malæ fidei debere restituere in solidum, intelligitur semper, unus in defectum alterius. At quisnam hic primo loco debebit restitutionem facere Domino, an fur, qui vendidit, an emptor, qui mala fide emit? Respondeo. Si res empta in individuo adhuc existat apud emptorem, palam est ex Regulis generalibus de ordine restitutionis, emptorem debere primo loco restituere; quia res, ubicumque est, sui Domini est, adeoque ipsi reddenda etiam a bonæ, nedum malæ fidei possessore. At vero, si emptor rem illam alienam jam absumpsit, vel sine spe recuperandi alienavit, certe gravis est dubitatio, non passim obvia, cum uterque obligetur personaliter, nec videatur major esse ratio de uno, quam de altero. Puto tamen cum Tamburino *lib.* 8. *Decal. tract.* 2. *cap.*8. *num.* 6. quod adhuc emptor primo loco teneatur: quia qui rem destruit, vel absumit, omnium maxime Domino nocet. 59

IV. Ementes scienter rem alienam qualiter excusari possint.

EMens scienter rem alienam, sive sciente, sive ignorante venditore, animo sibi retinendi, simpliciter (ut hactenus supposuimus semper) minime excusatur ex hoc, quod res aliena, vel furtiva, etsi ipso non emente, tamen in potestatem Domini nunquam perventura sit, quippe ab aliis emenda, vel ab ipsis furibus, militibus, zyginis &c. consumenda. Ratio nimis clara jam sæpius dicta est: numquid enim alii ementes, vel consumentes peccant contra justitiam cum onere restitutionis? ergo tu eos præveniens a peccato immunis eris? scilicet: Excepto tamen solo casu, quando emptor certo præsumere potest, rem jam a Domino pro derelicta haberi: tunc enim & emere, & emptam retinere, consumere, vel alienare poteris, non tam titulo emptionis, quam titulo occupationis; si enim rem pro derelicta habitam casu inventam gratis occupare potes juxta dicta solo loco, quanto magis pretio dato ab alio emere, & retinere, idque etiam vilissimo, & sine onere dandi aliquid pauperibus? ut ex Lessio docet Tamb. *cit.c.*7. *n.*1. Attamen Domino postea comparenti, ante tempus præscriptionis legitimæ impletum, tenebitur restituere, si adhuc extet: nisi certo constitisset, rem illam a Domino antea vere pro derelicta habitam fuisse: pro quo recole dicta de rebus derelictis, vel pro derelictis habitis supra *c.* 1. *Sect.* 4. 60

II. Emens scienter rem alienam incerti Domini a fure, v. g. vel milite modico pretio, non animo sibi retinendi, sed ut detracto sibi pretio res, aut Domino compariturо restituatur, aut si non comparendi spes sit, pro ejus salute ad pias causas applicetur: sine dubio recte, & sancte facit, juxta communissimam DD. apud Laym. *cit. c.* 17. *n.* 26. Taliter enim emens utiliter agit negotium Domini. At numquid etiam licebit sic emere res furtivas incerti Domini eo animo, ut si compareat Dominus, res ipsi tradatur, recuperato pretio: si vero non compareat, retineatur ab emptore? Respondeo licite sic emi, & retineri, dummodo adhibeatur moralis diligentia inveniendi Dominum: cui comparenti, 61

& se

& se verum Dominum ostendenti, omnino dare debebis recuperato tuo pretio: quod si is nolit pretium illud modicum dare, adhuc eam tibi retinere poteris. Ita Molin. Less. *lib.*2. *c.* 21. *dub.* 18. *n.* 136. *fin.* Ratio est: quia sic nulla fit injuria Domino, immo ejus negotium utiliter geritur, & ideo censetur is consentire in tuam emptionem, & voluisse, ut res potius fieret tua, ut eam reddito tibi pretio forte recuperet, quam omnino illam irrecuperabiliter amittere. Quod si autem neque illud modicum pretium tibi restituere velit, censebitur tibi condonare, aut certe injuste rem a te exiget, atque etiam in foro externo ad illud pretium reddendum compelletur. Utrum autem eo casu Domino non comparente, vel redimere nolente, possis absolute retinere tibi rem alienam, vili pretio emptam; an vero debeas, quod superest, usque ad justum pretium expendere in pios usus; resolve ex dictis *tract.* 4. *c.* 3. *Sect.*2. *a n.*101. de restitutione bonorum incertorum; non enim possumus hic omnia repetere.

62 III. Rem alienam etiam certi Domini quisque sic licite emit, animo eidem restituendi, recuperato pretio saltem modico, ut omnes consentiunt. At difficultas est; quanto pretio possis emere rem alienam, vel furtivam certi, vel incerti Domini sic, ut tibi Dominus pretium restituere teneatur. De modico pretio omnes concedunt. Placet Regula ex *Sanch. Lessio*, *Molina*, *Castro-Pal.* tradita a Tamburino *cit. c.*8. *n.*7. Toties potest quis rem, sive certo, sive dubie furtivam emere a fure, quocumque pretio, ut reddat eam Domino; quoties sic emendo utiliter negotium Domini gerit, & tunc Dominus pretium illud, sive parvum, sive magnum obligabitur dare emptori, si rem suam habere velit. Ratio est: quia ex una parte omni jure licet cuique benefacere proximo: & ex alia parte non est defraudandus suo, qui negotium utile alterius gessit. Et hinc non solum si modico, sed etiam si justo, immo si excessivo pretio emas rem furtivam suo domino, atque is propter singularem affectum ad rem suam, vel ejus specialem necessitatem, revera ipsemet idem justum pretium, vel excessivum pro re sua recuperanda liberius solvisset: & licite emis, & tuum pretium recuperare debes; quia utiliter negotium Domini gessisti. At contra: si Dominus ejusmodi speciali affectu, vel necessitate rei suæ careat, non tenebitur tibi reddere pretium justum expensum, multo minus excessivum, non enim utiliter agitur pro Domino, ut is cogatur emere pretio justo, vel excessivo rem suam, qua libentius careat, quam tanto pretio redimat. Solum ergo tenebitur tibi ad pretium aliquod modicum prudentis arbitrio taxandum, in præmium tuæ diligentiæ, vel bonæ voluntatis.

63 IV. At quid, si tu erronee, & inculpabiliter existimes, dominum habere ejusmodi specialem affectum, vel necessitatem rei suæ, ut velit eam tanti redimi, v. g. quanti valet, vel adhuc pluris, revera autem non habeat: tenebiturne Dominus rem a te pluris emptam eodem majori pretio redimere? Teneri docet Less. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 20. Et verum credo quando emptor non temere, sed prudentibus innixus fundamentis judicavit, se bene gerere negotium Domini, illud majus pretium latroni pro re Domino offerendo. Contra, non teneri sentit Lug. *disp.* 17. *n.* 4. *sect.* 1. eo quod tunc emptor vere utilis gestor non fuerit: & etiam utique verum est, quando emptor imprudenter, & sine sufficienti, vel probabili fundamento ita judicavit. Sic ambos magnos DD. recte concilians observat Tambur. *cit. num.* 11. Denique quoad emptionem rei dubiæ furtivæ satis patet ex dictis *tr.* 4. *c.* 2. *sect.* 3. de restitutione possessoris dubiæ fidei; neque hic aliquid speciale addendum occurrit.

§. III. *Vendi non possunt merces vitiatæ pro bonis, nec e contra.*

64 HUc revocanda, & applicanda sunt omnia late dicta supra *c.* 2. *sect.* 3. *tot.* Qualiter contractus sit invalidus aut validus quidem, sed vel rescindendus, vel compensandus, si fiat ex deceptione, vel dolo alterius contrahentis, versante scilicet circa substantiam, aut circa accidentia, vel qualitatem rei; & applicatio est facilis, nam singula ibi etiam de venditione, & emptione particulariter exemplificata sunt. Restant hic specialia non pauca explicanda. Prænota, dolum decipientis circa mercem posse esse aut positivum, aliquid fingendo circa merces; & de hoc clarioris ordinis gratia agam seorsim §. *seq.* Aut negativum tantum, solum tacendo, dissimulando, non manifestando vitia mercis, aut de eo non præmonendo emptorem; & de hoc nunc agendum est, & explicanda celebris quæstio, utrum venditor teneatur emptori manifestare vitium mercis, seu de illo illum præmonere, idque sive de eo interrogetur, sive non interrogetur. Similiter erit quæstio e contra, an emptor etiam teneatur bonitatem, vel pretium mercis manifestare venditori ignaro. De his ordine per numeros.

§. I. *Vitium interrogatum.*

65 VEnditor interrogatus de mercis bonitate, vel vitio, in genere, vel in specie, aut in particulari de tali vitio (sive expresse, sive tacite interroget emptor, v. g. dicendo, se velle emere vinum diu conservandum, eo ipso tacite interrogat de ejus bonitate) tenetur semper quodcumque vitium notabile, quantumvis latens, manifestare emptori. *Omnes.* Ratio clara est; quia si tunc interrogatus dissimulet, erit dolus dans causam contractui, & consequenter invalida erit venditio, & emptio: nam hoc ipso, quo emptor interrogat de bonitate, vel vitio mercis, significat, se non velle emere, nisi mercem bonam, & nullo modo vitiatam, & consequenter sic vendens obligabitur ex dolo, & ex damno, ut ex se patet. Duæ tamen exceptiones hic locum habent. 1. Excipe, quando vitium est valde parvi momenti, quo etiam cognito emptor adhuc empturus fuisset, quod ex circumstantiis judicatur, tunc enim dolus non dat causam contractui. Solum tunc restituendus erit excessus pretii, si carius, quam valeat, res vendita sit. Verum licet vitium esset parvi momenti, si tamen ex circumstantiis cognoscatur, quod, eo cognito vitio, emptor certo empturus non fuisset, adhuc invalida erit venditio: quia tunc æquivalet venditioni conditionatæ sic: nolo emere, si adsit hoc vitium, quantumvis leve, v.g. si equus hic jam semel currum traxit, quo ego equitare volo. Cum ergo adsit nunc vitium, deerit consensus requisitus ad valorem contractus, adeoque obligabitur venditor pretium totum reddere, & rem suam resumere, nisi aliter emptor voluerit. Excipe. 2. Quando venditor sincere sine fraude, & aperte emptori fatetur, se nolle rem suam vendere, nisi prout est in se, utcumque sit: aut si fiat sincere contractus sub protestatione cujuscumque vitii, postea forte aperiendi; tunc enim, si juxta periculum vitii forte aperiendi taxatum est pretium, postea aperto aliquo vitio, ne pretii quidem supplementum erit conferendum emptori, hoc enim operatur, non injusta illa conventio, quam ob vitandas lites ex communi recte approbat Tamburin. *lib.*8. *Decal. tr.*3. *c.*7. §.11. *nu.*29. quem vide. Atque hæ duæ exceptiones a fortiori locum habent in casu sequenti, quando non interrogatur venditor.

II. Vitium latens.

VEnditor etiam non interrogatus obligatur in utroque foro emptori manifestare vitium occultum mercis, 66
reddens illam notabiliter damnosam, vel inutilem emptori ad usum intentum: alioquin venditor ejus vitii conscius, censebitur dolo egisse, & in utroque, tam externo, quam interno conscientiæ foro tenebitur ad compensationem omnis damni inde provenientis emptori. Omnes, etiam mei passim citt. cum *S.Th. q.*77. *a.*3. Et perspicue docet D. Ambr. *lib.*1. de offic. inter alia dicens: *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi jubentur: ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transierint, doli actiones evacuantur.* Ratio est; quia venditor rem venalem exponens contractui oneroso venditionis, sicut bonam monetam accipere debet, ita debet tradere rem, seu mercem bonam, & utilem, alioquin rem vitiatam tradens injustum damnum infert emptori: nam propter eandem rationem tenetur emptori etiam de evictione, juxta dicta §. *præc.* Ergo si vendere velit mercem vitiatam, vitium occultum rei emptori manifestare debet: ut si vinum sit corruptum, vel corruptioni proximum: pannus, vel pileus adustus, domus ruinosa, ovis morbida. Item si vendas semina corrupta pro recentioribus, herbas, vel medicinas ineptas pro efficacibus, rem litigiosam, vel periculo amissionis subjectam pro secura, & cætera hujusmodi innumera. Peccat utique talis contra justitiam, obligaturque ad restitutionem tum excessus pretii, tum damnorum inde consequentium: ut si ovis morbida reliquum gregem inficiat: si medicina inepta mortem, vel morbum longum causet. Quoad valorem tamen ejusmodi venditionum ex supra dictis *Sect.* 1. ita breviter distinguendum est. Quod si dissimulatio illa sit circa substantiam mercis, ut si volenti, & putanti, se emere vinum, vel annulum aureum cum infixa gemma, tu dissimules, esse tantum mustum ex pyris expressum, aut annulum cupreum infixo vitro colorato &c. venditio nulla erit, & resumpta tua adulterina merce, totum pretium restituere debebis, ut ex se patet. Si autem dissimulatio versetur solum circa qualitates, vel accidentia mercis, ut in exemplis supra allatis, nisi emptor intentione conditionata expresse tale vitium excluserit, contractus quidem erit validus; attamen ulterius ita distinguendum. 1. Si dissimulatio illa dolosa vitii dedit causam contractui, quia alter empturus non fuisset, si vitium cognovisset, tunc datur illi actio rescissoria, vel redhibitoria, ut agere possit ad rescissionem contractus, ut nimirum venditor recepta merce pretium restituat cum compensatione totius interesse, juxta *L. si vina* 15. *ff. de peric. & commod. rei vend.* 2. Quod si dissimulatio illa vitii occulti causam emendi non præbuit, quia nihilominus emisset emptor, licet minori pretio, si defectum cognovisset, tunc ei competit, non actio rescissoria ad contractus rescissionem, sed actio *quanti minoris* ad restituendam scilicet partem pretii, quanti minoris res empta fuisset, si vitium cognitum fuisset. *L.Julianus* 13. *ff. de action. empt.* Idque etiam in foro conscientiæ, cum id exigat justitia commutativa. 3. Quod si denique etiam ipse venditor mercis vitium inculpate ignoravit, contractus validus manet, isque nullo modo tenetur

præ-

præstare damna inde emptori secuta: emptori tamen adhuc competit actio, *quanti minoris* emisset, si id ita scivisset esse: Communis DD. ex cit. *L. Julianus*. 4. Quamvis a Jure Civili actio rescissoria contractus talis concedatur solum intra medium annum, actio vero quanti minoris intra anni spatium post diem scientiæ: in foro tamen conscientiæ venditor etiam ultra illud tempus semper obligatus manet ad compensationem debitam, cum ea obligatio sit ex justitia commutativa; in foro autem externo vitatur litium multiplicatio. Ultra duas exceptiones datas numero præcedenti, exceptionem generalem mox dabo numero sequenti.

III. *Vitium patens.*

67 NOn tenetur venditor monere emptorem de vitio per se manifesto mercis publice expositæ; idque non tantum in foro externo *L. ea, quæ 45. ff. de contrah. empt.* & alibi, sed etiam in foro conscientiæ, modo res justo pretio vendatur. Communissima cum S. Th. *cit. ar.* 3. Navarr. *c.*23. *n.*89. Molina *disp.*353. *concl.*7. Laym. *cit. n.*14. Lugo *disp.*26. *sect.* 8. v. g. si equus emendus patenter sit cæcus, luscus, claudus, &c. Ratio est: quia sibi ipsi emptor imputare debet, si rem vitiosam sciens, vel scire potens, nihilominus emit: neque venditor tenetur facere partes emptoris, ostendendo ea, quæ ex se patent. Excipe tamen in foro conscientiæ, si venditor advertat invincibilem emptoris ignorantiam, ut si is inculpabili inadvertentia, vel hebeti sensu vitium manifestum non videat: tunc enim omnino obligabitur venditor ostendere, ut ex communi docent Molina, Layman, Lugo, & Tambur. *cit. n.* 32. Ratio est: quia ex una parte venditor tenetur tradere rem non vitiosam, & ex altera parte non habet hic excusationem ab emptoris prudentia ductam. Cæterum, sive patens, sive latens sit vitium mercis, sit hæc

Exceptio generalis.

68 SI merx, vitiosa licet, adhuc tamen commodum usum habet ad eum finem, cujus gratia emitur, nullumque aliud damnum emptori eventurum sit, tunc necesse non est, vitium illud occultum emptori manifestare, v. g. quod calcei ex debiliori corio facti sint. *L.* 1. §.8. & *L. ob quæ vitia* 4. §. *fin. de ædilit. edict.* & communis DD. cum *S. Thom. cit. Molina, Laym. Lugo.* Ratio est: quia alioquin magnum fortunæ discrimen mercatores subire debebunt, quando non nisi meliores merces distrahere poterunt, ipsi autem omnis generis emere debeant, & soleant: quo tamen casu in foro conscientiæ mercator debet mercem minoris vendere ob ejus vitium, vel defectum, propter quem minus utilis existit, alioquin injustitia committitur cum restitutionis onere propter inæqualitatem rei datæ, & acceptæ. Quod si ergo pretium non diminutum fuit, restituendus erit excessus, & insuper monendus emptor, forte iterum venditurus, de eo vitio, ne cum eodem vitio rem quasi vitiatam alteri majori pretio vendat, neve alteri alicui damnum faciat res vendita, ut si equus sit calcitrosus, ovis scabiosa, &c. His observatis, cum supponimus emptori voluntariam esse emptionem quoad substantiam, vitium autem leve diminutione pretii compensatum, aliudque damnum exclusum, nulla apparet injustitia in celando ejusmodi vitio non inquisito ab emptore. Qua ratione Tambur. *cit. num.* 27. *ex Salonio*, & aliis excusandum putat eum, qui vendit vinum brevi corrumpendum, proportionato juxta vitium pretio, si ipse sciat, ab emptore brevi, & in commodum satis usum esse consumendum, utpote, quia emit ad proximas nuptias, nundinas, magnum concursum hominum, &c. secus, si ignoret, si dubitet, aut probabiliter putet, ab emptore esse servandum, quia tunc illud vitium in ipsius ementis magnum damnum cederet. Hactenus de vitio celato. Sequitur

IV. *Bonitas, vel pretium mercis emptæ.*

69 ETiam emptor omni jure obligatur manifestare venditori non tantum vitium pretii sui, quo emit, (juxta omnia prædicta) sed etiam bonitatem, vel pretium mercis venditori simplici, & ignaro: ut si revera tibi vendat gemmam pretiosam, putans esse falsam: vas argenteum, putans esse stanneum: triticum, putans esse hordeum. Item si vendat rem intra dimidium justi pretii, v. g. pro 10. ex ignorantia, cum tamen emptor sciat, pretium justum, vel commune esse viginti, & amplius, tenebitur illi emptor manifestare perfectionem rei, vel justum, ac commune pretium ejus, alioquin enim contractus erit injustus, cum non solvatur pretium justum pro re, quæ emitur. Nec juvat ignorantia venditoris: etiamsi enim venditor actu ignoret perfectionem, vel valorem rei, aut pretium justum, tamen nisi aliter exprimat, semper censetur intendere, & velle vendere rem secundum suam perfectionem intrinsecam, & valorem justum communem, quem revera habet; ergo injustitiam committit emptor, si conscius majoris perfectionis, & pretii, minoris emat. Idque maxime, si venditor ipse ignarus, perfectionem, vel valorem rei inquirat ab emptore; quo casu maxime, & graviter solent peccare aurifices interrogati de valore unionum, vel rerum pretiosarum. Vide late Molinam *cit. disp.*353. Lugo *cit. sect.* 8. *n.* 136. *fin.* Sed numquid tutus in conscientia emptor gnarus majoris valoris, si venditori ignaro majoris valoris dicat: volo rem tanti emere, si velis dare, & insuper condonare, si quid amplius valeat, ut sine scrupulo sit? Affirmant Cajetanus *v. emptio*, Armilla, alii nonnulli. Sed merito cum aliis pluribus reprobant Molina *cit. disp.* 353. Lugo *cit. n.*137. Ratio est: quia revera tunc venditor non donat libere, sed ex pacto, quia emptor alias non vult emere, ideoque non est condonatio gratuita, sed cessio onerosa. Adde: quia tali modo posset excusari omnis emptio infra justum pretium, interrogando venditorem, an velit contentus esse tali pretio, condonando, si quid amplius valeat. Denique, si tam emptor, quam venditor æqualiter ignorarent pretium, seu valorem rei, sed de eo subdubitarent, & nihilominus communi consensu convenirent de certo aliquo pretio, condonando sibi invicem defectum, vel excessum pretii, si res postea revera pretiosior, aut vilior comperiatur, neuter tenebitur alteri aliquid restituere, quia uterque fortunæ, & periculo æqualiter se permisit; ut notat Lugo *cit. num.* 138. addens merito, si spes major appareat de pretio usitato, debere ab emente aliquanto majus pretium offerri, ut sic emptio reducatur ad æqualitatem. Cæterum & hic duæ exceptiones notabiles locum habent.

Excipe I. Nisi major illa bonitas, vel utilitas rei venditori ignota, soli emptori cognita, etiam publice ignorata, in communi æstimatione hominum revera pretium rei non augeat, tunc enim emptor non tenebitur venditori manifestare illam bonitatem, vel pretium rei, sed juste emit pretio communis æstimationis. Ratio est: quia tanti valet res, non quanti est in se, quoad quasvis utilitates forte latentes, nulli, aut uni, vel alteri tantum cognitas, sed quanti in communi æstimatione hominum æstimatur. Sic supra *c.* 1. *sect.* 4. *nu.* 174. ex communi defendimus, eum, qui scit in agro alieno latere thesaurum, vel similia alia pretiosa, juste emere agrum illum vulgari pretio agri secundum se, nihil indicando venditori de thesauro latente, quia scilicet thesaurus ille omnino ignotus, & tibi soli fortuito cognitus, revera in communi æstimatione non auget pretium agri. Sic pharmacopæus juste vulgari pretio emit plaustrum, vel fascem fæni, graminis, herbarum in pabulum pecoris, v. g. etsi sciat, videatque in iis latere multas utilissimas herbas, magno pretio in sua arte postea applicandas, neque de iis ullatenus venditorem admonere cogitur, & ita in similibus. Ratio est eadem: quia illa major utilitas, soli emptori cognita, non auget communem rei apud omnes æstimationem, quæ sola est regula, & mensura justa pretii justi, & humani. Quod si tamen in re singulari esset notabilis pretiositas, etsi vulgo ignorata, communiter placet distinctio Tambur. *cit. n.* 38. Vel tu emptor cognovisti solus illam pretiositatem peculiari vi ingenii tui, vel forte fortuna, ut in dictis exemplis, & tunc adhuc poteris emere communi illo pretio ob eandem rationem. Vel cognovisti vi artis ordinariæ, ut certe cognoscerent cæteri ejusdem artis communiter, ut si aurifici rusticus afferat massam auri rudis, gemmam rudem, vel simile quid vile æstimatum: vel si mercator rudis venditori offeras merces, vel monetas a se vili æstimatas, revera autem pretiosas; tunc certe is non poterit emere, vel accipere pro re vili, sed ejus justum, ac naturale pretium venditori indicare, & solvere debet, non solum interrogatus, quia jam adest pretium naturale rei, quo res solet æstimari ab expertis; sed etiam non interrogatus non poterit tacendo dare pretium justum infimum, quia non emptoris, sed venditoris est eligere pretium, quo rem suam velit vendere, summum, medium, vel infimum, ut ex Molina *cit.* recte observat Tambur. *n.* 38. *fin.* etsi oppositum innuet Lugo *cit. sect.* 8. *n.* 13. 70

Excipe II. Quando res communi æstimatione vilis, primum post peractam venditionem, & emptionem cognoscitur esse pretiosa, sive a primo immediato emptore, sive ab alio mediato, is tuto rem retinet, neque de ejus pretio venditorem admonere, aut aliquid restituere tenebitur. Ex. gr. Emisti a Titio aliquid communi, & omnium æstimatione pro vitro habitum, aut vasculum putatum æneum, vel ex vulgari lapide; & postea primum, vel tu ipse primus emens, vel alius similiter a te emens deprehendit, revera esse gemmam, vas ex auro, vel ex lapide pretioso, &c. neque tu, neque alter mediatus emptor ad aliquid tenetur, sed tuto rem retinebis. Ratio semper eadem est: quia tanti res valet, quanti æstimatur communiter; ergo ejusdem communis æstimationis pretio res juste empta, adeoque tua, vel alterius emptoris facta est. Hinc resolves hunc Casum. Nobilis quidam vas ingens antiquum 100. fere librarum, omnium opinione æneum, seu ex vulgari metallo fusum, vili communis æris pretio vendidit alteri: hic voluit in aliam elegantiorem formam fundere, inter fundendum deprehenderunt periti, esse ex ære Corinthio pretiosissimo, & separarunt ad triginta libras puri auri, totidem fere argenti, reliquum æris, & stanni. Venditor re comperta volebat pretium justum recuperare, si posset. Quidquid de hoc in foro externo statuendum sit, in foro conscientiæ ad nihil teneri ementem merito censet Tamburinus *nu.* 41. ob eandem semper rationem: quia 71

reve-

revera tanti emit, quanti tunc valebat: tanti autem tunc valebat, quanti communi judicio æstimabatur: atqui communi judicio pro communi ære, vel metallo æstimabatur: ergo juste pro tali emit, atque totum suum fecit. Neque hic adest error in substantia sine dubio omnem contractum irritans, nam venditor vendidit præsentem materiam, quanti non ex suo privato errore, vel deceptione, sed communi æstimatione valebat, adeoque pacto implicito voluit, rem esse venditam simpliciter, qualiscumque tandem sit, adeoque fuit error in substantia physica tantum, non vero in substantia morali, quatenus nimirum res subsunt commercio humano. Aliud utique est, si privato errore deceptus putasset, vas esse æneum, cum tamen revera communi saltem peritorum judicio esset aureum; tunc enim esset error in substantia non tantum physica, sed etiam moraliter considerata.

72 *Excipe* demum III. adhuc certius, quando res vendita, & empta in se ipsa omnino est incognita, sed latens in alia re empta; tunc enim res fit, aut primi cognoscentis, & occupantis, aut remanet in dominio pristini domini. Ex. g. A piscatore emisti piscem vulgari modico pretio, in eo exenterato invenis unionem pretiosissimum, tuus est. Contra a fure emisti vestem, ephippium, cingulum, saccum frumenti, vel lupuli, in his invenis absconditos ducatos, vel aliud pretiosum, remanet pristini domini, eique restituere debes: vel si ignoretur is, recurret communis doctrina de bonis incertis, vel pro derelictis habitis. At quid, si ejusmodi emas a milite in bello justo talem prædam nacto? Respondeo. Attendendum esse, an miles acquisiverit dominium illius auri latentis. *Lessius* quidem absolute respondet, militem non acquisivisse dominium illius auri, quippe sibi incogniti: dominium enim acquiritur apprehensione voluntaria rei, adeoque voluntarie aliquo modo cognitæ, Lugo *disputat.6. sect.11. numer.*130. sic resolvit: si miles apprehendit illum saccum, v. g. volens apprehendere quidquid ibi sit, tunc factus est Dominus auri latentis, satis enim voluntaria fuit sic auri apprehensio. Si vero intentionem applicavit ad solum frumentum, vel lupulum inclusum, quia nihil aliud in sacco contineri creditur; non acquisivit dominium auri inclusi, sed remanet aurum in dominio ejus, cujus erat saccus. *Sic in re ille*. Ex his patet solutio quæstionis: si enim miles factus est dominus auri inclusi, ei debes restituere: si non factus est Dominus, debes restituere Domino pristino, si injustum sit spolium; aut si justum spolium, Duci militiæ, seu Magistratui juste bellanti in rigore juris loquendo, a quibus tu viliori emere poteris in præmium tuæ fortunæ, & manifestationis: quod si denique facta diligentia Dominus ignoretur, rursus computabitur inter bona incerta bona fide habita, adeoque in nostra probabili sententia erit primi occupantis.

§. IV. *Merx vendita per deceptionem positivam, vel coactionem.*

73 Venditor dolo positivo decipiens in merce vitiata emptorem, utpote, qui aliquid fingit, simulat, mentitur, v. g. mercem esse justam, bonam, recentem, cum tamen sit adulterata, vitiosa, abolita: qui quovis modo, verbo, vel facto celat, & abscondit vitium alioquin patens mercis, colorando, pingendo, de nocte in tenebris vendendo, ne vitium appareat, equo hebeti argentum vivum infundendo, ut generosus appareat: denique qui ipsas merces vitiat, vel adulterat, mutando, minuendo, miscendo materiam viliorem, &c. talis, inquam, positive decipiens in merce, sine dubio delinquit contra Justitiam dolo malo, & gravi peccato pro ratione materiæ cum onere restitutionis omnium damnorum usque ad æqualitatem: unde & in foro externo tenetur in dolo, & de damno, ut constat ex dictis *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 5. Sola hic potest habere locum exceptio, si dolus ejusmodi venditoris non daret causam contractui, aut esset de vitio alio levi, ut emptor etiam cognito dolo, ac vitio adhuc emeret, etsi minoris, ut mox iterum. Talis ergo positive decipiens, obligaturne etiam præmonere emptorem de dolo, ut si velit rescindere contractum, rescindat, ac merce reddita suum pretium recipiat? *Resp.* sub necessaria distinctione. 1. Quando res non est amplius integra, ut si emptor mercem emptam jam absumpsit, v. g. vinum recens pro veteri emptum jam ebibit, &c. certe venditor non tenetur amplius monere, quia superfluum esset: ergo solum tunc suppleat ipsi pretii excessum, si quis fuit, restituendo. Quod si emptor illam mercem simili excessivo pretio etiam aliis vendidit, cui teneatur primus venditor restituere pretii excessum, jam in simili dictum est supra *sect.* 1. §. 3. *n.* 3. 2. Si res adhuc est integra, & merx adhuc existat apud emptorem, rursus distinguendum est: si enim res etsi dolose vendita, v. g. vinum recens pro veteri, sit æque emptori utilis, iterum non obligabitur venditor eum monere; quia licet emptor involuntarie emerit, nunc tamen habendo rem æque utilem, præsumitur esse contentus, aut saltem non valde invitus eam retinere, cum nullum patiatur inde notabile damnum; sed in pretio semper debere fieri æqualitatem, certum est. Denique si res vendita non est æque utilis emptori, sed damnosa, certe aderit obligatio monendi ipsum, & rescindendi contractum; quia si est in re gravi, sic graviter continuares deceptionem in ipsius damnum. Dico autem *in re gravi:* nam si in re levi, ac levis damni, vel incommodi decepisti, ex se patet, non posse esse gravem illam obligationem. Hinc Molin. *disp.* 351. *fin.* excusat a mortali vendentes, cum dicunt, vel promulgant, v. g. suum vinum esse vetus, vel talis loci, cum non sit: si enim aliunde æqualis est bonitatis, & pretii, non graviter sic lædunt emptores. Adde, tales etiam regulariter inde excusari, quia jam notum est, eos exaggerare, & ut alliciant emptores, ita proclamare. Secus sentiendum de stentoribus illis, qui adulterinas herbas, medicinas, &c. pro veris obtrudunt. Sed omissis omnibus innumeris apertæ injustitiæ cuivis obviæ, praxes aliquas ambiguas adferamus, & examinemus.

I. *Vendere quid pro quo.*

Pharmacopolarum, v. g. praxis nota est, ut quando certas species simplices, vel compositas aquas extractas, syrupos, &c. in promptu non habent, alia non absimilia tradant; ne illa in suis officinis deesse, emptores advertant; ideoque minus illas frequentent. Certe constat, ex se injustum esse, mi Pharmacopola: nam 1. ementem decipis dando aliam substantiam a repetita, vel præscripta a Medico. 2. Accipis certum pretium pro incerto, vel saltem minus certo medicamento. 3. Infirmi saluti non consulis, & utinam sæpe non noceres, cum, Medico præscribente aliquod medicamenti genus, tu aliud tibi quidem visum non absimile, forte tamen re ipsa dissimile, invito infirmo porrigis, & vendis. At numquid aliquando poteris excusari & a peccato, & ab onere restitutionis? Respondeo. Breviter quoad peccatum. Profecto, si certum, & evidens esset, illas alias supposititias tuas species iisdem pollere virtutibus, seu, ut universaliter dicam, quando certus es, fore æque utilem rem tuam ementi, excusaberis a peccato saltem gravi: tunc enim emens probabiliter non erit invitus graviter, cum damnum omne absit, uti cum *Toleto*, *Valentia*, *Ledesma*, *Soto*, *Salonio*, & aliis docet Tambur. *cit. c.*7. §.11. *n.*8. & 9. Deinde, si certo prævideas damnum fore admodum leve, reducetur culpa ad levitatem ratione parvitatis materiæ, sicut & in aliis. Quid enim gravis damni est, si ad usum comedendi, vel bibendi justo pretio tradas unum genus piscis pro alio non absimili, hujus loci vinum pro vino alterius loci non dissimilis bonitatis? Quod si denique prævideas, vel metuas damnum, ejusve periculum grave fore, vel esse posse, quis te a gravi peccato, & onere restitutionis pro omni damno secuto excusabit? Itaque quoad restitutionem, certum est 1. re adhuc integra, id est, existente adhuc re tradita, apud emptorem, in re gravi te obligari ad rescindendum contractum, & reddendum totum pretium, ut ex dictis patet. 2. Certum est, si non rescindas contractum, te debere restituere excessum pretii, quanti scilicet pluris vendidisti supra justum pretium rem tuam supposititiam. 3. Debere te compensare omnia damna forte ex deceptione tua consecuta. Omnia patent ex dictis, & Regulis generalibus restitutionis. 74

II. *Diminuere, vel deteriorare mercem prætextu minoris pretii.*

Mercator posset suam mercem vendere pretio summo, vel mediocri, v. g. ulnam panni, modium frumenti, urnam vini quinque aureis, verum ut emptores frequentiores alliciat, vendit pretio infimo, quatuor tantum aureis, attamen non tradendo integram ulnam, vel mensuram, sed diminuendo, & partem sibi reservando ad compensandum, velut pretium rigorosum summum, vel medium; aut tradendo quidem mensuram integram, attamen eodem prætextu pretii vilioris miscendo materiam viliorem v. g. tritico avenam, vino aquam, &c. Quid de justitia hujus praxis tum respectu ementium, tum respectu aliorum mercatorum, quibus emptores abstrahunt? *Resp.* Praxim ex se omnino injustam esse, & restitutioni obnoxiam, tum respectu ementium, ut late docet Molina *disp.* 351. tum respectu aliorum mercatorum, ut docent mox citandi. Ratio est, respectu ementium quidem; quia sic mercator non stat contractui, & pacto inito cum emptore de vendenda illi integra ulna panni, integris modiis tritici, urnis vini, &c. ipse autem non integras tradit, sed diminutas notabiliter, aut materia viliori suppletas, sicque illum decipit in substantia partiali, & consequenter per restitutionem æqualitas reparanda erit, necnon alia damna, quæ ex tali diminutione vel mixtione mercis sequi possent emptori. Respectu aliorum mercatorum autem, quibus illa praxi emptores abstrahis, etiam peccas contra Justitiam cum obligatione ipsis resarciendi, quantum morali judicio nocet hoc tuum stratagemma. Ratio est: quia quilibet habet jus Justitiæ, ne vi, vel fraude a suo lucro deturbetur: atqui tu eo casu per tuam fraudem abstrahis emptores ab ipsorum juste sperato, & parato lucro: ergo peccas, & restitutioni obnoxius manes. Secus esset, si ad eum finem alliciendi tibi emptores, solum decresceres in pretio tuæ justæ, & integræ mercis; quilibet enim sibi ipsi prospicere potest mediis licitis, altero neglecto. Vide Lugo *cit. disp.* 26. *sect.*7. *n.*135. Dian. *part.* 1. *tr.* 8. *resol.* 80. 75

Dixi

76 Dixi tamen, *ex se injustam hanc esse praxim*: nam si mercator debens ex mercatu vivere, & se suosque alere, omnino vellet vendere mercem pretio justo summo, vel mediocri saltem (ad quod certe jus habet,) & emens injuste compelleret eum ad vendendum pretio infimo (aut adhuc minori omnino injusto) certe probabilissimum, & satis tutum est, mercatorem juste posse tantum diminuere de ulna, vel mensura mercis (aut etiam de viliori materia admiscere, de quo mox *n.* 78.) quantum satis est ad suum justum pretium supplendum, *Sotus*, *Tolet. Valent. Rebell.* apud Tamb. *lib.* 8. *c.* 7. §.11. *n.*5. Ratio est: quia id postulat ratio propriæ indemnitatis: mercator enim sic diminuendo de merce inducit æqualitatem ex sua parte, ex altera autem parte emptor injustus sibi ipsi imputare debet, & certe merito ei imputatur damnum, quod ipsi forte sequetur ex diminutione mercis; nisi in raro aliquo casu magni damni, v. g. ex diminutione medicinæ, aliud Charitas dictaret.

III. Merci miscere materiam viliorem: specialiter vino aquam.

77 NImis clarum est, hanc praxim de se esse injustam, & restitutioni obnoxiam, utpote notabili quantitate miscere tritico far, frumento avenam, piperi juniperos, ceræ picem, vino aquam, &c. & tamen ejusmodi merces pro sinceris pretio taxato, vel vulgari communi vendere. Sic enim in re gravi decipiuntur emptores, eisque injustum damnum infertur; & maxime in vino, quod aqua notabiliter dilutum facile acescit, & ab operatione ordinata deficit. Videndum ergo nunc est, quænam excusationes ad ejusmodi notissimam praxim excusandam, vel justificandam adferri possint.

78 *Prima* excusatio certa est, quando ejusmodi admixtionem substantiæ alienæ in quantitate, præsertim modica, necessitas vel utilitas aliqua, aut consuetudo permittit, ut cum venditur aurum, vel argentum mixtum certo metallo ad id elaborandum necessario, æs cum admixto modico ferro, mustum cum admixta modica aqua ad decoquendum necessaria, &c. modo tria serventur. 1. Ut misceatur solum id, quod est necessarium. 2. quod consuetum. 3. in parva, necessaria, vel utili quantitate tantum. Et Ratio est: quia hæc ita communiter æstimantur, & venduntur in foro. Vide Azorium *par.*2. *lib.*8. *de empt. & vendit. c.*33. *q.* 3.

79 *Secunda* excusatio communis est: mercatores non esse damnandos injustitiæ, si ita admisceant merci alienam substantiam, dummodo emptori nullum damnum inferatur, & merx proportione pretii satis idonea sit ad usum consuetum, vel intentum ab emptore: tunc enim emptor non censetur esse invitus graviter, *Sylvest. Angel. Gabriel*, aliisque cit. Molina *disp.*353. Lessius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.*11. Laym. *c.* 17. *n.* 15. Lugo *sect.* 5. Diana *par.* 1. *tr.* 8. *resol.* 51. Quoad vinum autem aqua miscendum patebit ex dicendis.

80 *Tertia* excusatio (a nobis supra Sect. 1. §.2. insinuata) est, quando merx tua, v. g. tuum triticum, frumentum, &c. est extraordinariæ bonitatis, & majoris, quam ea, quæ communi, vel taxato pretio venduntur, posse tunc etiam miscere aliquid vilioris materiæ, quousque æqualis reddatur cæteris rebus pretio communi in foro vendi solitis, docent *Less. Molin. Dian. modo cit.* Ratio est: quia res notabiliter melior alia, jure meretur majus pretium, quod cum tu impetrare possis, non injuste tali modo compensas. At vero eodem prætextu vino miscere aquam simpliciter non licet. Ita communis DD. *Navarrus*, *Ledesma*, *Medina*, *Rodriquez*, *Azor. Molin. Salas*, alii, quos affert Diana *par.* 1. *tr.* 8. *resol.* 51. ipse tamen dubitans. Et late, ac optime probat *lib.9. de contract. tr.*5. Tamburinus. Ratio solida est: quia falsissimus est ille prætextus, quod scilicet vinum tuum extraordinariæ bonitatis, vel generositatis admixtione aquæ fiat æque bonum ac utile, ac alia vina pura, sed tenuiora in foro venalia, ut ideo eorum communi, vel taxato pretio vendi possit. Nonne vides? nam vinum tuum est conflatum ex vino, & aqua, vinum autem fori vinum purum est, & ipsa sua sinceritate melius tuo: ergo falsum est, tuum vinum reddi huic æquale, esto ignoranti mixtionem, æquale, vel simile appareat: sicut manus Jacob apparuerunt Isaac cœcutienti manus Esau, veræ tamen non erant: ergo ulterius sicut ille, nisi ibi latuisset mysterium Divinum, verissime parentem decepisset, ita & tu vere decipis emptorem, & quidem involuntarium: omnes enim vinum emere, & bibere volunt, non aquam. Et si scirent, adesse aquam, aut omnino non emerent, aut certissime non tanti emerent, quanti venditur vinum purum, cui simile apparet tuum vinum lymphatum. Adde damnorum pericula inde consequentium; ut si vinum diu servandum sit, certe longe facilius acescet mixtum, quam purum: ergo denique veram emptori injuriam infers, & obligaris ad rescissionem contractus, aut re non amplius integra ad inducendam æqualitatem in pretio, uti & aliis damnis consecutis. Cæterum longe alia est ratio de tritico, v.g. extraordinariæ bonitatis farre commixto: nam tritico in foro venali communiter solet esse admixta ejusmodi vilior species, idque ab emptoribus facile discerni potest, & ideo tuum triticum similiter mixtum fit, vere simile tritico fori, & ementi potenti discernere nullam fascis injuriam: vino autem in foro non solet, nec debet, sed prohibetur, admisceri aqua, neque ea admixtio ab emptoribus facile discerni potest, & ideo tuum mixtum vinum non est simile vino fori, adeoque adhuc emptoribus ignaris, vel invitis injuriosum. Quid ergo facies? Vino tuo valde generoso, & meliori cæteris, admisce aliud vinum tenuius: sic enim vere fiet simile vino fori, ut observat *Tamb. cit. n.* 6. quem lege. Ubi optime explicat *Valent. & Cardinalem de Lugo* contrarium judicantes, & reprobat *Bonac.* id expresse asserentem.

Quarta excusatio est: quando, aut pretium a Magistratu injuste taxatum est minoris, quam revera res tua valeat, aut ex iniquitate ementium venditor non potest habere justum pretium rei, sed cogitur justo minoris vendere: tunc enim rursus poterit usque ad æqualitatem justi pretii merci aliud vilioris materiæ admiscere, aut in mensura diminuere. 81
Auctoritas, & Ratio est eadem in simili data *nu. præc. fin.* Idque etiam locum habere in vino, aquam miscendo docet Laym. *cit. nu.* 15. Si nimirum ob iniquitatem emptorum, pretium injuste taxatum, aut nimias exactiones Oenopolæ non possint justum vini pretium consequi, sed damnum pati cogantur, nisi vino aquam admisceant, secluso tamen alio damno emptorum, quod certe modicum est, quando vina mensuratim statim potantibus venduntur. Ratio rursus est eadem: (eademque ratione etiam pistores excusantur, si panem minori pondere pinsant, & vendant.) Huc spectat, si emptores abhorreant a vino nimis meraco, vel rigido emendo, ut nisi aqua convenienter temperetur, valor vini non appareat emptoribus: ideoque non nisi nimis vili cogantur vendere Oenopolæ, vel omnino repellantur. Casus lepidissimos in hoc genere audivi factos, & passim fieri in Franconia cum emptoribus extraneis. Quin Layman ibidem generalius a peccato excusat Oenopolas, si vino valde meraco, v. g. Ungarico, Franconico, &c. aquam infundant ea quantitate, ut admixtio aliter non obsit, quam quod tenuius fiat, & omnino consentio, si constet aliter non obesse, dummodo de pretio secundum proportionem admixtionis remittant: si enim auriga vendat plaustrum vini, cui urnam aquæ admiscuit, non vendit totum plaustrum, vel duodecim urnas, sed undecim tantum vini: ergo committit inæqualitatem inter datum, & acceptum. Nec excusat, quod vinum meracum tali admixtione suavius, & quandoque melius fiat; quia hæc ars cuivis etiam emptori nota, & facilis est: adeoque non debet pretio emi emptoris damno.

IV. Nemo etiam invitus rem suam vendere cogitur, exceptis certis casibus.

HUc rursus revocanda, & applicanda sunt dicta supra *c.* 2. *Sect.* 4. de contractu valido, aut invalido ex metu. In nostra enim Sententia omnis venditio, & emptio, metu gravi, & injusto extorta, est invalida: in communiori autem Sententia valida quidem est, sed debilis, & ad arbitrium meum passim rescindenda etiam in foro externo per Judicem. Ratio autem nostri dicti est: quia quilibet voluntarie debet de re propria disponere. 82

Sunt tamen certi casus, quibus quis ad vendendum justo pretio, immo etiam aliquando ad emendum juste cogi potest, non inutiles scitu. Pono in compendio ex Layman *cap.* 17. §. 5. *n.* 34.

I. *Casus est*. Quando publica est necessitas, vel inopia, v. g. frumenti, ac aliorum victualium ad quotidianum usum necessariorum: tunc enim cogi possunt cives ad vendendum justo a Magistratu taxato pretio, juxta communem Sententiam, & praxim: qua simili ratione cives a Magistratu cogi possunt, ut coemant necessaria ad communem inopiam evitandam, maxime imminente bello, obsidione urbis, &c. Adde, in casu communis inopiæ eos, qui frumento, vel similibus necessariis abundant, cogi posse, ut solis civibus, seu indigenis vendant, & non extraneis, si utrisque non sufficit; quod scilicet in necessitate major propriorum civium, quam extraneorum ratio habenda sit. Ut emptores non plus coemant, quam ad familiæ suæ sustentationem indigeant; ne scilicet pauperiores excludantur. Hujusmodi justissimis Legibus in commodum Communitatis latis etiam Ecclesiasticæ personæ se conformare debent, juxta communem DD. *in materia de Legibus*. Et ad id a suo Magistratu Ecclesiastico compelli, immo in hujus defectu etiam a sæculari saltem indirecte compelli possunt, ut plures docent apud Dianam *par.* 1. *tract.* 2. *resol.* 8. 83

II. *Casus est*. Ob publicum favorem, utpote si ædes vel fundus privatæ personæ necessaria sit ad ampliationem Civitatis, viæ publicæ, fortalitii, Principis Palatii, Monasterii, Collegii, Hospitalis, &c. constructionem. Qua ratione etiam privati cogi possunt, ut vendant, vel non utantur jure servitutis activæ, v. g. ne altius tollant ædificium, fenestras aperiant; si ipsis inde nullum notabile damnum, aliis autem, Religiosis maxime, magnum gravamen, vel incommodum oriatur, ut optime notat Laym. *cit. n.* 34. circa medium.

III. *Casus est*. Si dominus alicujus loci nimia sævitia utatur in suos subditos, & monitus non desistat, a superiori Magistratu compelli potest ad vendendum dominium, vel

vel omni jurisdictione privari; idemque est, si dominus nimia sævitia tractet servum, vel ad illicita compellat. Jura videre potes apud *cit.* Atque ob eandem rationem Jure Canonico *c. litteras, de restit. spoliat.* statuitur, ob nimiam sævitiam viri divortium instituendum esse, si mulieri sufficiente securitate caveri non posset.

IV. *Casus est.* Si duo habeant servum communem, quorum alter velit eum manumittere, cogitur alter partem suam vendere in favorem libertatis, si adsit, qui velit redimere, ut habetur *L. 1. Cod. de communi servo manumittendo.* Unde inferunt DD. apud *Laym. fin.* si quis in loco communi tibi, & alteri Ecclesiam ædificare velit, socium ad partem suam justo pretio vendendam cogi posse in favorem Religionis. Addunt denique nonnulli merito, quando quis publice res suas venales exposuit, tunc non poterit mihi justum pretium offerenti denegare venditionem mercis sine aliqua injuria: hoc enim ipso, quo mercem publice venalem exponit, videtur conferre indifferenter omnibus jus quoddam emendi, aut saltem non sine gravi peccato contra Charitatem negandi: hoc enim esset negare signum commune Charitatis omnibus indifferenter debitum. De quo *tr. 2. in 1. Præcept. Decal. cap. 6. sect. 2. n. 21.*

SECTIO III.

De mercis venditæ acquisitione, seu translatione in emptorem.

SUMMARIUM.

84 *Dominium rei emptæ etiam traditæ emptori non acquiritur, nisi pretio soluto, vel assecurato, &c.*
85 Usque ad num. 89. *Si eadem res duobus, vel pluribus vendita est in solidum, cui tribuenda.*
89 Usque ad num. 93. *Si res vendita, sed nondum tradita, pereat, vel patiatur, cujus damno id contingat.*
93 *Ad quem spectent fructus pendentes rei venditæ, nondum traditæ.*
94 Usque ad num. 97. *Quid de rei venditæ, nondum solutæ, fructibus percipiendis.*

84 EX peculiari hujus contractus natura, Civili, ac gentium Jure constituta, dominium mercis etiam traditæ, non antea acquiritur emptori, quam pretio ab eo soluto, aut assecurato, cautione pignoris, vel fidejussoris, aut fidehabitione: ut habetur *Institut. de rerum divisione, §. venditæ.* Ratio: quia dum contractus ex parte emptoris nondum completus est, merito venditor rem venditam sibi obligatam realiter tenet in pretii solvendi securitatem. Notat autem Glossa ibidem, quod in dubio censeatur venditor rem venditam tradendo emptori, fidem habere de pretii solutione, adeoque in eum dominium transferre. Sed attendenda est consuetudo loci. Peracto ergo contractu emptionis, & venditionis per traditionem, ac pretii solutionem, vel ejus assecurationem, aut fidehabitionem, jam clarum est, una cum pleno dominio rei omnes ejus fructus, omniaque ejus commoda, & incommoda, pericula, damna ad emptorem pleno jure spectare. At non ita clarum est, qualiter res empta, eique annexa ad emptorem spectent peracto contractu solo partium consensu, pretio nondum soluto, vel assecurato, aut fide habito. Explico breviter.

§. I. *Quid de ipsa re vendita duobus in solidum.*

85 I. QUod si res duobus diverso tempore in solidum est vendita, ita distinguendum est. Si res neutri adhuc tradita est, prior emptor prefertur posteriori, juxta notissimam Regul. Juris 54. in 6. *Qui prior est tempore, potior jure est.* Quod si vero alteri per traditionem, pretiique solutionem dominium jam acquisitum fuit, etsi posterior sit emptor, præfertur alteri etiam priori. *L. quotiens eod. de rei vendic.* Ratio est: quia potior est sortitus jus in re, quam jus ad rem: at tunc posterior emptor dominium rei consecutus, habet jus in re; prior autem solum jus ad rem: ergo. Utroque autem casu venditor tenetur alteri emptori frustrato ad interesse, seu omne damnum compensandum; hicque habet actionem personalem contra illum. *L. si ancillam, 11. C. de action. empt.* Habetque hæc regula locum etiam in aliis contractibus de donatione, &c. si eadem res pluribus donata, locata, &c. Ut videre est apud DD. passim.

86 II. Aliquot tamen casus ab hac Regula Jure excipiuntur. 1. Quando prior emptor jam solvit pretium, posterior autem rem venditam habens, non solvit. 2. Quando cum primo emptore initum est pactum non vendendi rem alteri: aut in prima emptione apposita est clausula *constituit*; hoc est, quando venditor constituit se nomine emptoris possidere. De quibus vide Molinam mox cit. 3. Quando res primo vendita, sed nondum tradita est Ecclesiæ, vel Civitati, præferenda est Ecclesia, vel Civitas; quia privilegium habent, ut eis per legatum, donationem, venditionem, mutuo consensu perfectam, absque rei traditione dominium acquiratur. *L. ult. C. de SS. Ecclesiis.* Et ex communi Molin. *to. 2. disp. 369.* 4. Quando posterior emptor, cui res tradita est etiam soluto pretio, conscius fuit venditionis prioris alteri factæ, præsumitur tunc in fraudem emere, & primus tanquam rem in fraudem suam alienatam intra annum a die scientiæ computandum evincere poterit; sicut etiam, si res ei prius vendita, alteri postea etiam ignoranti donata sit, ut mox iterum dicam *n. 88.*

III. Elapso anno, si primus emptor rem non raperet, alter, cui sive scienti, sive ignoranti res vendita, vel donata fuit in utroque foro externo, & conscientiæ tutus est; nec ad ullam restitutionem obligatus, secundum *Omnes.* Non ratione rei acceptæ, quippe cujus dominium acquisivit: nec ratione injustæ acceptionis, quippe accipiendo rem in se liberam, & nulli realiter obligatam, etsi venditor ipse priori emptori personaliter obligatus fuerit; adeoque aliter vendendo, vel donando contra justitiam peccaverit; hoc tamen ejus peccatum alter emptor permittere potuit sui commodi causa. Excipe: nisi posterior emptor, vel donatarius induxerit alterum ad sibi dandum cum injuria, & damno primi emptoris; tunc enim quovis tempore in conscientiæ foro obligabitur ad compensationem damni, cujus activa causa extitit. 87

IV. Eadem fere ratione discurrendum universaliter in casu, cum quis rem alienat in fraudem creditorum, quibus ex contractu, vel delicto obligatus, ea alienatione impotens fit ad solvendum: aut enim talis alienatio fit aliis titulo oneroso, v. g. emptionis, vel dotis comparatione generi, seu mariti sponsæ: Et tunc si facta sit ignorantis fraude, valida manet: si autem facta sit scientis fraude, rescindi, & revocari a creditoribus potest, etiam non restituto pretio. *L. si debit. 7. ff. quæ in fraudem creditorum facta sunt.* Aut alienatio facta est titulo gratuito, v. g. donationis, vel dotis respectu filiæ, vel sponsæ: Et tunc creditoribus res donata revocari potest, sive alter conscius, sive ignarus fraudis fuerit. Et Jure *cit. communis DD.* Quod si tamen intra annum creditores rem sibi in fraudem alienatam non repetant, securus erit emptor, vel donatarius illius rei in foro externo *L. 1. & L. ait Prætor. 10. ff. cit.* Atque etiam in foro conscientiæ tutum esse universaliter affirmant *Petr. Navarr. Less. Molina cit.* Negant autem communius DD. cum Navarr. *c. 17. n. 271.* Et merito tutiorem, ac probabiliorem censet Laym. *cit. nu. 29.* quoties talis emptor probe scit, alienationem fieri in fraudem, ac injustum damnum creditorum. Ratio est: quia licet talis suadendo non inducat (quo casu certo peccat contra Justitiam, ut dictum est) tamen adhuc vere videtur cooperari ad talem injustam alienationem consentiendo, & acceptando. Interim priorem sententiam ut probabilem admisimus generaliter, *Tract. 4. de Restitutione.* 88

§. II. *Quid de rei venditæ, sed nondum traditæ damno vel periculo?*

I. QUando res empta est determinata in specie, nimirum, aut certum individuum, ut hic equus, hæc vacca, hæc vestis; aut corpus determinatum, ut hic integer grex ovium, hoc vini dolium, vas butyri, lignorum plaustrum, vel acervus, &c. idque venditum ad corpus, scilicet summatim, in dicto pretio absque ordine ad mensurandum, ponderandum, numerandum, & talis rei emptæ periculum, & damnum statim ad emptorem pertinet, adeo ut si ante traditionem, & sine culpa, vel culpabili mora venditoris pereat, emptoris damno id accidat ex speciali constitutione Juris variis locis, præsertim *Instit. de empt. & vendit.* Et ex professo explicatum habes *Tract. 4. de rest. Sect. 5. §. 1.* 89

II. Quando res empta fuit determinata in specie, v. g. emisti tres oves, vel tres amphoras vini, distinguendum est. Aut enim venditio facta est omnino absoluta, & sine ulla determinatione ad aliquod certum corpus: Et tunc quæcumque oves, vel urnæ vini tibi venditori pereant, semper tibi pereunt, nunquam liberaberis a debito, quamdiu alias oves, vel aliud vinum præstare potes. Aut venditio facta est cum ordine ad aliquod determinatum corpus, vel cumulum: Ut si vendidisti ex tuo grege 10. oves, nondum tamen designatas, ex hoc dolio 10. urnas vini, ex horreo, vel hoc cumulo 100. modios frumenti, nondum tamen mensuratos: & tunc rursus, etsi plura prædictorum pereant, non liberaberis, quia potes, & debes dare de reliquo. At vero si totus tuus grex ovium, totum vini dolium, totum frumentum pereat, quocumque eventu, contractus dissolvitur, & pretium jam acceptum restitui debet emptori, ut ibidem §. 2. etiam indicatum. 90

III. Quando etiam corpus determinatum, v. gr. totum vini dolium venditum est, at non ad corpus in dicto unico pretio pro toto, sed ad mensurationem, vel numerationem, indicto scilicet pretio in singulas urnas vini, in singulos frumenti modios, &c. & tunc rursus periculum, & damnum ad venditorem spectat, quousque mensuratum, vel numeratum fuerit, eo quod venditio antea non omnino perfecta, & absoluta censeatur, sed sub conditione facta, si res numerata, vel mensurata fuerit: ut habetur *L. sæpe 35. §. 5. ff. de contrah. empt.* Idemque est, si vinum, mel, ovium grex, vel quid simile venditum sit ad corpus quidem, non ad mensuram: attamen expresse, vel tacite pactum sit, ut degustaretur, antequam omnino rata, vel perfecta venditio esset: tunc enim iterum periculum ad venditorem spectat: 91

ctat: ut habetur *L.* 1. *in princ.* & *si quis vina* 4. §. 1. *ff. de peric.* & *commod. rei vend.* Verumtamen, si certus terminus mensurationi, vel degustationi præfixus fuit, aut venditor coram testibus emptorem monuit, ut intra certum temporis spatium ad mensurandum, vel degustandum accedat, post culpabilem ejus moram periculum ad emptorem ipsum spectabit: ut habent *LL. cit.*

92 Venditio ad corpus facta censetur, si venditio a corpore incipiat, licet postea addita sit quantitas illius: v. g. vendo tibi hoc dolium vini 100. taleris, quod constat viginti urnis dummodo quantitate postea comperta, emptor non sit deceptus in pretio excessivo: tunc enim naturalis æquitas postulat, ut pretii inæqualitas corrigatur, ut ex communi notat Laym. *cit. c.* 17. §. 2. *n.* 13. Venditio ad mensuram facta censetur, quoties venditio incipit a certa mensura, vel quantitate: Idque aut in parte tantum, v. g. ex hoc dolio vendo tibi 10. amphoras, singula 6. florenis: & tunc quod supra 10. amphoras in dolio remanet, non censetur venditum, ut ex se patet: aut in toto, incipiendo quidem a corpore, pretium autem non unicum exprimatur; sed apponatur ad mensuram: v. g. vendo tibi hoc dolium vini continens 60. amphoras, singulam 6. florenis: & tunc tametsi plures postea reperiantur, omnes tamen ita venditæ censentur: ut Legibus, & Legistis citt. docet Laym. *cit. n.* 13.

§. III. *Quid de rei venditæ nondum traditæ fructibus pendentibus, aliisque annexis?*

93 PEracto contractu venditionis, & emptionis partium consensu, si nihil aliud conventum fuit, omnes fructus rei pendentes, tam maturi, quam immaturi, ad emptorem spectant, ut decernitur variis *LL. ff.* & *Cod. de action. empt.* Et etiam pro foro conscientiæ docet communis DD. Molina *disp.* 468. Laym. *ibid. n.* 17. Lugo *disput.* 26. *sect.* 14. Ratio est: quia fructus pendentes censentur pars fundi, vel rei fructiferæ. *L. fructus*, 44. *ff. de rei vindicat.* ergo, empto fundo, seu fructifera re, censentur etiam fructus empti ibi pendentes. *Pendentes dico*: quia si fructus actu non pendeant, sed ante venditionem perfectam jam percepti sunt, utique ad venditorem tunc rei dominium spectant. De fructibus post venditionem completam primum nascituris, seu percipiendis post specialem difficultatem dicam seorsim §. *seq.* Ex dictis recte inferunt DD. *Molina*, *Layman. citt. Alii.* 1. Ager, vel vinea pluris æstimari debent, & emi, ante messem, quam postquam fructus percepti sunt, ob dictam rationem. 2. Si vinea empta sit ante vindemiam, traditio autem facta primum, postquam fructus a venditore percepti sunt, detrahendum est de pretio constituto, quanti fructus tempore contractus pendentes æstimabantur, *Molina*, *Lug.* 3. Si domus jam alteri locata, postea vendatur alii, pensio pertinet ad venditorem proportione temporis elapsi usque ad celebrationem contractus: pensio vero debita ratione temporis sequentis post contractum emptionis ad emptorem spectabit: quia hæc pensio habet se per modum fructus pendentis, tunc nondum perceptibilis a primo locatore, & venditore. *Gloss. in L. Julianus, ff. de action. empt.* 4. Eadem ratione, nisi aliter conventum sit, vendito equo, etiam censentur vendita ejus necessaria ornamenta, frænum, ephippium, &c. *L. ædiles* 2. §. 11. *ff. de ædilit. edicto.* vendita domo etiam seræ, claves, clavi, clavisque ordinaria affixa (vulgo *Baglhafft*,) emptori cedunt, *L. fundi* 17. *in princ. ff. de action. empt.* Atque hæc omnia etiam in foro conscientiæ observanda, nisi aliunde de contraria intentione constet, observant omnes.

§. IV. *Quid de rei venditæ, & nondum solutæ fructibus percipiendis?*

94 POst venditionem absoluto partium consensu factam (nisi aliter juste conventum sit) fructus omnes etiam nascituri, seu producendi jure emptionis ad emptorem pertinent. Ita communior, & mihi omnino vera Sententia Theologorum, *S. Antoninus*, *Sylvester*, *Rosella*, *Armilla*, *Lopez*, *Gabriel*, *Petrus Navarrus*, *Rebellus*. Alii, quos citant, & sequuntur Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 13. Layman *cit. cap.* 17. §. 2. *num.* 18. Et bene explicant *Sanchez*, & *Lugo cit.* Ratio solida est: quia fructus naturaliter consequuntur substantiam rei fructiferæ; immo potius naturaliter insunt substantiæ, & potentiæ rei fructiferæ: ergo cum emptor rei fructiferæ, prædii, agri, vineæ, vaccæ substantiam emit, simul etiam emit jus, atque potentiam fructuum deinceps nasciturorum, ac percipiendorum. *Confirmatur*: Æquum est, ut ad eundem spectet commodum fructus, & accessio rei, ad quem ejusdem rei damnum, ac periculum spectat: atqui damnum, & periculum rei in specie venditæ, licet nondum solutæ, immo nondum traditæ ad emptorem pertinet, adeo ut si absque emptoris culpa pereat, vel deterior fiat, nihilominus integrum pretium emptor solvere cogatur, ut paulo supra dictum: ergo etiam rei venditæ commodum, fructum, accessionem ad eundem pertinere emptorem oportet. Nec obstat, quod in hoc casu venditor adhuc maneat dominus actualis rei venditæ, omnis autem res sua domino fructificat: nam etiam res suo domino perit, & tamen in hoc casu non perit venditori, sed emptori: ergo similiter non illi, sed huic fructificare deinceps debet. Utrumque ergo illud axioma, ut universaliter verum sit, intelligi debet non de domino proprie tantum, sed de omni illo, cui res in specie debita est, ut bene observat Laym. *num.* 19. *fin.*

Contrarium tamen, & illos fructus etiam post rei venditæ traditionem ad venditorem spectare, donec pretium solutum, aut per assecurationem, vel fidehabitionem, pro soluto habitum sit, ex variis legibus docent communiter, & multi Theologi, *Nav. Covarruvias*, *Angelus*, *Binsfeldius*, alii cum Mol. *to.* 2. *disp.* 368. Cui assentitur *Sanchez l.* 1. *Consil. c.* 7. Sequitur Diana *part.* 4. *tr.* 4. *Miscel. resolut.* 139. 95
Ratio potissima est; quia inter contrahentes debet esse æqualitas: neque unus eorum tenetur implere contractum, nisi & alter vicissim impleat, juxta *L. bona fides* 50. *ff. de action. emp.* Atqui in proposito emptor contractum nondum implevit solutione pretii, pecuniæ dominium, usum, & commodum in venditorem transferendo: ergo neque venditor dominium, usumfructum, & commodum in emptorem transferre tenetur, sed eousque sibi retinere potest, donec emptor sibi de pretio satisfaciat, vel si ipsum etiam usumfructum emptori concessit, ejus compensationem jure exiget. Sed respondent DD. nostræ sententiæ: Leges illas ita intellectas revera iniquas, & usurarias esse. Ad rationem negatur paritas inter rem frugiferam, & pecuniæ pretium: nam ager per se, & suapte natura fructus, & utilitatem profert, quæ in æstimationem venire possunt, & veniunt, constituto justo pretio. Pecunia autem natura sua sterilis, nullam ex se utilitatem, vel fructum progignit, nisi interveniente industria negotiationis; quare si venditor agri ea pecunia negotiaturus non fuisset, ut supponimus, (de opposito mox patebit) non poterit pro illius solutione dilata sine usura saltem palliata fructus rei venditæ exigere, sed neque pro ipsa traditione rei venditæ cum suis fructibus percipiendis: huic enim traditioni adæquate respondet justum pretium ex parte emptoris: qui enim emit rem fructiferam, offert pretium pro re, ut sibi tradenda qualis est, scilicet ut frugifera cum jure, & potentia fructuum.

Dixi autem: *Nisi aliter juste conventum sit*. Dantur enim justi tituli, & modi paciscendi, ut vendens rem frugiferam, prædium, agrum, vineam, vaccam &c. pecunia credita seu pretio postea solvendo interim possit sibi reservare fructus, vel eorum loco constituere pensionem proportionatam quotannis solvendam ab emptore, quousque is pretium solvat; quo pacto vera erit Sententia opposita. Concedunt consequenter DD. secundæ Sententiæ ob rationem ibi allatam, & ex parte *Lugo*, sed longe alia ratione mox citandus. Negat vero rectissime cum communiori nostra sententia ob rationem datam, & ex se usurarium asserit, nisi alius titulus justus, vel contractus interveniat, qui possunt esse sequentes. 96

I. Conveniunt omnes, id licite fieri, si ita interest venditori ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ex dilata solutione pretii: utpote, quia venditor pecunias illas negotiationi exposuisset, aut iis quoquo modo lucratus fuisset, si solutio statim facta fuisset: quemadmodum e contrario, quando per venditorem stat, quominus rem venditam tradat, omnis utilitas in æstimationem venit; ut dicitur *L. si sterilis* 21. §. 3. *ff. de action. empt.* Hinc emptor æstimationem illius utilitatis, quam ex re vendita tempestive tradita percepisset, de pretio constituto detrahere potest, scilicet ratione lucri cessantis.

II. Certum est etiam, ita licere, quando venditor ita contractum celebrat, ut periculum rei venditæ ad ipsummet pertineat ante pretii solutionem; tunc enim fructuum æstimationem interim jure exiget; hoc autem accidit, quoties venditio celebrata est non absolute, sed sub conditione, ut non antea rata esset, quam pretium constitutum numeraretur; nam hoc casu, tam periculum, quam commodum, adeoque, & fructus rei ad venditorem spectant, donec pretium numeratum sit: ut ex Petro Nav. *c.* 17. *n.* 248. Laym. *n.* 20. *ante fin.*

III. Certum etiam videtur ita licere, quando contractus ejusmodi non fit per modum venditionis absolute, sed potius per modum locationis; hac ratione ager, vel vinea, aut vacca, quam pro pretio constituto emendam offero, interea donec pretium solvas, pro pensione annua locata sit (periculo ad me tamquam dominum pertinente) ac propterea pensionem juxta fructus, quos detractis expensis percepissem, solvas: cum autem solveris totum pretium ei, ager v. g. tuus erit pleno dominio, commodo, & damno. Communis Doctrina, & praxis. Azorius *tom.* 3. *l.* 8. *cap.* 15. Navar. *cap.* 17. *n.* 248. Laym. *n.* 20. *fin.*

IV. Certum etiam videtur: venditorem in pacto venditionis, sicut potest nolle tradere simpliciter, ita etiam tradita re potest nolle tradere plenum, absolutumque dominium rei; adeoque potest nolle dare, sed sibi reservare dominium utile, seu jus percipiendi fructus, quousque rei pretium solvat: quo casu interim fructus ad venditorem, tamquam proprium eorum dominum, spectabunt: illos igitur interim tamquam suos jure exigit, vel locum eorum emptori locatorum proportionatam pensionem mediocrem

inter

inter uberiores, steriliores fructus quotannis nasci solitos, quemadmodum in censibus mox infra patebit, certe nihil apparet hic injustitiae. Atque in hac subtili sane ratione explicat, & approbat oppositam sententiam Lugo *disp.* 25. *sect.* 8. *n.* 140. plura plurima vide apud cit.

SECTIO IV.

De Pactis quibusdam Venditioni adjectis, Negotiatione, Monopoliis.

SUMMARIUM.

97 *Justae venditioni non potest licite adjici pactum onerosum.*
98 *Pactum commissorium quid.*
99 *Quid pactum adjectionis in diem.*
100 *Quid retractus gentilitius.*
101 *An, & qualiter licitum sit pactum retrovendendi, seu redimendi in futurum.*
102 *Quid negotiatio.*
103 *Quid Monopolium.*

97 OMnia pacta onerosa emptioni adjecta diminutione justi pretii compensanda sunt: adeoque quoties pacto jam justo pretio additur emptori, vel venditori aliquod onus pretio aestimabile, contractus injustus est, & usurarius. *Omnes.* Ratio patet ex late dictis *cap. praec. de usura.* Quia nimirum pactum justum jam correspondet rei venditae: si ergo ultra pretium justum cogitur emptor aliud onus subire, jam cogitur ex parte sua dare aliquid ultra pretium justum, adeoque fiet inaequalitas, sicut e contra, si venditor ultra rem venditam, pro qua solum datur pretium justum, cogitur aliud onus subire pretio aestimabile, v. gr. rem venditam pro emptore conservare, procurare, assecurare, alio transportare, jam cogitur aliud onus subire, pro quo nullum pretium justum accipit: ideoque cogitur rem pro majori pretio dare: sicque rursus fit inaequalitas. Pacta autem emptioni addi solita, sed diminutione justi pretii compensanda, potissimum sunt haec:

I. *Pactum commissorium.*

98 DIcitur, quando venditio ita fit: si intra certum temporis spatium pretium solutum non fit, res inempta sit: sicque emptor dicitur cadere in commissum, ut res empta ab eo auferri, & venditori tradi debeat; ut habetur toto fere titulo *ff. & Cod. de L. commiss.* De quo etiam supra, cum de usura palliata mentio facta: nec dubium de justitia hujus notissimi pacti in utroque foro, dummodo pretium emptionis aliquantum judicio prudentis diminuatur: & quantum est de jure naturali, si communi positivo, pars pretii interim soluta restituatur, nisi aliter conventum, aut Lex municipalis aliud statuat, ut mox iterum dicam.

II. *Pactum adjectionis in diem.*

99 DIcitur, quando venditio ita fit: si intra certum temporis spatium pretium quis majus obtulerit, res inempta sit. *L. ff. de in diem adject.* Utrumque hoc pactum cum diminutione justi pretii saltem summi, vel medii, justum est, secundum Omnes. Quod si autem venditio rescindatur propter ejusmodi pacta, perinde erit, ac si emptio, & venditio nulla intervenisset, adeo ut dominium rei asque ulla nova traditione statim ad venditorem redeat; & consequenter etiam fructus intermedii percepti ad eundem venditorem spectare debent. *L. item quod. L. Imperator.* 16. *ff. eod.* & alibi. Vide Molinam *disp.* 377.

III. *Retractus Gentilitius.*

100 Est jus alicujus Gentis lege, vel consuetudine concessum proximiori venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi, & ad se revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empta fuerat: cujus mentio fit *Levit.* 25. & *L. dudum* 14. *Cod. de contrab. empt.* Ratio communiter est: ne possessiones paternae, atque avitae facilius ad alienas manus deveniant, sed in proxima posteritate remaneant. Requiritur autem, quod ille proximus consanguineus contractum primae venditionis non approbarit expresse, vel tacite aliquo signo approbativo: ut si in Germania ad ratificandum contractum bibit. Item ut servet pretium justum. Item ut intra tempus legitimum revocet. Si enim consanguineus proximus post factam sibi legitimam denuntiationem, & requisitionem justo pretio emere nolit, post duorum mensium spatium alteri vendere potes, & venditionem factam amplius revocare non poterit: si autem irrequisito ipso, venditio facta fuit, jus habet ille retrahendi intra annum, & diem, de Jure communi, ut docent DD. communiter ex *l.* 2. *Feudor.* apud Laym. *cit. c.* 17. §. 6. *n.* 35.

IV. *Pactum retrovendendi, seu redimendi in futurum.*

101 LIcitum esse hoc pactum, constat ex *l.* 2. *Cod. de pact. inter emption. & vendition.* Et ex communi probant Molina *disputat.* 375. Lessius *l.* 2. *c.* 21. *dub.* 14. Lugo *disputat.* 26. *sect.* 13. §. 1. Et patebit *infra de empt. & censu redimibili* etiam per summos Pontifices approbato. De caetero quoad pretium ita distinguendum est. Si pactum retrovendendi fiat in gratiam venditoris, ut si domum vendas ea lege, ut quoties idem pretium reddideris, teneatur tibi denuo reddere, sive retrovendere; tunc venditor necessario debet descendere in pretio, ita ut decernatur minus pretium, quam res valeat, & postea pretio majori redimatur, ut si Princeps Nobili vendat civitatem 1000. aureis cum pacto, ut sibi liberum sit redimere, certo ad minus aureis 3000. redimere debebit. *Ratio patet:* quia obligatio emptori imposita retrovendendi rem ad nutum venditoris, onus quoddam est pretio maxime aestimabile, adeoque in partem pretii ante computatur: nam onus pacto adjectum est quasi pars pretii, *L. fundi partem* 79. *ff. de contrahend. emption.* Quantum autem debeat diminui de pretio, aliqui designant tertiam partem, alii aliter: alii cum *Molina*, & *Lug. cit.* rectius docent, non posse certam Regulam assignari, sed consideratis circumstantiis relinquendum esse arbitrio prudentis. 2. Si vero pactum retrovendendi, & redimendi fiat in gratiam emptoris, ut si emptor emat domum hac lege a Titio, ut cum sibi placuerit reddere domum, ipse teneatur pretium reddere: & tunc e contrario aequitas postulat, ut primae venditionis pretium majus sit, quam alioquin esse debeat; minus vero in redemptione propter onus impositum venditori redimendi rem ad arbitrium emptoris. 3. Si denique pactum retrovendendi, & redimendi fiat in gratiam utriusque, ut scilicet, quoties venditor reddiderit pretium, emptor teneatur reddere mercem: & e contra quoties emptor reddiderit mercem, venditor teneatur reddere pretium: & tunc servanda erit aequalitas pretii media, cum par utrique sit onus. De quo latius *Lugo, & Molina citat.* 4. Interea autem semper fructus temporis intermedii ad emptorem spectare debet, tanquam tunc verum dominium rei emptae, etsi ad revendendum personaliter obligatus sit, facta autem redemptione, fructus postea percipiendi rursus ad redemptorem spectant, detractis tamen expensis, si fructus jam pendentes sint. *L.* 2. *Cod. de pact. inter empt. & vendit.* Haec quia rarioris praxis, compendio indicasse sat sit. Late videre potes apud DD. cit.

Negotiatio.

EST *emptio, vel coemptio mercium eo animo facta, ut postea carius distrahantur;* & haec per se loquendo, servata latitudine justi pretii, omni jure licita est, immo necessaria Reipublicae, ut nimirum habeantur merces in parato apud mercatores, quas alias singuli cives sibi comparare non possent. Deinde cum detur latitudo pretii summi, medii, infimi, poterit eadem merx intra justitiae limites juste minoris emi, & pluris vendi, idque maxime ab hominibus, qui huic negotio ad bonum commune, neglectis aliis lucrandi rationibus, se destinarunt, ut proinde ex illo ad sui, suorumque sustentationem lucrari debeant. Deinde accedunt alii innumeri tituli lucrandi, ut ex hactenus dictis colligere potes. Attamen Clericis in suis Ordinibus constitutis gravissime interdicta est negotiatio (intellige semper proprie dicta, modo definita) *distinct.* 88. *c. ultim. de vita, & honestat. Cleric.* Et *Clement.* 1. *tit. eod.* Ratio est; quia licet negotiatio per se non sit illicita, per accidens tamen saepe salutis periculum affert ob hominum cupiditatem, & malitiam: utpote quae & mendacio, & fraudibus occasionem praebet, & animum temporalibus curis implicitum a rebus coelestibus avocat, adeoque statui Clericali, & Religioso principaliter divino cultui destinato per se valde indecens, & repugnans est. Peccant ergo mortaliter secundum omnes Clerici, & Religiosi, si exerceant negotiationem proprie dictam, qua scilicet res emptae, frumentum, vinum, pecora non mutata, carius postea venduntur quaestus gratia, nisi a culpa in toto, vel in tanto excuset gravis necessitas, quando vitam commode aliter sustentare non possent, ut notat Glossa *in c. negotiat. distinct.* 88. & Nav. *lib.* 3. *Consil.* 3. *n.* 3. *de vita, & honest. Cleric.* Peccant etiam, at non ita graviter, exercendo negotiationem improprie dictam, in qua scilicet res empta postea mutata, & melior effecta carius venditur lucri gratia, velut si ex lana empta pannus conficiatur, ex hordeo empto cerevisia coquatur, pecora, porci, equi empti, educati, saginati, postea vendantur lucri gratia. Excipe tamen per omnem modum. 1. Si ad necessariam sustentationem, & eleemosynam, Clerici, vel Monachi exerceant certa opificia, exemplo Apostoli *Act.* 18. & veterum Monachorum. 2. Si empta pecora in propriis praediis vendant, & mutent, ex propriis fructibus agrorum, vel vinearum confectam cervisiam, vel vinum vendant: quia ipsis per se & ex fundatorum intentione licet. 3. Addit praxis, si non per se, sed per alios tantum negotiantur, Clerici scilicet Laico tradendo pecuniam ad societatem, vel a banco, non posse condemnari peccati saltem gravis, docent *Medina, Molina, Lugo, Layman cit.* 102

Monopolium.

GRaecum, latine unius emptio dicitur, cum unus, vel plures e Republica sibi arrogant, ut ipsi soli certum genus 103

nus mercium ad vitam necessariarum vendant pretio sibi libito, & hoc omnium Gentium jure illicitum est, tanquam quid primario juri naturali, quo omnia communiter hominibus a Deo creata, & donata sunt, maxime adversum: & severissime prohibetur *jure Cæsareo de Monopoliis*. Interdum tamen in casu particulari ob justam causam, utpote mercatorum inopiam, industriam, indemnitatem, Monopolia publica auctoritate recte constituuntur: v. g. ut nemini præter Titium certum genus mercium adferre, vel vendere liceat; idque maxime quoad impressionem librorum, ut scilicet nemini præter hunc Typographum talem librum intra tantum tempus imprimere, & dispensare liceat. Denique tam negotiatores, quam Monopolæ, si copiam rerum ad communem usum necessariarum coemendo inducant inopiam, & caritatem frumenti, vini, carnium &c. sine dubio graviter peccant, & perniciosi sunt Reipublicæ, ideo legibus, & pœnis coerceri debent, cogendo ipsos in annonæ caritate merces has minori, justo tamen pretio divendere. *L. annonam ff. de extraordin. crimin.* Et quidem tales peccare contra Justitiam cum onere restitutionis, probabilius docent *Angelus*, *Sylvester*, *Navar.* uterque, alii cum Laym. *c.17. §.7. n.41.* Ratio est: quia rerum divisio, negotiationes, & commercia gentium jure introducta, non usque adeo permissa sunt, vel permitti potuerunt, ut his etiam in Reipublicæ detrimentum, & communem inopiam abuti justum esset. Contra tamen hos non peccare contra Justitiam, sed solum contra Charitatem cum aliis docent Molina *disp. 345.* & Lessius *cit. c.21. dub.20.* Utuntur enim (ajunt) jure suo, emendo tempore abundantiæ pretio justo, & postea iterum vendendo pretio in communi foro aucto. Quod quidem verum esset, si ipsimet sua emptione, & reservatione non essent in causa augendi pretia in detrimentum, & inopiam civium: quod si ita sit, prout revera est, omnino vera est prior Sententia, eos scilicet peccare contra Justitiam. Et hæc hactenus de Emptione, & Venditione.

CAPUT VI.

De Contractibus reliquis transferentibus Dominium, Censu, Cambio, Societate, Ludo, & Sponsione.

SECTIO I.

De Censibus.

SUMMARIUM.

1 & 2 *Census quid.*
3 *Alius reservativus, alius consignativus.*
4 *Alius realis, alius personalis.*
5 *Alius perpetuus, alius temporalis.*
6 *Alius irredimibilis, alius redimibilis.*
7 Usque ad num. 11. *Census realis absolute perpetuus, & temporalis justus, licitus est.*
11 *Et maxime irredimibilis, vel redimibilis ex parte venditoris tantum.*
12 & 13 *Ac probabiliter etiam redimibilis ex parte utriusque.*
14 *Etiam pacto assecurationis.*
15 & 16 *Resolvuntur varia.*
17 *Licitus est etiam census personalis.* Usque ad num. 20.
20 *Maxime irredimibilis, & redimibilis ex parte solius venditoris.* Immo
21 & 22 *Probabiliter etiam redimibilis ex utraque parte.*
23 *Etiam cum pacto assecurationis.*
24 *Census tamen personalis pro fundamento requirit personam industriam:*
25 *Excepto censu vitalitio,*
26 *Salvatur usitatissimus census germanicus*, quinque pro centum.
27 *Etiam apud rudes, & plebejos aliquem justum titulum explicite non scientibus.*
28 *Secus, si nullus omnino titulus justus subsit.*
29 *Notabilia Concionatoribus, & Confessariis.*
30 *An census possit emi minori pretio, quam fuit ab initio constitutus.*
31 *Resolvitur dubium de ficte volente redimere censum.*

§. I. *Census quid, & quotuplex sit.*

1 Census primum dictus a censendo, seu æstimando, quatenus æstimabantur bona subditorum, ut ex eis debita proportione tributum Magistratui penderetur a singulis: unde & ipsum illud tributum, seu pensio solvenda a singulis dicebatur census in Sacra Scriptura *Matth. 22. Licet censum dari Cæsari?* Modo vero apud Legistas, Canonistas, ac Theologos alia, licet æqualiter, simili significatione acceptus.

2 Census definitur *Jus contractu aliquo constitutum percipiendi annuam pensionem ex re, vel alterius persona.* Quo differt a Locato, vel Emphyteusi, ubi percipitur pensio ex re propria, quoad dominium directum, & solum quoad dominium utile alteri concessa: in censu autem percipitur pensio ex re pleno dominii jure ad alterum pertinente, vel in alterum translata, ut mox patebit amplius. Et hinc sunt variæ divisiones census in *reservativum*, & *consignativum*; in *realem*, & *personalem*: in *perpetuum*, & *temporalem*: in *irredimibilem*, & *redimibilem* &c.

I. *Census reservativus, & consignativus.*

Census *reservativus* est, cum quis fundum pleno dominii jure in alterum transfert donando, vel vili pretio vendendo, reservata sibi annua pensione, sive in pecunia, sive in fructibus ex eodem fundo præstando. De hoc *L. ult. C. de rerum permutat.* Hac ratio Joseph *Gen. 47.* prædia Ægyptiorum permutatione frumenti Regi Pharaoni acquisita, postea eisdem pleno jure restituit, constituta in iis annua pensione quintæ partis fructuum, exceptis prædiis Sacerdotum. De hoc censu parum dicendum est, cum vix amplius sit in usu; & quoad quantitatem pensionis exigendæ pro fundo tradito, eadem ratione discurrendum est, sicut de quantitate pensionis exigendæ ex fundo alterius pro pretio justo, ut infra patebit: sicut enim in censu consignativo justum pretium est viginti pro uno; ita in censu reservativo in fundo tradito, poteris solum reservare pro pensione annua vigesimam partem justi valoris fundi traditi; ut si fundum juste valentem ducentos aureos dones, poteris reservare pensionem decem aureorum in pecunia, vel æquivalenti fructu. Si vero vendas dimidio pretio, utpote centum, poteris tantum reservare pro pensione quinque, & sic proportionaliter. Census *consignativus* est, quando certo pretio emitur jus ad percipiendam pensionem annuam ex re, quæ jam erat alterius, qui pensionem solvere debet: tunc enim emptori a venditore constituitur, & quasi consignatur illud jus percipiendi annuam pensionem in tali certa re sua, vel in ipsa sua persona. Est ergo census iste consignativus contractus onerosus, & peculiaris quædam species emptionis, & venditionis, in quo emptor, qui emit censum ab altero, & cui pensio solvenda est, appellatur *Censuista*, vel *Censualista*: venditor autem, qui vendit alteri jus accipiendi pensionem ex re sua, quique pensiones solvere debet, vocatur *Censuarius*. Unde cum dicis, habeo censum in fundo Petri, sensus est: habeo jus exigendi pecuniam, vel certos fructus ex fundo Petri. Cæterum quamvis ejusmodi census consignativus posset etiam constitui titulo gratuito per donationem, vel legatum: ut si Princeps gratis constituat alicui jus percipiendi annuos redditus ex Cameræ, vel vectigalium suorum redditibus: aut testator leget alicui annuam pensionem ex bonis suis hæreditariis percipiendam, & solvendam ab hæredibus. Attamen de solo censu consignativo emptitio difficultas est, & sermo erit. Hic porro dividitur in realem, & personalem.

II. *Census realis, & personalis.*

Census *realis* est, qui fundatur super certa re, una, vel pluribus, ex quibus pensio solvenda est: v. gr. supra tua domo, agro, vinea &c. adeoque comitatur rem, ad quemcumque possessorem pervenit, quasi servitus, vel obligatio realis, donec census redimatur. Nec tantum super res immobiles fructiferas prædictas, sed etiam super res mobiles, quæ fructum faciunt, ut super greges, armenta, apiaria &c. census realis constitui potest. Census *personalis* est, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pensionem solvendam, sine ordine ad certam aliquam rem, ex qua pensio solvenda sit: quamvis tunc talis persona necessario debeat habere annuos redditus, vel lucra: generaliter etiam fundari debent super aliqua ipsius re, sive fundus sit, sive negotiatio, opificium, aliave industria, ex quibus lucrari, & annuam pensionem solvere possit, ut infra patebit amplius. Quin etiam interdum res certa ad debiti securitatem, hypothecæ subjicitur, cum obligatione reali ad censuistam, seu emptorem, adhuc tamen tunc differt census realis a censu personali cum hypotheca: quia census realis ex se necessario perit pereunte re obligata, ex qua pensio solvenda est: census autem personalis minime perit pereunte hypotheca, sed manet obligatus censuarius: quia hypotheca præcise datur in securitatem debiti, non vero constituitur id, ex quo pensio solvenda sit: Census iste ulterius potest esse aut fructuarius, ex quo scilicet debetur fructus in sua specie, frumentum, vinum, oleum &c. aut pecuniarius, ex quo scilicet debetur pecunia: v. g. quinque pro centum acceptis. Rursus potest esse certus cum certa pensione destinata, ut tot modii frumenti, tot aurei &c. vel incertus quando solum pars aliquota designatur, v. g. 5. vel 4. pars fructuum.

III. *Census perpetuus, & temporalis.*

Census *perpetuus* dicitur, quo pensio, stante contractu cæterisque salvis, semper solvenda est: ideoque etiam ad hæredes & censuarii, & censualistæ transit. Census *temporalis* dicitur, quo pensio solvenda est ad tempus aliquod aut certum, v. g. ad 10. 20. 100. annos; & dicitur census determinatus: aut incertum, utpote tempus vitæ, vel ementis censualistæ, aut vendentis censuarii, aut alterius per-

personæ, parentis, filii &c. alterutrum concernentis; & hic dicitur census *vitalitius*. In hoc proinde censu vitalitio pretium (si a Principe taxatum non sit) constituendum erit prudentis arbitrio, habita ratione ætatis, complexionis, ac modi vivendi illius personæ, ad cujus vitam census constitutus, & pensio solvenda est: minoris enim emi debet census vitalitius, si super vitam juvenis, vel robusti constituatur; nec poterit addi pactum, ut eodem pretio redimatur a censuario, quo ab initio venditus fuit: v. g. centum aureis. *Ratio patet:* quia quando postea redimitur census, jam transacti erunt aliquot anni de vita, ideoque pauciores pensiones solvendæ remanebunt, quam ab initio erant: decernatur ergo prudentis judicio, quot anni, & quæ spes remanere possit, ut observat Tamb. *hic l. 9. de contr. tract. 2. de cens. c. 3. n. 5.* De justitia hujus census, seu realis, seu personalis sit, patebit §. 2. *&* 3. & speciale quid notabo §. 4 post initium, ubi & de censu Germanico.

IV. *Irredimibilis, & redimibilis.*

6 Census *irredimibilis* dicitur, qui constituitur cum pacto, ut nunquam redimatur, seu ex neutra parte revocari possit, scilicet, neque redimi a venditore, neque ab emptore eodem revendi possit: adeoque eo ipso est census perpetuus simpliciter, omnium justissimus. Census *redimibilis* dicitur, qui restituitur cum pacto, ut possit redimi, idque vel ex una parte tantum, aut venditoris, ut scilicet ei liceat, restituto pretio, cum libuerit, censum redimere, & extinguere: & tunc dicetur redimibilis in gratiam venditoris: aut ex parte emptoris tantum, ut scilicet huic resignato censu liceat pretium repetere: & tunc dicitur redimibilis in gratiam emptoris tantum. Sed certe in praxi vix justificabitur, ut infra §. 3. notabitur. Aut denique est redimibilis ex parte, & in gratiam utriusque, ut scilicet, & emptori liceat resignato censu, pretium repetere, & e contra venditori, cum libuerit pretio restituto, censum tollere, atque sic pensiones imposterum dandas sibi redimere. In dubio autem sitne constitutus census redimibilis, an vero irredimibilis, si nihil certi ex circumstantiis colligi possit, recte cum Covarr. & aliis resolvit Lugo *disp. 27. de Justit. sect. 1. n. 7.* præsumendum esse irredimibilem; cum enim constet de venditione census, & non constet de pacto retrovendendi apposito, venditio præsumitur absoluta a tali pacto: quia ut dicitur *L. 2. Cod. de pactis inter emptorem, & venditorem. Pactum retrovendendi non præsumitur in venditione, nisi probetur:* est autem emptio census verissima species emptionis, ut patet: ergo. His ita explicatis, de justitia prædictorum censuum nunc agendum est.

§. II. Justitia census realis.

ASSERTIO I.

7 *Justus, & licitus est census realis omnis perpetuus, & temporalis, maxime autem irredimibilis, & redimibilis ex parte venditoris tantum, & probabiliter etiam redimibilis ex utraque parte etiam cum adjuncto pacto assecurationis.* Explico, & probo particulatim.

I. *Justus, & licitus est census realis absolute.*

8 Communissima, & certa apud omnes Theologos, Canonistas, & Legistas: adeo ut oppositum (quod docuerunt *Henricus*, *Ricardus*, & alii pauci Antiqui) modo temerarium merito censeant DD. cum censum realem ex professo approbent Summi Pontifices, Martinus V. Calixtus III. Nicolaus V. & S. Pius V. per speciales Bullas, & Constitutiones, quas recitant, & late explicant Nav. *Comment. de usur. n. 84.* Lugo cit. *disp. 27. sect. 4. & seqq.* Tamb. *hic lib. 9. de Contract. tr. 2. de cens. c. 5.* Ratio est; quia hic census est verus contractus emptionis, quo emitur jus percipiendi fructus, vel eorum loco pensionem annuam; immo potius est ipse ususfructus partialis talis prædii, vel rei fructiferæ, in qua fundatur census realis, ita scilicet, ut totum dominium directum prædii, v. g. remaneat penes venditorem; dominium vero utile, seu ususfructus ex parte vendatur, & conferatur emptori, ut optime declarat *Lugo* mox cit. sicut enim potest quis totum prædium vendere, & jus ad omnes ejus fructus, aut retento sibi dominio directo potest vendere, adeoque alius juste emere solum totum usumfructum, seu jus percipiendi omnes ejus fructus, ut fit in Emphyteusi: ita sane potest quis vendere, & alius emere solum usumfructum partialem, seu jus percipiendi partem fructuum: in his enim omnibus invenitur merx distincta a pecunia, nempe jus percipiendi tantam partem fructuum, quod utique est pretio æstimabile: atqui census realis in rei veritate nihil aliud est, quam ususfructus partialis, seu jus percipiendi certam partem fructuum emptione comparatum sive in specie, ut in censu fructuario, sive in pecunia æquivalenti, ut in censu pecuniario: ergo justa, & licita est emptio ejusmodi census realis. Quemadmodum etiam legato, vel donatione alicui constitui potest jus percipiendi fructus ex vinea, seu reddi-tus annuos ex agro &c. sive perpetuum, sive ad vitam, sive ad certos annos. Cæterum quamvis ordinarie census realis percipiendus esset in fructibus illius rei, in qua fundatur, licite tamen loco fructuum percipitur certa pensio pecuniaria: nam in constituendo ejusmodi censu pecuniario adsunt saltem implicite duo contractus, unus venditionis, quo venditur, & emitur jus ad ipsos fructus, seu eorum partem aliquotam: alter permutationis, quo venditor sibi retinet fructus, & eorum loco solvit pensionem pecuniariam proportionatam computandam mediocriter inter annos steriles, & fertiles: ut bene declarat Molin. *disp. 388.*

Ex dictis facilis est solutio facienda oppositæ Sententiæ; 9
ita enim opponunt Adversarii. Malitia injustitiæ consistit in eo, quod non servetur æqualitas inter datum, & acceptum, sed plus recipiatur, quam datum sit: & specialiter malitia usuræ consistit in hoc, quod vendatur pecunia præsens minor pro majori pecunia: atqui hoc ipsum fit in emptione census perpetui, ac temporalis; nam summa pensionum temporis progressu late superat pretium, v. g. qui 200. florenis ex prædio tuo emit annuos florenos 5. vel fructus ejusdem valoris post annos viginti, pensiones excedunt jam pretium: anno quadragesimo duplicant, & sic in infinitum in censu perpetuo, & magis adhuc apparet in censu redimibili; nam si mille aureis vendidisti censum 50. aureorum, in duobus annis jam solvis centum, & vigesimo anno jam solvis omnes mille: & tamen si censum redimere velis, semper adhuc debebis dare mille: ergo plus debes dare, quam accepisti: ergo non servatur æqualitas, sed pecunia præsenti minori emitur major pecunia futura, quod est usura. Sed facile

Resp. DD. communiter apud Laym. hic *l. 3. tr. 4. c. 18. n. 3.* 10
negando minorem. Eo enim censu non emuntur ipsæ pensiones in futurum solvendæ, sed jus percipiendi in futurum pensiones, quod jus communi omnium hominum judicio minoris æstimari solet, quam si omnes pensiones præsentes essent: & licet empto illo jure consequenter etiam emantur pensiones, non tamen emuntur præsentes in re, sed futuræ in potentia, & in spe; semper autem minus æstimatur res in spe, quam in re: cum multa accidere possint, ut pensiones illæ non solvantur in futurum. Sed subtilius respondet Lugo *cit. sect. 2. n. 20.* in censu non emi neque ipsas pensiones futuras, neque jus percipiendi pensiones, sed ipsum partialem usumfructum talis prædii, super quod census constituitur, licet postea alio contractu implicito conveniat emptor cum venditore, ut hic illi pro suo jure, & spe, quotannis percipiendi tot fructus obliget se, annuam pensionem certam etiam pecuniariam solvere, qua redimit sibi usumfructum partialem prædii: constat autem semper, usumfructum sive totalem, sive partialem, sive perpetuum, sive temporalem, minoris emi, quam omnes fructus successive percipiendi valeant, cum multa accidere possint, ut illi fructus non nascantur, vel non solvantur: accidit maxime, ut ex natura contractus, & secluso alio pacto, periculum rei, super qua census fundatur, ad emptorem spectet, ut si absque censuarii culpa res pereat, aut fructus sufficientes non nascantur, census omnis corruat, vel parte pensionis debeat esse contentus emptor census, juxta communem DD. apud Less. *c. 22. dub. 5.* Et ratio est; quia pereunte re, perit ejus dominium directum, & utile, adeoque ususfructus: census autem realis partialis est ususfructus, ut dictum est: ergo.

II. *Et maxime irredimibilis, vel redimibilis ex parte venditoris tantum.*

Census enim realis irredimibilis re ipsa est vera, & pura 11
emptio usufructus partialis hic certe æque licita, ac emptio usufructus totalis, ut modo explicatum est. Census autem realis redimibilis ex parte venditoris tantum, scilicet cum pacto, ut quandocumque voluerit venditor, seu censuarius, possit illum restituto pretio redimere, aperte approbatur, immo illud pactum in omni censu licito requiritur a summis Pontificibus, Martino V. Calixto III. & S. Pio V. in suis Bullis. Ratio est: quia licitum est res alias vendere cum pacto redemptionis, ut scilicet ad arbitrium venditoris teneatur eas emptor revendere: ergo etiam census. Neque adest hic ullum periculum, suspicio, vel præsumptio usuræ, dummodo servetur pretium justum: non enim hic adest mutuum, sed venditio, & emptio, ut dictum est; quod vel inde patet, quia in mutuo mutuatarius obligatur reddere summam mutuatam ad præfixum terminum, vel quando mutuator juste repetit: at censuarius, seu venditor census redimibilis minime obligatur reddere pecuniam acceptam, sed solum si velit, & quando voluerit, potest illam emptori reddere, & sic censum extinguere: in quo certe emptor census tantum abest ab usura, ut potius gravetur, venditore ad arbitrium suum volente censum extinguere. Quin etiam ex se, & seclusa lege prohibente, licitum est emere censum redimibilem ad certum tempus tantum; idque duobus modis. 1. Sic, ut possit redimi intra 10. annos v. g. tantum, iis autem elapsis, census non redemptus fiat irredimibilis. 2. Sic, ut possit redimi post 10. annos v. g. & non antea. Ita Molin. *disp. 391.* Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 22. punct. 4.* Tamb. *cit. cap. 4. §. 1.* Ratio utriusque est: quia potest emi census, aut simpliciter irredimibilis, aut redimibilis ex parte venditoris, ut omnes fatentur: atqui quod licite fit per duos contractus, potest quoque licite fieri simul in uno contractu: ergo etiam licite potest emi census partim redi-

redimibilis, partim vero irredimibilis, pro diverso tempore; prout fit in istis duobus modis. Dixi tamen: *ex se, & seclusa lege prohibente:* nam certe uterque modus, cum habeat speciem quandam usuræ, vel periculum illam palliandi, prohibitus est a S. Pio V. in sua Bulla: Ubi inter conditiones ad censum licitum requisitas requirit Pontifex, ut census semper possit redimi a venditore. Ita Bonac. Rebellus, aliosque citans Lugo *cit. num.* 4. Etsi probabilem fateantur esse Sententiam Navarr. Lessii, Molinæ, volentium, primum modum non esse prohibitum. Sed quidquid sit de hoc, certum est, illam Bullam in nostra Germania non esse usu receptam, ut §. sequenti rursus necessario dicam.

III. Et probabiliter etiam redimibilis ex parte utriusque.

12 LIcitus nimirum est etiam census realis ex utraque parte redimibilis, ut scilicet possit redimi, & quando voluerit venditor, & quando voluerit emptor. Ita Medina, Conradus, Gabriel, alii, quos citant, & sequuntur Valent. cit. *disp.* 5. *quæst.* 22. *punct.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 10. Laym. *cap.* 18. *num.* 5. aliique plurimi apud Dianam *par.* 10. *tract.* 12. *resol.* 3. Ratio est eadem, quæ supra: quia aliæ emptiones licite fiunt cum pacto redimendi, & retrovendendi ad arbitrium utriusque secundum communem DD. etiam Adversariorum, ut supra suo loco dictum: atqui etiam in sensu servatur natura emptionis, & venditionis, ut supponitur; neque contractus transit in mutuum, ut mox patebit: ergo licite apponitur ei pactum redimendi, ac retrovendendi ad arbitrium utriusque. Et, cum secundum omnes, ipsosque Pontifices, licite apponatur pactum redimendi ex parte venditoris, ne nimis gravetur perpetua pensione, cur non similiter licite apponatur pactum retrovendendi ex parte emptoris, cum eo modo potius is gravari possit ob abbreviationem pensionum? *Confirmatur* ex hoc casu sequenti; quin etiam ex natura rei licitus esse potest census realis redimibilis ex parte emptoris tantum. Ex. gr. qui emit censum redimibilem solum ex parte venditoris, utpote centum aureis censum 5. aureorum annuorum, non videtur illicite agere, si post prædictum censum constitutum deinde novum paciscatur cum eodem venditore, ut is non 5. sed 4. tantum annuatim solvat, eo tamen pacto, ut ipse venditor non possit redimere dictum censum, nisi quando voluerit ipse emptor; cum enim istud onus sufficienter compensetur diminutione pensionis annuæ, non apparet hic aliqua injustitia ex natura rei: atqui rursus, quod licite fit per duos contractus, potest fieri simul in uno, nam plures contractus licitos simul exercere illicitum non esse, docent omnes ex Jure, *C. de commodat. & L.* 1. *ff. de depos.* ergo etiam primo contractu potest simul fieri pactum, ut census redimi possit ad arbitrium & venditoris, & emptoris, ideoque fiat census utrinque redimibilis. Ex quo jam vides, quando censui apponitur ejusmodi pactum gravans venditorem, debet censum emi majori pretio, seu minori pensione constituta, prout prudens vir judicaverit.

13 Contrarium tamen docent, & censum etiam ex parte emptoris redimibilem, ut usurarium, reprobant graves DD. *Sotus, Covarruvias, Binsfeldius, Canisius, Rebellus,* aliique cum Mol. *t.* 2. *disp.* 377. Quod nimirum emptor ejusmodi censUs, v. g. pro 100. 5. annuos, nihil aliud agat, quam quod det mutuo 100. florenos restituendos ad arbitrium suum eo pacto, ut interim lucretur quotannis 5. quod sine dubio est usurarium. Sed Resp. negando assumptum: quia emptor census non recipit 5. annuos ratione 100. florenorum datorum directe (quod utique usurarium esset) sed recipit ratione per illos 100. florenos empti sibi ususfructus partialis, debiti ex fundo venditoris, quos hic tali pensione redimit pecuniaria, ut supra explicatum est. Et sane hoc necessarium est admittere in emptione quacumque rei fructiferæ: nam sicut juste emis pretium, v. g. mille aureis, quamvis ex ejus fructibus per consequentes annos totum tibi pretium compensaveris, immo excesseris, duplicaveris, & adhuc tibi remanet totum prædium; idque adhuc potes juste vendere quanti emisti, scilicet mille aureis: ita etiam licite, & juste emis censum realem, quamvis pensiones solvendæ sint supra summam capitalem, eademque summa adhuc semper revendi, & redimi possit. Alioquin certe nulla res fructifera, vel ususfructus sufficienti pretio juste vendi, & emi poterit; cum semper fructus consecuturi tandem excessus sint pretium, & tamen res adhuc simili pretio vendi, & emi possit: quod valde notandum ad justitiam hujus contractus penetrandam. Verum licet hoc quoad rem ipsam, & speculative verum sit, & justum; in praxi tamen facillime subesse potest; & de facto sæpe subest usuraria intentio, ut volunt Adversarii: adeoque hunc modum emendi censum ex utraque parte redimibilem tanquam periculosum, non facile suadendum, etsi post factum tolerandum, & explicandum, recte monent omnes DD. cit. quin etiam ob eam causam in Constitutionibus Martini, & S. Pii V. & Calixti III. & in Carolina edita Augustæ Anno 1548. usurarius contractus judicatur, si census redimendi facultas emptori permittatur. Verum hoc intelligi debet non quoad rem ipsam simpliciter, quæ in foro conscientiæ licita esse potest, ut ostensum est; sed secundum præsumptionem fori externi, quæ præsumptio in foro conscientiæ cedit veritati: ut recte respondent DD. hujus probabilis Sententiæ.

IV. Etiam adjuncto pacto assecurationis.

PRobabiliter etiam defenditur census realis utrinque redimibilis, etiam adjuncto pacto assecurationis capitalis, & 14
pensionis: ita nimirum, ut si res in toto, vel in parte pereat, aut fructus non proveniat, censuarius nihilominus obligatus sit pensiones solvere, vel restituto pretio redimere. Ita supra cit. *Medina, Valentia, Lessius, Laym.* Tamb. *cap.* 4. §. 3. & communior RR. Ratio est: quia de æquivalentibus judicium esse debet *L. ult. ff. mandati.* Atqui aliis contractibus, commodato, deposito, mutuo &c. quorum natura alioquin postulat, ut periculum rei pertineat ad commodantem, deponentem, mutuatarium, licite adjici potest pactum assecurationis contrarium: ut nimirum periculum rei commodatæ pertineat ad commodatarium, ut habetur *c. un. de Commodat.* periculum rei depositæ ad depositarium *L.* 1. *ff. depositi:* periculum rei mutuatæ ad mutuatorem, ut supra suo loco dictum: ergo etiam contractui censuali ex utraque parte redimibili, etsi is ex natura sua postulet, ut periculum rei, in qua fundatur census, ad emptorem spectet, ut dictum est, recte tamen apponi potest pactum contrarium assecurationis, ita ut si res in toto, vel in parte pereat, aut fructus non proveniant, non damno emptoris, sed venditoris accidat, isque nihilominus obligatus sit censum solvere, vel restituto pretio redimere, aut super alia re fructifera compensare, dummodo ista obligatio satis gravis creditori compensetur, aut augendo pretium, v. g. dando plus, quam 100. pro 5. aureis, aut minuendo pensionem, accipiendo minus, quam 5. pro 100. ut in simili supra notatum. Auctoritas, & ratio in contrarium est eadem, quæ supra soluta est *num.* 13.

Ex dictis resolvi poterit, quid sentiendum de aliis quibusdam pactis censui, præsertim reali, adjungi solitis. Nam I. 15
Censui reali licite adjungitur pactum commissorium, ut scilicet, si censuarius pensionem non solvat intra certos annos, v. g. sex, res censui subjecta cadat in commissum, & fiat emptoris census, dummodo tres conditiones adsint. 1. est, quod venditor, seu censuarius culpa sua pensionem non solverit, cum tamen potuerit: nam alioquin cessante culpa cessare debet & pœna, præsertim tam gravis. 2. Conditio, ut pœna proportionetur culpæ: non enim potest pro exigua pensione non soluta, cadere in commissum prædium magni valoris (qua ratione multi apud Bonac. supra, hoc pactum injustum censent, & merito) sed judicio prudentis æqualitas decernatur. 3. Conditio, ut pro onere talis pacti, quo gravatur venditor, augeatur pretium, aut diminuatur juxta modo iterato dicta in simili. His conditionibus positis, nulla ex ullo capite apparet injustitia, seclusa semper lege prohibente: & approbat Tolet. *lib.* 5. *c.* 48. & ex eo Tamb. *cap.* 4. §. 4. *n.* 1. II. Eadem ratione censui reali (immo & personali, si licitus sit) juste apponitur pactum rescissorium: ut scilicet, si infra duos, vel tres annos censuarius pensionem non solvat, teneatur emptori, rescisso contractu, restituere totum pretium; neque ob hoc pactum oportet augeri pretium, ut ex *Medina* observat Tamb. *ib.* §. 5. Ratio est: quia de jure naturæ est, ut reddas mihi meum pretium, si tu non vis servare contractum, & solvere id, quod ego pretio illo emi. III. Censui etiam redimibili cuivis reali, & personali juste apponitur pactum, ut is non possit redimi a censuario per partes, sed tantum totus, totum scilicet pretium simul restituendo, v. gr. meos mille, quibus ego a te emeram censum annuorum 50. Communis Doctrina cum Tolet. *lib.* 5. *cap.* 45. Lessio *lib.* 2. *c.* 22. *n.* 73. Tamb. *cit. c.* 4. §. 6. Ratio est: quia etiam ex se, & secluso tali speciali pacto id postulat ipsa natura retrovenditionis, ut nimirum redimens pretium totum, & non per partes successive restituat emptori: alioquin enim cederet in ejus damnum, qui partiali tantum pecunia non poterit id præstare, quod posset tota pecunia simul reddita: interim tamen certum est, posse censui etiam apponi pactum oppositum, ut scilicet possit redimi per partes successive: hoc enim pactum, cum cedat in favorem venditoris, & gravamen emptoris, ab omni specie usuræ alienum expresse approbant dicti Pontifices Martinus, & Calixtus, per quod tamen non reprobant etiam prius pactum contrarium. IV. Pactum autem appositum censui redimibili reali, vel personali, ut redimatur in eadem præcise moneta, aut e contra in diversa, & meliori moneta, per se, & absolute esse illicitum late docet Lessius *lib.* 2. *c.* 22. *dub.* 8. Est enim utrumvis magnum gravamen venditori, cui satis esse debet, quæcumque bona, & æquivalenti moneta censum redemptum solvere. Justum autem evadet ejusmodi pactum, si ita exigat lucrum cessans emptoris: si istud onus venditori aliunde compensetur augmento pretii, aut diminutione pensionis: Item si sit æquale periculum, quod crescat, vel decrescat valor talis monetæ: tunc enim accedit novus contractus sortis, ideoque etiam post Bullam S. Pii V. receptam licitum esse non est dubium. Vide Lugo *cit. disp.* 37. *sect.* 2.

§. III.

§. III. Justitia Census personalis.

ASSERTIO II.

16 *PRobabilissime quoque licitus est census personalis super personæ industria collocatus, maxime irredimibilis, ac redimibilis ex parte venditoris tantum : etiam redimibilis ex utraque parte ; etiam adjuncto pacto assecurationis, spectando præcise rei naturam ; licet ubique subsit periculum usurariæ intentionis : ideoque merito prohibitus per Bullas Pontificum*. Explico, & probo eodem ordine.

I. *Licitus est census personalis absolute.*

17 ITa Abbas, Gerson, Sotus, Medina, Conradus, Binsfeldius, Covarruvias, Bannes, Aragonius, aliique complures, quos citant, & sequuntur Valent. *cit. punct.* 6. Less. *cit. c.*22. *dub.*4. Lay.*cit.c.*18. *n.*7. Tamb.*cit. lib.*9.*de contr.tr.*2.*c.*2. §.1. Ratio fundamentalis a Lessio assignata est: quia sicut Dominus prædii in censu reali potest vendere alteri juste ementi jus partiale percipiendi fructus sui prædii, & postea tenetur per se, vel successores suos bona fide prædium colere, ut fructiferum maneat sufficienter ad pensiones solvendas : ita sane eadem ratione quilibet homo industrius negotiatione, opificio, potest vendere jus saltem partiale percipiendi fructus, & lucra suæ personæ, & industriæ, obligando se, & suos successores ad eam diligentiam, & industriam personalem adhibendam, qua sufficienter lucrentur ad eam pensionem domino solvendam: siquidem non minus, quam dominus fundi, habet jus percipiendi fructus sui fundi, etiam homo quivis industrius habet jus percipiendi fructus, & lucra industriæ suæ, & utrumque jus est pretio æstimabile, consequenter utrumque juste vendi, & ab alio debito pretio juste emi poterit ; atque adeo, sicut census realis est jus percipiendi partem fructuum, seu redditum annuorum ex fundo alterius emptione comparatum, ita census personalis erit jus percipiendi partem annuorum lucrorum, & quasi fructuum industria alterius emptione comparatum : ergo sicut omnes censemus censum realem esse licitum, quia per illum emitur jus ad percipiendos fructus ex alterius re fructifera, prædio, agro, vinea, piscina &c. ita etiam censere debemus censum personalem esse licitum, quia per eum emitur jus ad percipiendos fructus industria alterius, quod scilicet homo sua arte, vel opera producere potest. Confirmatur efficaciter. Nemo negat, quod super personæ industria constitui possit obligatio solvendi partem aliquam lucrorum annuorum ; ita enim constituuntur decimæ personales in Jure Canonico *c. Apost. & c. pastoralis tit. de decimis*. Item tributa, quæ Magistratui penduntur proportione lucrorum annuorum : res nota, & patet etiam *lib.* 2. *Esdræ c.* 10. Atqui nihil obstat, quin talis obligatio emi, ac vendi possit, perinde ac alia jura, debita, servitutes &c. Et sane mirum est, si hoc anno obligaris solvere partem lucrorum annuorum Magistratui, non posses altero anno similem obligationem alteri pro pretio vendere : hoc ipsum vides fieri in censu personali : ergo &c.

18 Confirmatur, & declaratur amplius dissolvendo fundamentum oppositæ sententiæ : contrariam enim sententiam omnino communiorem tenent *Innocentius*, *Hostiensis*, & alii Canonistæ, *Nav. S. Antoninus*, *Lopez*, *Angelus*, *Sarmento*, aliique plurimi, quos citant, & sequuntur Molin. *to.* 2. *disp.* 27. *sect.*2. §. 1. *n.* 25. docentes, eum contractum omnino esse usurarium, & injustum : fundamentum est, quod in hoc censu personali nihil aliud vendatur, & ematur, nisi ipsæ pensiones solvendæ, quæ quia successu temporis pretium excedunt, quod insuper in censu redimibili restituendum est, omnino contractum usurarium efficiunt ; interveniente scilicet mutuo virtuali, vel implicito : nihil enim aliud agitur, quam quod v. gr. 100. floreni mutuo dentur, solvendi per partem annuatim usque ad excessum : insuper in censu redimibili, salvo, & restituendo capitali, neque aliud assignari potest, quod hic vendatur, & ematur : ergo &c. Sed commode respondetur ut supra, negando assumptum : non enim hic venduntur, & emuntur ipsæ pensiones futuræ, ut bene convincunt Adversarii, neque ipsæ operæ hominis industrii, ut late, & optime probat ipse *Lugo ibid.* Sed venditur, & emitur jus percipiendi illas pensiones, vel potius actuale illud jus partiale, quod habet homo industrius ad percipienda lucra, seu fructus industriæ suæ in futurum, alio scilicet admixto contractu implicito commutandi lucra illa futura incerta, majora, vel minora in certam mediocrem pensionem annuam, ut in simili de censu reali supra declaratum est. Adeoque (ut optime explicat noster Petrus March. *Trib. p.* 2. *tr.*7. *tit.* 5. *sect.* 7. *dub.* 2.) census ille, & pensio danda non fundatur super ipsa pecunia accepta modo usurario, sed per pecuniam tanquam instrumentum emptionis fundatur super personæ industria suos fructus, vel lucra partialiter vendentis. Ex. g. Artifex præsertim operis sumptuosi non habet unde artem suam exerceat, do illam summam pecuniæ cum onere, ut mihi solvat partem lucrorum, vel eorum loco pensionem certam annuam provenientem ex arte, & industria : hic mea pecunia data solum est instrumentum emptionis, qua ego emo jus illud percipiendi redditus, quod jus immediate fundatur super hominis industria : nullum ergo hic intervenit mutuum, præsertim si census sit irredimibilis, vel redimibilis ex parte solius venditoris, ut scilicet emptori non liceat pro suo arbitrio revocare sortem : mutuator autem semper, & omni casu mutuatam sortem repetere potest. Neque hic aliqua intervenit inæqualitas, quod cumulus pensionum in futurum excedat sortem, & pretium datum ; quia, ut dictum, non emuntur ipsæ pensiones illæ, sed jus partiale hominis industrii ad fructus, & lucra sua : semper autem emitur minoris jus ad fructus futuros, quam illi fructus omnes futuri, si semel existerent, valerent, ut de se patet ; siquidem nemo est, qui præsentes 20. aureos non pluris æstimet, quam jus percipiendi unum aureum successive per singulos annos. Accedit etiam periculum non recipiendæ solutionis, quod raro abesse potest per tot annorum decursus : & quantum est ex natura contractus, emptor semper incumbit periculo amittendi census, si cessante hominis industria, nulla lucra, seu redditus proveniant ex opificio, vel negotiatione. Et sane magis securus est census realis in amplo fundo fundatus, quam census personalis fundatus super industria, & lucris personæ : ergo si in illo non obstat, neque in hoc obstare debet, quod pensiones in futurum percipiendæ pretii quantitatem superabunt. Confirmatur a simili de eo, qui donat alteri mille aureos pro annua sustentatione ad vitam : hic, non obstante, quod diutius vivens plus recipiat, quam donarat, tamen securus est, ut docet etiam Navar. *lib.* 3. *consil.* 1. *de donat.* Idem omnino est in proposito.

Dices cum Navarro : Pontifex Martinus V. Calixtus III. 19
& S. Pius V. tantum dixerunt, census reales esse licitos ; ergo census personales reprobarunt. *Resp. negando consequentiam* : Pontifices enim non quidem approbarunt, non tamen etiam reprobarunt, vel negarunt census personales esse licitos : sed tantum dixerunt licitos esse census reales, de quibus fuerunt interrogati, ut observavit Valent. *l. c.* Sed instas : Atqui Pontifices in suis Bullis semper requirunt, census debere constitui in re immobili fructifera : ergo non potest negari, census personales propter fraudis, & usuræ præsumptionem esse prohibitos jure Pontificio. *Resp.* concedendo totum : eo ipso tamen, quod prohibitio ista fundetur in præsumptione fraudis, & usuræ, si hæ vere consideratis omnibus absint, prout revera abesse possunt, ex natura rei, & in foro conscientiæ licitus manebit contractus ; cum præsumptio debeat cedere veritati : nam in foro fori Judex debebit judicare juxta prædictum jus Pontificium, ubi nimirum Bullæ, & constitutiones istæ Pontificiæ receptæ sunt: revera autem in nostra Germania in eo rigore non esse receptas, non est dubium apud DD. saltem in nostra Germania scribentes.

II. *Maxime vero irredimibilis, & redimibilis ex parte solius venditoris.*

QUod si ergo natura sua licitus sit census personalis, 20
utique maxime licitus esse debet census irredimibilis, & redimibilis ex parte venditoris, seu censuarii tantum : hi enim maxime absunt a specie usuræ, & ipso mutuo, quod semper restituendum est, ut jam supra notatum, talesque soli census reales per Pontifices approbantur, ut §. *præced. n.* 11. visum. Census autem personalis redimibilis ex parte solius emptoris, scilicet cum pacto, ut tunc solum possit redimi, quando voluerit emptor, & non quando voluerit venditor, seu censuarius, siquidem hoc tantum onus venditori juste compensetur ab emente, v. g. diminutione pensionis, etsi in rigore speculativo non videatur injustus, vel usurarius eadem ratione, qua supra de censu reali §. 2. *n.*12. dictum est: attamen propter nimium usuræ periculum, ac intentionis usurariæ præsumptionem quasi violentam in praxim nullo modo esse deducendam, recte monet Valent. *q.*25. *punct.* 2. ubi testatur, nullum Doctorem tale pactum in censu mere personali concessisse.

III. *Etiam redimibilis ex utraque parte.*

PRobabiliter etiam licitus est census personalis ex utra- 21
que parte redimibilis: etsi periculo non careat usurariæ intentionis. Ita contra communiorem omnes DD. cit. §. *præced. v.* 12. Et ratio est eadem : quia scilicet nihil obstat, quominus sicut in aliis emptionibus omnibus, ita etiam in emptione census personalis (posito, quod licitus sit absolute) juste apponatur pactum, & redimendi jus ad arbitrium venditoris, & revendendi ad arbitrium emptoris, ut paria utriusque contrahentis jura sint, dummodo hoc casu majus onus impositum venditori ab emptore compensetur, vel augendo pretium, vel diminuendo pensionem, ut in simili superius jam dictum. Unde de hoc plura apud Lessium *cap.*22. *dub.*9. & *Laym. cit. num.* 9. Et aliquid infra notabo quoad pretium.

Adversarii ut supra volunt, hic intervenire usuram, & mu- 22
tuum virtuale, quasi pensiones interea solum accipiantur ratione capitalis pecuniæ postea ad arbitrium dantis restituendæ. Sed negatur assumptum : accipiuntur enim pensiones non ratione pecuniæ datæ, sed ratione per pecuniam empti juris supradicti percipiendi partem lucrorum annuorum talis hominis in-

dustrii, quod jus ad arbitrium utriusque est redimibile reddito, & recepto pretio: non ergo hic intervenit mutuum, quod vel inde suadetur: quia mutuum cuivis personæ dari, & omni casu repeti potest: census autem iste personalis utrinque redimibilis tanquam fundamentum requirit personæ industriam, & lucrandi facultatem; quo sublato fundamento, si nimirum mercator, vel opifex sine sua culpa nullum pluribus annis lucrum capiat, aut negotiatione, vel opificio spolietur, aut alias impotens fiat, quantum est ex natura rei, corruit census personalis, ut neque pensiones exigi, neque capitale repeti possit, nisi alio pacto adjecto assecurationis fulciatur, de quo jam jam.

IV. *Etiam cum pacto assecurationis.*

23 PRobabiliter etiam defenditur, & toleratur census personalis utraque ex parte redimibilis adjecto pacto assecurationis, ut periculum maneat penes venditorem, nimirum, ut quamvis venditor quacumque causa nihil lucretur, nihilominus pensionem solvere, vel restituto pretio censum redimere cogatur. Ita DD. iidem *cit.* §. *præced. num.*12. *&* 13. Ratio est: quia etiamsi ab hoc contractu personali multi viri docti magis abhorreant, quam a reali, quod magis præseferat speciem usuræ: siquidem in eo, perinde ac in mutuo, persona immediate obligetur: in reali autem censu obligatio inhæreat rei, atque inde in personam tendat: attamen rem ipsam attente considerando, eadem videtur esse ratio de utroque: nam pactum assecurationis, ita conceptum in censu reali, ut, quamvis res pereat, nihilominus persona una cum hæredibus ejus obligata sit, facit censum virtute personalem, & quasi mixtum ex reali, & personali, quippe utriusque commodo participantem, adeoque actionem & realem, & personalem tribuit, ut recte notat Less. *cit. c.* 22. *dub.* 11. ergo si in censu reali potest, etiam in censu personali licite poterit apponi pactum assecurationis. Confirmatur hoc specialiter: de æquivalentibus idem judicium esse debet *L. ult. ff. mandati*: atqui in re ipsa, & effectu omnino æquivalentes sunt hi duo contractus: unus societatis, quo mercatori ad negotiandum das mille florenos cum pacto assecurationis lucri, & capitalis, ut scilicet sive lucretur, sive damnum patiatur, annuum tamen lucrum solvere teneatur, restituto insuper capitali, cum tibi, vel ipsi contractum dissolvere placebit: alter hic census, quo 100. florenis emis a mercatore, vel opifice jus percipiendi 5. annuos ex ipsius redditibus, seu lucris annuis reddendos, etiamsi nullum lucrum capiat, insuper restituto capitali, cum tibi, vel ipsi censum redimere placuerit: vides hic omnimodam æquivalentiam inter hos duos contractus: atqui prior contractus ut justus, & licitus defenditur a communi DD. *cit.* ut patebit infra sect. 3. ergo & posterior contractus tali forma institutus jure defendi, & tolerari poterit, non obstante specie aliqua apparentis usuræ. Denique contractus in aliqua Regione celebrari solitus, præsertim a viris doctis, & honestis, licet dubii, & obscuri juris sit, atque usuræ quandam speciem præseferre videatur, non tamen ideo injustus, vel usurarius censeri debet, ut cum *Bartolo*, *Tiraquello*, aliisque docet ipse Navar. *lib.* 1. *consi.* 4. Atqui passim in Germania etiam a viris doctis, & probis instituitur census iste utrinque redimibilis cum pacto assecurationis; unde & passim vocari solet census Germanicus: ergo cessare debet præsumptio usuræ. Addit Laym. *ibid. cap.* 28. *n.* 12. adeo contractum illum in iis Regionibus invaluisse, ut sine maxima negotiationum, & commerciorum jactura tolli non posse videatur.

§. IV. *Advertentia notabilis circa Justitiam census personalis, vitalitii, Germanici.*

24 I. CEnsus personalis ut justus, & licitus sit, pro fundamento requirit personam industriam, & lucrari potentem, indeque habentem annuos redditus, seu lucra, ex quibus nimirum annuæ pensiones solvendæ sunt: atque adeo omnis census utrinque redimibilis maxime cum pacto assecurationis simpliciter usurarius est, si constituatur, vel continuetur cum persona non habente annuos redditus, sive ex fundo, sive ex propria industria per negotiationem, opificium, laborem. Certissimum apud omnes. Ratio est clara: quia tunc reipsa nihil aliud fit, quam quod alicui mutuo dentur 100. v.g. cum pacto, ut propter sortem salvam aliquando restituendam, annuum auctarium solvat, nullo alio habito fundamento auctarii illius præter ipsam pecuniam mutuo datam, quantumvis sub specie, & nomine emptionis census occultetur, & palllietur: adeoque est verissima, & mere usura palliata, sub pari nomine. Vide hujus exempla supra suo loco data, v. gr. de emente vaccam a non habente, eique locante: ergo tandem semel concesso, contractum censualem sine ullo rerum, vel personarum discrimine licere, uno quasi ictu succisa erit omnis usura divino, & humano jure tam severe prohibita.

25 II. Excipe tamen speciale quid supra §. 1. præmissum de censu vitalitio. Census enim vitalitius, sive realis sit, ut do tibi 100. aureos, ut mihi de fructibus tui prædii, donec vixeris, vel donec ego, vel meus filius vixerit, des mihi quotannis ex lucris tuis quibusvis quinque; uterque is census est justus, & licitus; etsi persona illa interea nequaquam esset fructifera ex re, vel industria sua: ut post alios recte observavit Tamb. *hic tr.*2. §. 2. *n.* 3. Ratio specialis hujus est: quia justitia hujus contractus non innititur principaliter in eo, quod ematur jus percipiendi fructus, vel lucra, sed potius in contractu sortis, in quo æqualiter contrahentes exponunt se periculo lucri, & damni, cum mors nimis incerta sit: sic enim ita contrahant secum: do tibi 100. nunquam auferenda, ut quamdiu vivis, vel ego vivo, des mihi annua quinque, immo octo, decem: nonne potest contingere, ut æqualiter vel ego, vel tu, prout longius, vel brevius vixeris, lucrum, vel jacturam faciamus? Unde ejusmodi censum vitalitium etiam post Bullam S. Pii V. receptam, posse licite celebrari contra Molinam docent Lopez, Rodriquez, eosque citans Tambur. *ibid. n.* 4. nam Pius Papa non videtur prohibuisse ludum sortis, sed contractum illum personalem, qui fundatur in fructibus, vel operibus solius personæ.

III. Atque juxta hactenus probabiliter dicta per emptionem census personalis utrinque redimibilis cum assecuratione capitalis, & lucri, secluso omni interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, per se salvari posse videtur usitatissimus ille in Germania, immo modo in toto fere orbe, contractus accipiendi 5. pro 100. salvo capitali (ut supra *cap.*4. *sect.*3. *de usura in fine* notatum habes) ut nimirum census iste Germanicus in eo differat a mutuo usurario, quod contractus mutui cum quacumque persona recte instituatur, sine ullo ordine ad aliquod certum requisitum fundamentum in re, vel ipsa persona; adeoque quidquid secluso alio justo titulo ultra sortem exigitur, & recipitur, exigitur, & recipitur præcise ratione istius pecuniæ mutuatæ, sicque pecunia minori emitur ipsa pecunia major, vel auctior, quod propriissime usura est; at vero contractus noster censualis necessario requirit certum fundamentum in re, vel persona scilicet fructus rei, vel industriam personæ, ratione cujus ipsemet homo habet jus percipiendi fructus suæ rei, vel lucra industriæ suæ, quod ipsum jus partialiter saltem emit censualista: ideoque pensiones annuæ non dantur ratione pecuniæ datæ in se, sed ratione juris percipiendi fructus, vel lucra, ab altero illa pecunia empti, quod jus, eadem pecunia reddita, & recepta, redimi, & retrovendi potest, sicut in aliis emptionibus: illo autem fundamento penitus ruente, ut si venditor, vel censuarius nullos amplius annuos redditus habeat, necessario etiam ruit contractus censualis, seu jus percipiendi pensionem, quamvis ob adjectum assecurationis pactum sors adhuc repeti queat. Hæc speculatio vera est. Sed quam vereor, ne sit speculatio mera! praxis autem rarissima de facto: cum experientia doceat ex mille vix unum habere talem intentionem: ubi enim notitia tali modo emendi census? Fatemur ergo semper contractum esse periculosum, & proximam usuræ speciem præseferre; nihilominus tamen concedi nobis volumus revera ita posse fieri. Quare per omnem modum huc refert, quod supra *de usura sect.* 3. §. 4. *a num.* 105. probabiliter docuimus, eum scilicet, qui fecit contractum mutui, v.g. explicite tantum injustum, ac usurarium, implicite tamen justum ob bonam fidem, & potentiam facile contrahendi alio modo justo, non esse condemnandum peccati, neque ad restitutionem lucri jam percepti obligandum. Jam breviter esto 26

IV. *Applicatio census Germanici saltem implicite justi, & liciti.*

QUisquis habito delectu personæ habentis bona fructifera, vel industria fructifera, sciens in confuso, esse aliquos modos, & titulos justos per contractum ejusmodi lucrum capiendi, nimirum quinque pro centum salvo capitali, hoc ipso, quod viros doctos, & probos ita contrahere videat, etsi ignorans, vel non determinans hic, & nunc singularem titulum aliquem (utpote lucri cessantis, damni emergentis, emptionem census, contractum societatis &c.) solum bonorum virorum exemplum secutus, generali quadam intentione, consentiente altera parte, vult lucrari illa quinque annua alio aliquo titulo, quoquo tandem justo, quo fieri potest, & ab aliis fit, dum sic consideratis circumstantiis revera aliquo ex dictis modis noster census personalis modo explicatus subsit, vel subesse possit, putandus est talis, eo ipso modo justo voluisse contrahere, saltem implicite ex vi generalis illius intentionis contrahendi aliquo modo licito, & contrahendo non peccandi; ideoque tolerandus est; nam intentio implicita idem operatur quod expressa. *Arg. Legis*, *cum tributum ff. si certum petatur*. Ita Valent. *cit. disp.* 5. *q.* 25. *p.* 2. testans, ita judicatum esse Romæ a gravissimis Theologis in disputatione hac super re instituta. Less. *cap.*20. *n.*106. *&* *cap.* 22. *n.*62. Laym. *cit. cap.* 18. *nu.* 13. & RR. communiter. Jam vides, quamvis paucissimi habeant, vel sciant illum modum contrahendi censum personalem utrique redimibilem cum assecuratione capitalis; sed si simpliciter velint contrahere, tamen in illa generali intentione contrahendi aliquo modo justo, etiam involvere illum ipsum modum; cum sine dubio intendant illud lucrum aliquo modo juste acquirere, ideo & a peccato, & restitutionis obligatione absolvendi sunt. Et certe si simplices, ac rudes fide aliorum exempla secuti, ita pecunias concedant, ut ultra sortem pro arbitrio 27

repe-

repetendam, illos 5. recipiant, & de facto receperunt, consentiunt omnes, non esse obligandos ad restituendum.

28 At, quid si consideratis omnibus nullus revera justus titulus lucrum illud capiendi inveniatur? Resp. tunc cogendum esse ad rescissionem contractus, & restitutionem usuræ, seu lucrorum, quatenus tenetur possessor bonæ fidei; nimirum quantum de ejusmodi lucro possidet, vel quantum ditior factus est. Scio, aliquos tandem recurrere ad jus Cæsareum, & Leges Civiles tale lucrum concedentes, cum sine dubio auctoritas publica dominio alto in bona subditorum ob bonum commune possit facere ex meo tuum, prout fit in Lege præscriptionis, & aliis; sed plane obsistit Jus Canonicum, ut supra. Quare ex dictis non sequitur, nullam unquam fore usuram, nam præterquam quod per omissionem ejusmodi generalis intentionis, vel malitiam contrahentium sæpe contractus usurarii fiant, quantumcumque bona fide prædicto modo contractus justus sit, tamen potest subesse usura materialis, nullo scilicet subsistente justo titulo, quo comperto, & bona fide cessante, transibit in usuram formalem.

29 Quapropter Jacob. Marchant. doctus, pius, & zelosus Auctor *Resol. Pastor. cap. 7.* recte reprehendit Pastores, ac Concionatores, qui nimis vehementer in publico invehuntur in eam pensionem accipiendi 5. pro centum; cum expresse constet, inde non sequi fructum, sed potius tumultum, & conscientiarum perturbationem, ideo potius homines relinquendi sunt in bona fide, & opinione sua suasibili, etsi non omnino tuta, cum melius sit peccare materialiter tantum, excusante bona fide, quam etiam formaliter, inculcata tali notitia. Interim, ait, Confessarios super hoc interrogatos teneri aperire, & ostendere, vel injustitiam, vel periculum illius contractus, & modos licitos explicare. Supponimus autem semper, quando census sive realis, sive personalis constituitur sic onerose venditori, nimirum, ut sit ad arbitrium emptoris redimibilis, & insuper cum pacto assecurationis, ut justus sit, debere venditori compensari illud onus augmento pretii, aut diminutione solutionis. Jam quæris cum Nicodemo: quomodo possunt ista fieri? Et ego dico tibi, mi gravate censuarie, jam factum est ita: nam ecce pro censu reali, & personali utrinque redimibili cum pacto assecurationis, adeoque etiam pro censu Germanico in nostra Germania receptissima consuetudine justum lucrum censetur unus pro 20. 5. pro 100. 50. pro 1000. Unde si census constituatur sine ejusmodi pactis censuarium gravantibus, utpote irredimibilis, vel redimibilis ex parte venditoris tantum, juxta Bullas Pontificum juste minori pretio emi, vel eodem pretio major pensio constitui poterit, utpote 6. immo 10. pro 100. Idque justissime: quis enim industrius non duplo tantum lucretur ex 100.? Certe Bullæ Pontificum admittunt in Italia, & Sicilia generaliter 7. pro 100. immo aliquando 10. vel amplius pro 100. Vide Tamb. in citatas Bullas *lib. 9. tract. 2. cap. 5.* Hoc ergo tibi solatii sit tali censu gravate censuarie, quod si venditores emerent a te census a Pontificibus permissos, nimirum ex parte tua tantum redimibiles, & sine pacto assecurationis, ad minimum deberes dare 7. vel 8. pro 100. modo das tantum quinque. Unum, aut alterum dubium restat.

Dubium primum.

De Emptione census jam constituti.

30 Celebris est quæstio: an census possit emi minori pretio, quam fuerit ab initio constitutus? v. g. tu emisti censum quinque aureorum communi pretio 100. aureis, possumne ego a te emere eundem censum minori pretio, v. gr. 90. vel 80. tantum, vel adhuc minoris? Resp. quod sic, saltem quando pretium census non est taxatum a Principe, vel Magistratu. Communis cum Less. *lib. 2. c. 22. n. 47.* Ratio est: quia census jam non constitutus ita emendus habet se per modum mercis, cujus pretium non consistit in indivisibili, sed sæpe quod emptum est pretio summo, rursus juste venditur, & emitur pretio infimo. Accedit, quod sicut in aliis mercibus, ita etiam in censibus pretia crescant, & minuantur juxta copiam, vel paucitatem emptorum, & præsertim merces ultroneæ vilescant in tertia parte. Unde Diana *p. 2. tr. 8. resol. 36.* merito excusat eum, qui valde rogatus emit censum 10. aureorum annuorum 80. aureis tantum; cum tamen alias debuisset emere 100. aureis, & amplius. Vide dicta *cap. præced.* De Vendit. Dixi *saltem, quando pretium census non est taxatum.* Nam supposito decreto Principis taxante pretium census, cum consistat in indivisibili, præteriri nequit. Navar. *c. 23. n. 91.* Mol. *disp. 393.* Less. *cit. n. 45.* Contra tamen adhuc posse minoris emi, docent alii non pauci cum Diana cit. & Tamb. *c. 3. n. 11.* Ratio est: quia decretum, seu lex statuens certum pretium censibus, intelligitur de censu, quando primo constituitur, & fundatur, ac emitur, in gratiam primi venditoris, ac fundatoris census: non vero, quando jam antea constitutus postea venditur, & emitur: cum hic non militet eadem ratio: adduntque DD. iidem id in praxi ubique fere sic esse receptum.

Dubium Secundum.

De ficte volente redimere censum.

Titius omnino carens animo redimendi censum, immo etiam carens pecunia ad redimendum censum, fingit tamen se velle redimere censum a Petro, cui v. g. debet annuos 5. pro 100. in debito aliquot millium, sed eo fine, ut eo metu inductus Petrus remittat, & diminuat de pensione, accipiatque deinceps 4. vel 3. tantum pro 100. atque ita consentiens, ut census maneat, sed cum diminuta pensione. Quæritur jam, an Titius peccet contra Justitiam cum onere restitutionis integrarum pensionum? Respond. quod sic: Ex communi Lugo *disp. 22. n. 171.* Tamb. *cit. tr. 2. c. 6. §. 9.* Ratio est: quia licet tu habeas jus redimendi censum, quandocumque tibi placuerit, attamen cum nunc eo jure nolis, immo non possis defectu pecuniæ, plane dolose agis, dolo dante causam adæquatam contractui diminutionis census: atqui quando dolus contrahentis dat causam contractui, contractum esse invalidum, aut certe rescindendum, nimis certum est ex dictis suo loco: ergo sic peccas contra Justitiam, & obligaris ad restitutionem, seu rescissionem hujus dolosi contractus, denuo solvendo integras pensiones. 31

Dices. Si juste Titius posset accusare, vel punire Petrum de aliquo crimine, idque ei comminetur, etsi sine animo exequendi, adhuc juste potest ab eo accipere, & retinere pretium proportionatum, ne accuset, vel puniat, non obstante eo metu incusso, & fictione Titii: ita enim docent *Sanch. Lessius, Castro-Pal. Diana* apud *Lug. cit. ibid.* qui probabile censet, eo quod Titius in gratiam Petri privet se jure, & potestate sua eum accusandi, vel puniendi: ergo saltem DD. idem dicent in nostro casu. Respondeo. Negando consequentiam: nam qui finxit se velle accusare, potest accusare, & juste quidem, ut supponimus: hanc ergo potentiam, & jus suum vendit, & vere aliquid remittit; quare hic contractus non fundatur in dolo, sed subsistit in hac potentia, & jure, quod venditur; at vero, qui fingit velle redimere censum, cum tamen redimere vere nec velit, nec possit, nihil vendit, nec remittit, pro illa diminutione pensionum: quare totus contractus diminutionis census innititur mero dolo: quod si autem redimere revera & posses, & velles, jam non esset dolus, vel fictio, nec consequenter injustitia in eo contractu. 32

SECTIO II.

De Cambiis.

SUMMARIUM.

33 *Cambium quid.*
34 *Aliud reale, aliud siccum.*
35 *Aliud manuale, vel minutum: aliud locale, vel per litteras.*
36 *Cambium reale, manuale, & locale per se licitum, & justum est.*
37 *Cambii manualis tituli justi quatuor.*
38 *Cambii localis titulus triplex.*
39 & 40 *Defenditur praxis nuntiorum.*
41 *An Campsor dans hic pecuniam Campsario, recepturus eam alibi in loco distanti, possit quid exigere ultra sortem.*
42 *Quid de praxi Francofurtensi.*
43 *Quodnam sit, & censeatur pretium, vel auctarium justum in cambio.*
44 *Quibus modis hic peccari contingat.*
45 Usque ad num. 50. *Resolvuntur varia de cambiente pecunia aliena.*

Cambium dicitur, & definitur: *Permutatio pecuniæ pro pecunia:* differentia ab aliis contractibus per se manifesta est: specialiter autem a mutuo differt, quod cambium sit vera permutatio unius pecuniæ pro alia pecunia tantum, necessario interveniente aliqua diversitate, vel quoad ipsam pecuniam, vel quoad locum, & non perficitur, nisi facta utrinque traditione pecuniæ, quæ etiam eodem tempore fieri potest. At vero mutuum non est permutatio, sed nuda traditio pecuniæ, nec solius pecuniæ, sed cujusvis alterius rei mobilis functionem recipientis, ut statim fiat alterius, & alio diverso tempore postea tantumdem ejusdem generis, & qualitatis restituatur, quomodocumque fiat: nam necessario requiritur diversitas pecuniæ in specie, vel quoad locum, adeoque differunt cambium, & mutuum quoad materiam, formam, & tempus, ut intuenti patet. Porro ne in terminis hæreas, is, a quo petitur cambium, ut scilicet pecuniam permutet, dicitur *campsor* (alias etiam Nummularius, Argentarius, Mensarius, Trapezita, Cambista.) Is vero, qui cambium petit, & ad cujus petitionem alter pecuniam commutat, dicitur *Campsarius*, quemadmodum in aliis contractibus, qui donum, legatum, mutuum, commodatum, depositum accipit, dicitur donatarius, legatarius, mutuatarius, commodatarius, depositarius, &c. Duæ sunt præcipuæ divisiones cambii, in reale, & siccum, & in manuale, & locale. 33

34 II. *Cambium reale, & siccum*. Cambium *reale* dicitur, cum re ipsa una pecunia pro alia quoad rem, vel locum commutatur, ut aurea cum argentea, præsens cum absente; idque ita, ut subsit justus titulus aliquid inde lucrandi, ut mox assignabitur. Et hoc dividitur in manuale, & locale. Cambium *siccum* dicitur, quo pecunia pro pecunia datur absque ulla alteratione rei, loci, vel circumstantiarum, adeo ut absit omnis justus titulus lucri, vel auctarii inde capiendi; inde enim dicitur siccum, quod careat vero titulo, & quasi humore fœcundo pariendi, & proferendi justum lucrum, est enim non re ipsa, sed apparenter tantum cambium; re ipsa autem est verum, & merum mutuum, indeque sumptum lucrum, vera, & mera usura. E. g. Si alicui pecunias numeres Herbipoli, ut postea restituantur Venetiis cambiali cum incremento ad illum locum; ubi tamen scis accipientem non habere pecunias, nec correspondentem, seu factorem, adeoque credis pecuniam eodem loco priori postea restituendam esse. Vides, hic est ficta species cambii, revera mutuum merum cum usurario auctario. Vide Bullam Pii IV. apud Navarr. *c.* 17. *n.* 200. quem citat Lugo *disp.* 28. *sect.* 8. *nu.* 107. ejusmodi cambia sicca rigide damnantem. Secus tamen esset, si bona fide dedisses hic pecunias, existimans alterum alibi habere pecunias: tunc enim alter contractui tenebitur, alias illi non dedisses, ut ex communi notant Molina *disp.* 404. *num.* 13. Laym. *cap.* 19. *num.* 10. aliique passim.

35 III. *Cambium manuale, vel minutum: & locale, vel per litteras*. Cambium *manuale*, vel *minutum* dicitur, quo pecunia unius speciei, vel materia permutatur cum pecunia alterius formæ, vel materiæ, utpote major cum minori, vetus cum nova, patria cum extera, Bavarica cum Franconica, Germanica, seu potius Suevica cum Gallica, aurea cum argentea; & dicitur hoc cambium *manuale*, quia de manu ad manum eodem loco, & tempore perfici solet. *Minutum* vero dicitur, quia plerumque pecuniæ majores cum minutioribus commutantur. Cambium *locale*, seu *per litteras* dicitur, quo commutatur pecunia præsens cum pecunia absente, & distante in alio loco: idque duobus modis institui potest. 1. Sic, ut campsor pecuniam præsentem prius accipiat hic Passavii, ut postea in loco distante, v. g. Romæ per seipsum, vel correspondentem suum recipiat alter; hoc claritatis gratia vocabimus cambium ad locum. 2. Sic; si campsor pecuniam præsentem prius numeret hic, ut postea in loco distanti ipse per se, vel per suum correspondentem recipiat: hoc vocabimus cambium in loco: dicitur autem utrumvis etiam cambium per litteras: quia plerumque litteræ dantur, quibus mandatur correspondenti, ut nullo alio loco pecuniam solvat, vel recipiat. Aliud denique dicitur cambium mixtum, cum & pecunia unius speciei cum altera commutatur, & præsens cum absente, ut si numeres hic taleros, ut alibi recipias ducatos in æquivalenti. Denique nemo negat, ejusmodi commutationes pecuniarum, si secundum æqualem valorem fiant, licitissimas esse, quia tamen campsor non æqualem, sed minorem pecuniæ valorem dare, quam accipere, adeoque lucrum capere solet, videndum jam, an, & quibus titulis id juste fieri possit, vel non possit.

36 IV. Certum est generaliter, cambium reale, & manuale, & locale cum lucro aliquo campsoris per se justum esse, & ob varias causas infra notandas Reipublicæ utile. Omnes cum S. Th. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. Ratio est: quia cambio cujusvis generis servitur multiplici necessitati, vel utilitati hominum, non sine aliquo interesse campsoris, ut patebit: quare justo titulo aliquod inde lucrum capiet. Dico autem *per se*: quia per accidens sine dubio multæ possunt fieri, & fiunt injustitiæ in cambiis: unde illicita, & restitutioni obnoxia fiunt: ut §. 4. speciatim annotabo. Quod si tamen sola immoderata lucrandi cupiditate fiant ad avaritiæ peccatum, hic saltem veniale, spectabit; ex quo licet campsor sæpius cambiendo ingens lucrum corraserit, secluso tamen dolo, & iniquitate omni, nulla restituendi obligatio nascitur: monendi tamen sunt ejusmodi cupidi campsores a Confessariis, ut hac ditescendi arte moderate, & sine Communitatis damno utantur: partem lucri in eleemosynas, vel pias causas erogent, quod utiliter, cum res exigit, loco pœnitentiæ injungi poterit. Jam declaro justitiam singulorum cambiorum breviter seorsim.

§. I. *Justitia cambii manualis, seu mixti.*

37 In cambio manuali, seu mixto pecuniæ pro pecunia alterius sortis, vel speciei, juste, & licite campsor recipit lucrum aliquod rationabile ultra sortem. Communissima Theolog. & Juristarum: & constat ex Bulla S. Pii V. cambium approbante. *Ratio clara est*: quia in isto cambio semper adsunt justi tituli, unde campsor exigere possit ejusmodi lucrum moderatum (de quo §. 4.) ut fuse habet Lugo *disp.* 28. *a num.* 8. Accipe compendium. I. Titulus est officium cambiendi, seu locatio operæ, & obsequii tam campsori onerosi, quippe qui ex officio pro utilitate publica debet congregare, custodire, & paratas habere omnis generis pecunias ad easdem commutandas secundum campsariorum voluntatem, ratione cujus & se, & famulos sæpe plures alere debet; quam campsario utilis, magnam enim tibi præstat operam, qui pecuniam hic, & nunc tibi inutilem suo periculo recipit, ut tibi meliorem, & utilem det: ideoque hujus laboris, & obsequii impensi justam compensationem omni jure exigit: præsertim, si ad tale officium exercendum publica auctoritate constitutus sit. II. Titulus est, damnum emergens: nam omnis generis pecunias congregando, semper meliores expendendo, & minutiores recipiendo, vix fieri potest, quin aliquando prohibita, vel derelicta certa sorte damnum patiatur campsor. III. Titulus est, lucrum cessans: sæpissime enim accidit id, ut una moneta plures, majores, easque pretio æstimabiles utilitates habeat: nam aurea moneta pretiositate materiæ præstat argenteæ grandiori monetæ: ut ducati, & taleri habent majorem commoditatem numerandi, transferendi, cambium locale, vel alias negotiationes instituendi; antiquiores monetæ pondere, & puritate materiæ novis prævalent, & sic de cæteris; cambiendo ergo ejusmodi monetas meliores pro minus bonis, vel minutioribus ob lucrum notabile cessans, juste compensationem exigit campsor. Vide Navar. *cap.* 17. *num.* 288. Mol. *disp.* 399. Less. *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 2. IV. Quin etiam si nihil campsoris interesset, hujusne, an alterius speciei pecunias habeat, quia suas meliores habitas in alium locum non transferret, sed ibidem communi valore expendere deberet, nisi eas cambiendo permutaret; adhuc in cambio aliquid supra sortem accipere licite poterit: uti contra Medin. & Cajet. docet communis, & vera sententia DD. Navar. modo cit. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 51. Eman. Sa, *verb. cambium*, Less. *cit. cap.* 23. *dub.* 2. Laym. *cit. c.* 19. *n.* 4. Ratio est: quia pecuniæ duplicem usum, & commoditatem habent: unum principalem, ut inserviant rerum emptionibus, & solutionibus, & in hunc tantum finem a Magistratu taxationem acceperunt, quæ proinde ad eundem finem augeri non potest. Alium secundarium, ut nimirum unum monetæ genus cum alio monetæ genere permutetur: inter quæ diversa monetarum genera, si aliqua rationabilis diversitas commoditatis apparet, nihil obstat, quominus a legali taxatione monetæ vilioris recedendo, auctarium insuper accipiatur pro reposita moneta meliori, etiam secluso alio interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, dummodo etiam alia fraus absit, & pretium justum, ac moderatum servetur. Certe nec reprehendere potui, ab executoribus alicujus legati pii, pro cambiendis ducatis in monetas minutiores pauperibus idoneas consuetum auctarium, seu *raso*, ut vocant, recipi, & retineri, utique cessante omni interesse. Aliam quæstionem notabilem hic proponi solitam solvam §. 4.

§. II. *Justitia cambii localis ad locum.*

In cambio etiam locali, quo campsor præsentem pecuniam hic prius accipit, ut alibi præstet, juste, & licite recipit lucrum rationabile ultra sortem, vel de sorte detrahit; v. g. a campsario Passavii recipit 100. ducatos, ut Romæ præstet 90. tantum. Communis DD. cum Navarro, *cap.* 17. *num.* 289. Molin. *disp.* 403. Less. *cit. dub.* 3. Laym. *n.* 6. Lugo *disp.* 28. *sect.* 3. Ratio est, quæ supra, & similes tituli. I. Titulus est idem triplex modo assignatus, scilicet officium cambiendi, damnum emergens, vel lucrum cessans ex commutatione, & absentia pecuniæ in hoc loco, ubi alias alter lucrari posset. II. Specialis titulus est accessorius contractus locatæ operæ ad formaliter, vel virtualiter transferendum pecuniam ad locum, quem campsarius vult. III. Titulus specialis est accedens pactum assecurationis, quo campsor pecuniæ transferendæ securitatem permittit, & periculum in se suscipit: uno verbo, præstat ut campsarius in alio loco secure recipiat: atqui utrumque hoc maxime pretio æstimabile est, si enim ipsemet Passavio Romam tuos 100. taleros transferre deberes, utique laborem, expensas, & periculum subire deberes, quo omni onere te liberat campsor, atque totum in se recipit: ergo justam compensationem exigere jure potest, & lucrum, & quidem eo majus, quo longius distat locus, ad quem cambium instituitur, & quo periculosior via. Nec obstat: quod campsor sæpe nullum inde onus, quin etiam fortassis commodum ferat: utpote qui 100. taleros a te Passavii acceptos realiter Romam nunquam transmittit, sed eorum loco litteras ad suum factorem, & iisdem taleris ibidem rursus instituto cambio, vel alia negotiatione denuo lucratur: hoc enim totum ad illius industriam pertinet; quemadmodum, si nuntius mercede conductus sit, ut mille aureos Romam transferat, iste postmodum aliquem reperiat, qui ejus loco Romæ mille aureos certissime soluturus sit: ob hanc virtualem translationem non minus mercedem locationis recipere potest nuntius ille, quam si revera transtulisset, teste Less. *cit. cap.* 23. *dub.* 3. Item si nuntium conduxisti, ut equum Augustam ducat, licet ei alias commodissimum, vel necessarium sit Augustam proficisci negotiorum causa, ob quæ alias, etiam conducto equo, profecturus fuisset, nihilominus tamen, pro opera locata tibi, pretium juste recipere potest; esto, quod si id cognitum habuisses, non isto, sed alio modo cum illo pactus fuisses, spectato Justitiæ tenore, id enim totum utroque casu ad industriam, vel fortunam nuntii spectat. Molin. *disp.* 405. Less. cit. *dub.* 3. & 4. 38

Item probabiliter ab injustitia defenditur praxis illa nuntiorum, qui ab uno mercede conducti ad litteras deferendas in certum locum, postea re dissimulata ab alio iterum 39

tum ad eundem locum se conduci sinunt, rursus mercede integra facta, & sic duplicata. *Ratio est:* quia obligatio illa, & obsequium subsequens secundo conductori præstandum absolute tanta mercede dignum est: neque illi ullum damnum infert nuntius, quippe qui proprium bajulum alias constituere, eique similem mercedem dare debuisset, & voluisset: per accidens autem est, & ad industriam, vel fortunam nuntii spectat, quod alioquin ab alio conductus in suum, & alterius commodum tale iter conficere debeat. Simile est: si auriga justa mercede accepta aliquem hinc Augustam vexit, ita ut gratis reddere deberet, postea huc reversurus, alio Augustæ assumpto, tantumdem mercedis accipit, ac si nullam redeundi necessitatem haberet: id enim ad ejus industriam, & fortunam spectare videtur. Excusandi, inquam, sunt tales a peccato saltem gravi ob dictam rationem: attamen, quoad fieri potest, arcendi ab hujusmodi immodicis lucris, quæ facile ad alias veras injustitias viam sternunt, ut suadet Laym. *cap.* 19. *n.* 7. Minor autem ratio injustitiæ est in nostro campsore in casu posito.

40 At merito hic quæret curiosulus: quid si cambium simul, & simul, tam campsario, quam campsori æque prosit, cujus erit lucrum, v. g. Ego mille florenos volo habere Viennæ, do ego tibi cambiendos illuc: at tu directe ex tuis pecuniis Viennæ habitis mille aureos haberes libenter hic Passavii: & sic inito cambio uterque obtinet, quod ipsi est utile, adeoque unus alteri æque famulatur; Quæritur: cujusnam erit lucrum ex tali cambio? *Resp.* Illius erit, qui prævenitur: si enim ego ad te veniam, ut cambias illos meos mille florenos, tuum erit lucrum: contra, si tu prior ad me venias, cambiumque petas, lucrum erit meum. Ita *Cajet. Sylvester, Bonac.* alii cum Molin. *disp.* 405. Tamb. *lib.* 9. *c.* 4. §. 3. Ratio est: quia qui prævenitur, revera præstat alteri obsequium ex se pretio æstimabile; & per accidens est, atque ad ejus fortunam spectat, quod id aliunde vertatur in suum commodum, juxta exempla modo allata.

§. III. *Justitia cambii localis in loco.*

41 IN cambio etiam locali, quo campsor prius dat pecuniam campsario in loco præsenti, ut postea recipiat in loco distanti, v. g. Viennæ, Romæ &c. juste accipitur auctarium, seu lucrum rationabile ultra sortem. Communissima DD. Nav. *c.* 17. *n.* 289. Cajetanus, Sotus, Conradus, Medina, Toletus, Valentia, aliique, quos citant, & sequuntur Mol. *disp.* 404. Less. *c.* 23. *dub.* 4. Laym. ibid. *n.* 7. Lugo *ibid. sect.* 4. *n.* 51. Ratio, & tituli sunt similes, sicut in cambio præcedenti: nam præter officium cambiendi, interesse lucri cessantis, vel damni emergentis ex absentia suæ pecuniæ, in primis hic intervenit translatio, & assecuratio virtualis, dum campsarius hoc loco indigens pecuniis, quas habet in alio loco remoto, v. g. Viennæ, Romæ &c. & cum labore, expensis, & periculis huc transferre deberet: campsor autem ipsum hoc toto onere liberet, numerans ipsi pecunias in hoc loco in ejus gratiam, alias recepturus postea alibi per se, vel suum correspondentem, adeoque idem agit virtualiter, & æquivalenter, ac si ejusdem pecunias Romæ existentes cum labore, expensis, & periculo proprio huc transferret: in cujus obsequii maxime pretio æstimabilis compensationem omni jure condignam mercedem ad lucrum exigere potest; cum nullum sit hic vestigium usuræ: non enim exigitur hic pretium majus ob solam anticipatam solutionem (ut volunt Adversarii quidam, *Goffredus, Hostiensis, Sarmiento,*) sed ob virtualem translationem, & assecurationem pecuniæ ex loco distanti in præsentem cum magno commodo, & sublevatione laboris, expensæ, & periculi campsarii. Accedit etiam plerumque, ut dictum est, justus titulus lucri cessantis, vel damni emergentis campsori ex absentia pecuniæ suæ ab hoc loco: quod licet abesse possit, ut potius commodum inde capiat, id tamen per accidens est, & ad fortunam campsoris spectans, ut in simili paulo antea dictum. Similiter cum ducati v. g. plus valeant in Germania, quam in Italia comparatione monetarum minutiorum, non erit cambium injustum, si mercator in Germania numeret pauciores ducatos, v. g. 94. in Italia recepturus 100. vel adhuc plures minus valentes, usque ad valorem Germanicum, esto postea eosdem ducatos minus valentes in Italia rursus majori valore Germanico in Germania negotiando, mutuando, cambiendo distrahat: & sic duplicatum lucrum portet, hoc enim spectat ad campsoris illius industriam.

42 At numquid etiam expectandi temporis mora, justus est titulus auctarii cambialis, ut sic ob injustitia excusari possit praxis illa jam omnino invalescens mercatorum, qui euntibus ad nundinas, v. g. Francofurtenses, pecunias ad cambium dant, tanto majori cum incremento ibi recipiendas, quanto longiori temporis intervallo nundinæ distant: ita ut si uno tantum mense distent, unum grossum in singulos florenos lucrentur: si duobus, duos, si tribus, tres, & sic consequenter usque ad ipsas nundinas, quæ tamen non distabunt ultra 6. menses. Vulgo vocatur cambium Francofurtense, quod ibi forte inventum: & generalius cambium ad nundinas. Conveniunt omnes, id juste fieri posse ratione majoris lucri cessantis, quo diutius nundinæ distant, & pecuniæ solutio differtur, præsertim apud mercatores, quorum lucrandi unicum instrumentum pecunia est. Verum hic titulus adventitius est, & interdum abesse potest, ut patet, absolute ergo, & ex natura contractus defendunt Molin. *cit. disp.* 404. Less. *cit. dub.* 6. Laym. *n.* 9. Tamb. *cit. tr. cap.* 5. *toto*, ubi septem assignant titulos justificantes istud cambium; vide ipsos. Ratio sufficiens videtur esse: quia pecuniæ in hoc negotio tractantur per modum mercis commutabilis: atqui rerum pretia auctaria plurimum pendent ex communi hominum cujusque loci æstimatione: communi autem æstimatione hominum pluris æstimatur pecunia præsens, quam absens; ideo hujusmodi, & alia cambiorum pretia, & auctaria inter mercatores consueta non statim injustitiæ damnanda sunt; licet sæpenumero periculo usuræ non vacent, adeoque dissuadenda potius quam damnanda, ut notant *Molina, & Lessius cit.* & tolerabile, etsi non laudabile, illud cambium Francofurtense merito censendum est. Sine dubio autem tutior sententia est negativa *Soti, Cajetani*, & aliorum apud citatos: quia revera videtur hic augeri pretium cambii ob solam solutionis dilationem, quod usurarium esse supra diximus, & constat certo ex Jure Canonico *cap. consuluit & cap. in civitate, titul. de usuris.*

§. IV. *Pretia, & injustitiæ cambiorum.*

JUstum pretium, lucrum, seu auctarium (vulgo laggio, *laschi*) cambii cujusvis illud est, quod vel lege publica, 43 aut loci consuetudine taxatum, aut communi hominum æstimatione, aut prudentis, & experti viri, & præsertim ipsorum conscientiosorum mercatorum judicio, consideratis circumstantiis, æquum apparet: in cambio enim minuto eo majus auctarium exigi potest, quo melior moneta, & utilior pro viliori, & minus utili datur; merito enim plus auctarii solves, si pro nummis ducatos, quam si pro taleris cambio accipias: in cambio autem locali eo majus lucrum debetur, quo major est distantia locorum, via periculosior &c. juxta supra dicta. Una ergo certa regula tradi non potest; sed lex, consuetudo, communis æstimatio, & circumstantiæ attendi debent: attendenda etiam quandoque erit circumstantia temporis, non quidem per se ratione solius temporis (quod usurarium foret) sed per accidens, ratione periculorum, quia longius tempus plura pericula adferre solet. Item attendenda penuria, vel copia pecuniæ, multitudo, vel paucitas petentium ad cambium: nam ideo merito plus solves pro cambio recipiendo in civitate, in qua sunt nundinæ, comitia, adventus Principis, quando multi indigent pecunia, quam in alio loco, ubi ejusmodi circumstantiæ non adsunt, ut bene observat Tamb. *hic cap.* 4. §. 1. *n.* 6.

Injustitiæ ergo in cambiis committi solitæ sunt. I. Cum 44 cambium est siccum, & merum mutuum usurarium specie cambii palliatum, supra ab initio exemplificatum, quod damnat Urbanus III. *cap. consuluit, & cap. in civitate, de usuris.* II. Cum in cambio reali excessivum lucrum exigit campsor, quod nimirum publicam constitutionem, consuetudinem, communem æstimationem, vel prudentis viri judicium excedit. III. Cum in cambio minuto committitur fraus in monetarum specie, pondere, usuali valore, sive ex parte campsoris, sive campsarii; solent enim vicissim se non raro egregie decipere. IV. Quando monopolio communi campsores conveniunt, ut pretium pecuniarum augeatur, unde campsariis magnum provenit detrimentum, quo spectat, si campsor facile potens cambire immediate ad locum petitum, Romam, v. g. in gratiam tamen correspondentium cambiat mediate per unum, vel plures intermedios sic duplicato, vel triplicato pretio, gravissimo damno campsarii. Quibus, & similibus casibus etiam obligationem restitutionis contrahi, palam est. Sic Scriptores extranei. *Lugo, Tambur.* & alii late agunt de cambio cum recambio, seu cum recursu, quando nimirum campsor tibi hic Passavii numerat 100. v. gr. aureos solvendos Bambergæ, sed quia tu ibi nullas pecunias, vel correspondentem habes, ideoque ipsius campsoris correspondens fit factor tuus, & loco tui ibi imaginarie solvit pro pretio consueto, & mox novo cambio cum iterato pretio tibi committit solvendos Passavii cum duplicato lucro. Res diabolica in Germania nostra vix audita, & ideo a scriptoribus Germanis tacita, a me quoque tacenda: quidquid enim sit de rigore speculativo, revera practice non videtur esse aliud, quam cambium siccum duplicatum: his ergo, & similibus injustitiis seclusis, cum hujusmodi cambiendi, & lucrandi ratio suapte natura justa sit, non tantum iis, qui Reipublicæ auctoritate constituti sunt ad hoc, sed etiam aliis quibuscumque privatis licitum est cambium quodvis instituere, præterquam si Magistratus prohibeat, ut contra Cajetanum docet communis DD. Navarrus *cap.* 17. *num.* 288. Toletus *lib.* 1. *cap.* 51. Laym. *lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 4. Lugo *disp.* 28. *sect.* 4. Nihilominus stante ejusmodi prohibitione contractus cambii subsistit, & alias servata justitia pretii nulla restituendi obligatio sequitur, cum nullum damnum inferri supponatur. Ita contra *Sotum, Molin. disp.* 399. & 405. *Less. cap.* 23. *dub.* 2. *num.* 17. Laym. *cit. nu.* 4. Lugo *cit.* Sed numquid tunc cambiens contra prohibitionem peccabit? Absolute peccati mortalis damnat Sotus *l.* 6. *q.* 9. *art. unic.* Et verum esse potest, si tale cambium cederet in detrimentum Reipublicæ: utpote si fieret cum externis, sic ut bonæ monetæ extra Provinciam extrahantur, & malæ impor-

importentur &c. Alioquin a mortali recte excusant *Molin. Less. Laym. ll. cc.* Tamb. *cap.* 3. §. 2. Nam si nulli damnum faciunt, undenam habetur peccatum mortale, præter venialem forte inobedientiam, & pœnam in foro externo solvendam a deprehensis? Sed restat hic grave dubium.

De Cambiente pecunia aliena.

45 Famulus Domini, Officialis Principis, &c. grandiores pecunias ducatos, taleros, &c. ad mercatores, aliosve creditores Domini deferre, vel destinare debet, has minutioribus monetis permutando, lucrum non modicum acquirit. Quæritur, an talis peccet, & ad restitutionem obligetur. Respondeo cum distinctionibus necessariis.

46 I. Talis nec graviter peccat, nec ad ullam restitutionem, vel Domino, vel ejus creditori faciendam obligatur, suppositis tribus, (1.) Quod Dominus creditoribus non teneatur ex pacto grandiores pecunias in specie solvere, sed satisfaciat etiam monetam minutiorem ejus valoris solvendo, (2.) Quod famulus non plus a creditoribus in utilitatem Domini sui consequi possit, seu grandiores, seu minutiores pecunias tradat, (3.) Quod famulus neque expressum, neque præsumptum Domini mandatum habeat, ut easdem monetas in specie tradat, aut forte iisdem cambiendo ipsi Domino lucretur, sed proprio nomine, ac periculo cambium tale instituat. Ita pluribus citatis Molin. *disp.* 402. Less. *c.* 23. *dub.* 2. Laym. *cit. n.* 5. Ratio est: quia licet famulus peccet, & aliqualem injuriam Domino inferat contra ejus voluntatem pecuniam expendendo, iisque lucrando, re ipsa tamen nullum ei damnum infert, ut supponitur; ergo non magna, nec mortalis hæc injuria, & culpa censenda est. Deinde quod ex pecunia natura sua sterili acquiritur, non est fructus rei, sed industriæ; quare illud lucrum in proposito non acquiritur Domino, nec creditori, sed ipsi famulo industriam applicanti, quemadmodum etiam depositarius, commodatarius, immo fur, vel usurarius, vel quilibet injustus possessor ex alienis pecuniis negotiando lucrum non Domino, sed sibi acquirit, dummodo alias Dominum indemnem servet: ut cum D. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. habet communis DD. & nos suo loco: ergo famulus in proposito, nec Domino restituere tenetur. Insuper

47 II. Si Dominus pecunias mittens putatur contentus, aut non ægre laturus, ut famulus, vel officialis talem rationem cambiendi, vel lucrandi instituat, nihil peccabit famulus, & ad nullam restitutionem obligabitur creditoribus, tametsi id ipsi ægerrime ferant, & contra illorum voluntatem fiat, & sit ipsis causa lucri cessantis. Ita citati. *Ratio est:* quia creditoribus ante traditionem nullum jus in illas pecunias acquisitum fuit, consequenter nulla eis infertur injuria. Alia esset ratio; si famulus, vel mandatarius ab ipso creditore destinetur, ut ejus nomine pecunias recipiat: tunc enim eo ipso, quo tali famulo pecunia traditur, creditori mittenti jus ad illam acquiritur: ideoque injuria fiet illi, si pecunia a famulo permutaretur cum damno, aut lucro cessante creditoris: quod proinde ipsi compensari debebit: ut recte notat *Laym. ibid.*

48 III. Si Dominus omnino velit, & mandet, ut pecuniæ in eadem illa specie, scilicet, ducati, taleri, creditoribus obveniant: tunc famulus contra voluntatem eorum commutando peccat graviter, iisque injuriam infert, & compensare eis tenetur lucrum cessans, vel damnum inde emergens, utpote quia ipsimet simili, vel alia negotiatione, pecuniis melioribus lucrati fuissent, aut certo contractui stare potuissent; aut si ipsimet pecunias viliores traditas cum damno cambiali permutare coacti sunt, quippe ad suas negotiationes inutiles &c. *Omnes.* Ratio clara est: quia hoc casu creditores jus habent secundum Domini voluntatem, ac mandatum exigendi a famulo pecunias grandiores, sibi destinatas; quas si ille non ita reddat, injuriam eis infert, & consequenter damnum emergens, vel lucrum inde cessans compensare tenetur. Si vero nullum inde damnum sequatur, utpote si pecunias majores non aliter, ac minores expenderent, adhuc quidem erit injuria, ac nulla obligatio restituendi: quia obligatio restitutionis non est pro injuria sola, sed pro damno illato, quod hic cessat, uti observat *Molina cit. concl.* 3. Laym. *n.* 5. & nos suo loco.

49 IV. Sive supponatur consensus, sive prohibitio Domini; peccat famulus, vel officialis ita commutando pecunias Domini, si cedat in detrimentum, & damnum aliquod notabile ipsius Domini; utpote si sæpe, & consuetudinarie monetis grandioribus, & melioribus minutiores, & minus bonas substituat lucri sui gratia: non enim potest id absque aliquo Domini damno fieri: inde enim contingit, ut merces, vel viliori, vel majori pretio emere debeat, propter odium minutiorum, & viliorum monetarum. Et per se turpe est, ex alicujus Magnatis domo, vel Camera Principis, quo non nisi bonæ monetæ recipi solent, semper prodire monetas minutiores deterioresque quæ etiam absterrere solent Mercatores, Artifices, &c. Unde jure Magnates ejusmodi pecuniarum suarum permutationem severe prohibent, & puniunt; semel enim concessa tali licentia in uno, aut altero casu, homines lucrorum avidissimi facile ad alios inconcessos usus eam extendunt. Eadem prorsus ratione discurrendum in alio casu satis frequenter practicato, cum officiales Principum, vel Magnatum, Satrapæ, Telonarii, Thesaurarii, Quæstores pecuniis Dominorum commissis negotiantur, cambiunt, mutuando, ludendo, aliisve modis lucrantur: nam salva, & secura per omnia sorte, in eadem specie, & bonitate moneta semper parata, cum Dominus indigebit, vel exiget, & seclusa prohibitione, vel dissensu cognito Domini, non peccant saltem graviter, ac lucrum sibi acquirunt, neque ad ullam restitutionem obligantur ob rationem modo dictam: quia scilicet lucrum illud non est fructus rei, seu pecuniæ ad Dominum spectantis; quippe natura sua sterilis, & frustra quiescentis, ut supponitur: sed est merus fructus industriæ famuli, vel officialis; neque est contrectatio rei alienæ invito Domino: quia potest præsumi Dominus non esse invitus, quod res sua secluso omni damno suo alteri prosit, nisi contrarium exprimat, neque de hoc quidquam statutum reperitur in utroque Jure: & mihi in enormi casu consultanti ita responsum est a duobus Jurisconsultissimis viris. Ita Laym. *de contr. l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 25. *n.* 4. & alii cit. jam alibi diximus de Restitutione *sect.* 1. *c.* 2. *sect.* 2. §. 5. *a n.* 69.

SECTIO III.

De contractu Societatis.

SUMMARIUM.

50 Usque ad n. 55. *Societas quid.*
55 *Contractus Societatis licitus est, cum certis tamen conditionibus.*
56 *Societatis privilegium.*
57 *Contractui societatis licite apponi pactum assecurationis capitalis, & lucri, negant multi: sed*
58 *Communior, & verior est sententia affirmativa.*
59 *In societate virtualiter, & implicite involvuntur tres contractus.*
60 *Eruitur, & assignatur alius titulus justus accipiendi annua quinque pro centum.*

DEFINITIO.

Societas est contractus, vel conventio duorum, vel plurium habilium aliquid pretio æstimabile (utpote suam pecuniam, mercem, operam, industriam &c.) conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum, & damnum commune, proportione rerum contributarum inter socios dividendum. Ita ex communi Laym. *cit. lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 20. *n.* 1. Lugo *disp.* 30. *sect.* 1. Tamb. *lib.* 9. *de contract. tr.* 8. *cap.* 1. *hic.* Explico breviter. 50

I. Est contractus, vel conventio.

Societas enim numeratur inter illos contractus, qui solo consensu perficiuntur, expresso per verba, vel scripta: ipsa autem contributio pecuniarum, vel mercium est velut objectum contractus, atque ad ejus consecutionem, seu perfectam consummationem spectat, simili modo, ut dictum est supra de emptione, & venditione: & habetur *Institutionibus de oblig. ex consens. L.* 4. *ff. pro socio.* In qua contributione hoc peculiare est: quod si sors a sociis contributa sit eo animo, ut esset omnibus communis, hoc ipso dominium, atque possessio sortis quadam juris fictione singulis pro parte sua acquiritur, tametsi in manus singulorum reali traditione non pervenerit. Idemque dicendum de lucro, quod socii communi nomine ex sorte negotiando acquirunt; ut habetur expresse *L.* 1. *& seqq. ff. pro socio.* Porro duobus modis societatis contractus iniri solet. 1. Sic, ut omnes socii conferant sortem, sive capitale æqualiter, vel inæqualiter, & singulis quoque labor, & industria negotiandi incumbat, *L. societatis*, §. *societas*, *ff. eodem pro socio.* 2. Sic, ut unus, vel plures conferant sortem, & alter, vel alii laborem, & industriam negotiandi. Et sæpius fieri solet, quod labor, vel industria socii plus societatis conferat, quam pecunia, si solus ille naviget, solus peregrinetur, pericula subeat solus &c. & tunc proportionaliter plus, aut minus de lucro participare debet. 51

II. Ad commune lucrum.

Hic enim est finis principalis societatis, ut de lucro omnes proportionaliter participent, atque per hoc hic contractus distinguitur a locatione, & conductione, qua traduntur alicui, v. g. pecora pascenda, non ut lucrum commune sit, sed solius conducentis alterius operam, pro qua certum illi stipendium solvitur. Similiter, quando mercator, aliique Domini suis famulis promittunt partem aliquotam, v. g. quartam, vel sextam sui lucri, ut ratione illorum industriam, & lucrandi desiderium acuant, esse potius contractum locationis, quam societatis, recte docent Nav. *cap.* 17. *n.* 252. Lessius *cit. dub. cit.* 52

III. Et damnum commune.

Æquum enim est, ut sicut lucrum ex societate proveniens, ita & damnum sociis commune sit secundum 53

Regul.

Regul. Jur. 55. in *6. Qui sentit commodum, sentire debet & onus:* & e contra. Atque hinc est discrimen inter contractum mutui, & societatis, quod in mutuo sors data alienetur, & pleno dominio transferatur in mutuatarium, cujus proinde solius est periculum, & damnum, si res mutuata utcumque pereat; sicut etiam illius solius est commodum omne ex ea re per industriam suam proveniens: at vero sicut in contractu societatis sors collata non alienatur ex ea re per appositam unius industriam proveniens, ita & periculum, seu damnum si res illa casu, vel culpa levissima sociorum pereat, pro parte rata ad ipsum pertinebit: si vero culpa lata, vel levi sociorum pereat, ab iisdem compensationem jure exigit, ut mox infra iterum dicam. Et hæc quidem dicta sunt, spectata hujus contractus natura secundum se præcise, & secluso pacto assecurationis; de quo mox infra dicam seorsim.

IV. Secundum proportionem rerum contributarum dividendam.

54 SErvanda est in hoc contractu æqualitas non Arithmetica cum non omnes æqualiter contribuant, sed Geometrica, hoc est, quanto plus quis ad societatem contulit pecuniæ, mercium, laboris, industriæ, expensarum, tanto plus lucri participare debet: similiter autem & damni. *Instit. de societate*, §. *illud expeditum*. Quamvis autem spectata natura contractus hujus, ordinarius, & maxime naturalis sit modus contrahendi societatem: ut eadem sit lucri, & damni participandi proportio, potest tamen adjecto speciali pacto etiam aliter institui, v. g. ut qui æqualiter cum altero contribuit, duas partes lucri accipiat, sed periculum solus habeat: vel ita, ut qui plus alteri contribuit in duplo, v. g. lucrum æquale percipiat: sed periculo in socium rejecto &c. quocumque enim modo pactum varietur, dummodo prudentis viri judicio æqualitas inter socios servetur, illud servandum erit tamquam justum, & legitimum, ut bene docet Molin. *disp.* 415.

V. Justitia hujus contractus.

55 JUstus, & licitus, immo Reipublicæ perutilis est omnis contractus societatis, servatis his conditionibus. 1. Ut negotiatio ipsa, ad quam societas instituitur, honesta sit. Si instituatur societas ad inhonestum commercium, v. g. meretricium, lenocinium, homicidium, usuram, &c. (eodem modo discurrendum est, sicut suo loco de acceptis ob turpem causam) ante impletionem commercii societas rescindenda est: at post impletionem lucrum acquiri, & dividi potest. 2. Ut inter socios communia sint lucra, & damna, servata prædicta proportione, nisi aliter conventum sit. 3. Ut quilibet aliquid conferat negotiationi fructiferum, saltem mediante industria humana; si enim nihil omnino confert, non erit socius ad lucrum, sed prædo ad rapinam. 4. Ut capitale collatum maneat, uti sub dominio, ita & sub periculo conferentis, nisi aliter conventum sit per pactum assecurationis. 5. Ut fides, & pacta inter socios serventur, secluso dolo, & culpa, lata, & levi: alioquin dolose, vel culpabiliter se habens, omni jure obligabitur societati, vel socio læso ad compensandum omne damnum, vel interesse, juxta Regulam generalem Restitutionis. Ratio autem, ut socius ex dolo, & culpa levi, ac lata tantum, non etiam levissima obligetur, jam data est suo loco; quia nimirum contractus iste cedit in commodum sociorum.

VI. Societatis hoc Privilegium.

56 QUod si unus socius ab alio conveniatur ratione debiti societatis non condemnetur amplius, quam quod commode facere potest; ita ut non egeat. *L. verum, ff. pro socio*. Ubi Ratio datur; quod societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat. Sed excipe: nisi dolo aliquis egerit, quominus integre satisfacere possit: aut cum possit, dolose satisfacere nolit: tunc enim in utroque foro obligatus manet. *Non enim æquum est, dolum suum quemquam relevare;* ut dicitur *in eadem L. verum*. Deinde socius sic conventus cavere debet de satisfaciendo integre, si ad meliorem fortunam pervenerit. Denique societatis contractus solvitur his modis. 1. Cessante negotio, aut pereunte re, in qua societas fundatur. 2. Elapso tempore, ad quod societas inita fuit. 3. Morte socii unius solvitur societas reliquorum, nisi aliter conventum sit. 4. Renuntiatione socii expressa, vel tacita; attamen sine dolo facta. 5. Etiam morte Civili: item publicatione, vel cessatione bonorum unius ex sociis, quæ omnia habentur in Jure Civili, & parum ad nostrum forum spectantia, late videri possunt apud *Molin. Less. cit.* & alios passim. Sed restat celebris, & ad praxim necessaria

QUÆSTIO.

Utrum huic contractui Societatis licite apponi possit pactum assecurationis capitalis, & lucri.

57 TItius, v. g. cum mercatoribus in societatem convenit eo pacto, quod daturus sit 1000. florenos ad negotiationem ab ipsis exercendam cum assecuratione, ut peracta negotiatione, capitale sibi salvum maneat, & insuper annuum lucrum certum percipiat, v. g. 5. pro 100. & pro 1000. annuos 50. Contractum hunc vocant Itali ex parte conferentis *a banco:* quia confert ipsis mercatoribus, velut ad mensam negotiationis: ex parte vero accipientis, & annuum lucrum solventis vocant contractum *laggio*, (volgo *laschi*) Contractum hunc illicitum, & usurarium docent multi: & graves DD. *Panormitan. Sotus, Azorius, Rebellus, Felicius*. Alii apud Dian. *p.* 1. *tr.* 30. *de contract. ref.* 8. Hac ratione: quod hic contractus in rei veritate sit purum mutuum, & consequenter lucrum inde ultra sortem perceptum mera usura; qui a parte rei nihil aliud agitur, quam quod mutuo detur alteri tanta summa pecuniæ, & ratione illius exigat Titius ultra sortem assecuratam 5. pro 100. quod est usura perfecta. Deinde negotiatio per se est periculosa, & ratione periculorum, damnorum, expensarum, laborum, & curarum mensuratur ejus lucrum, ut justa sit negotiatio, & justum lucrum: atqui, qui confert summam ad negotiandum cum tali assecuratione capitalis, & lucri, nulli periculo, nulli damno, nullis expensis, nulli labori, vel curæ se exponit: sed domi securus dormit, ut ajunt: ergo caret omni mensura, & titulo justitiæ ad lucrum illud capiendum.

Affirmativa defenditur.

COmmunior, & verior est opposita sententia Navarri *c.* 17. *n.* 255. *Major, Binsfeldius, Covar. Bonac. Sarmiento*. Alii plures, quos citant, & sequuntur Mol. *disp.* 416. Less. *c.* 24. *dub.* 3. Valent. *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 24. *pun.* 2. Laym. *c.* 18. *n.* 11. Lugo *disp.* 30. *sect.* 4. *n.* 40. Diana ubi supra, Petrus Marchant. *tribunal. to.* 2. *tr.* 8. *tit.* 5. *sect.* 8. *dub.* 2. Contractum prædictum jam praxi orbis receptum, & a Magnatibus practicatum, licitum esse, & justum, si debito modo fiat cum his conditionibus. In primis, ut pecunia ista vere detur ad negotiationem, illi nimirum, vel illis, quos scilicet scis, & credis ea pecunia vere negotiaturos, & lucraturos esse: alioquin enim societas ficta erit, & usura vere palliata. Deinde ut exerceas veram societatem; ut nimirum, dominio pecuniæ penes te remanente, alter non tamquam sua, & solo suo nomine, sed tamquam tua, & tuo etiam nomine negotietur, alioquin rursus non erit vera societas, sed mutuum, & usura, ut fatentur *Molina, & Laym. cit.* Denique ut lucrum exigatur, & non excedat æstimationem prudentem fructus, quem pecunia collata, ratione solius abundantiæ, gignere potest, & solet, & sic ut alteri socio compensetur & periculum sortis in se receptum, labores, impensæ, & molestiæ, sibi soli negotianti incumbentes: v. g. si ex 100. collatis speretur lucrum 20. aureorum, non potes tu dimidium, & tantum lucri exigere, quantum percipit alter, qui totum periculum, damnum, laborem, & impensas in se suscepit; sed circiter quartam partem, v. gr. 5. 6. ut sic media pars respondeat alterius industriæ, labori, & impensis: nimirum 10. florenis: & aliis quinque compensetur periculum sortis ab altero susceptum, & assecuratio capitalis, & lucri præstita. His conditionibus positis nulla apparet injustitia, vel inæqualitas in hoc contractu: nam in primis nullum hic intervenit mutuum, sed est formalis concursus ad negotiationem per pecuniam non mutuatam, sed tantum collatam, dominio ipsius penes conferentem remanente, estque vera virtualis negotiatio, quam conferens sua pecunia, mediante alterius industria intendit: pecunia enim mercaturæ, vel negotiationi suapte natura fructuose exposita per industriam negotiatoris, vere fit fructifera: atqui fructificatio illa, mediante mea pecunia facta, vere est pretio æstimabilis, nulli gratis debita: ergo pro illa fructificatione alteri concessa, juste possum exigere pretium certum, etiam cum pacto assecurationis: quandoquidem onus illud assecurationis, & periculi a mercatore susceptum, compensetur diminutione pretii, & cessatione majoris lucri sperati, & obtinendi a mercatore, ut modo expositum est. Neque verum est, quod volunt Adversarii, solum periculum, damnum, laborem, expensas esse mensuram lucri capiendi ex negotiatione societatis, sed ipsa etiam copia pecuniæ ab altero concessæ, & subministratæ, qua mercator merces, & vilius, & plures comparare potest, lucrum ejus auget notabiliter: consequenter alter conferens, etsi in damnis, expensis, laboribus non participet, juste tamen aliquam lucri partem exigere potest, quæ illi copiæ, vel abundantiæ pecuniæ concessæ respondeat, secluso damno, labore, expensis. 58

Atque ut Justitia hujus contractus melius intelligatur, advertendum est, in eo contractu virtute saltem, & implicite tres contractus involvi. *Primus*, & principalis est contractus societatis, quo cum altero ad negotiandum concurris. *Secundus* accessorius est contractus assecurationis sortis: ponamus enim spem esse, quod industrius mercator ex mille florenis a te collatis, quotannis lucretur 300. cujus dimidium jure societatis ad te pertineret; sed quia ad te quoque spectare deberet ejusdem sortis periculum, damnum, labor, expensæ negotiationis, ideo convenis cum mercatore, ut periculum illud, & onus omne in se suscipiat, in cujus oneris compensationem relinquis ei majorem partem lucri sperati, ut 59

sola

sola tertia pars ad te pertineat, nimirum 100. ipse autem habet 200. *Tertius* accessorius contractus est venditionis; quia enim spes lucri hujus incerta est, ideo tertiam partem hanc lucri sperati scilicet 100. aureorum in spe incerta vendis eidem mercatori, pro dimidio circiter, utpote 50. vel 60. annuis certis: nam spem lucri capiendi non minus, quam jactum retis justo pretio vendi posse, nemo dubitat: vide etiam Nav. *Comment. de usura, notabili* 14. Atqui omnes isti contractus secundum se justi sunt, & liciti, & cum diversis personis singulos licite fieri nemo dubitat: ergo etiam cum eadem persona simul facti, justi, & liciti manebunt.

60 Atque hic jam vides alium justum titulum accipiendi annua 5. pro 100. 50. pro mille, salvo capitali, vel sorte, absque omni vitio usuræ; uti *cap.* 4. *sect.* 3. *in fin.* prænotatum habes. Et observa insuper, quantitatem lucri annui ex hoc contractu societatis non esse ita determinatam ad 5. pro 100. quin aliquando plus exigi possit: aliquando vero contra minus exigi debeat. Placet Regula Cardin. de Lugo *disp.* 30. *n.* 30. Lucrum certum, quod potes exigere, debet esse adeo moderatum, ut attento capitali, quod confers, & spe lucri, quod potest esse ex tali negotiatione, appareat juste compensari periculum, quod alter socius subit per assecurationem capitalis, & lucri, quod tibi promittit: nam alioquin non satisfit juste tanto oneri, quod socius subit, assecurando tam capitale, quam lucrum tuum. Et hinc fit 1. ut ex 100. a te collatis aliquando 6. 7. immo 8. juste accipere possis; quando nimirum prudentes mercatores sine fraude judicant, lucrum ex tali negotiatione adeo notabile, ut socius possit, v. g. 10. extrahere pro 100. collatis, & cum remanente sibi parte lucri sufficientis satisfactus censeri pro onere, & periculo, quod subit per prædictas assecurationes. Recte ergo Bonac. *disp.* 3. *de contract. qu.* 3. *prop.* 13. cum supposuisset, licite posse exposci 5. pro 100. ibidem *n.* 6. addit: in societate trium contractuum potest plus exigi, quando negotiatio majus lucrum affert. E contra fit 2. ut aliquando vix quatuor, tria, aut duo certa possint exigi pro 100. collatis; quando scilicet negotiatio suscepta non valde lucrosa est. Determinent ergo experti, qualitate negotiationis attenta, aliisque circumstantiis, prout in simili supra in pretio cambiorum notatum est. Denique juxta hactenus dicta eadem ratione contra S. Antoninum, Medin. & alios, communis DD. Less. *lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 5. Molin. *disp.* 503. Laym. *cit. n.* 4. defendunt societatem pecorum adjecto pacto assecurationis; cum scilicet rustico, vel pastori traduntur certa summa pecora, oves, vaccæ, &c. cum communi participatione fructuum, ita tamen, ut periculum non ad dantem, sed ad accipientem spectet: ut scilicet pro pereuntibus capita substituere, & tamen annuam pensionem solvere teneatur, sed minorem, quam alias deberet, in compensationem illius oneris in se suscepti; dummodo pastor non nimium gravetur: nullam enim hic intervenire usuram, certum est: nam usuræ unica sedes est mutuum: hic autem contractus non est mutui, quia mutuum consistit in rebus non frugiferis, sed usu absumendis; ut pecunia, frumento, &c. in hoc autem contractu datur frugifera res; ideoque pars fructuum pro ea juste exigitur: in mutuo transfertur; hic autem non transfertur dominium rei datæ, sed penes dantem remanet: ergo &c. Immo experientia patet in Bavaria, & Svevia ex ejusmodi contractu utrumque, & Dominum, & rusticum magnum emolumentum capere solere, cum Dominus dat Rustico vaccas in loco salubri, & tuto, ut periculum casus fortuiti ad ipsum spectet, tamen ob circumstantias loci raro contingentis, isque nihil aliud rependere teneatur, nisi quotannis unum vitulum in singulas vaccas, reliquo omni fructu, & emolumento sibi relicto, quo omnino sufficienter compensabitur illud periculum in se susceptum. Plura videre potes apud citatos.

SECTIO IV.

De Ludo, & Sponsione.

SUMMARIUM.

61 *Ludus, quid, &*
62 *An licitus, præsertim si fiat ob lucrum.*
63 Usque ad n. 68. *Ut lusus sit justus, & licitus, requiruntur, & explicantur quatuor conditiones,*
68 *Quibus si ludus careat, jure naturæ injustus, & illicitus est.*
69 *Quid I. de ludente sine animo solvendi.*
70 & 71 *II. De volente plus lucrari; quam ipse habeat, vel amittere possit.*
72 & 73 *III. De ludente cum non potente alienare.*
74 Usque ad n. 77. *IV. De ludente cum fure, usurario, &c. ac*
77 Usque ad n. 80. *V. De ludente pecunia furtiva, vel aliena.*
80 *Quinam ludi, qualiter, & quibus præsertim in utroque jure prohibeantur.*
81 *Ludens ludo prohibito I. per se loquendo non peccat, nec lucrum restituere tenetur in foro conscientiæ, &*
82 *II. Alter si nihil excipiens illud solvat, ejus dominium valide transfert. Et*
83 *III. Si credito sic ludat, & perdat ludo prohibito, in conscientia naturaliter obligatus manet ad solvendum.*
84 *Ludens animo non solvendi ex beneficio legis, si ipse perderet, adhuc probabilius, si lucretur, id retinere potest.*
85 *De Sponsione ludo affini.*

Ludus generatim ex D. Th. 2. 2. q. 168. art. 2. *Est certamen quoddam susceptum ad competentem animi oblectationem;* cui, ne frigeat, solet adjungi pactum, seu contractus quidam, ut victoris res ab utroque exposita approprietur: proprie ergo loquendo ita definiri solet. *Ludus est contractus, quo partium consensu utrinque deponitur, vel spondetur pecunia, aut aliud pretio æstimabile certis legibus ex industria, vel fortuna pendentibus, ut victori in præmium cedat.* Estque duplicis generis: aliqui ludi sunt magis industriosi, in quibus scilicet industria, ars, dexteritas, vel facultas virium magis prævalet, uti sunt ludi chartarum, taxillorum, latrunculorum, seu schachi, cunorum, tornationis: alii sunt ludi magis fortuiti, in quibus scilicet magis prævalet fortuna, & casus; ut lusus alearum, & sortium, de cujus prohibitione dicam §. 3. 61

Ludus omnis generis, quantum est de jure naturæ, per se licitus est, servatis quatuor conditionibus, 1. Ut ludens possit libere disponere de rebus, quas exponit. 2. Ut ludens ad ludendum non cogatur. 3. Ut non misceantur fraudes contra leges ludi. 4. Ut inter ludentes servetur æqualitas. Communissima DD. *Medin. Sotus, Major,* Aliique passim, quos afferunt, & sequuntur Molina *disp.* 510. Less. *l.* 3. *c.* 26. *dub.* 2. Laym. *cap.* 21. *n.* 1. Lugo *disp.* 31. *sect.* 1. *& seqq.* Ratio est: quia positis istis conditionibus nulla intervenit injustitia in ludo quovis: & ex altera parte commendat virtus Eutrapeliæ ad honestam animi relaxationem, præterquam quod ludus ad vitandum otium, multaque inde consequentia mala animæ, & corporis, utilis esse possit. Dixi autem: *per se licitus est*. Per accidens enim ex multis capitibus potest reddi illicitus. Utpote si fiat cum scandalo aliorum, si sit ludus parum decens talem personam, Clericum, Religiosum, Prælatum, senem, &c. si sit occasio aliorum peccatorum, ut perjuriorum, dissensionum, rixarum, blasphemiarum; si impediat observationem præcepti, auditionem Missæ, Recitationem Officii, si fiat cum detrimento filiorum, conjugis, familiæ, creditorum, quibus ita ludendo fit impotens ad solvendum. Denique, si ludus injuste exerceatur contra prædictas conditiones, v. g. cum persona non potente alienare, miscendo fraudes illicitas, &c. jam fiet ex se, & jure naturæ illicitus, ut §. 2. notabo. Huc spectat etiam, si ludus nimis avide appetatur, nimium in eo temporis absumatur, quod tamen secluso alio inconvenienti culpam venialem non excedat, cum sit solum excessus in re alioquin licita, vel veniali. 62

Sed dubium est, an sit peccatum ludere principaliter propter lucrum, & non animi oblectationem. Prima Sententia damnat peccati mortalis, & ad restitutionem obligat ita ludentem. Abulensis *in c.* 6. Matth. *q.* 55. Abbas *in c. pen. de vita, & honest. Cleric.* Gabriel noster *in* 4. *dist.* 15. *q.* 13. *art.* 2. *concl.* 3. Eo fundamento: quod tunc desideretur, & intendatur principaliter damnum proximi contra 10. Præceptum: *Non concupisces rem proximi tui*. Sed rejicitur ab omnibus aliis, cum non sit illicitum concupiscere rem proximi modo licito acquirendam, maxime contractu oneroso, qualis etiam est ludus. Secunda Sententia aliorum condemnat peccati venialis, aut avaritiæ, aut prodigalitatis, aut otiositatis: quod licet plerumque verum sit, non tamen verum est universaliter, cum, illis omnibus seclusis, adhuc lucrum honeste appeti possit. Quare quando concurrunt prædictæ debitæ conditiones, & circumstantiæ, non est, cur damnetur peccati is, qui principaliter ludit propter lucrum; & licet esset cupiditas immodica lucri ad avaritiam spectans, tamen ex genere suo solum veniale erit, ut docet Communis DD. & omnes citati. Restant ergo conditiones justi, & liciti ludi breviter explicandæ: deinde de ejus injustitia, prohibitioneque agendum. 63

§. I. *Ludi justi, & liciti conditiones.*

I. Prima conditio est: ut ludens possit disponere libere de re sua, quam ludendo exponit, ut scilicet habeat actuale non impeditum dominium illius rei, vel pecuniæ. Hic de lusu circa res, vel pecunias alienas, earumque evictione eodem prorsus modo discurrendum est, sicut de emptione, & venditione rerum alienarum, vel pretio alieno, earumque evictione supra late dictum *c.* 5. *sect.* 2. §. 2. per totum. De lusu vero filiorum familias, minorennium, uxorum, servorum, Religiosorum, eadem ratione dicendum est, sicut de talium personarum dominio, contractibus validis, & donationibus supra suis locis dictum est. Omnis ergo lusus circa res, vel pecunias alienas, aut personæ non habentis actuale dominium rei expositæ invalidus est; nec dominium transfert in victorem, qui & ipse, si mala fide collusit, ad restitutionem tenebitur absolute: si vero bona fide lusit, alterum evictione convenire potest, si res, vel pecunia ab ipso evincatur, juxta late dicta suo loco. Casus tamen speciales ambiguos dabo seorsim §. seq. 64

II. Se-

65 II. *Secunda conditio* ad justum lusum requisita est libertas ludentis, ut scilicet ludens ad ludum non cogatur: de hoc rursus omnino eadem ratione discurrendum est, sicut supra dictum de contractu metu extorto, quomodo valeat, & rescindi possit in utroque foro. Omnis ergo ludus metu gravi extortus in communi sententia validus est; sed ad arbitrium metum injustum passi rescindi potest, & debet cum restitutione in integrum: sed in foro externo solum, si fuerit metus injustus gravis, in foro autem conscientiæ in omni metu injusto. Ratio est: quia talis injusto metu alterum ad lusum compellens, vel inducens, eidem, si perdat, injustam causam damni dedit; adeoque compensare tenetur, si alter exigat. Ita quidem communis DD. Attamen Bonac. *disp.2.q.3. de restit.* cum aliis liberat cogentem, vel pertrahentem a restitutione hac ratione: quia licet injuriose egerit pertrahens alterum ad lusum; tamen contractus ludi fuit justus, ut supponitur, & æque uterque collusor cogens, & coactus, & perdere, & lucrari potuerit: additque, non solere a Confessariis tales obligari ad restitutionem. Quod verum credo, si loquamur de pertrahentibus sola inductione, persuasione, importunis precibus, levi metu, secluso metu gravi injuste incusso ad extorquendum ludum, qui sane omnem contractum irritum, aut certe irritandum reddit: at e contra alter injustum metum passus, si ludo stare velit, & lucretur, lucrum retinere potest: quia ex parte ipsius justus, &, ut supponitur, licitus ludus est: neque in hoc aliqua est inæqualitas, quia injuria illata injusto metu coacto ad ludum jam sustulit inæqualitatem, quæ tali modo juste ita compensatur: & alias volenti, immo etiam metu injusto cogenti non potest fieri injuria. Ex communi Less. *lib.2. c.26. dub.2.* Lugo *disp.* 31. *sect.* 2. §. 2. Laym. & omnino certum dicit Sanch. *lib.* 1. *consil. cap.* 8. *dub.* 11.

66 III. *Tertia conditio est*: ingenue, & sine fraude ludere, ut scilicet nullæ admisceantur fraudes contra leges ludi: fraudes autem in ludo sunt illicitæ, & injustæ, quæque in tali genere ludi a nullo honesto fiunt, & tolerantur: ut chartas notare, permutare, plura puncta signare, decipere in numerandis calculis, aleas falsificare, ex industria alterius chartas inspicere (secus, si casu, & ex negligentia fiat) si ludas tertio quodam admonente de sorte adversarii, &c. & hujusmodi fraudibus contra leges ludi utens nihil lucratur, & restituere tenetur lucrum non solum illud, quod ipse mediante tali fraude de facto lucratus est; sed etiam illud, quod victus a te certo lucraturus fuisset, si fraus tua non obstitisset. Intellige semper, nisi tibi expresse, vel tacite condonetur. Interim iterum probabile, & tutum est, eum, qui collusorem fraudibus utentem vicit, posse lucra juste retinere: ut cum S. Thom. aliisque citatis habent Dian. *p.*4. *tr.* 4. *res.* 169. Tamb. *lib.*8. *Dec. tr.*2. *c.*9. §. 1. *n.*6. Ratio est: quia ipse ex parte sua sincere ludit; ergo non est propter culpam colludentis lucro suæ victoriæ defraudandus. De fingente se ignorare ludum, & ita lucrante, patebit mox n. seq. Aliæ autem dicuntur fraudes licitæ, quæ scilicet secundum leges ludi illius communiter permittuntur; ut non monere adversarium de errore suo, ratione cujus perdat, si habitis melioribus chartis de lucro jam securus sponsionem augeas, aut metum simulans adversarium provoces ad audacius spondendum, aut si deteriores chartas habens, de victoria desperans simules audaciam, & sponsionem augeas, ut alter deterritus tibi ludum, & lucrum cedat. In dubio autem, an deceptio licita fuerit, necne, standum erit arbitrio viri in tali genere ludi periti. Vide de his late Sanch. *lib.* 1. *consc. c.*8. *dub.*12. & Lugo *cit.* §. 1.

67 IV. *Quarta conditio est*: ut inter ludentes servetur æqualitas in lucrando, & perdendo: ut nimirum omnes æquales ludi conditiones habeant, æqualiter pretia exponant, nisi aliquis sponte velit ponere majus in minus, aut duo colludentes totum suum restum, sive inæquale, fortunæ committendo, ludo exponant. Solum dubitatur, an in singulis ludentibus requiratur æqualis ludi peritia: an vero arte, & dexteritate excellentior juste possit cum minus perito pretio ludendo lucrari. Concedunt omnes. 1. Quando excessus peritiæ in altero non est notabilis; quippe qui ipsi non auferat periculum perdendi: cum in omni lusu magnam habeat partem fortuna. Concedunt etiam. 2. Quando excessus peritiæ non patet, sed uterque alterius singularem peritiam ignorans æquali se periculo exponunt: cognito tamen clare excessu notabili peritiæ, debet a ludo desisti, ut ex communi notant Sanch. *cit. dub.* 13. Lugo §. 4. *n.* 43. Concedunt item. 3. Quando excessus quidem notabilis patet, sed excellens compensat excessum peritiæ, dando inferiori meliores conditiones ludi, aut quando inferior ipse excessum remittit expresse, vel tacite, eo ipso, quo sciens alterius majorem ludentis peritiam voluntarie cum eo ludum init; aut ita animo paratus est, ut quamvis inæqualitatem cognosceret, tamen in ludum consentiret, jam censetur saltem tacite excessum remittere. 4. Difficultas ergo solum est, quando inferior, a se ipso deceptus ignorans alterius peritiam ludit, alias non lusurus, & perdit: alter vero tanta peritia præditus est, ut quasi certus sit, se lucraturum: an tunc ludus sit justus, & alter excellens juste lucrari, lucrumque retinere possit. Ita quidem affirmant *Tolet. Covarr.* Alii apud Lug. *cit. n.* 44.

Sed communis, & vera est opposita sententia negativa. Navar. *c.*20. *n.*17. Molin. *disp.*517. Less. *l.*2. *c.*26. *dub.*5. Laym. Lugo *cit. n.*44. Ludum nempe esse injustum, & lucrantem debere restituere. Ratio fundamentalis est: quia ludus est contractus onerosus, & lucrativus, quo quilibet ludens spem lucrandi quodammodo emit periculo perdendæ sortis expositæ: ergo sicut in aliis contractibus onerosis requiritur æqualitas, v. g. in emptione inter mercem, & pretium, &c. ita etiam in ludo debet esse æqualitas inter spem lucrandi, & periculum perdendi, quasi inter mercem, & pretium: atqui in proposito casu ex parte inferioris ludentis re ipsa spes lucrandi est fere nulla; periculum autem perdendi est prope certum: ergo ludus inæqualis, & consequenter injustus, & restitutioni obnoxius est. Alia esset ratio, si ludus fieret non ex contractu oneroso lucrandi, & perdendi, sed ex gratuito, proposito præmio ab uno, vel omnibus, ut victori in præmium industriæ cedat, tunc enim nulla requiritur æqualitas industriæ, quin potius supponitur, & provocatur inæqualitas industriæ ad lucrandum: ut optime notat Lug. *cit. n.* 45.

§. II. *Ludus illicitus jure naturali, & casus ambigui.*

Ludus illicitus ipso jure naturæ injustus, atque invalidus est cum onere restitutionis totius lucri, quando caret aliqua ex quatuor conditionibus modo explicatis, & ad justum, ac validum ludum ipso jure naturæ requisitis. Ratio patet ex terminis. Præter exempla, & casus jam allatos, hic commode adfero, & explico aliquos casus speciales, & ambiguos. 68

I. *Ludens sine animo solvendi.*

Si quis ludat, sive credita, sive numerata, seu statim numeranda pecunia, animo omnino non solvendi, si perdat, idque alter ignoret, nimis clarum, est, ludere invalide, nec posse retinere, quod lucratur: quia contractus fuit inæqualis, alterum in materia substantiali decipiendo. Excipe 1. Nisi alter colludens similem animum non solvendi habuisset: tunc enim se mutuo decipiendo veluti compensant. 2. Nisi alter colludens sciverit, te habere talem animum non solvendi: tunc enim censetur consentire, & tibi remittere. 3. Nisi lusus esset Legibus prohibitus, de quo mox §. *seq.* 4. Dixi notanter: *animo omnino non solvendi*: nam si habeas animum solum non solvendi nunc, quia forte nunc pecuniam nullam habes, habeas autem animum sincere solvendi postea, si quid perdas, non eris reus gravis injustitiæ, & lucrum perceptum retinere poteris, non obstante pacto illo ludendi, numerata pecunia: nam si revera postea pecuniam habiturus sis, eamque colludenti sincere soluturus, non est, unde judiceris graviter pactum infringere. Ita post alios Tamb. cit. *l.* 8. *tr.* 2. *cap.* 9. §. 1. *n.* 17. 69

II. *Ludens volens plus vincere, quam possit amittere.*

Titius non habet nisi 4. v. g. florenos: potestne sine injustitia vincere, vel lucrari, & retinere sibi 8. vel amplius? Et specialiter, Filiusfamilias, Religiosus, qui non potest, nisi certam summam, v.g. tres aureos ludendo perdere, potestne majorem summam lucrari sine restituendi obligatione? Respondent DD. communiter Molina *tom.* 2. *disp.* 519. Sanch. *lib.*7. *Mor. c.*19. *n.*83. Laym. *cit. cap.*12. *n.*6. alii apud ipsos cum distinctione. I. Uno depositionis jactu, & cum una persona non posse tales plus lucrari, quam perdere; esset enim manifesta inæqualitas contractus, si solum potes perdere quatuor, & vis una vice lucrari octo, viginti, centum. 2. At vero successive diversis jactibus, vel lusibus, aut etiam uno jactu cum diversis personis simul exponentibus, servata semper æqualitate, & seclusa alia fraude, nihil obstat, quominus tales magnam summam lucrentur; nam si sint sex colludentes, & singuli exponunt quatuor, tu non habes nisi quatuor, fortuna favente poteris licite simul lucrari viginti; & repetitis jactibus centum, & ultra. 70

At hic occurrit novum dubium. Filiusfamilias, vel Religiosus non potest perdere nisi tres, v. g. florenos ab initio: si ludo fortunato lucretur 20. 30. vel amplius, poteritne rursus omnes exponere lusui, inconsulto Patre, vel Superiore? Conveniunt omnes, quod possint, quando idem adhuc ludus perseverat, seu moraliter continuatur: lucrum enim ex lusu illud solum est, quod absoluto ludo remanet. At vero alio distincto ludo, & tempore, idem majus lucrum exponere Filius quidem familias poterit de præsumpta licentia Patris: quia Pater volens filio ludum permittere, nisi aliud exprimat, censetur licentiam dare ad quodvis lucrum denuo ludo exponendum. Religiosus autem talem licentiam præsumere, & consequenter notabile lucrum denuo exponere non potest; quia pecunia ab ipso ludendo comparata Monasterio acquisita est, non potest autem Prælatus licentiam dare bona Monasterii in magna quantitate expendendi sine necessitate, vel utilitate; loquendo solum de Religioso sub Obedientia vivente. *Navarr. Sanch. Angel. Laym. cit.* 71

III. *Ludens cum non potente alienare.*

Qui ludit scienter cum filiofamilias, Religioso, vel alio non potente alienare quæcumque, vel nonnisi certam summulam, sine dubio peccat, & restituere tenetur, quod lucratur, vel totum, vel excessum, super illam 72

lam summam, quam solam poterat alter ludo exponere; quia vere acceptat rem alienam invito Domino. E contra autem ii, qui non possunt alienare, si a collusore lucrentur, tenentur ei restituere lucrum ipsum, cum aliam pecuniam non habeant, quam eidem solvere forte possint. Ratio clara est: quia inierunt contractum ludi manifeste inæqualem, dum vincere, & lucrari voluerunt, sed perdere non potuerunt. Excipe tamen, nisi collusor sciat, te non posse alienare, v. g. esse Filiumfamilias carentem peculio proprio, Religiosum, &c. tunc enim tu vincens non teneberis illi restituere lucrum, quia collusori scienti, & volenti nulla facta est injuria. Ita *Sayr. Henriq. Azor. Bonac.* apud Diana *p.* 1. *tr.* 7. *res.* 67. Tamb. *cit. n.* 18.

73 Sed ecce rursus novum dubium. Colludens cum tali non potente perdere, nisi certam summam, v. g. 3. florenos, teneturne inquirere, an illam summam perdiderit, an vero sine alia inquisitione illud lucrum 5. florenorum retinere poterit? Respondet Sanch. *lib.* 1. *consil. cap.* 8. *dub.* 7. & ex eo Lugo *disp.* 31. *sect.* 2. §. 1. *n.* 22. Ita posse retinere, nec teneri inquirere, si filius, vel Religiosus non habeat consuetudinem cum aliis ludendi: secus, si soleat cum aliis ludere: tunc enim tenetur inquirere, & comperta veritate excessum lucri restituere: quia jam fit malæ fidei possessor: si vero sciri non possit, melior erit conditio possidentis bona fide.

IV. *Ludus cum fure, usurario.*

74 DIstinguendum est. 1. Aut fur, v. g. ludo exponit eandem numero rem, quam furatus est, hunc scyphum argenteum, hunc annulum, hos nummos aureos, &c. vel ejusdem rei furtivæ jam alienatæ pretium. 2. Aut tu cum tali ludis bona fide, & ignorans; aut mala fide sciens esse furem, & exponere res furtivas. His positis sic breviter

75 *Resolves*. 1. Seu bona, seu mala fide ludens cum fure, si lucreris ipsam rem furtivam in individuo, cognita veritate debes rem restituere, non furi collusori, sed ipsi Domino rei cognito: quia dominium rei ablatæ semper manet apud Dominum. Communis DD. Omnes juxta generaliter dicta de restitutione, facta autem hac restitutione, si quidem bona fide lusisti, ignorans tunc rem esse furtivam, fur tenebitur tibi restituere æstimationem illius rei furtivæ, quam lucratus es: nam contractus ex parte tua fuit validus, & justus; unde juste eam æstimationem acquisivisti. Si vero lusisti mala fide sciens nimirum rem esse furtivam, nihil pro ea re restituta tenebitur restituere fur: quia contractus ludi fuit nullus ex utraque parte: quippe de re scienter aliena. Sic Molina *disp.* 518. Tamb. *lib.* 8. *Decal. tr.* 2. *cap.* 9. §. 1. *n.* 28. Rationem fundamentalem pete ex dictis supra de emptione, & venditione rei furtivæ, *cap.* 5. *sect.* 2. *n.* 53.

76 *Resolves*. 2. Quando fur non ipsam rem furtivam, sed solum ejus jam venditæ, vel alienatæ pretium ludo exposuit, idque tu lucratus es, nihil teneberis tu restituere Domino rei, sed tantum ipse fur; dummodo is aliunde habeat, unde solvat Domino pro furto. Sic Bonac. *disp.* 1. *de rest. q.* 2. *prop.* 2. citans alios, Tamb. *n.* 30. Ratio est: quia fur illius pretii dominium acquisivit juxta dicta suo loco: si ergo aliunde potest pro furto satisfacere Domino, exponendo illud pretium, validum fecit ludi contractum, consequenter ejus dominium in te victorem transtulit. Contra vero, si fur aliunde non habeat, unde domino restituat pro re ablata vendita, tunc tu collusor etiam bona fide lucratus illud pretium, re cognita, teneberis Domino restituere pretium lucratum. Ita citati. *Ratio est*: quia tunc contractus ludi re ipsa fuit nullus; cum enim illud ipsum pretium rei furtivæ necessario a fure fuerit restituendum Domino, non potuit illud a fure valide exponi ludo. Ita quidem citati, & in rigore vere: ego tamen bonæ fidei lusorem in Confessionali non multum urgerem.

V. *Ludens pecunia furtiva, vel aliena:* Remissive.

77 ETiam fur ludens pecunia furto ablata, multo magis famuli v. g. ludentes pecuniis Dominorum, quas sibi commissas, vel depositas habent, tenentur solum restituere pro ipsa sorte ablata, lucrum autem ludendo victum sibi acquirunt, cum fructus solius industriæ sit: ut constat ex dictis suo loco. Intellige tamen, si famulus suo, non vero Domini nomine ludat; tunc enim, sicut suo periculo, & damno ludit, si clucro suo acquirit: quod si vero nomine Domini sui ludens eam pecuniam exponat ludo, eidem restituere debebit utrumque, & sortem, quia Domini est, & lucrum, quia Domini nomine acquisitum est. Res clara ex principiis Juris, & Justitiæ.

78 At, numquid peccant famuli ita pecuniis Dominorum ludentes, vel aliter negotiantes? Resp. Peccare; quando dominus graviter invitus est, alias non. *Ratio est*: quia est vera injuria, me repugnante, te re mea uti velle; præsertim cum aliquo periculo. Quoniam vero, si nullum damnum eveniat Domino, vel periculum subsit (ut si famulus promptus sit in reddenda pecunia, ut primum Dominus poposcerit) non potest censeri gravis rationabiliter injuria; ideo a peccato gravi post alios recte excusat *Tamb. n.* 23.

79 Denique quid de eo, qui deficiente sibi in ludo pecunia eam clam a colludente surripuit, & ea postea lucratus est? Respondent *Sanch. & Molin.* supra, furem utique semper teneri restituere ipsam pecuniam furtivam; & si non haberet aliunde unde illam pecuniam furto surreptam restitueret, tenebitur restituere lucrum: si aliunde habeat, unde restituat, lucrum sibi acquirit, & retinere poterit æque; ac si exposuisset pecuniam ab aliquo tertio furto ablatam; quod enim pecunia ipsi colludenti, vel alicui tertio ablata sit, non debet variare casum. Vide cit. de hoc late discurrentes.

§. III. *Ludus illicitus jure positivo.*

LUdus alearum, omnis scilicet ille, qui principaliter fortuna, & casu potius, quam arte, & industria regitur, juste prohibitus est jure humano positivo, Canonico, & Civili. Jure Canonico in primis lusus severissime prohibetur Clericis, si sint Beneficiati, vel Monachi, Can. Apost. 41. relat. dist. 35. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, vel ebrietati deserviens, aut desinat, aut deponatur.* Et c. Clerici 2. de vita, & honest. Cleric. *Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Qui Canones renovati sunt Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de Reform.* Quamobrem DD. communiter cum Nav. *c.* 2. *n.* 9. ex illis Canon. & tam gravibus pœnis canonicis agnoscunt gravem obligationem Clericorum, & peccatum mortale, si notabilem quantitatem aleæ lusu exponant. Etiam *Sanch.* censet, esse mortale, quando ii sunt aleatores per modum habitus, & velut consuetudinarie; contra hos enim videntur loqui Canones. Quare excusabitur a mortali Clericus, qui semel, aut iterum, aut raro, aut non longo tempore ludit. Verum insuper recte advertunt *Cajet. Sylv.* aliisque citt. Less. *c.* 26. *dub.* 1. *n.* 5. Laym. *cit.* 21. *n.* 1. Lugo *disp.* 31. *sect.* 1. hoc præsertim tempore, quo antiquorum Canonum rigori multum derogatum videtur, Clericos non esse peccati mortalis condemnandos, nisi frequenter, nimis sumptuose, aut publice cum scandalo populi ita ludant: sin vero privatim sine scandalo, & quantitate modica spectato statu suo, & copia redditum, ludant, & sine aliorum officiorum suorum neglectu, recreationis gratia, maxime permittente, & quasi cohonestante loci consuetudine hunc ludum alias jure naturæ licitum, idque maxime in fritillo, ubi plurimum accedit industriæ, & artis, esse ab omni peccato excusandos, non tamen a peccato veniali in locis, vel Diœcesibus, ubi antiqui Canones lege, vel consuetudine recepti observantur. Jure autem Civili idem lusus alearum omnibus prohibetur *L.* 1. & 3. *C. de aleatoribus*; ubi insuper decernitur, ut qui sic ludendo perdidit, solvere non cogatur; immo si solverit, ipsi, ejusque hæredibus concedendam esse repetitionem soluti. Verum cum hæ leges pœnales sint, in odium ejusmodi ludi, unde multa, & gravia mala oriri solent, latæ, si reipsa mala ista non eveniant, & ludus alias juste fiat, non obligare in conscientia, neque naturalem valorem, & obligationem ludi tollere, contra aliquos late docent comm. DD. quos congerunt, & sequuntur Mol. *disp.* 222. Sanch. *cit. dub.* 25. *n.* 5. Less. *cap.* 26. *dub.* 1. *n.* 6. Azor. *to.* 3. *l.* 5. *c.* 27. *q.* 1. Alii apud Lug. cit. *sect.* 1. *n.* 9. Laym. *cit. n.* 3. Itaque pro praxi particulari pono breves. 80

RESOLUTIONES.

I. LUcrans, & ludens tali ludo legibus prohibito, non peccat per se loquendo, secluso scandalo, & contemptu, aliove malo accidentali, & valide lucratur, nec lucrum restituere tenetur in foro conscientiæ. Ita contra D.D. *Th. Bonav. Sylvest.* & alios sane graves DD. apud Sanch. docet communis jam DD. quos citant, & sequuntur Mol. *disp.* 513. Sanch. *l.* 1. *Consil. c.* 8. *dub.* 1. Less. *c.* 26. *dub.* 3. Lug. cit. *sect.* 4. *n.* 60. Ratio est: quia talis non peccat, nec restituere tenetur de jure naturæ, quia ludus hic de se est contractus justus, & licitus, servatis debitis conditionibus: sed neque de Jure positivo, Leges enim Civiles eum ludum, & translationem dominii non irritant; sed solum præcipiunt restitutionem fieri lucri in judicio post Judicis sententiam, postquam victus petit: & negant victori actori actionem, si ei victus forte nondum solvit. Hæc enim sunt verba Legis alearum. C. de aleat. *Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere* (intellige aleis) *neque in genere, neque in specie; & si contra factum fuerit, nulla sequatur damnatio* (intellige victi ad solvendum) *sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum hæredibus*. Hæc ibi. Unde inferunt DD. neque victo repetente, teneri victorem restituere pretium solutum, nisi is, vel ejus hæres repetat in Judicio, & sententia proferatur. 81

II. Ludens, & perdens tali ludo legibus prohibito, si nihil excipiens pecuniæ solvat, dominium pecuniæ solutæ valide in lucrantem transfert; neque postea privata auctoritate tollere, nec occulta compensatione uti poterit; sed sola Judicis implorata sententia sibi succurrere potest. Communis apud citt. *Ratio* patet ex dictis: quia victor nihil tibi debet ante sententiam Judicis: poteris tamen victorem terrere comminando ei repetitionem in judicio; atque pacisci cum ipso de aliquo saltem reddendo in pretium, quod juri tuo cedas non repetendo in judicio. At quid si ficte mineris, non habens animum repetendi a Judice, poterisne retinere quod alter dat, ne repetas in judicio? *Mol.* supra putat, non esse tutum. Sed *Tamb. cit.* §. 1. *n.* 10. 82

n. 10. putat esse tutum. Et ego puto: quia revera habes jus repetendi, potesque repetere, cui Juri vere cedis, quod est pretio æstimabile. Vide dicta in simili *sect.* 1. *de Censibus in fine*.

83 III. Etiam is, qui tali ludo prohibito credito lusit, & perdidit, in conscientia manet naturaliter obligatus ad solvendum (& accedente juramento, in utroque foro, adeoque naturaliter, & civiliter) de quo suo loco. *Ratio* patet: quia ille contractus ludi jure naturæ validus legibus humanis non irritatur, ut dictum est. Verumtamen secluso juramento tueri se potest victus exceptione legis alearum, ut etiam in conscientia solvere non teneatur: cum illa non tantum sit lata in odium, & pœnam lucrantis tali ludo, sed etiam in favorem victi. Communis DD. Nav. *c.* 20. *num.* 17. Tolet. *l.* 5. *c.* 27. Mol. *disp.* 515. Less. *c.* 26. *dub.* 4. Laym. *c.* 21. *n.* 3. Lug. *sect.* 5. Ratio est: quia ut dicitur L. invitus 156. ff. de Reg. Juris. *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere, multo magis quis dixerit*. At qui tali ludo prohibito victus perdidit, & solvit, ei datur actio ad repetendum solutum jure communi, ut dictum est: ergo multo magis competit exceptio antequam solvat. Quid enim opus sit solvere, si postquam solveris, repetendi jus habeas? *Nec dicas:* hæc est pœna: ergo non debetur, nisi post sententiam Judicis. Nam non est mera pœna, sed etiam favor victi, ut jam dixi: & esto sit mera pœna, tamen, cum retinere meam rem antea, vel datum recipere post sententiam, re ipsa æquivaleat, non erit injustitia alterum modum commodiorem absque ullo inutili circulo eligere; idque maxime, si in judicio ex defectu probationis timeatur longa mora, vel negatio Justitiæ, ut observat Tamb. *ib. n.* 11.

84 IV. Denique, quid si ludas animo utendi hoc beneficio legis, scilicet non solvendi, vel solutum repetendi, si perdas, & nihilominus lucreris: eritne ludus validus, ut lucrum licite retinere possis? Negat Less. eodem *cap.* 26. *n.* 31. ea ratione: quia talis decipit adversarium falso significans, se illi cessurum esse si vincat, quam deceptionem si ille sciret, certe non luderet: deinde tollit æqualitatem lucrandi inter ludentes. Sed probabilius cum aliis affirmant Sanch. *cit. dub.* 5. *n.* 1. Lugo *sect.* 3. ludum esse validum, & lucrum retineri posse. *Ratio est:* quia intentio adimplendi non est de essentia promissionum, vel contractuum v. g. Emptionis, Matrimonii, Professionis, voti &c. ut supra c. 2. dictum: ergo etiam, licet talis non habeat intentionem solvendi perditum, ludus tamen erit validus, & transferet dominium lucri; in reliquo utitur suo jure, & beneficio Legis concedentis sibi exceptionem, ne teneatur solvere, & alter sibi ipsi imputet, quod cum tali velit ludere, qui beneficio legis possit non solvere, vel solutum repetere, neque est inæqualitas: quia etiam alteri simile beneficium legis competit, si perdat.

§. IV. *De sponsione ludo affini*.

85 Sponsio est *contractus, quo duo de veritate, vel eventu alicujus rei contendentes sibi vicissim aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit assecutus:* de cujus contractus justitia, & quatuor conditionibus eadem ratione dicendum est, sicut supra de ludo dictum. Quoad quartam autem conditionem æqualitatis servandæ in sponsione frequens est excessus voluntarius in re sponsa, vel deposita: solet enim valde certus de veritate, vel eventu rei communiter spondere plus in minus. Illud autem solum dubium manet; utrum is, qui certissime scit rei veritatem, vel eventum per scientiam, vel experientiam, immo etiam per revelationem, atque etiam prævidet rem sibi perspectissimam esse; alter tamen nihilominus errore ductus tecum contendere, atque deponere velit: poterisne illum spondentem hoc casu obligare, pretium depositum lucrari, & retinere? Affirmant Nav. *c.* 20. *n.* 18. *Tol. l.* 5. *c.* 37. *Medina, Lopez*, ac alii multi, quos citant, & sequuntur Sanch. *c. dub.* 13. Laym. *c.* 21. *n.* 4. Ratio est; quod error circa qualitatem non causatus ab altera parte contrahente non vitiet contractum gratuitum, vel onerosum, cum absolutum consensum in ipsam rem non auferat. Negant autem universaliter Mol. *disp.* 508. Lessius *cap.* 26. *dub.* 5. aliique cit. Lug. *disp.* 31. *sect.* 6. Ratio est: quia in hoc contractu per modum emptionis datur spes lucrandi pro periculo amittendi, tamquam merx pro pretio, inter quæ necessario debet servari æqualitas: atqui in proposito non servatur æqualitas inter partes: apud unum enim est certa spes, & periculum nullum; apud alterum re ipsa est spes nulla, & periculum certum: ergo sciens rem, non potest cum altero decepto etiam volente spondere: quemadmodum enim venditor, qui sciret certo, gemmam esse falsam, etiam non credente, & petente emptore, non posset juste vendere pro pretio gemmæ veræ: bene autem si uterque dubitaret, & sic se æquali periculo exponeret, moderato pretio, ut suo loco dictum: ita etiam, qui scit veritatem rei certo, & consequenter alterius decepti spem falsam esse, & nullam, non poterit illi juste vendere pro suo jure, & spe certa ad lucrum, etiam illo non credente, & petente; bene autem, si uterque ambigat, & sic æqualiter utrinque sit & spes, & periculum lucrandi, vel perdendi: intellige semper stando in contractu oneroso: aliud enim esset si constaret de spontaneo animo donandi. Placet judicium Filliucii *tr.* 37. *cap.* 2. *n.* 24. primam sententiam esse satis probabilem, sed secundam magis justam, & tutam.

CAPUT VII.

De reliquis Contractibus præcipuis, dominium utile tantum, vel nullum proprie transferentibus: Commodato, Precario, Locato, Conducto, Emphyteusi, Feudo, Fidejussione, & Assecuratione, Pignore, Hypotheca, ac Deposito.

SECTIO I.

De Commodato, & Precario.

SUMMARIUM.

1 Usque ad n. 5. *Explicatur definitio commodati*.
5 *Si res commodata sine culpa commodatarii pereat, commodanti perit*,
6 *Qui etiam tenetur præstare expensas ad rei commodatæ usum, & conservationem*.
7 *Commodatarius tamen debet in ea conservanda adhibere eam diligentiam, quam in rebus propriis adhibet:*
8 *Nec ea aliter, nisi ad usum concessum, uti potest, eum tamen etiam alteri licite concedit*.
9 *Commodatum differt a precario, quod non sit ad nutum revocabile, sicut precarium &* 10.
11 & 12 *Precarium quid*.
13 *Differt a commodato, quod sit ad nutum revocabile*.
14 *Definitur, & solvitur duobus modis*.

Commodatum definitur §. item instit. quibus modis re contrahitur obligatio: *Rei alicujus quoad solum usum gratuita concessio*. Addi, vel subintelligi necessario debet, usque ad certum tempus, seu *ad nutum non revocabilis*. Sensus ergo, & clarior definitio est: *Commodatum est contractus gratuitus, quo ad solum usum pro aliquo certo tempore res alicui gratis conceditur*. Sed explico in prioribus terminis Juris. 1

I. *Gratuita concessio*.

Est enim Commodatum contractus gratuitus simpliciter, quo mutuo consensu a commodante commodatario aliquid gratis ad usum conceditur: atque per hoc differt commodatum a locato, quo conceditur usus rei pro pretio: nam ut dicitur cit. §. item is. *Commodata res tunc proprie intelligitur, si nulla mercede accepta, vel constituta, utenda data est: alioquin mercede interveniente, locatus usus rei videtur: gratuitum enim commodatum esse debet*. Sic Justinianus. Quod si ergo quid commodetur non quidem pro pretio, sed cum pacto vicissim aliquid commodandi, aliudve præstandi, desinit esse commodatum, & erit contractus onerosus innominatus, *do, ut des*, vel *do, ut facias*. 2

II. *Rei alicujus*.

Materia commodati sunt omnes res mobiles, & immobiles: quia non tantum equus, supellex, arma &c. sed etiam domus, officina, pratum, prædium &c. commodari, seu ad usus gratis concedi possunt: solum autem res mobiles usu non consumptibiles proprie commodari possunt; hæ enim solæ post usum proprium salvæ remanentes domino restitui possunt: non item res usu consumptibiles, ut pecunia, vinum, frumentum; hæ enim ipso usu proprio, & unico absumuntur: possunt tamen etiam ejusmodi quandoque commodari, vel etiam locari pro pretio ad aliquem usum proprium, v. g. ad pompam, vel ostentationem, ad fallendum Dominum, res suas videre volentem. 3

III. *Ad solum usum*.

Per hoc commodatum differt in primis a deposito, pignore, hypotheca, quorum solum jus servandi, non vero usus conceditur; & si habens, iis utatur contra voluntatem domini, furtum committit, §. *furtum autem, inst. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur*. Deinde per hoc differt a mutuo, quippe quo non tantum usus, sed etiam dominium rei mutuatæ in individuo confertur, & transfertur in mutuatarium; ideo non eadem res in individuo, sed alia res similis, & æquivalens restituenda est. In commodato autem conceditur solus usus, sic ut eadem numero res per culpam deterior non facta, restituenda sit: dominium vero proprietatis, immo & ipsa possessio plene remanet apud commodantem, qui per commodatarium, tamquam ministrum suum pergit possidere, tam naturaliter, quam civiliter, juxta *L. rei commodatæ, ff. commodati*, & hinc fit 4

I. Si res commodata sine omni culpa commodatarii pereat, suo domino perit, scilicet commodanti, & non commodatario, qui proin nihil compensare tenebitur; nam res quoad proprietatem commodantis est. Similiter si concesso, & necessario usu res commodata deterior fiat, v. g. vestes commodatæ atterantur, commodantis damno fit; quippe qui in hoc tacite consensisse censetur, *L. cum qui* 10. *ff. commodati*. Insuper si commodes rem vitiosam scienter, unde damnum oriatur commodatario v. g. dolium rimosum, vel cariosum, currum cum rotis fractis, equum calcitrosum, nisi præmoneas commoda- 5

modatarium de vitio rei, peccas, & ad restitutionem damnorum inde secutorum obligaris; quia decepisti eum damnose, cum pro usu obtulisti, quod ad usum non aptum, immo usu ipso damnosum sciebas. Communis DD.

6 II. Commodatarius tenetur præstare expensas ordinarias ad usum, & conservationem rei commodatæ requisitas; utpote cibaria equi, vel servi commodati, medicamenta communia &c. non item expensas extraordinarias graves, v. g. curationem insolitam equi, vel servi morbidi, reparationem ædis ruinosæ, hæ enim expensæ ad commodantem spectant, easque si forte exhibuit, commodatarius repetere in judicio etiam, & contra commodantem actionem instituere potest. *L. in rebus* 18. §. *possunt*. 2. *ff. eodem*. Ratio utriusque est; quia ordinariæ expensæ pro usu, & conservatione rei commodatæ cedunt in utilitatem commodatarii: extraodinariæ vero cedunt in utilitatem commodantis, qui est dominus rei. Similiter si ex re commodata commodatarius damnum passus est, non sine dolo, vel culpa lata commodantis, ut si scienter commodavit vas vitiosum, quo vinum, vel oleum infusum corruptum, vel effusum fuit, contra eum actionem instituere jure poterit, cum ipse in conscientia peccaverit contra justitiam cum onere compensandi damna, ut modo innui.

7 III. Commodatarius in re commodata conservanda eam diligentiam præstare debet, quam quisque diligentissimus Paterfamilias in rebus suis similis valoris adhibet, *cit. L. in rebus*. Unde etiam si per culpam levissimam perierit, vel deterior facta sit res commodata, damnum præstare debes; quia in ipsius solius gratiam, & commodum res commodata fuit. Idque certum in foro externo; an etiam in foro conscientiæ; resolutum est generaliter in materia de Restitutione ex contractu. Quæ recole. Secus est, si aliquis ob suam dumtaxat causam commodaverit v. g. sponsæ, uxori, famulo, vestes, ut honestius incedant &c. tunc enim dolus tantum, & culpa lata præstanda erit. *L. si ut certo loco*, 5. §. *interdum*, 10. *ff. eodem*. Quod si res duobus commodata erit, & unius tantum dolo, vel culpa periit, aut deterior facta est: is solum damnum præstare cogetur: si autem uterque in culpa fuit, uterque pro rata obligabitur; si tamen unus totum præstitit, ab altero ratam repetere jure poterit, ut habetur *ib.* in Jure. Ratio est totaliter evidens.

8 IV. Quamvis commodatarius non possit uti re commodata, nisi ad usum concessum, adeo ut peccet contra Justitiam is, qui re commodata ad unum usum, usurparet ad alium usum, v. g. equum concessum ad equitandum adhiberet ad trahendum currum onustum; vel concessum ad iter Salisburgum tantum, uteretur usque Oenipontum: atque, si eo inconcesso usu res pereat, vel deterior fiat, ipsius damnum ab eo compensandum erit commodanti, ut suo loco dictum. Attamen non peccat commodatarius, si eundem usum sibi concessum commodaret alteri æque tuto usuro: nam de hoc usu disponens commodatarius vere disponit de suo, nisi tamen aliter expresserit commodans, aut ex circumstantiis aliud colligatur de domini voluntate. Denique quia in his terminis hactenus explicatis definitio tota commodati adhuc convenit precario, ideo necessario addendum fuit

IV. *Non ad nutum revocabilis*.

9 PEr hoc tandem commodatum stricte sumptum in jure differt a precario ad nutum commodantis revocabili; quod scilicet commodatum fiat ad certum tempus statutum (vel expresse v. g. ad annum, mensem, ad hoc iter: vel tacite v. g. librum ad legendum, vel describendum) ita ut antea res commodata a Domino repeti non possit: eo autem tempore finito restituenda sit, licet a domino non repetatur; *nam dies statuta pro domino interpellat*, L. magnam 12. Cod. de contrah. stipul. cap. ult. de locato. Unde commodans peccat contra Justitiam, & commodatarius contra eum agere poterit, si ille rem commodatam ante tempus præscriptum, usumve concessum finitum intempestive repeteret: quia inferret injuriam ipsi, lædendo jus ex contractu acquisitum, cum onere compensandi damnum: nam ut dicitur. L. in commodato 17. §. 3. circa finem ff. cit. *Adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet*. Et *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*. Reg. 33. in 6. Etsi enim liberæ voluntatis sit commodare, postquam tamen commodatum est, quod a principio beneficii, ac liberæ voluntatis fuit, transit in obligationem, & etiam liberaliter promissum cadit in debitum.

10 At quid, si ante tempus elapsum commodanti emergat necessitas, qua re sua æque, vel magis indigeat, quam commodatarius: poteritne juste, & licite revocare commodatum, remque suam repetere? Consentiunt omnes, non posse revocare, si ejusmodi necessitas eventura antea prævisa fuit: tunc enim in eam censetur consensisse. Si vero talis necessitas ex improviso supervenerit, adhuc non posse revocari in utroque foro, docet Nav. *c.* 17. *n.* 182. Alii distinguunt: Si Commodatarius antea non poterat sibi aliunde providere, concedunt, revocari posse: si vero poterat aliunde sibi providere, negant revocari posse. Sed rectius absolute in utroque foro commodantem tunc revocare posse, concedunt Sylvest. Angelus, aliique cit. Mol. *disp.* 244. Less. *l.* 2. *c.* 27. *nu.* 18. *dub.* 5. Laym. *c.* 14. *n.* 3. Lug. *disp.* 33. *sect.* 2. *num.* 10. *&* 11. Ratio est: quia commodans gratuito commodando non censetur ad huc inopinatum eventum, & cum tanto suo gravamine obligare se voluisse; cum quisque præsumatur ex re sua magis sibi, quam alteri prospicere velle: nec refert, quod donator non possit revocare donationem traditione perfecta ex eo, quod res donata postea æque, vel magis sibi necessaria sit. Clara est disparitas: quia in re donata transfertur totum dominium in donatarium: in commodatione vero, retento dominio rei, conceditur solus usus: atqui in re propria nemo censetur cum tanto gravamine concedere usum. Adde ex dictis suo loco, etiam donationem jure revocari ob inopinatam postea susceptam prolem: ergo a fortiori ob similem, & minorem etiam causam revocari poterit commodatum. Damnum denique, si quod ex tali revocatione oritur commodatario, etiam sequi potest ob revocationem donationis propter susceptam prolem: sed utrinque per accidens est, & ex negligentia, vel imprudentia donatarii, vel commodatarii, qui potuit hunc casum valde possibilem prævidere, excipere, vel aliunde sibi consulere. Sequitur nunc commodato affine

Precarium.

DEfinitur L. 1. ff. de precario: *quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, non revocaverit*. Et paulo post: *qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sic libuerit precarium solvere. Est enim natura æquum* (dicitur in lege sequenti) *tamdiu te liberalitate mea uti, quamdiu ego velim, & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem*. Sic Jus. 11

I. Precarium ergo (prout sumitur in Jure Civili, & hujus loci est) est contractus, quo quis alteri petenti, seu precanti concedit aliquid ad utendum, sive mobile, sive immobile, etiam incorporale, ut servitutem, facultatem venandi, piscandi, seu quodcumque aliud jus cum potestate revocandi quandocumque Dominus voluerit. Dixi *in Jure Civili*: nam in Jure Canonico toto titulo *de precariis*, precarium specialiter acceptum significat concessionem alicujus boni Ecclesiastici factam alicui, vel pro tota vita, vel ad certum tempus: atque interea renovari solet de quinquennio in quinquennium, ne jus Ecclesiæ in oblivionem abeat, sed de hoc nobis hic sermo non est, sed spectat ad materiam de Beneficiis. 12

II. Precarium nostrum differt a commodato per solam facultatem revocandi pro libito concedentis, cum ille ad nullum certum tempus utendi expresse, vel tacite præfixum (sicut in commodato) concesserit: adeoque precarium ex natura sua hoc habet, ut quocumque tempore sit revocabile: ut juribus cit. habent passim DD. & bene *Lugo c. nu.* 15. Ita tamen, ut statim non revocetur sine cogente necessitate; aliquantulum enim temporis concedi debet judicio prudentis definiendi, ne frustra, & illusorie, vel potius dolose concessum videatur; dum ex parte una concederetur usus rei, ex altera parte autem statim tolleretur. Vide dicta in simili supra de mutuo repetendo quando nullus certus terminus præfixus est, cap. 4. sect. 1. §. 2. & huc omnino applica. 13

III. Precario utens re alterius in ea conservanda solum tenetur præstare damnum ex dolo, non autem ex culpa, nisi lata, quæ dolo æquiparetur, *L. quod Nerva ff. depositi*. Cum enim precario dans ex nulla obligatione, sed mera continua voluntate rem habere alterum patiatur, non censetur eum arcte obligare velle. *L.* 2. & *L. quæsitum de precario*. 14

IV. Precarium concessum natura sua finitur, & solvitur duobus modis. 1. Voluntate concedentis, vel expressa, vel tacita: utpote si rem tuam alteri precario concessam, postea vendas, vel dones alteri; qui tamen si rem non statim ad se revocet, censetur & ipse rem precario concedere, *L. quæsitum, ff. eod.* & *c. ult. de precariis*. 2. Solvitur per mortem ejus, cui concessum fuit precarium, & non transit ad ejus hæredes, cum sit veluti gratia personalis. *L. cum precario, ff. eod.* v. g. precario mihi concessisti, ut possim in sylva tua venari, per prædium transire &c. si ego morior, non gaudebit hac concessione meus filius, vel hæres: quia concessio precarii personalis est: non autem finitur, vel solvitur precarium absolute concessum morte concedentis, sed concessio transit, & durat apud hæredes, vel successores, donec ipsi revocent. *L. quæsitum*; nam per solam mortem concedentis non fit revocatio concessionis, neque gratiæ expirant morte concedentis. 15

Dixi autem *absolute concessum*. Secus esset, si concessum fuit precarium cum expresso modo adjuncto ad *beneplacitum meum, quamdiu, donec, quousque ego voluero &c.* tunc enim me mortuo cessat meum beneplacitum, & voluntas, cum mortuus nec beneplacitum, nec voluntatem habeat. Ita Abbas *in c. ult. de precariis n.* 5. communiter receptus Molina *disp.* 298. Laym. *c. n.* 5. *fin.* Tametsi oppositum, & etiam sub hoc modo concessum precarium non finiri morte concedentis probabiliter doceant, alii, Castropal. &c. eosque citans Tamb. *l.* 9. *tr.* 7. *c.* 6. *n.* 9. Ratio est: quia in communi modo loquendi hæ formulæ; *ad beneplacitum meum, donec ego voluero*: æquivalent huic: *donec ego revocavero, vel quousque non revocavero*: atqui sola morte concedentis non ponitur revocatio, nec a mortuo amplius poni potest: ideoque sub isto posteriori modo concessum precarium non finitur morte concedentis, secundum omnes: ergo neque illo priori modo. 16

SECTIO II.

De Locato, & Conducto, seu locatione, & conductione.

SUMMARIUM.

17 *Locatio, & conductio quid.*
18 *Tam locator*, 19. *quam conductor quilibet tres obligationes contrahit.*
20 Usque ad n. 24. *Quaenam locari possint.*
24 *In locato solum usus rei, & interdum etiam fructus traditur.*
25 *Qui fructus quamdiu pendent, seu a re locata separati non sunt, ad locatorem spectant, postea separati conductoris fiunt &* 27.
27 *Qualis, quanta, quando, & ubi solvenda sit pensio a conductore.* Usque ad n. 30.
30 *Ob quas causas ante tempus conductionis finitum conductor expelli possit.*
31 *An, mortuo locatore, ejus haeres teneatur postea stare contractu locationis.* Usque ad n. 35.
35 Usque ad n. 39. *Ad quem spectet facere expensas ad rem locatam, vel conductam conservandam. Item*
39 Usque ad n. 44. *Ad quem spectet damnum rei locatae, vel conductae.*
44 Usque ad n. 50. *An, & quando conductor liberetur a solvenda pensione, si ei res locata fiat inutilis.*
50 *An, & quid conductori de pensione remittendum, si res locata fructifera reddatur sterilis.*

17 LOcatio est *contractus onerosus, quo quis rem aliquam, vel personam alteri utendam, vel fruendam certo pretio, mercede, vel pensione constituta concedit.* Conductio vicissim est *contractus onerosus, quo quis rem aliquam, vel personam utendam, vel fruendam certo pretio, vel pensione constituta, ab altero suscipit.* Jam vides, secuto quod notat Laym. *lib. 3. tr. 4. c. 21. n. 1.* Quemadmodum in re idem est contractus Emptionis, & Venditionis; differunt autem solum per diversam relationem, quatenus enim datur pretium pro merce dicitur emptio, & dans emptor; quatenus vero datur merx pro pretio, dicitur venditio, & dans venditor: ita idem omnino contractus est locatio, & conductio, etsi diverso respectu, dans rem utendam, vel fruendam dicitur locare, & locator, dans autem pretium pro re utenda, vel fruenda, dicitur conducere, vel conductor. Jam explico terminos Definitionis.

I. *Est contractus onerosus.*

18 NImirum conventio duorum ultro, citroque se obligantium: nam & conductor locatori, & vicissim locator conductori obligatur satis graviter, & potissimum in tribus: nam locator tres obligationes contrahit ad conductorem. *Prima est:* tradere rem minime vitiatam, damnosam, vel inutilem ad usum locationis, ut in simili modo supra dictum est de commodante, quamvis longe major sit ratio obligationis, & restitutionis pro damno secuto ex re vitiosa, in locante pro pretio, quam in gratis commodante. *Secunda:* facere aliquas expensas rei locatae, de quo infra speciali dubio. *Tertia:* non expellere conductorem a re locata, de quo inferius.

19 Conductor e contra a locatore triplicem obligationem contrahit. 1. Solvere pensionem debitam juxta mox dicenda. 2. Etiam facere aliquas expensas in re conducta: de quo *Dub.* 1. 3. Finito tempore locationis reddere eamdem rem integram, salvamque, sicut accepit: quod certe maxime est de essentia hujus contractus, cum enim res conducta maneat in dominio locatoris, solo usu, vel fructu concesso conductori, ratio clara dictat, eam totam integram esse reddendam, aut si culpa conductoris perierit, vel deterior facta sit, compensandam, juxta dicenda infra *Dub.* 2. Ubi iterum advertas (quemadmodum supra de commodato) res usu consumptibiles, ut vinum, frumentum, pecuniam, proprie locari nequaquam posse; nisi forte ad pompam, vel ostentationem: quia non potes dare alteri usum absolutum, salva re tua, cum usus ipse rem consumat: unde Megala apud Lug. *disp.* 29. *n.* 84. merito condemnat contractum cujusdam Pharmacopolae, qui alteri locavit ad decennium officinam suam pro annuis 30. aureis computando 10. pro ipsa domo, & officina, 10. pro vasis & instrumentis (haec duo non injuste, servatis ser.) & 10. pro ipsis medicamentis, omnibus tamen post elapsum decennium in aequivalenti restituendis. Hoc ultimum claram injustitiam continet: cum enim medicamenta sint usu consumptibilia, & de facto consumenda, non poterunt locari pro pretio usus ipsorum, quippe ipso usu consumendorum, & aliunde in aequivalenti restituendorum. Vide etiam Tambur. hic *tr.* 4. *cap.* 3. *fin.*

II. *Quo quis rem aliquam, vel personam.*

20 I. OMnis res mobilis, ut vestis ad induendum, equus ad equitandum, bos ad arandum, vaccas ad fructificandum, &c. quo etiam spectat persona: nam modo aliam personam, in quam quis jus habet, v. g. servum ad laborandum, verum etiam, & seipsum homo liber, vel potius suum

laborem, servitium, opificium, industriam, vel quodvis pretio aestimabile obsequium, saltem honestum (de quibus suo loco) potest alteri locare, idque sive in genere, ut famuli, qui pro pretio se exhibent ad serviendum in quacumque re domino, sive in aliquo particulari, ut coloni, artifices, Medici, Chirurghi, Magistri litterarum & artium. Huc ergo spectant omnes contractus mercenarii pro mercede pecuniaria.

II. Omnis etiam res immobilis, ut domus ad inhabitandum, hortus, ager, vinea, praedium ad fructum capiendum: 21
sed hoc ad breve tempus infra decennium; nam si ad tempus longum, nempe decennium, concessio fiat rei immobilis fructiferae, cessat esse locatio, & conductio, & efficitur contractus Emphyteuticus, de quo *Sect. seqq.* Et quia nomine rerum immobilium, & stabilium veniunt etiam jura, v. g. servitus, jus exigendi gabellas, decimas, certos fructus, etiam Beneficia Ecclesiastica, ideo etiam haec locari pretio, consideratis omnibus, justo juste possunt. Caeterum etsi contractus locationis, & conductionis locum solum habeat circa res temporales, magnam tamen similitudinem rationis, & juris habet cum contractu illo innominato, quo Beneficiatus superior v. g. Canonicus inferiori, vel Vicario confert beneficium curatum, vel Parochiam cum onere certae pensionis annuae solvendae: de quo in materia de Beneficiis.

III. Universaliter ergo omnia, quae vendi possunt, pos- 22
sunt etiam locari, exceptis iis, quae lege prohibentur. Jure autem positivo Caesareo. I. Prohibetur locari domus vicina habitationi Magistro fabro, vel altero Magistro, quando eorum voces confunderentur. *L. un. C. de studiis liberal. Urbis Rom.* quamvis hanc Legem non esse in usu, nisi Magister reclamet, notet Bonac. *disp.* 3. *de contr. qu.* 7. *pun.* 1. *prop.* 2. II. Prohibentur conduci praedia a militibus, & curialibus. *L. curiales ff. locat.* III. Prohibentur praedia conduci a Clericis negotiandi causa, licet iidem possint succedere conductori. *L. ult. de vita, & honest. Cleric.* IV. Jure Canonico *Clement. ambitiosa*, prohibentur locari praedia Ecclesiae, nisi ad triennium, intelligendo tamen triennium non pure naturale, sed morale, & utile, scilicet tres annos fructificantes: ut pluribus citt. docet Fill. *tr.* 44. *c.* 2. *n.* 8. inter alias dicens; Itaque si sit fundus, qui alternis tantum annis sit fertilis, poterit ad sextos annos, si tertio quoque anno sit fertilis, locari potest ad novennium: quia annus locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex decursu cum proventu fructuum. Sic ille, quem vide.

IV. Sed ecce tibi dubium paupertinum: Titius pauper ob- 23
tinuit ab Episcopo, vel Magistratu facultatem mendicandi, vel petendi eleemosynam in hac civitate, vel territorio; poteritne hoc suum jus paupertinum locare alteri pro certa pensione? Concedit Sanch. *l.* 1. *Consil. c.* 7. *dub.* 2. dicens: quia id nullo jure prohibetur, & pauper locat jus, quod habet, estque contractus fortunae aequali utrinque periculo lucrandi, vel perdendi. Negat vero Lug. *disp.* 29. *sect.* 1. *n.* 3. ea potissimum ratione: quia esto contractus iste justus sit inter locatorem, & conductorem, est tamen injustus contra fideles eleemosynam dantes, qui pauperi tantum volunt dare, & non huic conductori, qui pauper non est, ut supponitur. Sed certe facile respondet *Sanchez*, hoc modo fideles adhuc mediate vere pauperi dare, mediante scilicet illo conductore inde pensionem solvente pauperi, idque nec ipse Lugo negare potuit licere; quando pauper occumbens per se ipsum eleemosynam petere non posset.

III. *Utendam, vel fruendam.*

SEu ad usum, vel etiam fructum: interdum enim solus 24
usus conceditur, ut in domo, equo, veste, instrumento: interdum etiam fructus, ut in vacca, agro, vinea, praedio, dominio directo semper remanente apud locatorem concedentem: atque per hoc differt locatio a permutatione, venditione, mutuo &c. quibus dominium plenum rei transfertur in alterum. Conductor autem rem sibi locatam ad usum, vel fructum, ad eumdem usum, vel fructum alteri aeque idoneo elocare potest. L. nemo 6. C. de locato: *Nemo prohibetur rem, quam conduxit, fruendam aliis locare; si nihil aliud convenit.* Interim secundus conductor personaliter obligatur ad pensionem solvendam secundo tantum locatori, cui si pensionem exsolvit, penitus liberatur ut nihil debeat primo locatori, *L. solutum* 11. *ff. de pignoratitia actione.* Excipe ergo ex ipso Jure, nisi aliter explicite, vel implicite conveniatur: ubi conventio implicita contraria colligenda erit ex circumstantiis: si enim ego tibi honesto viro locavi domum meam honestam, ex conventione implicita non poteris domum meam sublocare meretrici publicae, vel usurario, quando id cedit in dedecus domus meae. Sic in similibus.

Caeterum quoad usum rei locatae jam ex dictis in simili 25
de commodato constat, non posse te re locata ad alium usum uti, nec consequenter ad alium diversum usum alteri sublocare praeter illum, ad quem conventum est cum locatore. Quoad fructus autem rei locatae, pro quibus conductor pensionem solvit, merito hic quaeri potest; sub cujus dominio sint illi fructus, an locatoris, qui est dominus proprietarius fundi; an conductoris, qui est velut usufructuarius. *Resp.* cum distinct. 1. fructus adhuc pendentes, antequam separati a solo colligantur, spectant ad dominium

proprietarii fundi. *Ratio est:* quia tunc fructus adhuc sunt pars fundi, & faciunt quid unum cum ipso fundo, vel cum arboribus solo affixis: cum igitur ipse fundus, ejusque arbores plantæ sint sub dominio proprietarii, etiam erunt fructus adhuc pendentes. Et hinc recte resolvit Dian. *p.3.tr.1. res.19.* quando sæcularis emit fructus pendentes prædii Ecclesiastici, vel ad Religiosos spectantes, non teneri eum solvere gabellas forte impositas pro emptione fructuum ob rationem datam: quia scilicet tunc fructus spectant ad dominium Ecclesiasticum. 2. Fructus autem jam separati a fundo, postquam collecti sunt, statim fiunt conductoris, etiamsi is pensionem nondum solverit, uti contra *Gl. Bar.* & alios recte docent Mol. *d.* 497. Lug. *d.* 29. *sect.*2. *n.*29. Tamb. *l.*9. *de contr. tr.*4. *c.*3. *n.*5. Alii apud ipsos. *Ratio est:* quia ex vi contractus habet jus fruendi re, & consequenter faciendi fructus suos, etiam antequam pensionem solvat. Hinc rursus resolvit Dian. *ib. res.* 19. inquiens; coloni Religiosorum tenentur solvere gabellam ex fructibus collectis, si eos deferant de loco ad locum, aut alienent; tunc enim sunt bona laicorum, & non pertinent, ne indirecte quidem ad Ecclesiasticos. Hæc *Diana*. Interea tamen donec conductor, vel colonus pensionem solvat, dominus fundi habet hypothecam in illis fructibus, ipsique fructus sunt ei in pignus, seu tacite subjecti pro pensione solvenda: ut habetur expresse in Jure. *L. in prædiis 7. pr. ff. in quibus causis pignor. vel hypot.* Unde recte appellaretur fur ille conductor, si clam eos extra prædium asportaret, non requisito domino. *L. si servus communit. & 61. §. locavi, & ff. de furtis.*

IV. *Certo Pretio, Mercede, vel Pensione constituta.*

26 CONfunduntur hæc pro synonimis, proprie tamen aliqualiter differunt in proposito: *Pretium* proprie dicitur, quod datur pro usu rei mobilis, ut equi, currus, instrumenti &c. *Merces* proprie datur pro labore, opera, obsequio hominis conducti, unde & mercenarius dicitur. *Pensio* autem proprie datur pro jure concesso utendi, vel fruendi re alterius immobili, ut domo, prædio, agro &c. Videndum breviter, *qualis*, *quanta*, *quando*, *ubi* solvenda a conductore ejusmodi pensio, vel merces.

27 I. *Qualis?* Pensio locationum constituenda, & solvenda est in sola numerata pecunia: nam si alia merces statuatur, non efficitur proprie locatio, sed contractus innominatus: *facio, ut des: do, ut facias &c.* concedo usum equi, ut des scapham frumenti: do scapham frumenti, ut juves metere, vel aliud servitium præstes; quamvis etiam talis contractus assimiletur locationi in Jure, ut dispositum de uno intelligatur etiam dispositum de altero: ut notant DD. in *l.* 1. *§. si quis servum 9. ff. depositi*. Neque locator cogi potest, ut pro pecunia constituta acceptet alias res, etsi æquivalentes, sicut e contra nec conductor, vel debitor cogi potest unam speciem pro alia solvere; ut ex communi notant Navar. *cap.* 17. *n.* 108. Laym. hic *cap.* 22. *n.* 1.

28 II. *Quanta?* Tanta certe pensio solvenda est pro re locata, sive ad utendum tantum, sive etiam ad fruendum, quanta per justam conventionem decreta est: ita nimirum, ut judicio prudentis, & experti viri non excedat commoditatem usus, vel fructus sperati talis rei, detractis expensis aliisque detrahendis, ut sunt gabellæ, vel alia onera rei locatæ. Quod si ergo lædantur, aut conductor, nimia pensione, aut ipse locator pensione notabiliter minori, quam revera usus, vel fructus talis rei aut operæ talis personæ valeant, eadem omnino ratione resolvendum erit, sicut resolutum est supra *cap.*5. §. 4. *a n.* 73. *de decept. pretii in Empt. & vendit.* Nimirum in foro externo datur actio ad rescindendum contractum, & restitutionem etiam in integrum læso seu decepto ultra dimidium justi pretii tantum: in foro autem conscientiæ semper obligatur lædens ad restituendum læso, sive læsio fuerit ultra, sive infra dimidium; eadem enim utrobique est ratio.

29 III. *Quando*, vel *ubi?* Certe pensio solvenda est eo tempore, & loco, quo expresse, vel tacite conventum est, vel prout consuetudo loci obtinet. Si nec ex conventione, nec ex consuetudine satis constet, quando, vel ubi solvendum sit, id facile ex natura contractus, vel circumstantiis dignoscitur, ac proinde huic quæstioni immorandum non est. Quod si omnibus expensis dubium sit, an conductor pensionem solverit; omnino adhuc tenebitur solvere, quia locator est in possessione crediti contra ipsum. Hic notandus est textus Juris L. quicumque C. de apochis publicis. *Is qui ostendit, se tribus proximis annis solvisse, retro solvisse præsumitur, nisi contrarium probetur.* E. g. Petrus habet domum conductam a Paulo 8. annis, si ostendat apochas, seu chyrographa solutionis factæ per tres proximos annos, in dubio de præcedentibus præsumitur solvisse etiam pro annis prioribus. Sed nota aliud, *Nisi contrarium probetur.* Si enim revera solutæ non fuerunt priores pensiones, adhuc eas obligatur conductor solvere in conscientia; & locator eas exigere potest, etiam se occulte compensando, juxta Regulas justæ compensationis. Vides jam, quam inique, & insipide fallant, qui in pensionibus solvendis petunt apocham, vel scripturam solutionis pro præsenti anno: cum tamen priores nondum solverint sub spe aliquando utendi hoc beneficio Legis, quasi Leges sacræ fraudibus patrocinari velint, ac possint. Denique, an pensio adhuc solvenda sit, si res conducta fiat inutilis, infructifera, &c. necessario dicam seorsim. *Dub.* 2. 3. & 4.

V. *Concedit, suscipit.*

30 LOcator vere concedit, id est, cedit, & confert conductori, & hic vere recipit aliquod jus utendi, vel fruendi re locata: ita ut locator pro arbitrio suo expellere, vel rem locatam alteri locare durante tempore conductionis minime possit: sed postea tantum. *L. ad* 3. *C. de locat.* Ubi quatuor causæ afferuntur, ob quas ante tempus conductionis finitum, invitum conductorem expellere licet. 1. Est, si integram pensionem tempore statuto non solvat, & solvere renuat pertinaciter. *Unde cap. propter* 3. §. *verum de locato*. Pontifex designat biennium, quo si pensio soluta non fuit, conductor expelli possit: tunc enim præsumitur, quod is pensionem solvere pertinaciter intermittat. 2. Si casus improvisus intervenerit, ob quem res v.g. domus elocata domino æque, vel magis necessaria sit, quam conductori, eaque causa prævisa non fuerit, quando ab initio facta est locatio. Vide de his causis late Mol. *disp.*499. 3. Si rem locatam reficere necesse sit, quæ refectio fieri non possit, remanente conductore in domo, prædio &c. Sed facile vides hoc, & priori casu conductorem non obligari ad pensionem correspondentem tempori absentiæ, sed priori tantum. 4. Quando conductor in re locata male versatur, aut ei damnum infert, quod etiam præstare, seu compensare tenebitur; ut si in domo urbana alat porcos, cuniculos, &c., si agrum non colat, arbores cædat; item si re conducta abutatur contra bonos mores: ut si in domum honestam conductam introducat meretrices, helluones cum dedecore domus, vel scandalo publico; poterit eum dominus expellere ante impletum locationis terminum: atque hoc quarto casu conductor expulsus tenebitur locatori adhuc solvere pensionem temporis sequentis usque ad terminum locationis: ut si v. g. in Quadragesima expulsus sit, tenebitur ei pensionem totius anni dare, ut merito censet Lessius *lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 38. Ratio est: quia alias ex causa, & culpa conductoris cessaret locatori debitum lucrum pensionis. Excipe tamen, si sapis, nisi locator rem statim æque utiliter locaret alteri; tunc enim nullum damnum pateretur ex hoc capite, scilicet ex culpa conductoris; ut in simili iterum dicam inferius.

31 At, quid si locator, aut moriatur, aut rem locatam (prout semper potest) utpote Dominus proprietarius alienet, donet, vendat alteri? tenebiturne hæres, vel successor postea stare contractui locationis factæ a primo locatore? Idemque quæri potest de hærede, vel successore conductoris. Resp. cum necessaria distinctione.

32 I. Hæres, vel successor universalis tenetur stare contractui locationis factæ a suo prædecessore: ut & ipse ante tempus non possit expellere conductorem, nisi ob causas legitimas supra dictas, *L. viam* 10. *C. de locat.* Ratio est, quia hæres universalis repræsentat personam ejus: immo eadem persona censetur cum defuncto, cui in omnibus juribus, & oneribus succedit realibus, quare debet omnia servare, ad quæ suus prædecessor se realiter obligavit. (Excipitur autem successor in majoratu, seu fideicommisso, quæ non potuit prædecessor locare alteri, nisi ad tempus vitæ, ideo ejus morte omnis ejus locatio expirat, ut ea successor stare minime obligetur, nisi velit.) Idemque dicendum est de successore sui administratoris: hinc pupillus postea tenetur stare locationi antea factæ a suo tutore, vel curatore; Prælatus, Abbas, Beneficiarius debet stare locationi factæ a suis Prædecessoribus de bonis pertinentibus ad Ecclesiam: quia eorum fuerunt legitimi administratores. Et in meliori sententia DD. cum Molin. *disp.* 492. uxor mortuo marito debet stare locationi antea factæ a marito de bonis non tantum dotalibus, quorum fuit usufructuarius, sed etiam Paraphernalibus, quorum etiam uxore non contradicente est legitimus administrator. Et ita in similibus, ac etiam aliis contractibus, ut emptionis, venditionis, census constituti &c. *Ratio* autem generalis est: quia quilibet obligatur rata habere ea, quæ facta sunt a suo legitimo administratore, quamvis deinde hic moriatur, vel amoveatur.

33 II. Hæres, vel successor particularis, ut legatarius, donatarius, emptor, qui rem alteri locatam a Prædecessore, ab eodem legato, dono, emptione, vel simili modo accepit, non tenetur stare locationi factæ a prædecessore: sicut nec conductor tenetur stare ejusmodi conductioni, ut habetur *L. qui fundum 32. ff. locati, & L. emptorem 9. C. de locato*, & communis DD. Ratio: quia successor particularis non succedit in omnibus juribus, & debitis prædecessoris, sed in illo tantum bono particulari, quod sibi datur, legatur, donatur, venditur; ergo non tenetur servare jura, vel debita contracta inter locatorem, & conductorem. Excipe: nisi signate initio locationis in pactum deductum esset ut pro tempore locationis ipsa res locata maneret particulariter subjecta, seu hypothecata conductori in securitatem suæ conductionis: tunc enim invalida fuisset alienatio subsequens rei locatæ facta a locatore ante terminum elapsum: cum fuerit jus particulare conductori acquisitum ex vi talis pacti. Alia exceptio mox apparebit.

34 III. Quod si conductor velit stare conductioni, & locationi factæ eo casu, & non permittatur: potest ipse conductor agere

agere ad interesse contra locatorem, vel ejus hæredes, si rem in alium donatione, legato, vel venditione transtulerunt: tunc enim locator, vel ejus hæredes per translationem rei in aliam, sunt causa illius interesse, scilicet damni emergentis, vel cessantis lucri, ut habetur *cit. L.emptorem*. Et hinc est alia exceptio a priori dicta: quod nimirum etiam successor particularis, donatarius, legatarius &c. vi rei locatæ alteri, teneatur stare, nec possit expellere conductorem cum suo gravi damno v. g. ab agro jam conducto, elaborato, seminato, donec fructus collegerit: quia tunc æquitas non patitur colonum conductorum fructuum jacturam pati. Idemque est in similibus. Quæ omnia summarie indicata latius videre potes apud citt. Verum aliquot jam supra indicata dubia non levis momenti explicanda restant.

Dubium I.

Ad quem spectet, expensas ad rem locatam, & conductam facere.

35 I. Expensæ ordinariæ ad solum usum, vel fructum rei locatæ capiendum faciendæ ad conductorem spectant: v. g. equi, bovis, vel servi locati alimenta, expensæ quotannis faciendæ ad agrum, vel vineam colendam, metendam, fructus colligendos &c. de quo nullus dubitat, & constat ex Jure.

36 II. Expensæ necessariæ ad ipsam substantiam rei locatæ, ejusque partes permanentes conservandas, v. g. ut domus locata, sarta tecta conserventur cum fenestris, fornace, puteis &c. ad locatorem dominum rei spectant. *L. dominus* 55. *& L. colonus 61. ff. locati*. Ex com. DD. cum Mol. *disp.* 495. Laym. *hic c.22. n.4*. Cujusmodi etiam sunt expensæ, ut in agro fiant necessariæ fossæ, & aggeres, ut equus conductus calcetur, vel infirmus extraordinario medicamento curetur, & his similia. *Ratio est:* quia locator tenetur tradere conductori rem aptam communi usui, & consequenter eam non aptam factam, aptam reddere suis expensis. Unde si conductor ipse in rem conductam ejusmodi necessarias expensas fecit, potest eas de pensione detrahere, aut a locatore repetere, finita locatione, ut expresse habetur utraque L. cit. imo si eas expensas nolit locator solvere, sibi potest conductor occulte compensare, vel rem locatam, sibi tamdiu retinere donec ejus usu, vel fructu compensentur eæ expensæ necessario factæ: intellige semper præscindendo a contrario pacto vel consuetudine. Consequenter ob eamdem rationem, etiam ad locatorem non ad conductorem spectabit, tributa, & onera publica solvere, ac præstare, quæ ratione domus aut fundi locati debentur ut constat *ex ff. de via publ.* Quamobrem dicitur: *Construat vias publicas unusquisque secundum propriam domum: & aquæductus purget, qui sub diu sunt; & construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire. Quicumque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent dispendium in mercedem.* Excepto semper, ut modo innui, nisi de expensis faciendis aliter inter contrahentes conventum sit, aut loci consuetudine aliquid specialiter receptum sit. *L. circa locationes 29. C. de locato.*

37 III. At quid de expensis necessariis ad avertenda mala, pericula, & damna rei locatæ, vel conductæ, ut scilicet conserventur, v. g. ab incendio domus, ager ab illuvione, prædium, vel quævis res a prædonibus, hostibus? &c. Resp. cum Tamb. *hic cap.* 1. §. 2. *a n. 6*. Modicæ, & ordinariæ expensæ pro rei conservatione ad conductorem spectant. *Ratio est;* quia qui conducit rem, obligat se ad illam ordinariis, consuetis modis; adeoque etiam ordinariis, non magnis expensis conservandam: & nisi ita custodiat, erit in culpa & consequenter incidet in onus resarciendi totum damnum, quod inde sequetur; posito enim, quod conductor rem aptam habeat a locatore, debet ille providere, ne inepta reddatur, vel perdatur; quod confirmat textus Juris in l. videamus 11. §. 2. *ff. locat.* ubi ait Imperator: *Item prospicere debet conductor, ne aliquod rei jus, vel corpus deterius faciat, vel fieri permittat*. II. Magnæ autem expensæ, & extraordinariæ necessario faciendæ pro conservatione rei locatæ a periculo, vel damno, casu, vel aliunde, sine culpa conductoris imminentes, ad ipsum locatorem spectant. Ita (salvo meliori judicio) putat *Tamb. & ego*. Ratio est: Quia (secluso alio pacto in contrarium) ad hæc extraordinaria non se obligavit conductor, ne tacite quidem, quia nemo in hujusmodi contractibus intelligitur se obligare, nisi ad ordinaria, & consueta. Confirmatur hoc: quia, si res conducta casu pereat, vel deterior fiat, ipsi locatori tamquam suo domino perit, ut mox dicam §. *seq.* ergo si magnum quid sit expendendum, ne pereat, locator tamquam dominus expendere debet, secluso alio pacto in contrarium: atqui in nostro contractu solum adest pactum implicite imbibitum de modicis expensis, & ordinariis, ut dictum est: non vero de magnis, extraordinariis: ergo illas solum debebit conductor, non has, sed locator. Quando ergo conductor avertit a re conducta ejusmodi mala mutuata pecunia, si sine magno suo incommodo potest) tenebitur ei illas locator reddere, & eo nolente, poterit sibi occulte compensare, vel retinere tantumdem de pensione, aut etiam retinere tamdiu rem locatam, donec ipsi satisfaciat. *Ratio est:* quia tunc conductor rem utilem gerit pro domino rei, etsi ex vi contractus non obligetur; quare justitia postulat, ut sit a domino compensandus.

IV. Quod si conductor in re locata, vel conducta fecit expensas nec necessarias, nec utiles multum; sed mere voluptuarias, v. g. ad ornatum, ad eas solvendas non obligatur conductor, nisi in eas faciendas expresse, vel tacite consenserit. At vero, si fecit expensas non necessarias quidem, tamen admodum utiles pro melioratione rei locatæ, quæ scilicet rem locatam reddant notabiliter meliorem, ac utiliorem etiam ipsi locatori; ut si plantavit arbores fructiferas, vel vineam in agro conducto: si ex fundo sterili fructiferum fecit: si in fundo, domo, valde commodum puteum fodit &c. equidem Mol. *disp.* 496. & Lugo *disp.* 29. *n.* 68. putant, adhuc non debere solvi a locatore, eo quod expresse, vel tacite non consenserint, & hoc supposito utique verum est. Attamen quia revera semper dominus censetur tacite consentire, quoties melioramenta rem utilem reddunt ipsimet locatori, ideo absolute eas expensas utiles a locatore solvendas esse; alioquin a conductore sibi compensari posse, verius est, juxta generaliter dicta *de rest. c.* 2. *sect.* 2. §.8. Ipsi etiam *Mol. & Lugo* censent: nimirum possessorem bonæ fidei (qualis certe etiam est conductor) in utroque foro posse detrahere, & dominum teneri solvere expensas necessarias, vel utiles ad melioramenta rei alienæ: non item voluptuarias, seu voluptatis tantum; quæ recole. 38

Dubium II.

Ad quem spectet damnum rei locatæ, & conductæ.

Si nimirum res locata, & conducta apud conductorem pereat, vel deterior facta sit: cujusnam erit damnum, locatoris, an conductoris? Certum, & pueris notum est, si res casu pereat sine omni culpa conductoris (secluso tamen pacto assecurationis) locatori tamquam suo domino perire, ejusque esse damnum: si vero culpa conductoris pereat, vel deterior facta sit, eidem, ejusque damno perire, eumque totum valorem rei domino resarcire teneri. Quanta autem, & qualis debeat esse culpa ad tantum onus conductori imponendum, etsi satis constare possit ex generaliter dictis de Restitutione *cap.* 2. *sect.* 6. §. 3. tamen ob speciales difficultates, & casus, & in gratiam juniorum pono breves Resolutiones, suppositis terminis *ibid.* explicatis. 39

I. Conductor, re conducta sua culpa pereunte, debet præstare dolum malum, & culpam latam, & levem tantum *arg. L. in rebus* 19. *ff. commodat.* Ratio est: quia contractus hic fit in gratiam, & commodum utriusque, & locatoris pretium capientis, & conductoris usu, vel fructu rei gaudentis: idque non solum in foro externo, sed etiam interno conscientiæ, secundum communiorem sententiam. Quamvis etiam probabilis, & tuta sit sententia aliorum, ad hoc, ut conductor contrahat obligationem mortalem restituendi pro re conducta pereunte, requiri culpam gravem Theologicam, qualis ordinarie etiam est culpa lata juridica: nimirum, quando conductor non adhibuit eam diligentiam in re conducta conservanda, quam adhiberet in re sua propria simili custodienda. 40

II. Conductor ergo in neutro foro tenetur præstare culpam levissimam, nisi res valde pretiosa locata sit v. g. aurea, vel alia, quæ facile frangitur: quia tales res suapte natura exactissimam servandi diligentiam requirunt, ita ut nemo eas, nisi hac conditione, locare, vel commodare velit. Immo in his pretiosis revera culpa gravis censetur, quæ in aliis rebus vilioribus servandis vel levissima æstimaretur: ita enim loquitur textus Juris L. si merces 25. §. 7. ff. locati. *Qui columnam transportandam conduxit &c. si fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit: culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset. Idem, &c. si dolia, vel tignum transportanda conduxerit: idemque ad cæteras res transferri potest*. Hæc ibi: intelligendo dolia plena vino v.g. & alias res similes columnæ, quæ in transportando facile frangi possunt. Vides hac severa lege requiri diligentiam exactissimam, & excludi culpam etiam levissimam, quia nimirum culpa, quæ in aliis rebus non ita periculosis levis, vel levissima censetur, est lata, vel gravis in servandis, vel transportandis iis pretiosis, quæ facile frangi, vel effundi possent: unde quando quis se obligat ad ejusmodi transferenda, vel servanda ex pacto saltem implicito, etiam se obligat ad exactissimam diligentiam secundum artem, & operam, quam in illis rebus pretiosis, & periculosis ipse poneret, si suæ propriæ essent: poneret autem sine dubio exactissimam; atqui omittere in re aliena diligentiam, quam quis in re propria poneret, non levis, vel levissima, & gravis culpa censetur: quod valde notandum est pro diversis casibus. 41

III. Multo minus ergo conductor tenetur præstare casum fortuitum, si nimirum res sic locata sine omni sua culpa mero casu fortuito pereat. Sed excipe per omnem modum (1.) nisi accesserit pactum assecurationis, juste enim locatur alicui prædium, domus, pecora &c. cum pacto, ut om- 42

ne periculum etiam fortuitum casuale, quodcumque illud sit, ipse subeat, & compenset, dummodo ipsi tantum onus compensetur diminutione pensionis, ut patet ex supra in simili late dictis. Altera latissime patens exceptio est, nisi conductor culpa sua causam casui dederit, seu quod idem est, nisi contra pactum expressum, vel implicitum aliquid egerit, vel omiserit. Exempla in jure sunt L. videamus 11. §. 1. ff. locat. *Si in locatione v. g. convenit, ignem non habeto, & habuit; tenebitur, etiamsi fortuitus casus admisit incendium; quia non debuit ignem habere.* Et ibidem §. ultimo *Inter conductorem, & locatorem convenerat, ne in villa urbana fœnum componeret, composuit; deinde servus igne illo succendit: ait Labeo teneri conductorem ex locato: quia ipse causam præbuit inferendo fœnum contra conductionem.* Item si conductor fuit in culpabili mora restituendi, vel non ad concessos usus adhibuit, ut si tempore præscripto non reddidit equum locatum, & is postea casu periit, similiter non periturus apud dominum: si equum conductum ad hunc locum Salisburgum v. g. tantum, tu ulterius alio ducas, unde casu in foveam præceps ruat, vel a prædonibus eripiatur: si equus locatus tibi sit ad equitandum tantum sine sarcina, vel curru, tu contra facias, & ex eo equus locatus tibi intereat, &c. teneris ad omnia damna secuta: quia contra pactum explicitum egisti, & ideo tua culpa causam casui dedisti. Item si de muro domus ruinam minante dominum tempestive non admonuisti, ut succurrat: si ob negligentiam servitutem induci prædio conducto permisisti, cum cavere potuisses, adhuc obligaris de damno; quia egisti contra pactum saltem implicitum, quo conductor promittit implicite rem locatam ut suam custodire. Lege totum titulum *ff. locati.*

43 IV. Quod si vero nesciatur, vel dubitetur, casune, an vero culpa, vel dolo conductoris, vel custodis res perierit, ipsi conductori, vel custodi incumbit onus probandi, & quod res perierit, & quod sine culpa, *L. si quis ex argentarii 6. §. 9. in fin. ff. de edend.* Et communis DD. cum Mol. *disp.* 494. Laym. *cit. n.* 5. Ratio est: quia ea, quæ facti sunt, nec creduntur, nisi ostendantur. Et specialiter conductori, vel custodi ex natura contractus omnium Gentium jure incumbit, ut ostendat rem sine sua culpa periisse. Excipe: nisi graves conjecturæ adsint pro hominis innocentia, aut consuetum sit ejusmodi res perire sine culpa conductoris, vel custodis: v. g. si periit ovis ex grege, discus argenteus ex aula Principis &c. tunc enim præsumptio stat pro ipso, & delato ei juramento liberatur. Eadem ratione in dubio, utrum incendium ortum sit ex culpa conductoris, ipsum absolvendum esse, nisi locator culpam ostendat, ex communi Legistarum docet *Joachimus Mysing.* apud Laym. *cit. n. 6.* Ratio est: quia licet incendium plerumque accidat ex inhabitantium culpa, atque in dubio contra ipsos præsumptio existat; non tamen semper patrisfamilias sed plerumque famulorum culpa sit quam paterfamilias præstare non cogitur neutro foro, ut constat *L. si vendita 11. ff. de peric. & commodo rei venditæ.*

Dubium III.

Quid si res conducta fiat inutilis conductori?

44 QUando impedimentum accidit, quominus conductor, re conducta uti, vel frui possit, sicque ei in toto, vel in parte inutilis fiat, liberabiturne a pensione solvenda? Resp. cum necessariis distinctionibus.

45 I. Si impedimentum accidat ex parte rei conductæ, utpote quia domus ruinam minatur, nocturnis spectris infestatur, ob periculum belli, vel pestis tutam habitationem non probet, & maxime, si domus omnino conflagretur, ager alluvione destructus, aut alia res conducta in toto, vel in parte pereat, vel inutilis fiat, liberatur conductor a pensione solvenda pro tempore, quo re conducta uti, vel frui non potest. Communis. Navar. *cap.* 17. *n.* 187. Less. *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 2. Mol. *disp.* 493. Laym. *hic n.* 3. Et habetur *L. habitatores 27. ff. locati:* ubi insuper dicitur. *Si causa justa fuisset, cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem* (subaudi solvere.) Ratio clara est, quia nullus tenetur mercedem solvere pro eo, quo uti non licuit; nam pro usu rem conductor accepit a locatore: hoc ergo usu sine sua culpa amoto, vel impedito, amovendum quoque est onus solvendi pensionem.

46 II. Quando impedimentum accidit ex parte ipsius locatoris voluntarie per culpam suam, vel dolum, quominus conductor re locata frui, vel uti possit, v. g. si ipsi mala fide locavit alienum equum, domum, fundum, postea a vero domino ab ipso evictum, non tantum conductor liberatur a pensione pro rata temporis, sed etiam ei locator præstare tenetur, quantum ejus interest, ut habetur *L. si fundus 33. ff. locati:* nimirum tenetur non solum ad damna, quæ ea de causa sequuntur conductori, sed etiam ad omne lucrum cessans intrinsecum, & extrinsecum, videlicet quantos inde fructus percepisset, vel quantum inde lucratus fuisset (expensis tamen deductis) conductor, juxta Regulas generales institutionis; nam omnium horum causa est locator, si ejus culpa desit conductori usus, & fructus, ac lucrum rei locatæ.

47 III. Quando impedimentum accidit ex parte locatoris involuntarie, & sine ejus culpa, v. g. si res aliena bona fide locata evincatur a vero domino, tenetur id petere locator a domino, ut ipse conductorem sub eadem pensione re uti, vel frui sinat usque ad terminum locationis; si is nolit, tenebitur conductori aliam rem non minus commodam præstare, v. g. domum ad habitandum, si possit, alioquin si minus commode provideat, tenebitur de pensione remittere, vel alias indemnem servare *L. si quis domum 9. L. si fundus 33. ff. eod.* Ratio sumitur ex ipso jure evictionis, juxta dicta supra de Emptione.

IV. Quando impedimentum accidit ex parte ipsius conductoris etiam involuntarie: ut quia infirmus non potuit colere agrum conductum; conjectus in carcerem non potuit habitare in domo conducta; si impeditus morbo, vel quacumque causa, non potuit uti opera mercenarii, famuli, jumenti &c. conducta, & multo magis, si voluntarium impedimentum posuit, vel noluit uti re, vel persona conducta; uti si conduxisti famulum, vel mercenarium, & postea mutato consilio uti non vis, adhuc tenetur conductor totam pensionem, vel mercedem solvere, quatenus interest locatori non fuisse conductum. *L. qui operas 38. ff. locati.* Communis DD. *Nav. Mol. Less. Laym.* modo *cit.* Ratio est, quia tunc res, vel personæ conductæ, velut paratæ sunt ad serviendum conductori, & per ipsas non stat, quominus serviant; ergo si per te solum stat, quominus iis uti possis, vel velis, non sunt fraudandæ a mercede sua. 48

Dixi autem notanter: *quatenus interest locatori conductum non fuisse:* nam si in tali casu locator, vel conductus postea rem, vel operam suam alteri locavit, vel locaturus est, tantumdem de pretio, vel pensione detrahendum erit, quantum pro tempore prioris locationis a posteriori conductore accipitur; ut bene explicat Less. *cit. n. 6.* & addit *n.* 10. Etiamsi locator rem a conductore sic relictam de facto non locet alteri, tamen propter libertatem, quam illi relinquit conductor, ut possit rem illam alteri locare, adhuc debere aliquid remittere de pensione debita. Contra adhuc totam pensionem deberi a conductore, absolute vult Tamb. *lib. 9. de controv. tr.* 4. §. 1. *n.* 12. eo quod ea libertas parum utilis sit locatori, si rem de facto non locet alteri, cum e contra pensio integra certa debeatur. Placet limitatio Molin. *cit. disp.* 393. *n.* 4. debet integram pensionem locator, nisi cum eo consentiente paciscatur conductor, ut remittat aliquid ratione potestatis, quam illi faciat locandi idem alteri, juxta ea, quæ dixt *disp.* 489. Ita habetur *L. sed addes 19. §. cum quidam 9.* & *L. qui opera 38. ff. locati.* Sic Molina. At quid, si in hoc casu locator rem suam a primo conductore relictam majori pretio locavit alteri, quam priori, v. g. decem aureis, iste excessus cujus erit? Resp. *cum distinct.* Si primus conductor rem sibi locatam, qua modo uti ex parte sua non potest, vel non vult, vere a se abdicavit, prout plerumque fieri solet, palam videtur excessum spectare ad locatorem tamquam jam plenum dominum rei: ut indicat *Molin. cit.* At si primus conductor non abdicavit a se rem conductam, sed retinuit animum ea utendi postea, nisi dominus alteri elocet, tunc excessus spectabit ad ipsum primum conductorem: ut re ipsa bene docet Lug. *disp.* 29. *n.* 30. 49

Dubium IV.

Quid si res conducta fructifera sterilescat?

QUod si per anni sterilitatem, aeris injurias, hostium incursiones, aliumve fortuitum casum colonus, seu conductor damnum patiatur; ideone de pensione remittendum erit? Certe cum conductor communiter sicut suscipit totam spem abundantiæ frugum, ita etiam suscipere in se soleat totum periculum sterilitatis, vel infortunii in ejusmodi rebus fructiferis conducendis: ita communiter tota pensio debebitur, & nihil remittetur. Dico tamen *communiter:* nam pro particulari casu ita paucis resolvendum est. 50

I. Ob damnum, vel infortunium modicum nihil de pensione remittitur. Communis Doctrina, & praxis. *Ratio est:* quia si colonus ob unius, vel alterius anni fertilitatem majus commodum capiat, nihil ipsi aufertur, neque pensio augetur; ergo etiam modicum damnum unius, vel alterius anni æquo animo ferre debet, ut habetur *L. si merces 25. ff. locati.* 51

II. Si damnum immodicum, & plusquam tolerabile passus est colonus sine sua culpa, remittendum est ei de pensione, prout utroque Jure statuitur. *L. conducto 15. ff. locati & cap. propter sterilitatem. 3. Extra de locat. & conduct.* Immodicam autem cladem ex communiori DD. censet Less. *lib. 2. cap. 24. dub.* 3. si deducto semine aliisque impensis, ne dimidium quidem solvendæ pensionis supersit; tunc enim eo ablato, reliquum remittendum est. Aliter Abbas *in citat. cap. propter* si colonus vix colligat tertiam partem soliti, utpote pro 15. vix 5. Navar. *cap. 17. num.* 188. si vix colligat duas tertias soliti, utpote pro 15. vix 10. Verum hic loci consuetudo, vel communis opinio incolarum attendenda est, ut monet Laym. hic num. 7. 52

III. Excipe, nec ob immodicam cladem pensionem remitti, nimirum si ita expresse conventum sit *L. si quis domum 9. ff. locati.* Deinde si antecedentium, vel subsequentium annorum fertilitate damnum compensetur, vel compensandum spe- 53

speretur, ut habetur *cit. L. ex conducto* §. *Papinianus* 4. & *cit. cap. propter sterilitatem*. Item colono partiario, qui scilicet aliquotam partem fructuum v.g. tertiam, vel quartam reddere debet, ob anni sterilitatem nihil remittetur. *Glossa & Abbas in cap. propter*. Navar. *cap.* 27. *n.* 190. Ratio datur in *cit. L. si merces* 25. §. 6. quia *partiarius colonus, quasi societatis jure, & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur*.

54 IV. Colonus etiam emphyteuticus, qui scilicet fundum ad longum tempus pro pensione habet (de quo mox) siquidem magnam pensionem solvere debeat, non tam in recognitionem dominii, quam compensationem fructuum, quos capit, ut ei ob damnum immodicum remissio aliqua fiat, ipsa æquitas postulat; cum hoc statu parum admodum differat a colono conductitio, ut ex communi docent *Julius Clarus*, *Less. Laym. cit.* At vero si pensionem comparatione fructuum valde modicam solvat, & solum in recognitionem dominii, non liberatur ob quamcumque cladem: quia modicam pensionem annorum præcedentium, & subsequentium fructus facile, & abunde compensat; nisi fundus emphyteuticus omnino pereat, aut in potestatem hostium deveniat sine spe brevi tempore recuperandi. *L.* 1. *C. de jure emphyteutico*, *& alibi*. Et communis DD. cum Navar. *c.* 17. *n.* 187. aliique *citat*. De hoc sunt versus apud Julium Clarum lib. 4. recepti §. emphyteusis *qu.* 8.

Si periit tota, non debuit Emphyteutota;
Si perit ex parte, nulla se liberat arte.

Sed de hoc jam iterum.

SECTIO III.

De Emphyteusi, & Feudo.

SUMMARIUM.

56 Usque ad n. 61. *Definitio, & differentia Emphyteusis ab aliis contractibus.*
61 *Emphyteusis conditiones, & proprietates sunt I. Scriptura.*
62 *II. Emphyteutæ onera.*
63 *III. Pœna commissi, seu caducitas, &*
64 Usque ad n. 67. *IV. Ejus alienatio, duo requirens.*
67 *Feudum quid.*
68 *Convenit cum Emphyteusi in quatuor; &*
69 Usque ad n. 73. *Pariter differt ab ea in quatuor.*
73 Usque ad n. 77. *Feudi divisiones variæ.*

55 Emphyteusis græce, & latine idem ac insitio, vel implantatio, sic dicta, quod olim terræ incultæ darentur colonis ad excolendum, inferendo fruges, implantando arbores, inædificando prædia rustica, concesso ipsis dominio utili, seu usufructu non toto, pro pensione tamen annua fructuaria, vel pecuniaria solvenda, qui proinde coloni dicebantur emphyteutæ; id est, insitores, vel implantatores: postea autem usus obtinuit, ut etiam jam fœcundæ terræ in emphyteusim simili lege darentur, & accipientes etiamnum emphyteutæ dicantur. Huc valde affinis est contractus feudi: de utroque ergo hac Sectione strictim agendum, quantum nosse opus, vel utile est.

§. I. *Emphyteusis Definitio, & differentia ab aliis contractibus.*

56 Emphyteusis est *contractus onerosus, quo conceditur alteri res immobilis, & meliorabilis quoad dominium utile sub certa pensione reali annua solvenda, scilicet domino proprietario, vel ejus legitimo hæredi.* Communis.

I. Contractus onerosus, quo conceditur alteri.

57 Sensus patet ex dictis. Solum hic queri posset, quisnam concedere, & quibus concedi possint res in emphyteusi. Sed ex alibi dictis patens est responsio: certe enim rem in emphyteusim concedere possunt omnes, qui potestatem habent rem alienandi: fit enim vere hic alienatio rei quoad dominium utile. Hinc Prælati, Rectores, Beneficiarii res Ecclesiæ incorporatas non possunt concedere in emphyteusim, sicut nec vendere, ex vulgata Extravagante *Ambitiosæ*, de quo Molina late *disp.* 468. Omnibus autem res in emphyteusim concedi possunt, quia aliunde non sunt prohibiti inire contractus, quique rem excolere, & meliorare per se, vel per suos possunt: patet ex fine hujus contractus.

II. Res immobilis, & meliorabilis.

58 Ut Domus, prædia, agri, &c. Non ergo in emphyteusim dari possunt res, seu mobiles ullæ, seu immobiles, quæ ex se meliorari non possunt: ut sunt aquæ, jura affixa, census jam constituti, pecuniæ, redditus, &c. Dico tamen *ex se*. Nam res etiam jam satis melioratæ dantur in emphyteusim, ut quasi continuetur præcedens contractus: tunc merito sub majori pensione juxta valorem meliorationum; quia tunc sunt magis fructuosæ possidenti, ut ex se patet.

III. Dominium utile.

Emphyteutæ enim confertur verum dominium utile, & 59
plenus juris ususfructus rei, idque semper ad tempus longum, scilicet decennium, & ultra. Atque per hoc emphyteusis differt ab omnibus aliis contractibus: nam 1. Differt a permutatione, emptione, & venditione, mutuo, nimis patenter; in his enim contractibus dominium non utile tantum, sed plenum transfertur in accipientem, in emphyteusi autem solum transfertur dominium utile, dominio directo, seu proprietate rei semper apud dominum proprietarium remanente. 2. Differt patenter a censu consignativo, quo non transfertur dominium, vel possessio rei in censualistam, sed ipse censuarius retinet plenum dominium sui prædii v. g. illudque possidet, sub obligatione tamen reddendi pensionem annuam alteri, quam alter sua pecunia emit: at in emphyteusi transfertur in emphyteutam dominium utile, & tota possessio totius rei cum dicta obligatione solvendi pensionem, seu Canonem. 3. Differt a censu reservativo, quo plenum dominium transfertur in censuarium a pristino domino, sed reservato sibi censu, seu pensio annua solvenda, idque sine pœna commissi, si pensio non solvatur: in emphyteusi autem transfertur dominium utile, seu ususfructus tantum pro pensione, idque sub pœna commissi, si pensio statuto tempore non solvatur, ut mox dicetur. 4. Differt a locatione, & conductione, hac enim solus conceditur ususfructus rei mobilis, aut immobilis, sed solum ad breve tempus infra decennium, & non ipsum dominium utile, vel jus aliquod reale in ipsa re; immo neque possessio civilis; vere enim locator per conductorem tamquam ministrum suum rem suam possidet. At in emphyteusi transfertur dominium utile, ac plenus ususfructus rei cum vero jure in ipsa re, ita ut emphyteuta rem ipsam sibi obligatam habeat, suoque nomine possideat, & non alterius concedentis, idque ad longum tempus, nimirum saltem ad decennium, immo ad dies vitæ, etiam ad ipsos hæredes. Vide late Mol. *disp.* 445. Lugo *disp.* 29. *n.* 86.

IV. Sub certa pensione annua reali.

Scilicet vel pecuniaria, vel fructuaria; quo præcipue dif- 60
fert emphyteusis a feudo, quo conceditur dominium utile pro solo obsequio personali. Pensio illa solvenda in Jure Canonico dicitur græce *canon*, id est regula, quasi pensio ex certa, & fixa regula solvenda sit: solvenda autem est pensio ista, seu redditus annuus ab emphyteuta tum in recognitionem dominii directi, penes dominum proprietarium semper remanentis; tum etiam in recompensationem dominii utilis sibi concessi: ut habetur *instit. de locat.* Cæterum jam supra *sect. præced. fin.* notatum est, quia pensio hæc potius datur in recognitionem dominii, quam in compensationem fructuum, si horum comparatione modica sit, non liberari ab ea solvenda emphyteutam ob quamcumque cladem rei emphyteuticæ, etiam casu, & sine culpa evenientem, nisi tota res pereat: tunc enim suo domino perit. Sed de hoc iterum aliquid infra. Denique emphyteusis alia dicitur temporalis, quæ conceditur ad certum tempus, sed longum, scilicet decennium, vicennium: alia vitalitia, quæ conceditur ad dies vitæ, sed homini sano, robusto: alia hæreditaria, vel in perpetuum, vel ad certas tantum generationes, vel masculinas tantum, vel fœmineas etiam, rursus vel pro solis hæredibus, vel etiam cum facultate alienandi ad extraneos, quantum scilicet ipsi jus habent, nimirum quoad dominium utile tantum: omnia ex instrumentis, & investituris discerni debent, ac late videri possunt apud Legistas, & Theologos passim, præsertim *Azorium*, *Mol. Lug. Laym. Lessii ll.citt.*

§. II. *Emphyteusis conditiones, & proprietates quatuor.*

I. Scriptura.

Ad valorem, & essentiam contractus emphyteutici re- 61
quiritur scriptura secundum communem DD. ex *L.* 1. *C. de jure emphyteutico.* Sin autem is, qui se emphyteutam asserit, instrumentum exhibere non possit, tenebitur testes adducere, qui affirment contractum emphyteuticum inter tales personas celebratum, scripto instrumento confirmatum fuisse. Excipe: nisi emphyteuta præscriptionis jure se defendere possit, ostendens se legitimo tempore scilicet 30. annorum, si emphyteusis laica sit, aut 40. annorum, si sit Ecclesiastica, fuisse in pacifica possessione, & pensionem domino persolvisse: tunc enim alia probatione per scripturam, testes, vel juramentum, opus non erit. Communis DD. cum Mol. *disp.* 449. Quin insuper Azor. *hic cap.* 5. *q.* 3. cum aliis vult, scripturam non absolute, & omnino necessario ad valorem contractus requiri, sed solum ad firmitatem, & vitandas lites.

II. Emphyteutæ onera.

Emphyteuta præter pensionem annuam solvendam debet 62
fundum sibi concessum proprio sumptu, labore, & industria colere, & cavere, ne deterior efficiatur, sed potius melioretur. Insuper ad ipsum pertinet, omnia impendia præstare, quæ ad fundi

fundi conservationem, & fructuum collectionem spectant, utpote: ut domus, horrea, stabula, aggeres, fossæ, sepes, putei, &c. conserventur, vel reparentur; quo etiam differt a locatione *L. sed cum 65. ff. de usufructu*: adeoque si per emphyteutæ culpam, vel negligentiam fundus ipse cum cæteris prædictis deterior fiat, ut minoris valeat, privari potest jure emphyteutico, & usufructus cum proprietate consolidari, *Auth. qui rem C. de sacros. Ecclesiis*. Quod si vero fundus, vel alia prædicta absque omni culpa emphyteutæ pereant, vel collapsa sint, eorum restauratio, & damnum ad dominum spectat, secundum omnes. Ratio est: quia substantia fundi ad dominum spectat; jus autem fructuum ad emphyteutam: ergo rei substantia domino perit; emphyteutæ autem erit impendere impensas ad ejus conservationem necessarias cum fructuum perceptione. Vide Julium Clarum §. *emphyteusis q.* 8. Mol. *disp.* 454.

III. *Pœna commissi, caducitas.*

63 EMphyteuta si a tribus annis continuis in emphyteusi laica, & duobus in emphyteusi Ecclesiastica integram pensionem, sive canonem non solvat, ipso jure cadit in pœnam commissi, resque caduca fit, ut inde dominus eum expellere possit, quamvis solutione interpellatus non fuerit, prout statuitur utroque Jure *L. 2. C. de jure emphy teutico: & c. potuit de locato*. Excipe I. si nulla culpa emphyteutæ intercesserit; quia ubi culpa non est, neque pœna commissi locum habere debet. II. Aut ipse dominus debitor sit emphyteutæ, ut compensationi locus sit; ut ex communi testatur Molina *cit. disp.* 453. III. Aut dominus, postquam Emphyteuta pœnam commissi incurrit ob neglectas pensiones, insequentis temporis pensiones acceptat; tunc enim præsumitur jus revocandæ emphyteusis condonare, teste Julio Claro, §. *feudum q. 49. n.* 10. IV. Aut si in emphyteusi Ecclesiastica post biennium elapsum mox infra 10. dies 10. oblatis pensionibus emphyteuta moram purget, liberatur pœna commissi, *cit. c. potuit de locato*. V. Denique universaliter hanc pœnam commissi non debet emphyteuta, nisi post sententiam judicis; nemo enim tenetur subire has pœnas temporales, nisi condemnetur: unde fructus percepti ante latam sententiam, etsi post caducitatem, pertinent ad emphyteutam: percepti vero post sententiam latam spectant ad dominum proprietarium, deductis tamen expensis: nam fructus illi censentur esse, qui ablatis expensis supersunt.

IV. *Emphyteusis alienatio duo requirit.*

64 I. EMphyteuta non potest rem emphyteuticam alienare per venditionem, nisi præmonito domino proprietario, ejusque consensu requisito; alioquin ipso jure cadit in pœnam commissi, & jure emphyteuseos, una cum meliorationibus, spoliatur, si alienatio traditione perfecta sit. *L. 3. de jure emphyt.* Et *cit. c. potuit de locato*. Excipe tamen, nisi emphyteusis concessa sit alicui pro se & aliis, quibus dare voluerit: tunc enim subintelligitur, quod domini consensus non requiratur ad alienationem: ut Clarus notat *q.* 13. Tit. autem gratuito, seu lucrativo donationis, legati, dotis, semper potest emphyteuta emphyteusim in alium transferre, salvo tamen per omnia jure domini, etiam non requisiti; dummodo non statim ab ipso ille alius in possessionem mittatur, nisi prius domino significetur, ut donatarium idoneum agnoscat, & investiat, accepto pro investitura laudemio, seu honorario censo.

65 II. Facta alienatione emphyteusis, novus emphyteuta a domino investiri, & pro investitura solvere debet laudemium, seu pretium, vel potius honorarium certum (sic dictum, quod dominus suo consensu, & auctoritate approbet, ac velut laudet translationem factam, vulgo *Handlohn*) hoc tamen laudemium, quantum est de jure communi *L. 3. Cod. de jure Emphyt.* non debet excedere quinquagesimam partem pretii, seu æstimationis rei in emphyteusim datæ: Lessius tamen *c. 24. n.* 57. ait, ex consuetudine esse partem trigesimam, alii vigesimam, alii etiam decimam. Denique servanda erit consuetudo loci. Cæterum si non solvatur hoc laudemium infra tempus consuetum, & magis, si ipsa investitura non petatur a novo emphyteuta, is rursus cadit in commissum, resque caduca fiet.

66 Porro in quatuor casibus ad translationem emphyteusis nec consensus domini requiritur directe, nec solutio laudemii addenda: quando hæres suus, vel necessarius succedit in re emphyteutica, utpote filius patri. 2. Quando res emphyteutica redit ad primum emphyteutam dissoluto contractu, non autem per contractum novum, 3. Quando pater aliud non habens dat filiæ in dotem rem emphyteuticam. 4. Quando plures habentes rem emphyteuticam in communi eam inter se dividunt. Ratio horum est, quia in his quatuor casibus translatio est, vel reputatur esse necessaria: ideoque consensus domini præsumitur. Vide de his minutius, & late *Julium Clarum, aliisque cit.*

§. III. *Feudi definitio, convenientia, & differentia ab emphyteusi.*

67 FEudum definitur ex lib. 2. feud. tit. 23. *Est concessio, vel donatio rei immobilis* (Regni, Provinciæ, civitatis, arcis, oppidi, agri, &c.) *secundum utile dominium pro fidelitate & obsequio personali, quod vassallus domino exhibere debet*. Utpote militando, contrahendo, serviendo &c. Brevius Glossa ib. Feudum *est concessio rei immobilis pro homagio*. Is ergo, qui accipit, dicitur feudatarius, & vulgo vassallus. Non comprehenditur hic feudum emptitium, quod pretio comparatum est, nam proprie feudum non est, sed potius emptum restrictum ad certas personas, vel generationes, addito pacto fidelitatis, & obsequii personalis diminutione pretii compensando. Porro conditiones ad feudum requisitæ, & obligationes feudatarii, seu vassalli satis intelliges explicatione differentiæ inter feudum, & emphyteusim.

I. *Feudum convenit cum emphyteusi in quatuor.*

I. UTrumque constituitur in re immobili fructifera tantum; agro, oppido, civitate &c. II. in utroque dominium utile tantum, seu usufructus transfertur in emphyteutam, & vassallum, manente proprietate, seu dominio directo penes dominum *cit. lib. 2. feud.* III. Uterque emphyteuta, & vassallus a domino investiri, sive in possessionem mitti debet, aut corporaliter ipsum introducendo, ut acquirat jus in ipsam rem; vel ex fictione juris, tradendo ei clavem, annulum, ensem, ut acquirat jus ad possessionem propria auctoritate capiendam, ut colligitur ex *cit. l. 2. §. si facta tit. 26.* Vicissim vassallus domino præstare debet juramentum fidelitatis, seu homagium: qua autem cœremonia, late videre potes Julium Clarum *cit.* IV. Uterque emphyteuta, & vassallus non potest alienare per venditionem fundum, & post traditionem ipse cadet in commissum; fitque res caduca domino, ipsaque alienatio ipso jure irrita est. Verum hic jam adest una notabilis differentia inter emphyteusim, & feudum, longe enim strictius prohibetur rem alienare vassallus, quam emphyteuta, qui solum venditione, seu titulo oneroso non potest alienare rem emphyteuticam sine requisito, & præhabito consensu domini, qui etiam regulariter consentire tenetur. Vassallus autem quovis titulo prohibetur alienare feudum etiam gratuito, ut neque donare alteri, nec in dotem dare, nec in emphyteusim alteri concedere, nec oppignorare, aut quovis modo in alterum transferre possit sine consensu domini, quem tamen is dare nunquam tenetur, ut habetur in Jure Cæsareo l. 2. tit. 52. quin etiam feudatarius feudum saltem habitum ab Imperatore, vel Rege, sine ejusdem consensu non potest inter proles, vel filios dividere: quia etiam divisio est genus quoddam alienationis, atque ob alias causas ita cautum est Jure Cæsareo *l. 2. feudorum tit. 55. §. præterea*. Vide de his late Clarum §. *feudum q. 31. 35. 36.* ubi tamen notat, consuetudinem permittere, ut liceat vassallo, domino non requisito, partem feudi, v. g. pascua, sylvas, vel terras incultas ad tempus etiam longum elocare, vel in emphyteusim dare: item ipsos fructus percipiendos alienare &c. Sed nota hic rursus aliam differentiam inter emphyteusim, & feudum; feudatarius, seu vassallus potest a se abdicare feudum, ac illud domino relinquere, quando libuerit: emphyteuta autem non potest a se abdicare, & domino relinquere rem in emphyteusim acceptam, sicut nec conductor rem conductam ante tempus impletum, nisi ultro consentiente domino. Ratio discriminis est: quia feudum principaliter datum est in utilitatem vassalli, quare ipse potest illa nolle frui, cum nemo cogatur uti favore suo: at emphyteusis, & locatio æque principaliter est in utilitatem dantis, seu domini, cui debetur pensio, cultura, & melioratio prædii, & accipientis, juxta supra dicta. Præter has particulares differentias in alienatione, & cessione generaliter

Feudum differt ab emphyteusi in quatuor.

I. IN emphyteusi debetur annua pensio realis pecuniaria, vel fructuaria, eamque emphyteuta etiam non requisitus a domino solvere tenetur, eaque statuto tempore non soluta cadit in commissum: in feudo autem solum est obligatio obsequii personalis exhibendi a vassallo suo domino, utpote fidelitatem, reverentiam, auxilium, & defensionem contra fortunæ, famæ, vel vitæ incommoda, idque modo licito, maxime in bello justo suscepto a domino, atque ejusmodi obsequia eo ipso, quod personalia sint, positive non tenetur præstare vassallus, nisi a domino requisitus. Vide *l. 2. feud. cit. 6. & 7.* Neque ob quovis negatum obsequium amittitur, seu caducum fit feudum; sed ob causam magnæ ingratitudinis, irreverentiæ, infidelitatis, hostilitatis, injuriæ, vel damni illati domino in bonis vitæ, famæ, vel fortunæ, quæ videre licet in *cit. lib. feud.* 69

II. Emphyteusis semel collata absque alia cæremonia semper continuatur, soluta semper pensione: feudi vero investitura cum juramento fidelitatis, & laudemio renovari debet semper, non tantum, quando, mortuo primo vassallo, filius, vel hæres, aut successor succedit: (vulgo *im Anfall*) tenetur enim is intra annum, & diem, investituram petere præstitis supra dictis: verum etiam, si dominus feudi moriatur (vulgo *im Heeren-Fall.*) tenetur idem vassallus intra annum, & diem ab hærede, vel alio successore illius investituram petere cum juramento, & laudemio, alioquin utroque casu feudo privatur saltem per Judicis sententiam *l. 2. feud. tit.* 24. quæ fuit prima causa beneficii amittendi. 70

III. In Emphyteusi etiam fœminæ succedere possunt omni ju- 71

ni jure, & consuetudine: in feudo autem communi jure soli succedunt masculi descendentes, quippe qui soli feudi capaces sunt: neque unquam censentur comprehensæ fœminæ, nomine *liberorum*, nisi earum specialis mentio fiat: & tunc solum admittuntur in defectum filiorum masculorum *c. 1. de successione feud.* Deficientibus autem filiis descendentibus, succedunt agnati naturales ex parte patris usque ad quemcumque gradum, exclusis cognatis ex parte matris, etsi vicinioris gradus sint, ut ex cit. *l. 2. feud. tit.* 50. de natura successionis feudi late docet *Clarus cit. q. 79. Ratio est*: quia in feudo agnati non succedunt, ut collaterales defuncti; sed tamquam descendentes in linea recta a primo acquirente feudum communi ipsorum stipite. Unde est Regula feudalis, quod *ultimus agnatus primi acquirentis successor est, etiamsi feudum per mille manus transierit*.

72 IV. Emphyteusis capaces etiam sunt Clerici, & loco Monachi etiam Monasterium, juxta dicta suo loco de usufructu in communi: feudi autem nec Clerici in majoribus constituti, nec Monachi capaces sunt, ut habetur lib. 2. feud. tit.21. Et ratio redditur: *eo quod desiit esse miles sæculi, qui factus est miles Christi: nec beneficium pertinet ad eum, qui non potest gerere officium*, ideoque ib. tit. 26. *qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit, hoc ipso feudum amittit*. Hæc ibi. Sed excipe per omnem modum: nisi feudum ex prima institutione, & voluntate conferentis annexum sit Ecclesiasticæ, vel monasticæ dignitati: *l. 2. feud. tit. 30. & cap. verum de foro competenti*, & alibi. Et hac ratione Germani Episcopi, & Abbates, aliæque Ecclesiasticæ personæ plerumque feuda majora, & imperialia dignitati suæ annexa possident sub certis oneribus, eademque institutione imperiali sortiuntur etiam statum Principis, ac statum sæcularis, ut officia vassalli per se, vel subditos præstare possint, ac debeant. Si cæcus non fuisti, jam enarrare potuisti tam conditiones feudi, scilicet ut 1. Dominium directum maneat apud dantem, utile vero totum sit apud accipientem. 2. Ut constituatur in re immobili tantum. 3. Ut feudatarius investiatur a domino prestito juramento fidelitatis: quam obligationes feudatarii, seu vassalli, quarum tres sunt: 1. præstare juramentum fidelitatis, seu homagium: 2. præstare obsequium promissum: 3. non alienare feudum sine domini voluntate.

§. IV. *Feudi divisiones præcipuæ indicantur.*

73 Variæ divisiones, seu genera feudorum ex Juribus enumerantur apud Legistas. Unam tantum, & alteram afferam, quam utile est scire, certeque turpe esset ignorare Theologo.

Feudum novum, & vetus.

74 Feudum *novum* dicitur, quod primo alicui acquisitum est beneficio solius conferentis; & de hoc vassallus cum domini voluntate, & consensu, tam inter vivos, quam per ultimas voluntates disponere potest, etiam non requisito consensu filii primogeniti, vel proximi agnati, alioquin secundum formam investituræ in feudo successurus esset ex communi DD. *Clarus q.* 40. & 41. Et ex Laym. *cap.24. n.5.* Ratio est, quia in hoc feudo vivente adhuc primo acquirente, ejus filiis, vel agnatis nondum jus ullum acquisitum est: ideo ille de illo tamquam re sua cum consensu domini pro arbitrio disponere potest. Excipe; nisi feudum novum specialiter institutum, vel collatum esset, ut sit instar antiqui, vel aucti; aut in favorem specialem filii, vel fratris in eo successuri, & in investitura nominati: tunc enim non possunt successuri successione privari, ut ex se patet.

75 Feudum *antiquum est*, quod olim, vel antea acquisitum ab ascendente, jure agnationis ad alterum transmissum fuit, & de hoc potest vassallus etiam cum consensu domini disponere, nisi insuper renuntiatio filii, vel proximi hæredis accedat. Omnes. Clarus *q.41.* Ratio patet: quia tunc ex pacto,& providentia primi tum conferentis, tum acquirentis filiis, vel agnatis jam jus acquisitum est succedendi post mortem primi acquirentis, cui dispositio posterior obesse non debet, nam secundum jura origo cujuscumque contractus inspicienda est.

Feudum hæreditarium, & gentilitium.

76 Feudum (seu novum, seu antiquum) hæreditarium (*Erbleben*) dicitur, quod alicui simpliciter concessum est pro se, & quibusvis suis hæredibus, seu quomodolibet ipsi succedentibus; ac proinde de hoc, sive novo, sive antiquo feudo vassallus, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem disponere libere potest, perinde ac de propriis bonis, non requisito neque domini, neque filii, aut primi agnati consensu. Communis apud *Clarum cit.* Ratio patet: quia tale feudum ex institutione, & investitura ad quoscumque extraneos devolvi potest, domino semper reservato suo jure, & fidelitate a quocumque feudi successore præstanda. Feudum Gentilitium (*Stamm-leben*) sive ex pacto & providentia dicitur, quod alicui concessum est pro se, & liberis, vel descendentibus suis, intellige semper masculis: & de hoc, si novum sit, potest vassallus disponere cum consensu domini sine consensu descendentis: si autem vetus sit, non potest, nisi cum consensu & domini, & descendentis, vel agnati proximi, ut primum dictum est.

SECTIO IV.

De Fidejussione, & assecuratione.

SUMMARIUM.

77 & 78 *Fidejussio quid.*
79 *An, & quando debitor teneatur Fidejussori ad expensas, & damna in fidejubendo, vel solvendo incursa: &*
80 *An ea occulte compensare possit.*
81 & 82 *An pro fidejussione possit exigi pretium.*
83 Usque ad n. 88. *Quinam fidejubere possint.*
88 *Fidejussor suscipit in se obligationem debiti alieni,*
89 *Cuncurrentibus tamen quatuor conditionibus.*
91 *Fidejussor etiam in conscientia obligatur solvere in defectum debitoris.*
92 *Quid si plures fidejusserint pro debitore non potente solvere?*
93 & 94 *An, & quando fidejussor sua obligatione liberetur, si debitori debitum condonetur, aut terminus solutionis prolongetur.*
96 *Assecuratio quid.*
97 *Ut justa sit, quatuor exigit conditiones*, usque ad n. 99.

Fidejussio est *contractus quo quis suscipit in se obligationem debiti alteri obligans se ipsum ad solvendum, vel satisfaciendum, si debitor non solverit, vel satisfecerit.* Alioquin fidejussor dicitur, qui de alterius obligatione interposita propriæ fidei, & obligationis cautione securitatem præstat: unde antiqua fidejubendi forma erat interrogando fidejussorem: *fide tua id esse jubes*, & respondebat: *jubeo*: Explico breviter terminos, & substantiam definitionis. 77

§. I. *Est Contractus.*

Fidejussor enim contrahit duplici respectu, & cum creditore, & cum debitore: cum creditore contrahit, quia se obligat ad solvendum in defectum debitoris, illique vicissim creditor cedit, & cedere cogitur suam actionem adversus debitorem, si pro ipso solverit; cum debitore quoque hoc ipso contrahit, quia acquirit jus, & contra ipsum actionem, eumque sibi obligatum habet, ut si fidejussor pro ipso solverit, teneatur ipsi debitor in utroque foro restituere, quod pro ipso solutum est creditori, ut ex se patet, & clari sunt textus Juris. Aliquot hic dubiola breviter exponenda sunt. 78

I. Obligaturne debitor fidejussori solvere etiam expensas, & damna, quæ forte passus est in fidejubendo, & solvendo pro ipso? Resp. cum distinct. si debitor ex culpa sua non solvit, certo obligabitur; quia justum non est, quod fidejussor damnum patitur ex culpa debitoris in officio, quod in ejusdem gratiam, ac fidelitatem suscepit. Si vero debitor non fuit in culpa non solvendo, utpote quia revera erat impotens solvendo, tunc non obligabitur ad dictas expensas, vel damna compensanda fidejussori: tunc enim ea damna non imputantur debitori, sed necessitati. 79

II. Potestne fidejussor se occulte compensare, si pro debitore solvere debuit, nec alium habet modum recuperandi ab eo, quod pro ipso solvit? E. g. fidejussisti pro Titio debente centum, & compulsus a Judice ex fidejussione eidem creditori: potesne centum occulte accipere ex bonis Titii? R. quod sic: quia in fidejussione semper intelligitur fidejussor nolle quid amittere de suo, sed potius velle omni modo licito recuperare; cum donatio nunquam præsumatur, nisi expresse fiat. *Excipe ergo*: nisi contrarium prorsus expressum fuerit: aut nisi ipse debitor expresse promiserit, non obventurum tibi damnum ex fidejussione. V. Less. hic *l.2.c.*28. 80

III. Potestne fidejussor pro ipsa fidejussione, seu obligatione in se suscepta, accipere pretium, vel mercedem a debitore, in cujus gratiam fidejubet? Resp. Certo potest, si adsit periculum solvendi pro debitore, & damni, vel molestiæ inde incurrendæ; sic enim fidejubere omnino est pretio æstimabile, ut ex se patet: quo casu, etiamsi fidejussor postea nullum damnum senserit, potest tamen illud pretium prius pactum accipere; quia non accipit pro damno, sed pro periculo prævio, quod fuisse supponitur, ut in simili alibi dictum. 81

IV. At, quid si nullum subsit periculum, nulla molestia, vel incommoditas in fidejubendo: ut si fidejussor certus sit, nullum ipsi ex fidejussione damnum obventurum; poteritne adhuc aliquid accipere fidejussor? Respondent *Azorius*, aliosque citans *Bonac.* apud Tambur. *tr.7.cap.1.* §.4. adhuc posse accipere aliquid proportionatum, certe modicum experti viri arbitrio mensurandum. *Ratio est*: quia adhuc illam obligationem, quamvis sine incommodo, recipere est pretio æstimabile. 82

§. II. *Quo quis idoneus &c.*

Quinam autem idonei sunt, ut pro aliis fidejuberi possint? Resp. Regulariter, quicumque possunt principaliter se ipsos obligare ex quocumque contractu, iidem etiam in simili contractu pro aliis fidejubere possunt: nimirum, qui bona propria habent, ac eorum liberam administrationem: hinc a fidejubendi munere repelluntur. 83

84 I. Pauperes, pupilli, filiifamilias, non habentes proprium peculium castrense, vel quasi castrense: Item Religiosi Professi. Monachus enim propria auctoritate sine dubio fidejubere non potest jure naturali: & si fidejusserit sine Prælati, & majoris partis Capituli consensu, Monasterium inde minime obligari, rescribit Innoc. III. *in cap. quod quibusdam, de fidejussor.*

85 II. Clerici etiam admitti non debent ad fidejubendum pro laicis; licet, si fidejubeant, fidejussio teneat, secluso præjudicio Ecclesiæ *cap. ult. eod. tit.* Attamen jam usu receptum est, ut possint saltem aliquando, & raro fidejubere etiam pro laicis in proprium damnum, scilicet de propriis bonis, vel fructibus beneficii, secluso præjudicio, vel damno Ecclesiæ, & sine periculo, ne depauperentur: inde enim non obligantur, nisi quatenus commode solvere possunt, ne egeant: *cap. Odoardus de solut.* Vide Lessium *cit. cap.* 28.

86 III. Mulier etiam a fidejubendo repellitur, ita ut invalide fidejubeat pro viro, & si fidejubeat, opponere possit Senatus Consultum Vellejanum, quo minus solvere cogatur, ut habetur *tot. tit. Cod. ad S. C. Vell.* Idque etiam habet locum in foro conscientiæ, utpote, quod ob sexus fragilitatem boni publici causa introductum sit, ut habet communis DD. vide Lugo *disp.* 32. *num.* 11. Valide tamen mulier fidejubet pro filio, sed cum certis solemnitatibus, nimirum cum instrumento publico, adhibitis testibus tribus, cum subscriptione, ut Juribus citatis habent DD. passim.

87 IV. Excipiuntur tamen casus, quibus mulier valide fidejubet pro quocumque, ita ut illo Senatusconsulti auxilio amplius ut minime possit; utpote, I. Si fidejussionem juramento confirmavit: intendens huic suo favori renuntiare, aut etiam sine juramento huic suo favori renuntiavit coram judice: cum enim hoc privilegium in ejus specialem favorem concessum sit, poterit ei renuntiare. II. Si pretium pro fidejussione accepit, seu pretio conducta fidejussit. III. Si post annum a fidejussione pignus dedit creditori. IV. Si fidejussit in fraudem, vel pro dote, vel pro suo creditore, vel libertate servi. Quæ omnia innuisse satis sit, & Juribus citatis late videri possunt apud citatos, *Mol. Less. Lug.* & præsertim Sanch. *l.* 4. *de Matr. disp.* 6. Ratio autem omnium est: quia in his casibus præsumitur mulier non ex naturali fragilitate, vel levitate, sed maturo consilio fidejussisse.

§. III. *Suscipit in se obligationem debiti alieni.*

88 Fidejussio enim est contractus subsidiarius in subsidium, & securitatem alterius contractus adimplendi: ideoque obligatio fidejussoris accessoria est non principalis, sed supponens obligationem principalis debitoris, ut habetur *cap.* 1. & 2. *de fidejussoribus.* Nam fidejussor se obligat in eo solum casu, quo debitor non solverit: quare si quis absolute se constituat debitorem pro alio, seu se obligat ad solvendum pro altero, non fidejussor, sed debitor principalis deinceps erit; quia non accessorie, & in defectum alterius, sed absolute, & æque principaliter ac primus debitor, se obligavit: rectissime ergo

89 Dixit Lessius *cit. cap.* 8. quatuor conditiones necessario concurrere debere in fidejussione. I. Conditio, ut hic contractus sit accessorius, supponens aliam obligationem, ut jamjam explicatum est, atque ex hac consequuntur obligationes cæteræ. II. Conditio, ut fidejussor non obligetur ad plus, quam debitor: non enim obligatur ad id, quod alter debet: unde licet fidejussor, respectu ejusdem debiti ob causas possit obligari plus, vel magis intensive, quam obligabatur debitor principalis (potest enim fidejussor se obligare sub juramento, sub hypotheca, cum instrumento, vel scriptura publica, sub termino executionis contra se, quamvis tales obligationes non habebat debitor principalis) non tamen potest obligari ad plus, seu magis extensive, vel extensius, ut nimirum plus, vel cum majori onere solvat, quam obligabatur debitor principalis, v. g. ut solvat 100. si principalis debitor solum debeat 50. ut solvat hoc primo anno, vel in alio loco distanti, vel determinate aliquid, cum tamen debitor principalis solum obligabatur solvere primum post duos annos in loco præsenti, aut indeterminate hanc, vel aliam rem, pecuniam, vel fructus &c. *Ratio* patet ex dictis: cum enim fidejussoris obligatio sit accessoria obligationi principali, debent ambo tendere in idem objectum: quo etiam referri possunt dicenda §. *seq.* III. Conditio, ut existente invalida obligatione debitoris principalis (utpote si appareat contractum inter ipsum, & creditorem fuisse nullum, aut creditori jam esse satisfactum, aut quid simile) nulla sit fidejussio ob eamdem rationem: quia hæc nullam aliam obligationem inducit, nisi illam debitoris. Excipe tamen: nisi aliter constet de voluntate fidejubentis, qui debitum etiam infirmum pro firmo in se suscepit: ut si tutor, vel curator voluit firmam facere obligationem per modum assecurationis, in quo consistit differentia inter fidejussionem, & assecurationem, ut mox inferius patebit. IV. Conditio, ut fidejussor etiam juratus, conveniri, & ad solvendum cogi non possit, nisi facta discussione bonorum debitoris principalis, an revera solvendo non sit, eadem semper ratione. Excipe 1. Nisi hoc ipsum esset notorium, scilicet debitorem non esse solvendo. 2. Nisi discussio esset impossibilis moraliter ob absentiam, v.g. debitoris, vel similem causam. 3. Nisi ipse fidejussor renuntiaverit huic suo favori, prout certe possunt, & sæpe solent. 4. Nisi ipse fidejussor conventus neget, se esse fidejussorem, tunc enim amittere hoc privilegium, statuit Lex *si dubitet* 10. §. *ita demum, ff. de fidejussor.* Vide *Molin. Less.* Laym. *cit. n.* 8.

§. IV. *Obligans seipsum ad solvendum.*

Fidejussor enim, tam in foro conscientiæ interno, quam externo, obligatur ad fidejussionem suam adimplendam, quando a debitore facta discussione bonorum debitum haberi nequit. Sed quæstio est; an obligetur in foro conscientiæ solvere, etiam ante sententiam Judicis, an vero possit illum expectare: idque quando non constat de intentione fidejubentis, qualiter se voluerit obligare, sed simpliciter pro alio fidejussit, ut certe communiter solet fieri. Pro hoc, & aliis annexis dubiis pono breves Resolutiones. 90

I. Fidejussor juxta supra dictas conditiones etiam ante sententiam Judicis in foro conscientiæ obligatur debitum solvere in defectum principalis. Ita communior DD. Petrus Navarr. *l.* 3. *cap.* 4. *n.* 150. Rodr. eamque citans Bonac. *disp.* 3. *de contract. q.* 10. *pun.* 1. *n.* 3. Laym. *cap.* 29. *n.* 8. Quia fidejubere nihil aliud est, quam fidem suam interponere de alieni debiti solutione, seu alienam obligationem in suam fidem suscipere: at quivis promissioni suæ fidem interpositam, & acceptatam servare jure naturali, & in conscientia obligatus est, seclusa omni sententia Judicis; ergo. *Alii sic arguunt.* Fidejussor tenetur pro debitore principali; sed hic obligatur in conscientia solvere ante sententiam, cum debitor sit ex contractu: ergo & ille. Non placet hæc ratio; jam enim vidimus fidejussorem posse aliter, & gravius obligari, quam obligatus fuerit principalis debitor: posset ergo etiam ex causa obligari minus graviter, & solum post sententiam, etsi debitor obligetur antea. Unde contrarium non improbabiliter docent alii apud *Bonac. cit.* Et dubius manet Tamb. hic *c.* 1. *n.* 12. Ratio potest esse; quia in primis quilibet intendit se, quanto minus potest, obligare. Deinde in similibus contractibus politicis quilibet intendit se obligare secundum usum receptum, & communem: atqui communis usus videtur valuisse, ut fidejussor non solvat, nisi a Judice sententiatus, ergo. Fateor, probabilem esse sententiam, & in Confessionali non semel eam secutus fui, attendenda tamen est loci consuetudo. 91

II. Quando plures fidejussores pro eodem debito fidejusserunt, nisi singuli expresse pro rata parte tantum se obligarint, singuli obligantur in solidum; quod si tamen omnes ad solvendum idonei sunt, competit singulis exceptio per Epistolam Imperatoris Hadriani, ut obligatio in portiones dividatur; si vero alii solvendo non sint, cogitur etiam unicus, qui solvendo est, totum præstare. Quod si tamen unus non opposita exceptione totum solvit, in foro externo jus repetendi ab aliis non habet, nisi prius, antequam totum solverit, conveniat cum creditore, ut sibi cedat jus suum contra alios fidejussores ad ipsarum ratam capiendam, quo nimirum eos compellat, ut singuli portionem solutionis refundant; quam actionem etiam facta integra solutione certe ei creditor cedere debet propter privilegium, quo gaudet fidejussor appellatum in Jure cedendarum actionum, omnia habentur in Jure *inst. tit. de fidejuss.* §. *si plures.* At vero, si non præmissa ejusmodi conventione unus fidejussor totum debitum solvit, jam non poterit ei creditor amplius hoc jus cedere: quia seclusa illa conventione jam integre satisfactus, non habet jus amplius contra alios fidejussores, sicque fidejussor totum solvens, & nullum aliud medium habebit, nisi tantum dirigere se contra ipsum debitorem, juxta dicta §. 1. 92

III. Si principalis debitor debito, seu obligatione sua liberatur per condonationem, vel alio modo, palam est, simul extingui obligationem fidejussoris; nam ruente principali, ruit accessorium. At quid si principali debitori solum terminus solutionis prorogetur, v. g. ad unum vel alium annum: remanebitne liber fidejussor a sua obligatione? *Resp.* cum necessaria distinctione: nam si fidejussor se obligavit absolute nullum determinando tempus, non remanebit liber, quia indefinita fuit obligatio; indefinita autem in Jure (non item in Logica) censentur universalia velut perpetua: si vero se obligavit restricte ad certum tempus, v. gr. ad hunc annum, ad has nundinas &c. tunc prorogato principali debitori termino, liberatur fidejussor: quia obligatio non se extendit ultra partium conventionem: & (nota) sicut qui fidejussit pro capitali, non intelligitur fidejussisse pro interesse, ita & qui pro uno tempore, non intelligitur pro alio fidejussisse. 93

IV. Denique sunt casus, quibus fidejussor liberationem fidejussionis suæ jure petere potest. Sacer Textus *c. fin.* de fidejussionibus tres exprimit: sed *Glossa ibid.* & *institutionibus de fidejussoribus* quatuor enumerat casus. 1. Si ita conventum sit, ut elapso certo tempore, vel cum fidejussor rem petierit, fidejussione liberetur. *L. si pro ea* 10. *Cod. mandati.* Hic casus non habetur in Jure Canonico. 2. Si debitor bona sua dilapidare incipiat, ut periculum fidejussori immineat, eadem *L. cit.* 3. Si fidejussor longo tempore in obligatione manserit, quod Judicis arbitrio ex circumstantiis æstimandum erit, quo tempore facile debitor solvere potuisset *L. Lucius* 39. *ff. mandati.* 4. Si fidejussor ad solvendum condemnatus sit, statim antequam solvat, agere potest adversus debitorem, 94

rem, ut ipsum liberet, vel indemnem servet: ut habetur *ll. cc.* utriusquè Juris. Sequitur fidejussioni affinis

Assecuratio.

95 E*St contractus, quo quis constituto pretio suscipit in se periculum rei alienæ obligando se ad illius rei compensationem, vel in totum, si tota pereat, vel in partem, si pereat pars.* Jam vides latum discrimen assecurationis a fidejussione etiam in contractibus: fidejussio enim, solum in debitis ex contractu locum habens, id solum facit, ut si non solvat debitor, solvat fidejussor; adeoque est obligatio accessoria, & non principalis. Assecuratio autem est obligatio principalis, & respectu cujuscumque rei, etiam vitæ alienæ: & in contractibus facit, etiamsi liberetur debitor ex aliquo justo capite; ut si pupillus contraxit sine consensu tutoris, & in similibus, non tamen liberatur assecurator: hic enim non adhibetur accessorie in subsidium contractus; sed ut principalis in absolutam securitatem, quod valde notandum.

96 II. Justus, & licitus est ejusmodi contractus assecurationis rei alienæ, cujuscumque etiam vitæ hominis ad certos annos v. g. quia est contractus fortis; ut tamen justus sit, debet habere quatuor conditiones. Ut sit æqualitas inter pretium, & pericula rei assecurandæ, quod pretium justum certe, vel lex, vel usus communis, vel expertus vir determinabit. 2. Ut assecuratio sit libera, & non coacta. 3. Ut assecurator ignorans admoneatur de periculis rei; ut si hæc videat, an velit assecurare, & quantum possit petere pro gravamine, quod subit: 4. Ut res assecuranda existat, & quidem cum periculo: alioquin quid assecurabitur? Unde si quis petat a te assecurationem certo sciens, rem v. g. navim, vel merces jam periisse, invalida erit tua assecuratio de navi, vel mercibus: neque ille a te exigere, vel recipere poterit ejus rei compensationem; quia revera nihil assecurasti.

97 III. Principalis autem conditio supponitur, ut, qui assecurat, habeat bona, quibus totius rei assicuratæ compensationem facere possit, si ea tota pereat, vel partis, si pars pereat: unde si nulla habeas bona, nec habere speres postea, fingens tamen te habere, vel habiturum, assecures, invalida erit tua assecuratio, & injusta: quia non est æqua conditio ex utraque parte: & consequenter nihil pretii poteris recipere pro ejusmodi assecuratione.

98 IV. At, quid si habeas, vel habere speres saltem partem, ut si assecures mercatori navim cum mercibus decem millium aureorum, ipse non habens, nisi quinque millia: eritne assecuratio valida, ut possis juste accipere assecurationis pretium; si non totum correspondens decem millibus, quod certe nemo putabit ob rationem modo dictam, saltem partem correspondentem quinque millibus, quæ habes, vel habere speras? Resp. totum contractum esse invalidum, teque non posse, ne partem quidem pretii accipere sine onere restitutionis. Ratio est: quia fraus, seu dolus versans circa substantiam rei dedit causam huic contractui: mercator enim in ejusmodi assecurationem nunquam consensisset, ne ad partem quidem solvendam, si scivisset tuam impotentiam ad totum compensandum. Ita cum *Bonacina* (contrarium tamen etiam probabiliter putante) absolute Tamb. hic *cap. 2. n. 7. & 8.*

SECTIO V.

De Pignore, & Hypotheca.

SUMMARIUM.

100 *Pignus, & hypotheca quid, &* 101 *Quotuplex.*
102 *Hypotheca alia expressa, alia tacita.*
103 *Quænam oppignorari, vel hypothecari possint.*
105 *An eadem res possit pluribus oppignorari.*
106 *Quid si res oppignorata mutetur.*
107 *Cujus sint fructus ejus.*
108 *Quale jus habeant creditor, & debitor in pignus.*
109 *An is illud vendere possit.*
110 *An creditor eo uti, vel aliis oppignorare possit.*
111 *Creditor soluto debito, debet pignus restituere, una cum fructibus.*
112 *Si illud interea melioravit, detrahere potest expensas.*
114 *Si debitum non solvatur, quale jus in pignus habeat creditor, quando pactum præcessit,* usque ad n. 118. *&*
118 *Quale, quando nullum pactum præcessit,* usque ad n. 123.

99 H*Æc* (quemadmodum etiam commodatum, locatum, depositum &c.) aliquando sumuntur objective pro ipsa re, quæ traditur in tali contractu: aliquando vero sumuntur pro ipso contractu, quo talis res traditur: & hoc sensu potissimum agemus de pignore, hypotheca, deposito; licet etiam prior sensus non raro recurrat.

§. I. *Pignus, & Hypotheca definitur, & dividitur.*

100 P*Ignus, vel hypotheca est contractus, quo res alicui traditur, vel obligatur in securitatem debiti;* ut si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit, & debeat; nam pignus, & hypotheca large, & velut generice sumpta, omnino coincidunt: utrumque enim est res obligata alteri in securitatem debiti: Unde dicitur L. res hypothecæ 5. §. 1. ff. de pignor. & hypothecis: *Inter pignus, & hypothecam nominis tantum sonus differt:* At vero in rigore juris, & stricte sumpta, in hoc differunt: quod pignus proprie sit res mobilis, quæ creditori obligatur, simul & traditur in securitatem debiti. *L. si rem alienam 9. §. 2. ff. de pignor. actione.* Hypotheca autem proprie est res immobilis, vel etiam mobilis, quæ sola conventione, verbo, vel scripto absque traditione, vel possessione alteri obligatur: estque duplex, una *particularis*, qua certa res obligatur, v. g. domus, agri &c. Alia *generalis* omnium bonorum præsentium, & futurorum: nec requiritur, quod debitor exprimat illa verba: *tam præsentium, quam futurorum;* sed sufficit dicere; *fide, & periculo rerum mearum*, L. ult. C. quæ res pignori obligari possunt. In hac tamen generalis hypotheca non censentur ea comprehensa, quæ nemo prudens in specie facile obligaret; ut quotidiana vestis, supellex, Doctorum libri, artificum instrumenta &c. L. *obligatione generali 6. ff. de pigniorib.*

II. Pignus (uti & hypotheca) triplex est: conventionale, prætorium, & legitimum. Pignus *conventionale* est, & quod partes contrahentes expresse constituunt, sive solo consensu, sive traditione. Pignus *prætorium*, vel *judiciale* dicitur, quod constituitur per jurisdictionem prætoris, seu judicis, mittendo creditorem in possessionem bonorum debitoris, sive ante sententiam, ut si reus vocatus in judicium non compareat; sive per sententiam Judicis, postquam debitor in solvendo contumax existit: adeoque hoc pignus non acquiritur, nisi per apprehensionem, seu possessionem rei; quo differt a pignore, vel hypotheca conventionali, quæ etiam sola conventione acquiruntur. Et hæc ipsa pignora conventionalia, & prætoria, si res sint immobiles, vel etiam mobiles obligatæ tantum, & non traditæ creditori, dicuntur hypothecæ expressæ. Pignus *legitimum* dicitur, quod neque partium conventione, neque Judicis præcepto, sed ipsa juris dispositione constituitur: & alio nomine dicitur hypotheca legitima, vel tacita. Et hinc 101

III. Hypotheca alia est *expressa*, quæ ex partium conventione habetur, aut prætoris, vel judicis præcepto constituitur, ut jam indicatum est, alia *tacita, vel legitima*, quæ ex dispositione Juris implicite involvitur in alio contractu, adeo ut statim atque talis contractus celebratur, ex dispositione Juris resultet hypotheca, per quam bona unius sunt obligata alteri ex contrahentibus; cujusmodi contractus, & annexæ hypothecæ tacitæ novem inveniuntur in Jure, & sunt sequentes. 102

IV. Tacitam, seu legitimam hypothecam habent. 1. Fiscus, seu ærarium Principis in bonis cujuscumque debitoris sui. 2. Pupillus, & minorennis in omnibus bonis tutoris, vel curatoris sui pro debita administratione bonorum. 3. Liberi, in bonis patris pro administratione bonorum suorum adventitiorum, & multo magis castrensium, vel quasi castrensium. 4. Maritus in bonis uxoris pro dote promissa præstanda, & e contra uxor in bonis mariti pro restitutione dotis (nimirum mortuo viro.) 5. Maritus in bonis cujuscumque dotem promittentis pro dote promissa præstanda. 6. Dominus proprietarius in fructibus fundi locati; atque in bonis inductis coloni, vel emphyteutæ pro solvenda pensione, & pro damno forte facto ab alio præstando. 7. Ecclesia in bonis Ministrorum Ecclesiæ pro mala administratione. 8. Dominus in rebus inductis in suum fundum, vel prædium rusticum ipso sciente, aut etiam in domum, vel prædium suum urbanum, eo etiam ignorante, modo res invectæ sint ibi mansuræ, & non sint res aliæ: nam res furtivæ, vel merces statim vendendæ non intelliguntur hypothecatæ, licet sint invectæ, ut notat Mol. *disp. 497. n. 4.* Denique quilibet habet hypothecam tacitam in quacumque re, ad cujus reparationem, vel conservationem quis mutuat, seu dat pecuniam: illa enim res auxilio illius pecuniæ reparata, & conservata remanet danti obligata pro pecunia cum prælatione ante omnes alios creditores, etiam priorem hypothecam habentes. Hæc omnia statuuntur Jure Civili textibus passim relatis a Legistis, ac etiam Theologis: & quia Legi naturali justitiæ innituntur ad dictarum personarum securitatem, etiam in foro conscientiæ observanda sunt. Vide late Molinam *disp. 497. & 536.* 103

§. II. *Ipsa res oppignorata, vel hypothecata.*

I. Q*Uæcumque res emi, vendique possunt, utpote omnia nostra in re, spe, debito, chyrographo &c. etiam oppignorari, vel hypothecari possunt;* & e contra quæcumque res absolute, & propter se ipsas vendi prohibentur, ut homo liber, res sacra, publicum forum, res alienæ &c. earum etiam oppignoratio prohibita, & injusta censetur, *L. ult. de rebus alienis non alienandis.* Ratio est: quia oppignoratio est species quædam alienationis late sumptæ, quippe tribuens alteri jus reale in pignus: est etiam velut via, & dispositio ad venditionem; etenim creditori datur pignus, ut, postquam debitor est in mora solvendi, illud vendere, & ex eo sibi satisfacere liceat pro distractione pignorum. Si quis autem rem non suam, sed alienam alteri in pignus dedit, dominus, nisi sciens id ratum habuerit, eam ab illo vindicare potest; quasi bona fide acceperit, agere potest contra debitorem contraria actione pignoratitia, ut rem æque bonam sibi in pignus det. *L. rem alienam 41. ff. de pignor. act.* ubi additur: si aliena res in pignus data postea efficiatur ejus, qui dedit, ex eo tempore, 104

ut verum pignus subjectum manebit creditori; unde nil obstat, ut aliquis pignori, vel hypothecæ subjiciat id, cujus dominium se consecuturum sperat, ut notat *Molina disp.* 529.

105 II. Quælibet res in hypothecam, vel pignus dari potest pro quantitate, qua valet tantum, etiam pluribus creditoribus, si eorum creditis æquivalet, alias non: prædium enim hypothecatum uni pro 1000. v. grat. non potest alteri obligari pro aliis 1000. si non est sufficiens ad utramque obligationem exolvendam. In praxi ergo, quando debitor eamdem rem duobus oppignoravit, cum tamen ad utriusque debiti securitatem non sufficiat, distinguendum est: si enim factum est sciente priore creditore, & ignorante posteriore, tunc prior juri suo cedere videbitur, ut notat Mol. *disp.* 532. *n.* 3. Si autem factum inscio priore creditore, manet illi salvum jus pristinum: sed posterior creditor, si nesciverit, rem antea fuisse oppignoratam alteri, agere potest adversus debitorem actione hypothecaria, ut rem aliam pignoris loco sufficientem substituat. L. *si quis in pignore* 36. *ff. de pignor. act.*

106 III. At, quid si res oppignorata, vel hypothecata postea varietur, vel immutetur: remanebitne eodem modo obligata creditori, sicut antea? Distinguendum est: Si enim res fuit immutata in melius, v. g. quia prædium fuit a possessore melioratum, domus amplior, ac commodior facta &c. tunc remanebit & res, & ipsum augmentum pignori, vel hypothecæ subjectum, quia accessorium sequitur principale: si vero res fuit immutata in pejus, v. g. prædium, vel vinea destruitur, domus exuritur, sylva cæditur &c. tunc remanebit obligatum id, quod saltem de substantia remanet, nempe solum, seu fundus, & cæsa sylva, etiam arbores, seu cæsa ligna oppignorata manebunt, cum ligna sint pars substantialis sylvæ. Si tamen ex dictis lignis fiat aliquod artefactum, v. g. navis, domus &c. non amplius oppignorata manebunt; cum ligna sint deinde materia commutata in aliam rem. Et sic statuitur, L. *si convenerit* 18. §. 3. *ff. eod.* Quoad traditionem pignoris immutati, vel variati patebit §. *seq. n.* 3. & 4.

107 IV. Quando creditori forte res fructifera in pignus data est, cujusnam erunt fructus? Resp. debitoris, is enim semper manet dominus pignoris: omnis autem res, quæ fructificat, suo domino fructificat: intellige per se, & secluso alio titulo, vel contractu, juxta latius dicta de Usura.

§. III. *Jus creditoris, & debitoris in pignus durante debito.*

108 Durante tempore debiti creditor habet nudum jus intentionis rei sibi oppignoratæ, ut eam sibi forte ablatam a quocumque possessore vindicare possit tanquam sibi realiter obligatam, quousque debitum solvatur, eoque soluto, integre restituendam, interim dominio pleno semper remanente apud debitorem oppignorantem: & hinc fit.

109 I. Debitor non prohibetur rem pignoris, vel hypothecæ loco alteri obligatam, alteri tertio vendere, vel alio modo obligare, ut habetur L. *si debitor.* 12. *C. de distract. pign.* Salvo tamen Jure primi creditoris: & siquidem eo sciente, & consentiente res ei oppignorata alienata sibi maneat, protestetur, ut jus pignoris salvum sibi maneat, censebitur remittere, ut habetur L. 2. *C. de remiss. pign.* Si vero eo ignorante, vel invito res alienata sit, transibit cum onere ad quemcumque possessorem, ut illud ab eo creditor in defectum debitoris ab emptore vindicare possit, cui tamen venditor manebit obligatus de evictione eodem rursus modo, quo supra de rei alienæ venditæ evictione dictum est. Quod si debitor pignus idem duobus oppignoravit, jam dictum est §. *præc. n.* 105.

110 II. Creditor, quamvis sine expressa, vel tacita licentia debitoris non possit uti, multo minus frui re sibi oppignorata (ut alibi dictum, & in simili iterum dicetur infra de deposito) attamen pignus sibi datum alteri oppignorare, vel in hypothecam dare licite potest L. 1. & 2. *si pignus pignori datum est:* adeo ut pignus pignori dari possit in infinitum. Communis DD. Laym. *c.* 30. *n.* 2. Bonac. *disp.* 3. *de contract. q.* 10. *propos.* 3. *n.* 9. Ratio est: quia quilibet jus sibi acquisitum in alterum transferre potest; id tamen pro ea quantitate tantum, in qua sibi debetur illud pignus, & pro tempore, quo durat suum jus: ita nimirum, ut secunda, vel posterior oppignoratio eo usque tantum duret, donec extinguatur prima oppignoratio per solutionem debiti, v. gr. quia extincto jure concedentis, etiam extinguitur jus accipientis: secundus tamen creditor tunc exigere potest a priore debitore, ut vel debitum sibi statim solvat, vel aliud æque bonum pignus tradat, ut ipsa æquitas postulat.

111 III. Creditor, qui pignus accepit, quam primum debitum sibi integre solutum, aut eo nomine satisfactum est, restituere illud debet, & quidem integre, & tale, quale acceperat, non dolo, vel culpa lata deterius factum: alioquin debitori tenebitur actione pignoratitia ad compensationem. Insuper si res fuit fructifera, prædium, v. g. hortus, vacca &c. omnes fructus interea perceptos, vel dolo, aut culpa sua percipere neglectos (quos tamen dominus percepisset, si rem suam habuisset) computare debet in rationem sortis debitæ, vel expensarum, quas circa pignus fecit, ut habetur L. 1. 2. & *ult. Cod. de pignor. act.* Et hinc ulterius

112 IV. Creditor si rem a te sibi pignori traditam utiliter melioravit suis expensis, non tenebitur tibi illam reddere, nisi præter debitum solvas etiam id, quod ille utiliter expendit pro melioramentis rei tuæ: immo poterit sibi tamdiu retinere rem tuam oppignoratam, donec resarciantur sibi expensæ utiliter factæ (nam pro expensis inutiliter nihil posse exigere, constat ex alibi generaliter dictis) *Ratio est:* quia non est æquum, ut is, qui rem suis expensis utilem tibi fecit, defraudetur sua mercede, deductis semper deducendis. Idemque dicendum, si illæ expensæ, & melioramenta facta fuissent ab alio tertio possessore illius prædii oppignorati. Vide Molinam *disp.* 533. Lug. *disp.* 32. *n.* 32.

§. IV. *Jus creditoris in pignus, vel hypothecam quando debitum non solvitur.*

Certe pignus, vel hypotheca creditori in defectum solutionis obligata manet, ut inde satisfactio, vel solutio fieri possit, & debeat, ut ex definitione constat: satisfactio autem fieri debet per venditionem rei, idque aut ex pacto præcedenti, aut ex dispositione Juris, vel Judicis. Videamus utrumque distincte. 113

Quando pactum præcessit.

Utroque Jure Civili, & Canonico L. 1. *C. de pact. pignor. & c. significante de pignor.* reprobatur in pignoribus pactum Legis commissoriæ ita conceptum, ut si debitum ex mutuo, emptione &c. ad certum tempus solutum non sit, eo ipso maneat creditori, vel in solutum pro debito, vel in venditum pro certo pretio ab ipsis partibus constituto: nimirum ad vitandas usuras palliatas, & gravamina maxima debitorum: nam pignus sæpe est majoris valoris, quam creditum; nemo enim accipit pignus minoris valoris, & æqualitas sæpe attingi non potest: unde ad vitanda ejusmodi pericula injustitiæ recte ejusmodi pactum simpliciter reprobatur. 114

II. Justum autem est pactum, ut si ad certum diem, vel tempus solutio facta non fuerit, pignus creditori tunc vendendum sit pretio justo secundum alicujus tertii boni viri arbitrium æstimando, reddito excessu debitori, si quis sit. L. *si fundus* 16. §. 6. *ff. de pignor.* Communis DD. cum Navar. *c.* 27. *n.* 203. Ratio: quia ejusmodi obligatio debitori imponitur partim in pœnam justam differendæ solutionis, partim ob interesse creditoris, ut is indemnis servetur. 115

III. Similiter justum est pactum adjectum pignori, ut si debitor in mora solvendi existat, v. gr. biennio non solvat, pignus, vel hypothecam distrahere, aliisque vendere statim liceat, atque inde recepto debito, quod reliquum est, debitori restituatur. *L. convenit. ff. de pignor. act.* Aliqui in utroque hoc casu post elapsum terminum, & moram solvendi, antequam pignus vendatur, requirunt, ut semel saltem moneatur debitor dominus pignoris: sed non esse necessario monendum, docent *Azorius*, *Reginaldus* apud Tamb. *c.* 3. §. 6. *n.* 3. quia ejusmodi monitio non fuit deducta in pactum. 116

IV. Quod si pactum præcessit, ut pignus non vendatur, adhuc tamen vendi posse (cum de ratione, & natura pignoris sit, ut vendi possit in defectum solutionis) attamen post trinam monitionem, & præsente debitore, si velit adesse, ne fraudem suspicetur, docent iidem DD. cum aliis, quos, si placet, vide. 117

Quando nullum pactum præcessit.

Quando inter partes nihil conventum est de pignoris distractione, Jura ita statuunt cit. *L. si convenit*, & *L. fin. Cod. de jure dominii impetrandi.* 118

I. Pignus prætorium, seu Judiciale non datur in manus creditoris, nisi post quatuor menses a lata sententia judicis: potest tamen hoc a Judice arctari, vel produci ex justa causa, postea vero expectentur alii duo menses, post quos pignus vendi potest, auctoritate judicis intercedente: idque etiam in foro conscientiæ obligare, certum putat *Tamb. cit. nu.* 8. Quia sicut ea pignora ab auctoritate publica legitime constituuntur, ita ab eadem auctoritate publica dissolvi debent. 119

II. Pignus autem conventionale non potest vendere creditor, nisi biennio post moram, & interpellationem, seu admonitionem unicam (trinam vero si conventum fuisset de pignore non distrahendo, ut jam supra innui) elapso autem illo biennio, jam poterit creditor pignus propria auctoritate vendere, sed sciente, & si velit, præsente domino. Notat tamen hic Mol. *disp.* 538. biennium illud posse reduci ad 4. vel 6. menses, si creditor recurrat ad Judicem, ut sibi auctoritate publica consignetur istud pignus, quod antea habebat ex conventione privata, & sic convertatur pignus conventionale in judiciale; sicque jam factum judiciale pignus ejus naturam induet. Insuper hanc legem non urgere in foro conscientiæ, sed tutum in conscientia fore creditorem, si post moram notabilem solutionis, admonito debitore, etsi nondum elapso biennio propria auctoritate vendat pignus justo pretio, quo sibi ex integro satisfiat, reddatque quod forte superest pretii debitori, pignoris domino pristino, probabilissime suadet Tamb. *cit. a nu.* 9. §. 6. (nam apud alios meos Auctores pro re tam practica nihil invenire potui) eo quod durum, & grave nimis sit creditori tot annos, vel menses expectare, ut suum recuperet, plerumque non sine suo damno, & molestia, præsumendum est, esse ejusmodi leges constitu- 120

ſtas ad tollendas fraudes : ubi ergo fraudes vere non adſunt ; ut quid tales ſubtilitates Juris in foro conſcientiæ obſervandæ ſunt? Et mox iterum dicam in ſimili.

121 III. Nunquam creditor, pignus diſtrahens, poteſt illud ſibi ipſi emere, ne quidem per interpoſitam perſonam, niſi de licentia Judicis, ſi nullus alius vellet pretium juſtum etiam infimum offerre, *L. & qui* 10. *C. de diſtract. pignor.* Quod ſi ergo nullus alius velit emere, conveniendus eſt Judex, monito debitore, qui ſi nolit comparere, certum ei tempus aſſignabitur ad comparendum, eoque adhuc non comparente, jam de licentia Judicis poterit ſibi creditor comparare pignus, licet ſub conditione, ut ſi inter alios duos annos compareat debitor, ac ſatisfaciat creditori, ſibi pignus adhuc exiſtens reſtituatur. Verum hæc lex cum tot ſubtilitatibus manifeſte fundatur in præſumptione fraudis; ideoque non obligat in foro conſcientiæ, ubi præſumptio cedit veritati, poſito, quod quis bona fide egerit, ut ex communi notant *Laym. cit. & Lugo.*

122 IV. Si pignus, vel hypotheca etiam expreſſa ad tertium poſſeſſorem devenerit, non poteſt hunc convenire creditor pro ſatisfactione, niſi præcedente diſcuſſione bonorum debitoris, & ejus fidejuſſorum, ſi qui fuerunt, *Auct. de fidejuſſ.* §. *ſed neque*. Debet ergo creditor probare, rem illam fuiſſe debitoris tempore contracti debiti, & fuiſſe comprehenſam in hypotheca ſua, & factam eſſe diſcuſſionem in bonis debitoris, & fidejuſſorum. Et tunc, quando tertius poſſeſſor rei hypothecatæ tenebitur reddere, vel ſolvere debitum, debet ei creditor cedere jus, quod habet contra primum debitorem, & fidejuſſores, ut & ipſe indemnem ſervare ſe poſſit. Vide Lug. *cit. diſp.* 32. *num.* 23.

SECTIO VI.

De Depoſito.

SUMMARIUM.

122 & 123 *Depoſitum quid.* 124 *Quis poſſit eſſe depoſitarius.*
125 *Depoſitarius non habet rei dominium,*
126 *Sed ſolum cuſtodiam. Unde,*
127 *Ea uti, vel alienare non poteſt,*
128 *Sine licentia, ſaltem rationabiliter præſumpta.*
129 *An, quando, & qualiter peccet, & ad reſtitutionem obligetur depoſitarius, ſi depoſitum pati, vel perire ſinat.*
130 *Quibus caſibus depoſitarius poſſit depoſitum non ſtatim reddere, dum petitur.*
131 *Affertur, & ſolvitur difficilis caſus lignarius.*

122 DEpoſitum eſt contractus, quo ſola rei cuſtodia alterius fidei committitur, ut integra reddatur, accipiendo nimirum depoſitum formaliter pro contractu: communiori autem ſenſu accipiendo objective, depoſitum eſt res, quæ alterius fidelitati cuſtodienda, & conſervanda traditur, & a depoſitario in fidem recipitur, ut integra reddatur. *L.* 1. *ff. depoſiti*, Ulpianus ſic definit: *Depoſitum eſt, quod cuſtodiendum alteri datum eſt: dictum ex eo, quod ponitur. Præpoſitio autem DE auget depoſitum, ut oſtendat totum fidei ejus commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet.* Sic ibi. Explico breviter terminos definitionis, ſimulque depoſitarii obligationem, & injuſtitias.

§. I. *Eſt Contractus.*

123 AD depoſitionem enim formaliter neceſſario requiritur conventio, & conſenſus duorum, & deponentis volentis rem ſuam alterius cuſtodiæ committere, & depoſitarii volentis, ac promittentis rem in ſuam fidem, & cuſtodiam recipere: non enim eo ipſo, quo tu aliquid ædibus meis reponis, vel relinquis, cenſeris deponere, aut ego depoſitum ſuſcipere, niſi te ita volente, & ego velim, meque velle expreſſe, vel tacite oſtendam: ut ergo depoſitarius contrahat obligationem rei apud ſe depoſitæ, ſeu ſuæ cuſtodiæ traditæ, neceſſe eſt, ut is rem in ſuam fidelitatem, curam, & cuſtodiam ſuſcipiat, conventione explicita, vel ſaltem implicita, & tacita: utpote cum quis ratione officii, & conditionis ſuæ, rerum apud te depoſitarum cuſtodiam profitetur, ut caupones, nautæ &c. eo ipſo, quo vident, alium in ſuam cauponam, in navim ſuas merces inferre, etſi nihil dicant, tamen illas in ſuam fidelitatem, & cuſtodiam acceptare cenſentur: ut ex communi notant Molin. *diſp.* 527. *n.*3. Laym. *c.* 25. *n.*1. *Marchant. Tribunal. p.*2. *tr.* 8. *tit.*5. *ſect.* 5. *dub.* 1. *reſ.* 1. Quamvis Leſſius *c.*27. *dub.*3. *n.*10. ſatis probabiliter in his, & ſimilibus eam obligationem non agnoſcat propter multitudinem ad ejuſmodi loca accedentium, & inde recedentium: niſi aliquo ſaltem ſigno voluntas cuſtodiendi expreſſa ſit: & certe praxis ita videtur obtinere. Sic opportune quæris

Quiſnam poſſit eſſe depoſitarius.

124 REſp. Depoſitarius eſſe, ſeu depoſitum ſuſcipere poſſunt omnes, qui utuntur ratione, etiam fœmina, *L. Publica* 26. *ff. depoſiti*. Etiam pupillus ſine tutoris auctoritate: ſi tamen res periit abſque ſuo dolo, non amplius obligatur, quam inde locupletior factus ſit. Etiam Clericus *c.* 1. *de depoſito*: etiam Religioſus, non tantum Prælatus, ſed etiam privatus ſubditus valide ſuſcipit depoſitum, etſi illicite, ſi abſque licentia Prælati, ut notat Mol. *diſp.* 525. Quod ſi autem res apud tales depoſita etiam culpa, ac dolo Clerici, vel Religioſi, vel etiam Prælati pereat, vel abſumpta fuit, nihil omnino obligabitur inde Eccleſia, vel Monaſterium, niſi quatenus inde in utilitatem Eccleſiæ, vel Monaſterii aliquid verſum fuerit, ut expreſſe habetur cit. *c.*1. *de depoſito*. Ratio eſt, quia delictum perſonæ non debet redundare in detrimentum Eccleſiæ, vel Communitatis. *Reg. Juris Can.* 76. *n.* 6. Quod ſi vero ipſamet Eccleſia depoſitum ſuſcepit, videlicet Prælatus cum conſenſu Capituli, tunc obligabitur ex dolo, & culpa lata, ſicut alii depoſitarii, ut notat Laym. *cit. nu.* 6. Inſuper hic recte monet *Marchant. cit.* Imprudentiam, & abuſum ſæcularium tempore belli, ſive in Monaſteria velut in aſylum importantium, & putantium in depoſitum, & cuſtodiam Monaſterii, vel Conventus ſe illa dare, cum tamen revera non ſit depoſitum, niſi Conventus, explicita fide, data in cuſtodiam ſuſceperit, quod certe nec faciendum, nec conſulendum eſt: ſi autem ſolum ratione immunitatis in aſylum inferant, ſibi ipſis, non Monaſteriis imputent, ſi poſtea per prædones jacturam patiantur, nihil enim Religioſis cura circa illa: & ſane prætextu talium depoſitorum tot vidimus Monaſteria deſpoliata, quæ alias immunitate ſua gaviſa fuiſſent.

§. II. *Pro ſola rei cuſtodia.*

I. NUllus prorſus dominium rei depoſitæ transfertur in 125
depoſitarium; attamen aliquod jus reale retentionis, & cuſtodiæ, ratione cujus depoſitum auferens a depoſitario, etiam ipſi veram injuriam inferat, ejuſque reſpectu verum furtum committat, ut ſuo loco dictum: quo patet (1) Rem eſſe realiter tradendam depoſitario, neque enim cuſtodiri poteſt, quod re ipſa non traditur. (2) Rem ſtatim reſtituendam eſſe Domino petenti; de quo infra *n.*4. (3) Reſtituendam eſse in eodem loco, quo tradita eſt, niſi aliud juſte conventum ſit. (4) Depoſitarium juſte exigere expenſas forte factas circa rem depoſitam, v. g. in equo depoſito alendo, in re depoſita ex periculo incendii, vel prædonis eripienda &c. poſseque ſibi detinere depoſitum, donec ſolvantur ejuſmodi expenſæ, ut notant Mol. *diſp.*526. Ratio patet, quia depoſitarius non tenetur ſuis ſumptibus alere rem, quæ nec ejus eſt, nec ab ea ullum emolumentum capit. Excipe tamen, niſi re depoſita, equo, vel curru v. g. uſus fuerit, uſuſque compenſetur cum expenſis.

II. Sola rei cuſtodia committitur depoſitario, neque ex 126
vi contractus ei uſus conceditur, quod ſi enim ex pacto concedatur uſus, jam tranſivit contractus in mutuum, vel in commodatum, vel in locatum, imo in uſuram palliatam, ſi pecunia, vel alia res functionem ſuſcipiens deponatur alicui cum facultate ea utendi, & poſtea cum lucro, vel auctario reſtituenda, ut ſuo loco notatum. Sunt tamen duæ hic exceptiones. 1. Quando creditur uſum non diſpliciturum domino. 2. Si dominus uſum concedat ſaltem tacite: de quibus mox.

III. Depoſitarius re depoſita ſine expreſsa, vel tacita, 127
vel rationabiliter præſumpta domini licentia utens, eamque quovis modo alienans, peccat contra juſtitiam vero peccato furti, ut expreſse habetur *inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſcuntur* §. *furtum*, atque ad reſtitutionem obligatur, aut pro ipſa re depoſita, aut pro valore talis uſus v. g. veſtis depoſitæ, & pro omni intereſse forte domino ex uſu, vel alienatione talis rei ſecuta: quin etiam, ſi pecunia, frumento, aliave ſimili refectionem recipiente depoſita, maxime a communitate, vel Magiſtratu apud Quæſtores &c. depoſitarii utantur ad negotiationem, & lucrum invitis dominis, etſi ſecluſo omni damno, & periculo dominorum: quia nimirum parati ſunt reddere integre, & ſine mora, quamprimum dominus petierit depoſitum, adhuc peccare (certe tamen ad menſuram rationabilis involuntarii dominorum) recte poſt alios cenſet Tamb. hic *cap.* 5. §. 1. *nu.* 6. Ratio eſt, quia aliqua ſaltem injuria fit domino, quod eo invito, vel prohibente, etſi ſine ſuo damno, ſua pecunia vel re alius utatur. Lucrum tamen ſibi acquirere, & retinere poſse depoſitarium ex communi docet *Laym. cit. nu.* 4. *dico* 3. quia nimirum eſt fructus ſolius induſtriæ, ut jam ſæpius inculcatum.

IV. Dixi: *ſine expreſſa, vel tacita, vel rationabiliter* 128
præſumpta licentia. Tacita licentia domini adeſse cenſetur, quando is præſens aliquo ſigno ſuam voluntatem oſtendit; ut ſi dominus pecuniam numeratam non clauſam, nec obſignatam alterius cuſtodiæ committat, cenſetur ipſi quaſi mutuum dando poteſtatem facere, ea utendi, negotiandi &c. ut proin ex eo tempore illius pecuniæ mutuæ & periculum, & dominium ad depoſitarium ſpectet, qui æquivalenti pecunia poſtea ſolvere debebit. Rationabiliter præſumpta licentia cenſetur, quando nullum adeſt quidem ſignum voluntatis, attamen rationabiliter putatur, eum ſic velle, ut ſi res deteriores fierent, vel corrumperentur, ut vina, frumenta, veſtes, niſi conſumantur vel uſu moderato conſerventur, depoſitarius rationabiliter præſumere poteſt de voluntate domini deponentis, ut iis rebus uti, eaſve alie-

alienare possit, reddito postea æquivalenti pretio, vel simili merce. Et universaliter, quoties quis deponit apud te rem usu consumptibilem, ac functionem accipientem, pecuniam, frumentum, vinum, oleum &c. nec interdicit tibi ejus usum, aut tacite censetur consentire, aut saltem præsumitur non curare, si his rebus utaris, eas in mutuum convertendo, ut saltem peccati mortalis damnari non possis, dummodo certus sis, te tantumdem ejusdem generis, qualitatis, & bonitatis, præsto habiturum, cum dominus repetierit: tunc enim in nullum ejus damnum, sed potius commodum cedit: nam si res deposita apud depositarium casu, vel culpa levi, aut levissima periisset, deponentis id damno accidisset, ut mox dicetur: modo autem fieret damno depositarii, postquam is rem sibi depositam pro mutuo acceptarit. Vide Mol. *disp.* 524. Less. *c.* 27. *dub.* 3. Laym. *l.c.* Casum notabilem huc spectantem ponam infra pro coronide.

§. III. *Alterius fidei committitur.*

129 Depositarius tenetur rem custodire bona fide, excluso dolo, & culpa lata, seu crassa tantum, quæ secundum præsumptionem dolo æquiparetur, ut si in rebus suis custodiendis diligens, in depositis autem servandis negligens esset, adeo ut si rem depositam dolo, vel simili culpa crassa perire, vel deteriorari sinat, pro ratione materiæ peccet mortaliter, & ad restitutionem obligatus sit in utroque foro, de quo nemo dubitat. Injustum autem, & invalidum esset pactum, quo depositarius non teneatur rem custodire, vel quo non teneatur ex dolo, quia esset contra naturam contractus, imo & contra bonos mores, ut cum aliis notat *Tamb. cit. nu.* 1. Non ergo depositarius tenetur ex alia quavis culpa dolo non æquiparata, lata, levi, vel levissima, nisi in his casibus. 1. Si ita conventum sit, accedente quasi pacto assecurationis; nam contractus ex conventione legem accipiunt. 2. Si aliquis deposito seipsum obtulit, quia talis majorem præ aliis rogatis custodiam promittere censetur. 3. Si depositio fiat non in gratiam solius deponentis, sed etiam ipsius depositarii, utpote quia ipsi rei depositæ aliquis usus, vel commodum conceditur, aut ei merces constituitur sive pro ipsa rei custodia, sive pro rei elaboratione, quemadmodum dantur aurifici aurum, & argentum, molitori triticum &c. tunc enim contractus depositi transit in locationem, juxta L. 1. *ff. depositi*, *&* *cap.* 2. *de deposito*. Vi cujus contractus accipiens obligabit se ex justitia, & fidelitate ad rem integram servandam, adeo ut licet culpa negligentiæ levis fuerit, tamen ad compensationem damni teneatur, & quidem sub mortali in materia sufficienti, juxta communem DD. Sententiam. 4. Huc spectat etiam, quod peculiariter statuitur ad arcendas hominum fraudes §. *nautæ*, *caupones &c.* ut nimirum caupo, nauta, & stabularius teneantur de damno qualicumque etiam levissima sua culpa in rebus suæ custodiæ commissis compensando, nisi prædixerint, ut unusquisque res suas ipsemet custodiat, se damnum non præstituros: tunc enim non tenebuntur, nisi de dolo, & culpa crassa, ut prædictum est: quamvis notent DD. ante judicis sententiam tales in foro conscientiæ non teneri præstare culpam levissimam, sed satis esse, si culpam levem præstent prudentis arbitrio. Denique, si depositarius in quacumque culpabili mora restituendi fuerit, & res postea etiam casu, & fortuito pereat, alioquin non peritura, si suo tempore domino reddita fuisset, eidem damnum imputandum, & compensandum erit, ut habetur *c.* 2. *de depos.* & nos alibi diximus.

§. IV.

130 Depositarius tenetur reddere depositum statim, ac repetitur, & ea quidem fidelitate, ut etiam furi, latroni, usurario rem furtivam apud te depositam restituere debeas, *L.* 1. *§. si prædo* 39. *ff. depositi*. Excipiuntur tamen aliqui casus, quibus fas non est reddere depositum. I. Quando deponens re reddita in suum, vel aliorum damnum abuteretur, v. g. gladio ad homicidium, de quo alibi dictum. II. Quando bona deposita publicata sunt, vel fisco adjudicata, tunc enim non deponenti, sed immediate fisco tradi debere, vel saltem posse, habet communis DD. Etsi contrarium doceat Emmanuel Sa, *v. depositi*. III. Quando rem furtivam dominus simul, & fur repeteret, aut furi sine domini detrimento restitui non possit, utique non furi deponenti, sed domino majus jus in rem habenti restituenda erit. *L. bona fides* 31. *ff. depositi*. IV. Si res furtiva deponitur ad proprium dominum, si sapit, retinebit. An vero depositarius possit compensatione occulta uti pro suo debito ex rebus depositis, dictum est *tr.* 5. *c.* 5. *de furto*: quemadmodum, & multa alia ad depositum spectantia sparsim dicta necessario sunt in materia *de Restitutione*. Denique pro hujus Tractatus Coronide, & Gloria sit iste sane difficilis

Casus lignarius.

Titius faber lignarius (quales scrinarios, vel arcularios vocamus) unum pondo, idest, ducentas quadraginta tabulas emerat a nauta advectas has quousque commoda occasione, in urbem, & domum conferret, deposuit ad vicinum flumini colonum quendam Cajum: hic ipse Cajus duo circiter pondo similium tabularum simili occasione coemptarum habebat in ipsa civitate venales, depositas apud amicum quemdam Sempronium ad murum domus ejus congestas: interea Cajus depositarius nactus emptorem extra urbem vendit ei, & tradit tabulas extraneas Titii depositas sibi, volens ei vicissim consignare suas tabulas jam in urbe repositas æque bonas, etiam sole, & aere magis desiccatas, atque Titio magis idoneas, insuper eum liberando a labore suas extra urbem transportandi domum, magno ipsius commodo, adeoque ejus consensum rationabilissime præsumendo. Sed ecce infortunium! antequam Cajus Titio scrinario consignaret suas tabulas, in urbe subito orto incendio domus vicinæ, tabulæ Caji omnes fere conflagrarunt: quæsitum est, cujusnam damno hæc tabulæ perierint, an Cajo depositario, an vero scrinario Titio deponenti? Illud prius, mihi antehac fuerat visum verum. Sed in alio simillimo casu aliter resolutum invenio apud *Molin. cit.* Navarchus quidam vehebat in sua navi suas, & amicorum arcas saccaro plenas, hic inter navigandum appulsus ad quamdam insulam vendidit suas cistas; sed quia hæ inferius in fundo navis erant, & difficulter trahi poterant, tradidit emptori totidem arcas amicorum superius positas, animo applicans, & intendens tradere amicis suas ejusdem omnino bonitatis, & pretii: postea vero navi a piratis capta, quæsitum est a Molina, an arcæ illæ captæ a piratis perierint navarcho, vel amicis (vides casum simillimum nostro) non navarcho, sed amicis periisse respondet Molina *disp.* 523. approbatque Cardinalis de Lug. *disp.* 33. *n.* 5. Ratio potissima sumitur ex rationabiliter præsumpta voluntate amicorum, qua navarchus suas arcas cum ipsorum arcis commutavit: hac autem commutatione facta de præsumpta, vel tacita amicorum voluntate, dominium arcarum navarchi translatum est ad amicos, & consequenter earum perditarum damnum ad amicos tanquam jam earum dominos spectare debuit: eadem ergo omnino ratione in casu nostro resolvendum esset, tabulas alias ligneas depositas non Cajo depositario, sed misero Titio scrinario deponenti periisse. Verum hæc resolutio non approbatur a Bonac. *disp.* 3. *de contr. q.* 14. *pu.* 1. *prop.* 1. eo quod arcæ illæ a piratis captæ adhuc erant navarchi, & non amicorum, neque enim vere commutatæ sunt cum arcis amicorum. *Ratio est*: quia commutatio, utpote verus contractus, necessario perficitur mutuo consensu: atqui hic non adfuit: nec potuit advenire consensus amicorum tam remote distantium: ergo nullus contractus, consequenter nulla permutatio esse potuit; adeoque arcæ illæ remanentes sub dominio Navarchi, ipsimet perierunt: optima sane, & solida ratio, & me antehac convincens. Responderi tamen potest negando minorem, etsi enim non adfuerit consensus actualis, & explicitus, adfuit tamen consensus tacitus, & præsumptus amicorum, ut *Molina* probat: talem autem consensum tacitum, vel præsumptum sufficere ad ejusmodi permutationem, imo donationes, vel similes contractus omnes, concedunt. Ego fateor, me adhuc hærere ancipitem, vix enim credere possum, tales consentire, nisi sub conditione, si revera ipsis aliæ tabulæ æque bonæ reddantur, ideoque inclino in sententiam Bonacinæ.

Atque hæc tandem, & his AD MAJOREM DEI OPT. MAX. GLORIAM, BEATISSIMÆ VIRGINIS, OMNIUMQUE ELECTORUM Honorem, ac Animarum Salutem, qualitercumque dictis; salva semper in omnibus Auctoritate Sanctæ Romanæ MATRIS Ecclesiæ, & meliori Peritiorum judicio, finio Decalogum, & totam Theologiam Moralem ad *Quadragesimale Lætare*, 1687. Lætor ego: Lætare & tu, optime Lector, & interdum vel uno ad Deum pio suspirio Auctori bene precare, si quid dignum, si quid bonum, vel utile tibi pro gustu tuo inveneris. Errores autem, si quos per incuriam irrepsisse deprehenderis, prudenter corrige, & benigne excusa: bene, ac diu fruere, vive, & vale.

INDEX RERUM

Notabilium in hoc Secundo Tomo Theologiæ Moralis Decalogalis contentarum.

Numerus primus folium demonstrat, secundus marginem.

Acceptio personarum.

ACceptio personarum, & munerum, fol. 174.

Acceptio generaliter locum habet in administratione justitiæ distributivæ, ibid. n. 108. Et specialiter in collatione beneficiorum, & officiorum, in judiciis, & distributione bonorum, ibid. n. 109.

Acceptio personarum est peccatum ex genere suo mortale, f. 175. n. 113. præsertim si officia, vel beneficia conferantur indignis, ibid. a n. 114.

Acceptio munerum quid, ibid. n. 120.

Acceptare munera.

Acceptare munera gratis oblata ob opus ex justitia debitum, an, & quando licitum, f. 176. n. 120.

Acceptare munera ex pacto ob opus ex justitia debitum mortale est, & restitutioni obnoxium, ibid. n. 127. nisi justa causa excuset, quæ, & quando talis, ibid. n. 128.

Accepta.

Accepta ob opus ex alia virtute debitum, licite accipiuntur, & retinentur, f. 177. a n. 130.

Accepta ob turpem causam, vel opus turpe *patrandum*, ante ejus impletionem licite retineri non possunt, ib. nu. 133. post opus vero turpe jam impletum, pretium pactum licite accipitur, vel jam ante datum, retinetur, ib. n. 135. Exempla varia de meretrice, adultera, Judice, sicario, &c. ibid. n. 136.

Accepta per occultam compensationem, f. 169. a n. 69.

Accepta propter necessitatem, f. 172. a n. 86. vide *Necessitas*.

Ab amasio accipere munera, an, & quando Virgo licite possit, fol. 178. n. 141.

Accessio, accretio, adjunctio.

Accessio, accretio, adjunctio quid, & cujus totum ex accessione propriæ, & alienæ rei resultans, f. 209. a n. 224. Alluvio alia latens, alia patens, ibid. a n. 219. quæ per alluvionem alterius fundo, prædio, &c. accrescunt, cujus sint, ibid. n. 220.

Acquisitio dominii.

Acquisitio dominii per rerum divisionem, f. 197. a n. 125. occupationem, f. 200. a n. 136. venationem, f. 199. a n. 152. inventionem, f. 205. a n. 191. præscriptionem, ib. a n. 188. alluvionem, f. 209. a n. 219. accessionem, ibid. a n. 224. & commixtionem, f. 210. n. 241. confusionem, ib. a n. 245.

Actio injusta.

Actio injusta, seu culpa inducens obligationem restituendi quæ, f. 11. a n. 35.

Adulterium.

Adulterium committit uxor peccans cum alio, esto maritus consentiat, f. 8. a n. 49.

Alienans bona fide.

Alienans bona fide rem alienam a se emptam, dono acceptam &c. ad quid teneatur Domino comparenti, f. 19. a n. 102.

Animalia.

Animalia quæ, & quando censeatur dominium, vel custodiam egressa, & fieri communia, f. 200. a n. 144. Resolvuntur varia dubia, cujus sit animal, si duo, vel plures ad ejus occupationem occurrant, ibid. a n. 148.

Assecuratio.

Assecuratio quid; ut justa sit, quatuor requirit conditiones, fol. 284. n. 23.

Audiens.

Audiens detrahentem quando peccet, f. 155. a n. 104.

Augmentum.

Augmentum intrinsecum rei, & extrinsecum, quid; & quid restitui debeat, si res apud furem crescat, vel decrescat, &c. f. 23. n. 147. Vide *Restitutio ex delicto formali.*

Auxilians positive.

Auxilians positive ad homicidium, f. 120. num. 99. vide *de irreg. cooperant.*

Bellum.

BEllum quid, & quotuplex, fol. 94. n. 83.

Bellum offensivum ex natura sua licitum est, si fiat I. *Auctoritate publica*, *& legitima*, & II. *Causa juxta*. III. *Intentione recta*, & IV. *Modo debito*, ibid. n. 84.

Auctoritas publica, & legitima indicendi bellum penes quos resideat, f. 95. n. 88.

Qualiter, quomodo, quando, & quibus Clericis prohibitum sit propria manu pugnare, ibid. a n. 9.

Quando, & quæ sit causa justa indicendi bellum, ibid. a n. 96.

Quænam sit recta, & justa intentio suscipiendi bellum, f. 96. n. 99.

Quid agendum in causa belli utrinque probabili, vel dubia, ib. a n. 100. & difficultas præcipua est de militibus extraneis, pro quibus resolvitur pro, & contra, an scilicet in bello dubio licite militare possint extranei, & liberi, ibid. num. 103.

In bello patenter injusto nullus militare potest, sive subditus, sive extraneus, f. 97. n. 106. sicut, nec ullus Catholicus licite militare potest sub Principe, vel Republica infideli, quando videtur inde secutura ruina, vel damnum grave Ecclesiæ, ibid. num. 107.

Debitus modus exequendi bellum tria requirit, ib. n. 109.

I. *Præviam indictionem*, seu ut pars læsa petita prius, & non nisi negata satisfactione, bellum indicat, & inferat, ibid. n. 110. & si, conflictu etiam aliquo commisso, pars nocens satisfactionem offerat, a bello cessandum est, ibid. n. 111.

Quæ in prosecutione belli Dux, & milites licite facere possint, ibid. n. 112.

II. *Moderatam*, *& justam pœnam*: qua pœna, quos liceat occidere, ibid. n. 114. qualiter omnia ferro, & igne vastare, f. 98. n. 115. spoliare, ibid. n. 116. capere, & in servitutem redigere, ibid. a num. 117.

III. *Indemnitatem Innocentium*: quæ quibus debeatur, seu quibus in bello parcendum, ut innocentibus, ibid. n. 120.

Reductio omnium peccatorum belligerantium contra justitiam, & speciatim quintum Præceptum, ib. a num. 124. seu

Quando, & qualiter peccent in bellando Principes, vel Magistratus, ib. Quando, & qualiter peccent belli Duces, & alii belli officiales, f. 99. num. 125. quomodo milites, & ad quid hi sub mortali obligentur, ib. num. 126.

Beneficia.

Beneficia conferre indignis, vel dignis, relictis dignioribus, quale peccatum, fol. 175. a num. 114.

Bona Castrensia.

Bona Castrensia, & quasi castrensia, fol. 187. a n. 43. Adventitia, ibid. a num. 47. profectitia, fol. 188. num. 51. bona paterna, fol. 189. num. 56.

Bona naufragantium.

Bona naufragantium quando censeantur pro derelictis haberi, & fieri primo occupantis, quando non, f. 202. n. 167.

Calumnia.

CAlumnia quid, fol. 152. num. 82.

Cambium.

Cambium quid, fol. 285. num. 33.

Cambium aliud reale, aliud siccum, fol. 286. n. 34.

Cambium manuale, vel minutum, & locale, vel per litteras quid, ibid. num. 35.

Cambium reale, manuale, & locale per se licitum, & justum cum aliquo campsoris lucro, ibid. n. 36.

Cambii manualis tituli justi quatuor, ibid. n. 37.

Cambii localis tituli justi tres, ibid. n. 38. defenditur praxis nunciorum, qui ab uno condicti, simul pro alio lucro serviunt aliis, ibid. n. 39.

In cambio locali, v. gr. dans hic pecuniam, eam alibi recepturus, licite exigit quid ultra sortem, f. 287. n. 41.

Cambium Francofurtense, seu praxis illa an licita, ib. n. 42. In Cambio quodnam sit, vel censeatur auctuariū justum. ib. n. 43.

Quibus modis in cambiendo peccari contingat, ib. n. 44.

An quomodo, & qualiter quis cambire possit pecunia aliena, fol. 288. num. 45.

Castitas.

Castitas quid, & quotuplex, f. 140. num. 2.

Causæ ad injustum damnum cooperantes.

Causæ ad injustum damnum cooperantes quæ, cui, quando, & qualiter restituere teneantur, f. 36. causa totalis totalitate causæ, fol. 44. num. 64. partialis partialitate effectus, n. 65. partialitate causæ &c. ib. n. 66. vide *de Restitutione ad damnum injustum cooperantium.*

Causæ, ob quas, quamdiu durant, restitutio differri possit, sunt quatuor, f. 64. n. 53. I. *Ignorantia*. II. *Impotentia*. III. *Necessitas propria*, & IV. *Damnum* ipsi creditori, vel tertio, aut Communitati ex restitutione secuturum, ibid. a n. 54.

Necessitas *propria* excusat I. quoties restitutio fieri non potest sine damno, vel periculo salutis, ibid. n. 58. unde non est obligatio *statim* restituendi cum damno spirituali animæ, ib. n. 59. nec cum damno vitæ, vel incolumitatis corporalis, ib. n. 61. nec cum jactura famæ, vel libertatis. Quando vero fieri potest sine periculo infamiæ, per Confessarium saltem, vel aliam personam tertiam, fieri debet *statim*, ib. n. 63. Item II. necessitas propria excusat etiam ad differendam restitutionem, quando ea fieri non potest absque mutatione status honesti juste acquisiti, ib. a n. 64. quando nimirum quis deberet totaliter mutare statum suum f. 65. n. 65. juste, & honeste acquisitum, ib. n. 66. secus si quis statum suum injuste, v. g. fraude, dolo, usuris, furtis, rapinis, bello injusto &c. comparasset, ib. talis enim tenetur restituere, quantum citra extremam necessitatem carere potest, nisi periculum infamiæ excuset, ib. n. 67. Quæ omnia etiam extendenda sunt ad hæredem malæ fidei. ib. n. 68. Denique. III. *Necessitas propria* etiam excusat ad differendam restitutionem, quando ea fieri non potest sine damno gravi in bonis temporalibus, ib. n. 69. quoties, & quamdiu scilicet debitor in *bonis propriis* deberet pati damnum inde majus, quam creditor, ib. n. 70. Idque verum est in quocumque debito, sive ex contractu, sive ex delicto, ib. n. 74. At quid si uterque simul in extrema necessitate versentur, & debitor, si restituat, & creditor si ei non restituat? ib. n. 76. probabilius eo casu adhuc debitor nō obligatur restituere, f. 65. n. 77.

Cau-

Causæ, ob quas restitutio omnino omitti possit, generatim sunt quatuor, ib. num. 79. I. *Interitus* rei in specie debitæ, sine omni culpa debitoris bonæ fidei. ib. n. 80. II. *Remissio* creditoris, ib. n. 81. legitimæ remissionis tres conditiones, a n. 82. III. *Compensatio* facta, quæ tripliciter fieri potest, f. 67. n. 85. ejus duæ conditiones, ib. a n. 86. IV. *Auctoritas superior*, ib. a n. 89. Utpote per legem præscriptionis &c. ib. vel justam sententiam Judicis, ib. Et aliquatenus etiam per cessionem omnium bonorum, ibid. n. 94. Quæ tamen cessio bonorum solum excusat in foro externo, non vero interno nisi debitor vere impotens sit, ib. n. 95. Nec excusat ea cessio simpliciter a restituendo reliquo, sed secundum quid tantum, quatenus se impotentia extendit, seu quamdiu durat, ibid. n. 96. potest tamen sic bonis cedens sibi reservare, & detrahere necessaria alimenta &c. ibid. n. 97.

An, & qualiter ingressus, ac professio religiosa liberet debitorem ab obligatione restituendi, vel solvendi debita, tres afferuntur sententiæ, f. 68. n. 99.

Prima absolute docet communiter, talem ingredi licite non posse, esto etiam diu expectando, ut debita solvat, fieret ineptus ad ingrediendum postea, ibid. n. 100.

Altera absolute affirmat, talem, facta cessione bonorum, statim intrare posse, ibid. n. 101. sed hujus fundamenta facile solvuntur, ibid. n. 102.

Tertia media sic, ut si debitor speret, se manendo in sæculo brevi tempore in toto, vel in parte satisfacturum, ingressum differre debeat: secus, si deberet ad longum tempus expectare, ib. n. 103. Si tamen talis ingressus, vel professus aliqua bona ad Religionem contulisset, Religio solvere tenetur ejus debita, juxta vires bonorum allatorum, ib. n. 104. Non vero si postea tali professo hæreditas adveniat, ibid. n. 105. Nec talis Religiosus in Monasterio aliquo artificio, vel labore manuum laborare tenetur ad solvenda illa sua debita, f. 69. n. 106. nec egredi ad Beneficium, vel Parochiam, esto sit spes probabilis sic satisfaciendi, ib. n. 107.

Causæ licite infamandi, vel revelandi crimen alterius, f. 151. num. 73.

Causæ excusantes a restitutione famæ, f. 152. nu. 80. vide *Restit.*

Census.

Census quid, f. 280. a nu. 1. alius reservativus, alius consignativus, ib. n. 3. alius realis, alius personalis, ibid. n. 4. alius perpetuus, alius temporalis, ibid. n. 5. alius irredimibilis, alius redimibilis, f. 281. n. 6.

Census realis absolute, perpetuus, & temporalis justus, & licitus est, ib. a n. 7. maxime irredimibilis, vel redimibilis ex parte venditoris tantum, ib. n. 11. Ac probabiliter etiam redimibilis ex parte utriusque, ib. n. 12. Etiam cum adjuncto pacto assecurationis, f. 282. n. 14. resolvuntur varia, ibid. n. 15.

Census personalis etiam licitus, & justus, f. 283. n. 17. maxime irredimibilis & redimibilis ex parte solius venditoris, ibid. n. 20. ac probabiliter etiam ex utraque parte, ibid. a n. 21. pariter etiam cum pacto assecurationis, f. 284. n. 23.

Census personalis pro fundamento requirit personalem industriam, ib. n. 24. Excepto censu vitalitio, ibid. n. 25.

Census Germanicus quinque pro centum justus est, ibid. a nu. 27. etiam apud plebejos aliquem justum titulum non scientes, ib. secus si nullus omnino justus titulus subsit, ib. n. 28. notabilia pro confessariis, f. 285. n. 29. an etiam plus, quam quinque pro centum, possit exigi, ibid. n. 31.

Census an emi possit minori pretio, quam fuit ab initio constitutus, ibid. n. 30.

Resolvitur dubium de ficte volente redimere censum, ib. n. 31.

Assignatur novus titulus justus accipiendi annua quinque pro centum, fol. 290.

Clericorum Dominium.

Clericorum dominium, f. 193. n. 95. eorum bona patrimonialia, Ecclesiastica &c. ibid. n. 96. vide *Dominium*.

Clericus consentire non potest in sui percussionem, f. 8. n. 50.

Commixtio.

Commixtio quid, f. 210. a n. 241. cujus sit cumulus, quando res duorum dominorum, cum, vel sine eorum consensu commiscentur, ib. n. 244. si quis, altero nolente, rem ejus cum propria commisceat, f. 211. a num. 248. commiscere bona fide rem furtivam cum propria, f. 212. n. 252. resolvuntur varia, ibid. a n. 253.

Commodatum.

Commodatum quid, f. 293. a n. 1. res commodata sine culpa commodatarii periens, commodanti perit, ibid. n. 5. qui etiam debet præstare expensas ad rei commodatæ usum, & conservationem, f. 294. n. 6.

Commodatarius qualem diligentiam adhibere debeat in re commodata conservanda, ib. n. 7. non potest ea uti, nisi ad usum concessum, ib. n. 8. nec est ad nutum revocabilis, ib. n. 9. an non possit revocari, si commodanti ante terminum præfixum emergat necessitas, ib. n. 10.

Compensatio.

Compensatio occulta an, quando, quibus conditionibus, & casibus licita sit, vel non, f. 169. n. 70. modus opportunus sic compensandi, f. 171. a n. 79. an, & quando id possint famuli, ibid. n. 83.

Conductio.

Conductio quid, f. 295. a n. 17.

Conductor.

Conductor contrahit triplicem obligationem, ibid. n. 19.

Conductor ob quas causas ante tempus expelli possit, f. 296. n. 30. quas expensas in re locata facere debeat, f. 297. a nu. 35.

Conductor an, & quando liberetur a solvenda pensione, si ei res locata fiat inutilis, fol. 298. a n. 44. an, & quid ei remittendum de pensione, si res locata fructifera fiat sterilis, ibid. n. 50.

Confusio rerum.

Confusio rerum, f. 210. n. 235. sed resolvuntur varia, ib. a n. 236.

Consentiens in damnum alteri inferendum.

Consentiens in damnum alteri inferendum, an, quando, & qualiter obligetur ad restitutionem, fol. 40. a n. 29. Vide *de Restitut. cooperantium ad damnum proximi.*

Consulens, seu suadens damnum proximi, an, quando, & qualiter obligetur ad restitutionem, f. 38. a n. 18. vide de *Restit. cooperantis ad damnum injustum.*

Contractus.

Contractus quid, f. 212. a n. 4. ejus divisio in nudum, & vestitum, f. 213. n. 7. in consensu, verbis, scripto, & reipsa perficiendum, ibid. n. 8. nominati, innominati, ibid. n. 9. gratuitus, onerosus, ib. n. 10. bonæ fidei, & stricti juris, f. 214. n. 11. absoluti, & qualificati, ibid. n. 12. ad diem, ibid. n. 14. sub conditione possibili, & honesta, ib. n. 16. sub modo possibili, & honesto, ib. n. 17. sub conditione, & modo impossibili, & honesto, ib. n. 18.

Contractus damnosus quid, f. 163. n. 14.

Contractus validi requisita generalia, f. 215. a n. 20. qualiter in contractu fieri debeat insinuatio, f. 217. n. 36. acceptatio, quando, a quibus &c. ib. vide *Promissio*.

Contractus factus ex dolo, vel errore, an, & quando valeat, f. 222. a n. 78. si error, vel dolus sit circa substantiam, ibid. a n. 84. circa qualitates per se intentas, f. 223. n. 86. circa qualitatem, quæ sit causa finalis principalis, ib. a n. 88. ex errore, vel dolo *antecedente* circa meras rei qualitates, f. 224. a num. 95. si deceptio proveniat ab altero contrahente, ib. a nu. 96. vel ab alio tertio, aut a seipso, f. 225. a n. 100. quando error est solum incidens, vel concomitans, ib. a n. 104.

Contractus ex metu, ibid. num. 108. ab intrinseco, & extrinseco, ib. n. 110. gravi, levi, f. 226. n. 111. reverentiali, ibid. n. 112. juste, vel injuste non ad extorquendum actum incusso omni jure valet, ibid. a n. 114.

Contractus verò ex metu gravi injuste ad extorquendum actum incusso, probabilissime jure naturæ invalidi sunt, ibid. n. 118. solvuntur fundamenta contraria, f. 227. n. 119. ipso jure positivo annullantur Matrimonium, sponsalia, Professio religiosa, ac omnia vota tali metu extorta, ibid. n. 122.

Et esto reliqui omnes validi essent, sunt tamen debiles, ibid. n. 123. & facile rescindibiles, etiam quandoque si ex metu levi, ib. n. 125. vel reverentiali, f. 228. num. 126. aut precum importunitate initi sint, ibid. n. 127.

Contrahere valide quis possit, ibid. n. 129. an, & qualiter filiusfamilias impubes, ib. n. 131. pubes, ibid. n. 132. domi, vel foris degens, f. 229. n. 133.

Qualiter pupilli, & minorennes, cum, vel sine consensu tutoris contrahere possint, ib. a n. 135.

Contractus validi materia quæ, ibid. n. 139.

Contractus societatis, f. 288. a n. 50. Vide V. *Societas.*

Contumelia.

Contumelia quid, f. 159. a n. 135. est peccatum mortale ex genere suo, ibid. n. 137.

Ad contumeliam formalem mortalem non semper necessaria est intentio directa, sed sufficit etiam indirecta, ib. n. 138. Contumelia materialis est tantum venialis, ib. n. 139. vel quandoque nullum peccatum, ibid. n. 140.

Contumelia fit quatuor modis. I. *verbo*, f. 160. n. 141. II. *lusu*, seu illusione, irrisione &c. ib. n. 142. III. *facto*, ib. n. 143. & IV. *scripto*, seu libello famoso affixo, sparso &c. ib. a n. 144. quovis modo fiat, est ejusdem speciei, ib. n. 145.

Ut illativa damni, inducit obligationem reparandi honorem, ibid. num. 146.

Crimen occultum.

Crimen occultum de se fateri licet, si fiat ex motivo humilitatis, Charitatis, aut justitiæ, f. 143. n. 9. imo ex justitia etiam quis tenetur in duobus casibus, ib. n. 12. non alias, etiam in judicio interrogatus, ib. n. 13.

An reus juridice interrogatus post semiplenam probationem teneatur sub mortali fateri veritatem, ib. n. 14.

Crimen falsum.

Crimen falsum sibi imponere, vel impositum fateri non licet, ibid. n. 17.

An, & quando reus ad evitanda tormenta possit fateri crimen sibi falso impositum, ib. n. 18.

An quis possit citra mortale, sive falsum, sive verum alterius crimen imponere sibi, ad ipsum morte liberandum, f. 144. n. 21.

Crimen notorium.

Crimen notorium notorietate juris, & facti, f. 150. n. 69.

An possit alibi narrari, alio transferri, scribi, &c. ibid. n. 71.

Culpa.

Culpa, seu actio injusta quæ, & qualis inducat obligationem restitutionis, f. 11. n. 35.

Culpa Theologica, civilis lata, levis, levissima &c. quæ, f. 12. n. 37. Ex sola culpa civili non oritur obligatio restituendi in foro conscientiæ, ib. a nu. 39. Sed debet esse Theologica gravis, f. 12. n. 44. Nam levis levem tantum inducit obligationem, ib. n. 45. Resolvuntur casus varii, ib. a n. 46.

Damni-

Damnificatio.

DAmnificatio quid, f. 163. n. 15.
Damnificans, seu destruens rem alterius per se, vel per suos ad quid teneatur, f. 28. Vide *Restitut. ex delicto formali ratione injustæ damnificationis.*
Debita certa, & incerta quæ, f. 46. n. 74. cui restituenda, ib. & seq. Vide *Cui restituendum.*
Deceptio, dolus, error, circa substantiam, circa accidentia, antecedens, concomitans &c. quid, f. 222. a n. 79. qualiter, & quando contractus irritent, ib. seqq. Vide *Contractus.*
Decipiens in pretio in conscientia tenetur restituere, f. 266. n. 27. in foro autem externo non juvatur, f. 267. n. 28.

Defensio.

Defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, f. 100. n. 133.

Delictum.

Delictum materiale, & formale quid, f. 9. n. 6.

Depositum.

Depositum quid, f. 305. n. 122. Quisnam possit esse depositarius, ib. nu. 125.
In deposito nullum transfertur dominium, sed solum datur ad custodiendum, ib. n. 126.
An depositarius re deposita possit uti, ib. n. 127. Quam diligentiam in ea custodienda adhibere debeat, f. 306. n. 129.
Resolvitur casus difficilis, ib. n. 131.

Detractio.

Detractio quid, f. 146. nu. 37. alia formalis, alia materialis, ib. n. 39. alia directa, alia indirecta, ibid. n. 40.
Detractio pura quid, f. 147. n. 47.
Detractio, ut sit mortalis, debet esse voluntaria, perfecta, f. 148. a n. 54. in materia gravi, f. 149. n. 56. quæ censeatur materia gravis, ib. n. 57. quæ levis, ib. n. 58.
Regula generalis, quando graviter, vel leviter peccetur in detractione, ib. n. 59.
Dicere aliquem superbum, avarum, pigrum &c. quale peccatum, ib. n. 60.
Referre crimen, non nominata persona, an, vel quale peccatum, ibid. n. 61.
An & quale peccatum referre crimen ab aliis auditum sine propria assertione, vel confirmatione &c. ibid. n. 62.
Quale peccatum referre crimen uni, vel alteri tantum, non ulterius evulgaturo, ib. n. 63.
Detrahere defuncto in re gravi mortale est contra justitiam, ibid. num. 64.
Ut detractio sit mortalis, debet res esse occulta, f. 150. nu. 65.
Notorium duplex, juris, facti, ib. num. 66. quando res censeatur notoria, vel adhuc occulta, ib. n. 68.
Crimen notorium notorietate juris licite ubique evulgatur, ib. n. 69. Quid de notorio notorietate facti tantum? ibid. n. 70.
An & quando possit etiam ad alia loca transferri, scribi &c. ib. a n. 71.
Causæ licite infamandi, vel revelandi crimen alterius, f. 151. n. 73.
Restitutio, seu reparatio famæ, quando, qualiter, & apud quos fieri debeat, f. 153. a n. 88. vide *fama.*
Detrahentem audire, quando, & quale peccatum, f. 155. a n. 104.
Quando audiens teneatur ipsum monere, f. 156. n. 108.

Differentiæ.

Differentiæ inter Justitiam, & alias virtutes, f. 9. n. 14.

Differre.

Differre restitutionem qualiter, & quando, & ex quibus causis liceat, f. 63. a num. 49. Vide *causæ excusantes ad differendam restitutionem.*

Dispensare.

Dispensare in irregularitate quis possit, f. 138. a n. 237. vide *Irregul. dispens.*

Dominium.

Dominium Jurisdictionis quid, & quotuplex, f. 183. n. 6.
Dominium proprietatis quid, & quotuplex, ib. n. 7.
Dominium plenum, & perfectum quid, ib. n. 9.
Quinam lege prohibeantur, vel impediantur in suo dominio quoad actum, ibid. n. 13.
Dominia quædam imperfecta enumerantur, f. 184. n. 14.
Dominium Dei, f. 186. n. 34. Angelorum, n. 35. hominū, f. 187. n. 36.
Dominium uxorum, ib. n. 37.
Dominium servorum, & mancipiorum, ib. a n. 38.
Dominium filiorumfamilias quale, & quorum bonorum, ib. n. 42.
Dominium Religiosorum in particulari nullum, f. 189. n. 57. differentia inter votum simplex paupertatis, v. g. Scholasticorum Societatis Jesu, ib. n. 58. & solemne professionis, ibid. n. 59. In quo consistat paupertas Religiosa, ib. n. 61. quando, & qualiter contra eam peccetur, ib. casus varii, f. 190. n. 62.
Dominium Religiosorum in communi quale, f. 192. a n. 83.
Dominium Clericorum, ib. a n. 88. an bonorum Ecclesiasticorum possint esse domini, f. 193. nu. 92. Eorum obligatio superflua erogandi in pauperes, in pios usus gravissima, ib. n. 93.
An acquirant plenum dominium suorum redituum, ib. a nu. 95.
An acquirant dominium superfluorum, duplex est sententia, una negans, f. 194. a n. 99. alia affirmans, f. 195. n. 104. obligantur sub mortali superflua expendere in pios usus, ibid. n. 113.
Dominii objectum, f. 196. a num. 115. quomodo unus homo acquirat dominium in alium hominem, ib. n. 120.
Dominiorum divisio licita est, imo necessaria, f. 197. n. 125. quo jure facta rerum divisio, ib. nu. 126. quæ manserint communia, ib. n. 127.
Dominii acquirendi modi generales, f. 198. n. 130. ubi de acquisitione rerum per occupationem, f. 199. a n. 136. per venationem, ib. a n. 142. inventionem, f. 201. a n. 161.

Donatio.

Donatio quid, f. 230. a n. 2. alia perfecta, alia imperfecta, ib. n. 3. propositum, vel promissio donandi in futurum non est donatio, ibid. n. 4. donatio imperfecta, seu verbalis, ibid. n. 6. perfecta & realis, ib. n. 7. qualiter differant, ib. n. 8.
Donatio mere liberalis, & remuneratoria quid, f. 231. n. 10.
Donatio pura, & absoluta, & non pura quid, ib. n. 13.
Donatio inter vivos, & mortis causa quid, ibid. num. 14. qualiter inter se conveniant, & differant, ib. a n. 17.
Donare quis possit, f. 232. n. 21. an etiam, & qualiter, ac de quibus bonis donare possint uxores, ib. a n. 22. & filiifamilias, pupilli, & minorennes, ib. a n. 26.
Qui, quid, & quantum donare possint Religiosi, f. 223. n. 30.
Quibus valide donari possit, quibus non, ibid. a n. 36.
Donatio inter conjuges, ac sposos, an & qualiter valeat, ib. a n. 37.
Donatio a parente facta filio quando valeat, f. 234. nu. 42. quæ donata a patre, eo mortuo, filius conferre debeat in divisionem hæreditatis, ib. a n. 43.
Donatio propter nuptias, f. 235. num. 47. Arrha, sponsalitia largitas quid, ibid. a n. 53.
Donari quantum valide possit, f. 236. a n. 55.
Donatio ob quas causas revocari possit, ib. n. 57.

Dos.

Dos quid, f. 235. nu. 47. penes quem ejus administratio, & usufructus, ib. a nu. 48. soluto matrimonio ad quem redeat, ib. a num. 50.

Dubitare.

Dubitare incipiens, an res sit aliena, nec ne, ad quid teneatur, seu quid facere debeat, f. 18. a n. 91. vide *Restitutio ex delicto materiali.*
Dubius, seu scienter accipiens emptione, donatione &c. rem dubiam, ad quid teneatur, f. 22. a n. 134. vide *Restitutio ex delicto formali.*
Si dubium sit æquale ex utraque parte, cujus res sit, quid, & cui restituendum, ib. n. 135.

Dubium temerarium.

Dubium temerarium quid, f. 145. n. 34. Dubium temerarium positivum de malo proximi est per se veniale, ib. negativum omnino nullum, ib. n. 35.

Duellum.

Duellum proprie sumptum quid, & quæ ejus conditiones, f. 10[illegible]. n. 183. quando sit, & dicatur duellum proprie dictum sub excommunicatione comprehensum, quando non, ib. num. 184.
Ordinarie, etiam auctoritate publica, per se semper illicitum est, f. 107. a n. 190. nisi quandoque per accidens I. ad demonstrandam veritatem, ib. n. 191. II. ad terminandam litem, ib. a n. 193. finiendum bellum, ib. a n. 196.
Duellum autem auctoritate privata semper illicitum est indicere, ac acceptare, f. 108. n. 198. excepto unico casu, quo licet occidere injustum aggressorem ob necessariam defensionem, quales recensentur quatuor, ib. a n. 199.
Duellum est peccatum gravissimum, ib. n. 205. merito sub excommunicatione, aliisque pœnis ab Ecclesia prohibitum, ib. nu. 206.
Excommunicationem duellantium incurrunt I. Principes, Magistratus, Duces &c. Duella præcipientes, vel permittentes sine necessitate. II. Ipsimet duellantes. III. Provocantes, Literas provocatorias scribentes, deferentes scienter, vel oretenus denuntiantes. IV. Duellantium auxiliatores, seu proxime cooperantes, & V. Omnes spectatores ex condicto duellantibus, ad spectandum accedentes &c. ib. a n. 207.
Enumerantur reliquæ pœnæ duellantibus decretæ, f. 109. n. 213.

Emptio.

EMptio, venditio quid, f. 275. n. 3.
Emens pecunia futura, vel moneta falsa, f. 267. n. 30.
Emere rem justo minoris non licet eo solum prætextu, quod des pretium anticipato, ib. n. 31.
Emens rem pretio præsenti, quod scit brevi augendū, f. 268. a n. 33.
An emens, vel vendens alieno nomine, possit vilius emendo, vel carius vendendo, sibi lucrari, ib. a n. 36. resolvuntur casus varii, f. 269. n. 38.
Emens scienter rem alienam a venditore ignaro, & bonæ fidei, f. 272. n. 58.
Emens, & vendens, uterque sciens rem esse alienam, ib. n. 59.
Ementes scienter rem alienam, quando, & qualiter excusari possint, ib. a nu. 60. an tali re evicta pretium restitui debeat vero Domino rei, f. 273. a n. 62.
Emptor an teneatur venditori ignaro manifestare non tantum vitium pretii, quo emit, sed etiam rei emendæ bonitatem, & pretium ejus injustum, si venditor non intelligat, f. 300. nu. 69.
Quid si in re vili empta lateat quid pretiosum? v. g. in pisce unio, in veste, vel ephippio &c. pecunia, f. 275. n. 72.

Emphyteusis.

Emphyteusis quid, f. 299. num. 56. quæ res in emphyteusim dari possint, ib. n. 57.
Emphyteutæ confertur dominium utile, ibid. a nu. 59. quæ sint ejus onera, ibid. n. 62. pœna commissi, seu caducitas, f. 300. n. 63. ejus alienatio, ibid. n. 64.

Expensæ.

Expensæ quę, & qualiter in restituendo detrahi possint, f. 16. n. 80.
Si res restituenda sit alio transferenda, vel de loco ad locum mittenda, cujus expensis id fieri debeat, f. 56. a nu. 153. Vide, *ubi, seu quo loco restituendum.*

Fama.

FAma quid, & quotuplex, f. 140. num. 2.
Famæ læsio interna per judicium temerarium, suspicionem, dubium, f. 144. n. 22.
Famæ læsio externa per detractionem, & calumniam, f. 146.
Famæ læsio injusta inducit obligationem justitiæ personalem, f. 153. n. 83. & realem compensandi damna realia secuta, ibid. n. 86. quæ obligatio gravis, vel levis est; pro ratione materiæ, & culpæ commissæ, ibid. n. 86.
Famæ reparatio, seu restitutio quando, & qualiter fieri debeat, si crimen fuit falsum, ib. a n. 88. & qualiter, si illud fuit verum, f. 154. n. 90. quibus modis, ib. a n. 91. & apud quos, f. 155. n. 99.
Detrahentem audiens qualiter, & an peccet, ib. a nu. 104. quando teneatur monere, ut desistat, f. 156. n. 108.

Falsificare res.

Falsificare res, instrumenta, testamentum, codicillum, &c. item monetas, litteras &c. quale peccatum, f. 181. n. 159.
Causæ excusantes a restitutione famæ, f. 156. a n. 110. vide *Restitutio.*

Feudum.

Feudum quid, in quibus conveniat, & differat cum emphyteusi, f. 300. n. 67.
Feudi divisiones variæ, f. 301. n. 73.

Fidejussio.

Fidejussio quid, ibid. num. 77.
An, & quando teneatur debitor fidejussori ad expensas, vel damna ei secuta in fidejubendo, vel solvendo pro illo, ib. n. 79. & si dare nolit, possit occulte compensare, ib. n. 80.
An pro fidejussione possit exigi pretium, ib. a n. 81.
Quinam fidejubere possit, a n. 83.
Fidejussor suscipit in se obligationem debiti alieni, f. 302. n. 88. Idque in conscientia solvere tenetur in defectū debitoris, ib. n. 91.
Quid si plures fidejusserint pro debitore non potente solvere, ib. num. 92.
An, & quando fidejussor sua obligatione liberetur, si debitori debitū condonetur, vel terminus solutionis prolongetur, ib. n. 93.
Fructus rei, industriæ, seu naturales, industriales, meri, mixti quid, f. 15. n. 68.
Fructus mere industriales ex re aliena restitui non debent, etiam a possessore malæ fidei, ib. nu. 69. Casus varii valde notabiles de negotiantibus pecunia aliena sibi commissa, ib. n. 70. & seq.
Quid si quis seminavit in agro alieno, cujus est seges? f. 15. n. 72. si alieno instrumento opus confecit, ib. n. 73.
Fructus rei, & mere naturales simpliciter restituendi sunt domino rei, ib. n. 75. sicut & fructus mixti, detractis tamen expensis, & æstimatione industriæ, ib. n. 76. Idemque est de fructibus civilibus, f. 16. n. 77.
Fructus industriæ perceptus ex locatione rei alienæ extraordinaria restitui debet Domino: v. gr. si quis alienum torquem aureum pro pretio alteri locavit ad solam ostentationem, ib. n. 78.
In fructibus restituendis quæ, & qualiter detrahi possint expensæ pro labore habito, industria, melioramentis &c. ib. n. 80.
Quinam fructus rei bona fide possessæ, postea cognito esse alienam, restituendi, qui non, f. 20. n. 113.
Quos fructus restituere teneatur possessor malæ fidei, f. 27. n. 173.
Fructus pendentes rei venditæ nondum traditæ, ad quem spectent, f. 278. n. 93.
Fructus rei venditæ, non tamen solutæ, a quo percipiendi, ibid. num. 94.
Fructus rei locatæ ad quem spectent, f. 297. n. 39.

Furtum.

Furtum quid, f. 162. n. 5. Est peccatum ex genere suo mortale, f. 163. n. 21. veniale evadit. I. tam ex parte furantis, indeliberate, v. g. agentis, ibid. n. 22. II. quam ex parte domini non multum inviti &c. ib. n. 23. & III. maxime ex parvitate materiæ, fol. 164. n. 26. Quæ censeatur materia gravis, & quæ levis, ib. a nu. 29.
Furta minuta, f. 12. n. 45. An res furtiva immediate restitui possit aliquando furi, vel restituenda sit immediate domino, f. 20. num. 119.
Furta minuta multiplicata an, quando, & qualiter constituant peccatum mortale, f. 165. a n. 34.
Furta minuta facta eidem ab eodem diversis, f. 166. n. 42. & facta eidem a diversis, f. 167. a n. 45.
Furta domesticorum, ibid. a n. 48.
Furta uxorum, ib. n. 51. & quid eæ circa bona viri facere possint, ibid. n. 54.
Furta filiorumfamilias, ibid. num. 56. Quid hi de bonis Patri subjectis facere possint, ib. n. 59.
Furta Religiosorum de bonis Monasterii, f. 169. n. 60. hi dupliciter peccant peccato furti, & proprietatis contra votū, ib. n. 61. quæ apud eos materia gravis, vel levis, ib. a n. 62. quoad esculenta, & poculenta, ib. an teneantur ad restitutionem, ib. n. 64.
Furta famulorum, ancillarum, opificum &c. quæ apud eos materia gravis, vel levis, ibid. n. 65.
Furta sartorum, textorum, molitorum, ib. n. 68.
Furta excusata, seu accepta per occultam compensationem, ib. n. 69. & seqq. vid. *Compensatio.*
Furta excusata, seu accepta propter necessitatem extremam, vel gravem, f. 171. Quæ dicatur necessitas gravis, quæ levis, f. 172. num. 85.
In extrema necessitate potest quis licite auferre rem alienam, ib. n. 87. a quovis talem necessitatem non patiente, ib. num. 88. Imo per se loquendo etiam obligatur auferre necessaria vitæ, ib. num. 89. Idque, si opus sit, facere potest publice, & per vim, ib. n. 90. Aut si per se ipsum non possit, potest ejus loco alius, ex proprio subvenire non potens, ib. n. 91.

Habitatio.

HAbitatio quid, fol. 185. num. 29.

Hæredes.

Hæredes ad quid obligentur adita hæreditate, f. 242. n. 106.
Hæreditas, hæredes, fol. 243. num. 107.
Hæres ab intestato, ib. num. 108.
Hæres ex testamento, ib. num. 109.
Hæres universalis, & particularis, ibid. n. 110.
Hæres non necessarius, necessarius, ib. n. 111. Quanta portio eis debeatur, ib, n. 112. causæ legitimæ exhæredandi, f. 244. nu. 115.
Hæres suus, non suus, ib. num. 116.
Hæreditatis renuntiatio, & cessatio, an, & quando valeat, ib. a num. 117.

Homicidium licitum.

Homicidium licitū: seu de homicidiis licitis, f. 86. Vide V. *Occidere.*
De homicidiis in bello justo, f. 94. Vide v. *Bellum.*
De homicidiis per defensionem inculpatæ tutelæ, f. 109. vide v. *Occisio per defensionem.*
De homicidio in duello, f. 106. vide V. *Duellum.*
De homicidiis illicitis, f. 109. seqq. V. *De sui ipsius occisione.*
Homicidium simplex, & qualificatum quid, f. 114. a n. 45.
Homicidia qualificata, seu speciales malitias habentia. I. *Parricidium*, ad quod revocantur matricidium, uxoricidium, fratricidium, sororicidium, aliorumque usque ad quartum gradum, & regicidium &c.) ib. a n. 46. II. *Sacrilegium*, seu occisio, vel etiam mutilatio, & percussio Personæ sacræ, ibid. n. 48. III. Latrocinium, assassinium, & proditorium, f. 115. n. 49. & IV. Veneficium, quo quis veneno, vel arte magica occiditur, ib. nu. 50. horum malitia specialis in confessione necessario explicanda est, ib. n. 51.
Homicidium in bello, seditione, rixa, duello, strictim explicatur, ib. n. 52. quid seditio, rixa, ibid. a n. 53.
Homicida qualiter examinandus in Confessionali, & qualis pœnitentia ei injungenda, ib. a n. 55.
Peccata reductoria ad homicidium sub quinto Præcepto prohibita, & examinanda, f. 116. n. 61.
De homicidiis voluntariis moraliter causatis, per mandatum, consilium, & alias cooperationes, f. 118. & seqq. ubi resolvuntur casus varii de mandante, f. 119. a n. 88. seq. & similiter de consulente, ib. a n. 92. Item consentiente, f. 120. a n. 97. auxiliante *positive*, ib. num. 99. de pluribus eundem vulnerantibus, postea mortuum, ib. a nu. 100. dante, vel vendente arma occisuro, f. 121. a n. 104. associante, assistente, vel comitante occisurum, ib. num. 109. indicante, vel prodente occidendum, ib. n. 110.
Item non impedientibus occidere, f. 122. a n. 111.
De homicidiis indirecte tantum voluntariis, seu casualibus mixtis, f. 125. n. 139.
Homicidium indirectum, & casuale quid, & quotuplex, ibid. n. 140. est peccatum mortale, vel veniale, pro ratione culpæ, seu negligentiæ, ib. n. 141. absolute irregularitatem inducens, maxime interveniente culpa gravi, ib. n. 42. sive fiat ex causa positiva in re alias licita, ib. n. 143. Exempla varia, ib. n. 144. sive in re illicita, fol. 126. a n. 146. Exempla varia, ib. n. 148. Oppositum tamen est æque probabile, ib. a n. 149.
De homicidio casuali moraliter causato ex mandato, consilio, &c. f. 127.
Quicumque mandans, vel consulens alteri actionem, ex qua prævidet, dubitet, suspicatur, vel prævidere deberet, secuturam mortem alterius, peccat mortaliter, & secuta morte fit irregularis, ib. n. 158.
Resolvuntur casus varii, de mandante tantum verberare alium, ib. n. 159. de mandante, vel consulente occidere, ibid. n. 160. de advocante sibi socios ad occidendum, f. 128. n. 161. & universaliter de præcipiente, vel suadente quamcumque actionem fieri, cum prævisio periculo mortis, ib. n. 162.
Homicidium mere casuale quid, ibid. n. 163. nec peccatum, nec restitutionem, nec irregularitatem inducit, f. 129. n. 164. Oppositum tamen sentiunt alii quoad irregularitatem, ib. a n. 167. vide *de Irregul. ex homicid. casual.*
Homicidium casuale ex ebrietate, furore, somno &c. f. 131. n. 185. an inducat irregularitatem, casus varii, ibid. a nu. 186.
Homicidium casuale ex adulterio, vel occasione adulterii commissum, quando inducat irregularitatem, ibid. n. 190.
Item quando homicidium ex rixa inchoata, vel vulnere non lethale secutum inducat obligationem restitutionis, & irregularitatem, f. 132. n. 194.
Item quando homicidium casuale ex alio homicidio, vel malefacto secutum, si v. gr. ob homicidium, vel furtum a Petro commissum, plectatur, vel occidatur alius innocens, ibid. nu. 198.
Item quid inducat homicidium casuale factum ex errore; occidendo v. gr. hominem pro fera, vel unum hominem pro alio, f. 133. n. 203. Quid si quis percutiat, vel occidat laicum, putans esse Clericum, vel e contra, incurritne excommunicationem? f. 134. a n. 207.
An, qui uno ictu, explosione, occidit, vel una sententia damnat plures, unam, vel plures incurrat irregularitates, ib. a num. 211.

Honor.

Honor quid, ejusque species, f. 140. a n. 3.
Honoris læsio, seu dehonoratio est duplex, negativa, & positiva, f. 158. n. 131.

Hono-

In hoc secundo Tomo contentarum.

Honoris omissio, seu inhonoratio est per se tantum veniale, ib. n. 132. erit autem mortale, si est simul graviter contra justitiam, f. 159. n. 133. aut quando fit ex maligno affectu, ibid. a n. 134.

Honor læsus quatuor modis restitui potest, f. 161. a n. 149.

Hypotheca.

Hypotheca quid, quotuplex, f. 303. a n. 100.

Quænam hypothecari possint, ib. n. 104.

An eadem res pluribus hypothecari possit, f. 304. n. 105.

Quid si res hypothecata mutetur, ib. num. 106. Cujus sint fructus ejus, ibid. n. 107.

Quale jus habeat hypothecarius in rem hypothecatam, ibid. n. 108. an eam vendere possit, ib. n. 109. vel alteri hypothecare, ib. a n. 110. Si eam interea melioravit, potest detrahere expensas, ib. n. 112.

Inducere, juvare, vel cooperari proximo ad peccatum.

INducere, juvare, vel cooperari proximo ad peccatum, an, quando, & qualiter liceat citra peccatum scandali, f. 76. V. *Scandalum, an, quando &c.*

Infamare.

Infamare se ipsum est *per se* tantum veniale, f. 142. a n. 3. seq. per accidens autem mortale esse potest multipliciter, ib. n. 8. verbum occultum de se fateri quandoque licet, præsertim si fiat ex motivo humilitatis, Charitatis, aut justitiæ, f. 143. a n. 9. imo ex justitia etiam tenetur quis in duobus casibus tantum, ib. n. 12. non in aliis etiam interrogatus in judicio, ib. a n. 14. Falsum crimen autem sibi imponere, vel impositum fateri nunquam licet, ib. num. 17. An, & quando id liceat ad evadenda tormenta, ib. a n. 18.

Infamatus notorie notorietate juris, vel facti, postquam crimen emendavit, & famam recuperavit, non potest denuo de illo infamari, f. 151. n. 72.

Causæ licite infamandi, vel revelandi crimen alterius, ibid. n. 73.

Quando quis ob proprium commodum, solatium, defensionem &c. alterius crimen revelare possit, ib. a n. 74.

Quando id liceat ob bonum audientium, f. 152. n. 79.

Et quando ob bonum ipsius delinquentis, ib. n. 80.

Quando ob bonum commune Reipublicæ, vel communitatis, ibid. num. 81.

Injuria.

Injuria, & injustitia quid, & qualiter differant, f. 7. n. 42.

Injuriam facere non potest, nisi volens, ib. n. 46.

Injuriam pati non potest, nisi volens, ib. n. 47.

Ut volens aliquid pati, non patiatur injuriam, requiritur voluntas plena cedendi juri suo, f. 8. n. 48. (resolvuntur varii casus, ib.) Et jus plenum, seu facultas cedendi juri suo, ib. nu. 49. Unde volens aliquid pati, non potest juri suo cedere sine præjudicio tertii, vel certi status, esto tunc ei volenti, & consentienti non fiat injuria, fit tamen illi tertio, & certo statui, ib. n. 50. Resolvuntur varii casus de marito consentiente in stuprum Filiæ, in adulterium cum sua uxore; Clerico consentiente in sui percussionem, ib.

Impediens ab officio, beneficio, digniorem, dignum, &c. ad quid teneatur, f. 29. a num. 106. vide *Restitutio ex delicto formali ratione injustæ damnificationis.*

Item quid inducat homicidium casuale factum ex errore, occidendo, v. gr. hominem pro fera, vel unum hominem pro alio, f. 103. a n. 203. Quid si quis percutiat, vel occidat laicum, putans esse Clericum, vel e contra, incurritne excommunicationem? f. 134. a n. 207.

An, qui uno ictu, explosione, occidit, vel una sententia damnat plures, unam, vel plures incurrat irregularitates, ib. n. 211.

Innocentem.

Innocentem occidere nulla auctoritate humana per se licet, f. 88. a n. 24. per accidens autem in tribus casibus, ib. n. 27. vide V. *Occidere*. Innocentem ad mortem damnare non potest Princeps, vel Judex, sive supremus, sive inferior, qui privata notitia certo scitur innocens, f. 89. n. 30. vide *Occidere*.

Inventio rerum.

Inventio rerum, res incertæ inventæ cujus, f. 204. n. 189.

Irregularitas ex defectu lenitatis in justitia publica.

Irregularitas generatim quid, & quotuplex, f. 90. n. 40.

Ex justitia publica in causa sanguinis tantum, scilicet mortis, vel mutilationis effectu secuto, non vero ex alio actu quocumque judiciali, ib. a n. 41. hanc irregularitatem incurrunt I. omnes, Judex Pontifice inferior, ib. n. 46. Laicus, Clericus, Princeps, Episcopus &c. sententiam mortis, vel mutilationis ferens, vel ferri jubens, aut ei ferendæ auctoritatem præstans sua præsentia, ib. n. 47. II. ejus Assessores Consiliarii. Et III. Omnes Ministri Justitiæ, etiam satellites, ib. non vero alii privati, vel famuli domestici ad mera dominorum obsequia, vel Clerici, Monachi ex curiositate assistentes, fol. 91. n. 48.

Non etiam eam incurrunt Principes etiam Ecclesiastici, si jurisdictionem hanc temporalem ad causas sanguinis delegant, prout debent, leges etiam mortis ferunt, Judices creant, causas illas iis committunt &c. ib. aut reum, etiam Clericus ante degradatum potestati sæculari tradunt, ib. n. 49. Nec Doctores, Professores, Concionatores, Confessarii, docentes, vel dicentes crimen esse mortem dignum &c. ib. n. 50. Imo nec etiam quando Confessarius urget Judicem, ut fungatur suo officio, hortatur reum, ut crimen fateatur, justitiæ acquiescat &c. ib. n. 51. Secus si crimen falso confessum revocare volentem, non permittat, dissuadeat &c. ib.

Quando dictam irregularitatem incurrant accusantes, denuntiantes, vel tradentes reum, ib. n. 52. & quando, & in quibus casibus non, ib. a n. 53. Casus varii, ib.

Item quando, & quinam testes non incurrant, & qui non f. 92. n. 60. Traditur regula generalis, quando accusantes, & testes non incurrant, ib. n. 61. testificans in causa sanguinis metu compulsus probabilius incurrit, ibid. n. 62.

Quinam Ministri processus, & executionis eam incurrant, qui non, f. 93. n. 64.

Regula antiquorum generalis, & compendiosa, quinam hanc irregularitatem incurrant, vel non, ib. a n. 68.

Regula universalis alia mitior Recentiorum, ibid. n. 73.

Irregularitas ex bello justo, & injusto, f. 99.

Irregularitatem non incurrunt militantes, & occidentes in bello justo *defensive tantum*, ib. n. 128. In bello vero justo *offensive* eam incurrunt omnes propria manu pugnantes, occidentes, mutilantes, vel quomodovis *directe*, & *proxime* ad occisionem hominis cooperantes, ib. n. 129.

In bello autem injusto incurrunt omnes quomodolibet cooperantes, secuta occisione, vel mutilatione, etiam unius tantum hominis, licet ipsimet nullum occidant, vel mutilent, cujusmodi etiam sunt conducentes milites, custodientes sarcinas, afferentes commeatum &c. ib. n. 130.

Clerici vero in omni bello, etiam justo, sanguinem fundentes irregularitatem incurrunt ex defectu lenitatis, f. 100. n. 131.

Irregularitas ex homicidio ob defensionem facto, f. 105.

Ex homicidio cum moderamine inculpatæ tutelæ facto ad defensionem *Vitæ* propriæ, vel alienæ proximi innocentis, nec a Clerico, nec a Laico ulla incurritur irregularitas, ib. n. 176. Bene autem si talis occisio fiat ob solam defensionem bonorum temporalium, itemque pudicitiæ, vel honoris, ib. n. 177. Ubi tamen contrarium docent alii, ib. n. 178.

Ut vero evitetur irregularitas in occisione injusti invasoris vitæ propriæ, vel proximi innocentis, debet necessario servari moderamen inculpatæ tutelæ, ut quis scilicet servare non possit, nisi occidendo, vel mutilando, ib. n. 179.

Quod si quis quidem fugere possit, non tamen sine dedecore, & infamia gravi, sicque non fugiens occidat, an fiat irregularis, necne, duplex est sententia, f. 106. n. 180.

Quando nullo modo fugere potens occidit, distinguendum est, ib. a n. 181.

Irregularitas ex mutilatione sui ipsius, f. 114. n. 44.

Ut irregularitas incurratur, debet homicidium esse perfecte voluntarium, ac liberum, f. 116. n. 66. directe intentum, ibid. n. 69. & consummatum effectu secuto, non ante, ib. n. 70

Irregularitas ex mutilatione, seu quæ mutilatio inducat irregularitatem, f. 117. n. 73.

Quodnam sit, vel dicatur proprie membrum, cujus abscissio irregularitatem inducit, ibid. n. 77.

De Irregularitate cooperantium, f. 118.

Irregularitatem incurrit mandans, esto alter sine ejus mandato adhuc occidisset, non sic consulens, ib. n. 84. Mandato autem sufficienter revocato, si homicidium nihilominus fiat, mandans, & a reatu homicidii, & ab irregularitate immunis erit; non sic consulens revocato suo consilio, ib. n. 85. & hunc tamen æque probabiliter liberant alii, ib. a n. 86.

Casus speciales, & valde notabiles de mandante, an irregularitatem incurrat, si v. g. Mandatarius præscriptum modum non servet: vel occidendo ex mandato non fuit motus, f. 119. a n. 88. aut si ab initio respuat mandatum, postea vi illius occidat, ib. n. 90. vel si revocationem mandati non percepit; vel putavit revocantem non serio loqui: vel mandati memor, sed revocationis oblitus &c. occidat, ib. n. 91. & an mandans volens, sed non potens revocare, teneatur monere occidendum, ib.

Similes casus speciales, valde notabiles, de consulente quoad irregularitatem, ib. a n. 92.

Quando, & quinam consentiens in homicidium, irregularitatem incurrat, f. 120. n. 97. Casus notabilis, ib. n. 98.

Omnis etiam auxilians *positive* quomodolibet, sive propriis manibus percutiat, vulneret &c. sive alio modo juvet, propter reatum homicidii, & obligationem restitutionis, irregularitatem incurrit, ib. nu. 99. Resolvuntur varii casus valde notabiles, v. g. quando plures eumdem vulnerant graviter, ib. n. 100. vel leviter postea mortuum, ib. n. 101. aut unus graviter, & post tres dies alius superveniens occidit, &c. quid juris in his, & similibus, f. 121. n. 103.

An, & quando fiant irregulares, qui occisuro dant, vel vendunt arma, pharmaca, venenum, &c. ib. a n. 104.

Quid de eo, qui se associat, assistit, vel comitatur occidentem, ib. n. 109.

Quid de illo, qui occisuro indicat, vel prodit occidendũ, ib. a n. 110

Obligati ex Charitate tantum impedire, & non impedientes homicidium, irregularitatem non incurrunt, quacumque causa etiam ex odio, vel vindicta &c. non impediant, f. 122. n. 112. Bene vero obligati ex justitia impedire, si non impediant, ib. a n. 116. ut sunt Reges, Magistratus, Judices, Chirurgi, Advocati, Nautæ, Milites, famuli &c. ib. n. 117. Qui omnes præter homicidii, & restitutionis reatum, probabilius etiam incurrunt irregularitatem, ib. n. 118.

Regula probabilis Recentiorum, f. 123. n. 119.

Casus, & Exempla varia maxime notanda, de omissione pura seu pure omittente impedire, v. g. Prætore, Custode, Duce, Medico, Advocato, Judice &c. ib. a n. 120.

Casus, & exempla alia omissionis non puræ, ib. a n. 124.

De Irregularitate ex homicidio dubie patrato, ibid.
In dubio, quandocumque constat de corpore delicti, scilicet de homicidio secuto, & aliqua tua cooperatione, & solum dubitatur, an illa tua actio, vel cooperatio fuerit efficax, & causa mortis, habendus irregularis, ib. n. 129. probatur variis casibus ex jure Canonico adductis, f. 124. n. 130. Casus varii, præsertim de abortu sic dubie causato, ib. n. 133.
Idque verum videtur, tam de homicidio justo, quam injusto certe facto, ib. n. 134. tamen etiam satis probabile est, illos Canones non debere extendi ad homicidia dubia, sed ad moraliter certo causata, ib. n. 135. minus ad mutilationem dubiam solum, ib. n. 136.
Quandocumque vero non constat de corpore delicti, scilicet morte secuta, esto constet de aliqua tua cooperatione, &c. non es habendus irregularis, ib. n. 137.
Idque verum est in quovis dubio, tam facti, quam juris, ib. n. 138.
De irregularitate ex homicidiis indirecte voluntariis, & casualibus &c. f. 125. & seq.
Homicidium indirecte voluntarium inducit irregularitatem maxime interveniente culpa gravi, ib. a n. 140. sive fiat in re licita alias, ib. n. 143. sive in re illicita, f. 126. a n. 146. Oppositum tamen est æque probabile, ib. a n. 149.
Mandans, vel suadens actionem alteri, ex qua prævidet, dubitat, suspicatur, vel prævidere deberet, secuturam mortem alterius, præter peccatum mortale, morte secuta, fit irregularis, f. 127. n. 158.
Resolvuntur casus varii, de mandante tantum verberare, ib. n. 159. de mandante, vel consulente occidere, ib. n. 160. de advocante sibi socios ad occidendum, f. 128. n. 161. de præcipiente, vel suadente generaliter quamcumque actionem fieri, cum præviso periculo mortis, ib. n. 162.
An, & quando Monachi, vel Clerici chirurgiam, vel artem medicam exercentes irregularitatem contrahant, f. 129. n. 169.
An, & quando Medici fiant irregulares, secuta morte infirmi, ib. n. 173. Casus varii de aliis non Medicis, potiones tamen, & medicinas præbentibus, f. 130. a n. 175.
Quando infirmarii circa infirmos peccent, & irregularitatem contrahant, ib. n. 178.
Item quando venantes, ludentes &c. peccent, & irregularitatem incurrant, si quis eorum pereat, ib. a n. 182.
An, & quando irregularitatem incurrat, qui committit homicidium in ebrietate, furore, somno &c. f. 131. n. 186.
An, & quando irregularitatem inducat homicidium commissum ex adulterio, vel occasione adulterii, ib. a n. 190.
Item an, & quomodo irregularitatem inducat homicidium casuale ex rixa inchoata, vel vulnere alias non lethali secutum, Casus varii, f. 132. n. 194.
Item an irregularitatem inducat homicidium casuale ex alio homicidio, vel malefacto secutum, v. g. si ob homicidium, vel furtum a Petro factum plectatur, vel occidatur alius innocens, ibid. n. 198.
Item an irregularitatem inducat homicidium factum ex errore, occidendo, v. g. hominem pro fera, Petrum pro Paulo &c. f. 133. n. 203.
An percutiens, vel occidens laicum putans esse Clericum, vel e contra, incurrat excommunicationem, ib. n. 205.
An, qui uno ictu, explosione, occidit, vel una sententia damnat plures, unam, vel plures incurrat irregularitates, ib. n. 206.
Irregularitatum dispensatio, f. 138.
In omni irregularitate, tam ex homicidio licito, quam illicito, dispensare potest summus Pontifex, ib. n. 237. Isque solus jure ordinario, ibid. n. 239.
Episcopi autem, non quidem vi Tridentini, sed aliunde probabiliter etiam dispensare possunt. I. in irregularitate ex defectu lenitatis, ib. n. 240. II. præsertim contracta ex mutilatione *injusta occulta* (non justa, & ex justitia facta,) ib. a n. 244. III. etiam contracta ex homicidio occulto casuali mixto, seu indirecte tantum voluntario, f. 139. n. 247. non vero si sit notorium, & ad forum contentiosum jam deductum, ibid. n. 249. nec in irregularitate proveniente ex quocumque, etiam occulto voluntario, ib. a n. 250. per se directe intento, & libere facto, ib. nu. 252. ad ullos Ordines, etiam minores, suscipiendos, vel exercendos, aut beneficium simplex, ib. n. 253. nisi per accidens, in casu necessitatis, f. 140. n. 54.
Quid faciendum in praxi cum Sacerdote, qui ob occultum homicidium commissum est irregularis, ib. n. 255.
Judicium temerarium.
Judicium temerariũ, suspicio, dubium quid, & quomodo inter se differãt, f. 144. Quando adsint motiva temere judicandi, ib. n. 23.
Judicium prudens de malo proximi per se non est peccatum, ib. a n. 24. temerarium vero mortale ex genere suo, ib. n. 26. Ut autem in individuo hic, & nunc sit mortale, debet esse firmum, & deliberatum, in materia gravi, & temere conceptum, f. 145. n. 27.
Jus.
Jus proprie quid, f. 182. a n. 1.
Jus in re, & Jus ad rem quid, ib. a n. 3.
Jus varie sumitur, ib. n. 1.
Justum.
Justum, seu debitum, morale, & legale quid, f. 1. n. 3.
Justum, seu debitũ legale dividitur in legitimum, & æquum, ib. n. 4.
Justitia.
Justitia varie sumitur, f. 1. n. 1.
Justitię divisio in legalem distributivam, & commutativam, f. 2. n. 5
Justitia definitur *constans, & perpetua voluntas*, ib. n. 6.
Jus *suum*, ib. n. 8. *cuique* n. 9. *tribuendi*, n. 10.
Justitiæ objectum formale, ib. n. 8. objectum *cui*, n. 9.
Differentiæ inter Justitiam, & alias virtutes, ib. n. 11.
Justitia perfecta requirit tres conditiones. I. *Alteritatem*. II. *Debitum simpliciter*. Et III. *Æqualitatem*, f. 3. n. 14. quarum defectu aliæ virtutes qualiter a ratione veræ justitiæ deficiant, ib. n. 16.
Inter patrem, filium, dominum, & servum, Maritum, & uxorem formaliter sumptos non datur justitia proprie dicta, f. 3. n. 19. bene vero inter eos materialiter sumptos, ib. n. 21. quoad delicta, seu peccata inter hos commissa quædam notantur valde notanda, f. 4. a n. 22.
Justitiæ *legalis*, seu universalis, & particularis definitio, f. 5. n. 27. Cur dicatur legalis, & universalis, vel generalis, ib.
Est virtus specialis distincta ab aliis virtutibus, ib. n. 28.
Et eadem, seu ejusdem rationis in Principe, & subdito, f. 5. n. 29. non tamen est justitia stricte, & simpliciter dicta ib. num. 30.
Justitia distributiva quid, ibid. n. 31.
Justitia commutativa quid, ibid. n. 32.
Justitia distributiva, & commutativa in quo conveniant, & differant, ib. n. 33. habent diversos actus, ib. n. 34. diversas rationes debiti, ib. n. 35. & diversa objecta formalia, f. 6. n. 36. ideo specie, & essentialiter differunt velut species analogæ, ib. n. 37.
Justitia vindicativa sub uno respectu reducitur ad legalem, ib. n. 38. sub alio ad commutativam, ib. & seq. qualiter constituat æqualitatem, ib. n. 40.
Injustitia legalis, seu illegalis quid, & quale vitium, fol. 7. n. 43.
Injustitia particularis quid, & quale vitium, ib. n. 44.
Jussio.
Jussio, jubens damnum proximi, &c. f. 37. n. 8.
Legatum.
Legatum quid, f. 239. n. 78. qualiter differat a testamento, &c. ibid.
Legari quibus possit, ib. a n. 79. an, quid, & qualiter FF. Minoribus, & Capucinis, ib.
Quænam legari possint, f. 240. a n. 84.
Legata quibus modis relinqui possint, & soleant, ibid. a n. 88.
Legata sub conditione nuptiarum, seu Matrimonii contrahendi, vel non contrahendi, an, & qualiter valeant, ib. a n. 92.
Legati executores, f. 241. n. 96. Quid si dubitetur, quid, vel quantum legatum sit, f. 242. n. 104.
Legare qui prohibeantur, f. 241. a n. 97.
Locatio.
Locatio quid, f. 295. n. 17.
Locator contrahit tres obligationes, ib. a n. 18.
Locari quænam possint, ib. a n. 20.
In locato solum usus rei, & interdum etiam fructus transfertur, ibid. n. 24.
Rei locatæ fructus pendentes ad locatorem spectant, separati vero ad conductorem, ib. a n. 25.
Qualis, quãta, & quãdo pẽsio solvẽda sit pro re locata, f. 296. n. 27.
Locatore mortuo, an ejus hæres teneatur stare contractui locationis, ibid. n. 31.
Locator quas expensas facere debeat ad rem locatam conservandam, f. 297. n. 35.
Rei locatæ damnum ad quem spectet, locatorem, vel conductorem, ibid. n. 39.
Res locata si fiat locatori inutilis, an liberetur a solvenda pensione, f. 298. n. 44.
Res locata fructifera, si fiat sterilis, an, & quando de pensione aliquid remittendum, ibid. a n. 50.
Ludus.
Ludus quid, f. 290. n. 61. & an licitus, præsertim si fiat ob lucrum, ib. n. 62.
Ludus, ut sit justus, requiruntur quatuor conditiones, ibid. n. 63.
Quibus si ludus careat, erit injustus, ib. a n. 64.
Ludens sine animo solvendi, an ludat valide, f. 291. n. 69.
Ludens volens plus lucrari, quam possit ponere, vel amittere, an ludat valide ib. n. 70.
Ludens cum non potente alienare, filiofamilias, Religioso, an valide ludat, f. 292. n. 72.
Ludens cum fure, vel usurario, an valide ludat, & lucrum retinere possit, varie distinguitur, ib. a n. 74.
Ludens pecunia furtiva, vel aliena, ib. n. 77. an peccent famuli ludentes, & negotiantes pecuniis dominorum, ib. a n. 78.
Ludus qui, quibus, & qualiter prohibeatur, ib. n. 80.
Ludens ludo prohibito an restituere, vel solvere teneatur, ib. a num. 81.
Luxuria.
Luxuria, ejusque species, sexto Præcepto prohibitæ, fol. 141. n. 8.
Luxuria nono præcepto prohibita, ib. n. 9.
Mandans actionem.
Mandans actionem, ex qua sequitur mors alterius, fol. 118. n. 85.
Mandans homicidium, casus speciales, fol. 119. n. 89. vide *Irregularitas*.
Mandans, mandatum &c. ad damnum proximi, f. 7. a n. 8. vide *de Restitut. cooperant. ad damnum proximi*.
Maritus.
Marito consentiente in peccatum cum sua uxore, adhuc fit adulterium, f. 13. a n. 49.
Melioramenta.
Melioramenta sunt triplicis generis, f. 16. a n. 81. quæ, & qualiter detrahere possit Possessor bonæ fidei, & quæ Possessor malæ fidei, ib. a n. 82.

In hoc secundo Tomo contentarum.

Membrum.

Membrum, cujus abscissio inducit irregularitatem, quodnam dicatur, f. 117. n. 77.

Meretrix.

Meretrix an ob opus turpe pretium exigere possit, fol. 177. n. 136.

Merx.

Merx, seu res vendibilis, f. 269.

Mercem vitiatam vendere pro bona, f. 273. a n. 64.

Mercem vitiatam vendere per deceptionem positivam, f. 275. n. 73.

Mercē minuere, deteriorare &c. prætextu minoris pretii, ib. n. 75.

Merci miscere materiam viliorem, specialiter vino aquam, an, & quando liceat, f. 276. n. 77.

Metus ab intrinseco, & extrinseco.

Metus ab intrinseco, & extrinseco, gravis, levis, reverentialis, juste, injuste incussus quid, f. 225. a n. 109. an, & quando contractum irritet, f. 226. n. 113. vide *Contractus*.

Miscere aquam vino.

Miscere aquam vino, an, & quando liceat cauponibus, f. 276. n. 77.

Monopolium.

Monopolium quid, f. 279. n. 103.

Munerum acceptio.

Munerum acceptio, f. 262. a n. 120.

Munera gratis oblata acceptare ob opus ex justitia debitum, an, & quando licitum, ib. n. 122.

Munera acceptare ex pacto ob opus ex justitia debitum mortale est, & restitutioni obnoxium, nisi justa causa excuset, quæ, & quando talis, f. 176. n. 127.

Munera accipere ab amasio, an, & quando licite possit Virgo, vel fœmina, f. 178. n. 141.

Mutilare seipsum.

Mutilare seipsum, f. 113. n. 32. vide *Occisio sui ipsius*.

Mutus.

Mutus, non obstans, nnn manifestans, f. 41. n. 44.

Mutuum.

Mutuum quid, f. 245. n. 1. ejus materia, ib. n. 2. perficitur traditione, ib. n. 3.

Mutuum quando restituendum, ib. a n. 4. quid, & quantum restituendum, ibid. n. 7.

Mutuum dans in auro, solvendum in argento, licite quid exigit ultra æqualitatem arithmeticam, ib. n. 8.

Qui mutuum accepit in pecunia, si interea ejus valor creverit, vel decreverit, quid teneatur restituere, f. 246. n. 11.

Qui mutuum accepit in aliis rebus, frumento, vino &c. si interea pretium creverit, vel decreverit, quid reddendum, ib. a n. 13.

An, & qualiter liceat in mutuo addere pactum, ut reddatur tantum, vel tantum, si valor crescat, vel decrescat, ibid. n. 16.

Mutuo dare frumentum, vinum &c. in autumno cum pacto ut restituatur in vere juxta pretium tunc currens, an sit usura, ib. a n. 17. Idem est, & resolvitur de pecunia, f. 247. n. 20.

In mutuo, an licite fiat pactum, ut pro re veteri, v. g. frumento, vino &c. reddatur recens, vel novum, ib. a n. 21.

Mutuum dare, vel accipere qui possint, an etiam filiifamilias, ibid. n. 23. qui, quando, & qualiter ratione mutui conveniri possint, ib. a n. 24.

Mutuans ultra sortem licite accipit liberaliter oblata ob gratitudinem, fol. 248. n. 32. ad quam etiam licite monet mutuatarium, ib. n. 33. Si vero pactum fiat de tali gratitudine exhibenda distinguendum est, ib. a n. 34. Si Mutuans nolit mutuare, nisi vicissim beneficium fiat, iterum distinguendum est, f. 249. a n. 36.

Mutuans ratione mutui ultra sortem licite exigit opus aliunde debitum, ibid. n. 37. ac aliquid pro obligatione, vel contractu sæpius mutuandi, ib. n. 39. pro labore, & expensis in mutuando faciendis, ib. n. 40. pro periculo suscepto cum pacto assecurationis, ib. a n. 41. pro lucro cessante, ib. a n. 43. damno emergente, f. 250. a n. 48. pro periculo amittendi sortem, & difficultate eam recuperandi, f. 251. a n. 52. proportionatum tamen, ib. n. 53.

In mutuo, an licite apponatur, & exigatur pœna conventionalis, f. 252. a n. 55. an ea in conscientia debeatur, ib. a n. 57.

Mutuans accipere nil potest pro absentia pecuniæ, ejusque molestia sibi inde orta, f. 253. n. 66. nec pro commoditate mutuatario proventura, ib. n. 67. nec pro voluntate mutuandi, f. 254. n. 68. nec pro promissione, vel obligatione mutuum non statim repetendi, ib. n. 69. Sicut probabilius, nec pro obligatione sola non repetendi ad longius tempus, ib. n. 70. Sententia opposita, ib. n. 71.

An in mutuo cum pignore locum habeat pactum legis commissoriæ, f. 259. n. 104.

De mutuo vide plura, *v. Usuras*.

Necessitas.

Necessitas extrema, vel gravis quæ, f. 172. n. 85.

In extrema necessitate potest quis licite auferre rem alienam, ib. a n. 86.

A quovis talem necessitatem non patiente, ib. n. 88. Immo per se loquendo etiam obligatur auferre vitæ necessaria, ib. n. 89. etiam publice, & per vim, si opus sit, ib. n. 90. Aut si per se non possit, ejus loco licite aufert alius, ex proprio subvenire non potens, ib. n. 91.

Necessitas extrema tribuit jus egenti rem alienam faciendi suam, f. 173. n. 93. ideo dominus rei tenetur *ex justitia* auferentem non impedire, ib. n. 95. sed insuper ex Charitate, & misericordia ultro dare, ib. n. 96. Cui tamen Charitatis obligationi probabiliter satisfacit dando rem cum pacto, & obligatione restituendi, ib. a n. 97.

Qui in extrema necessitate rem alienam accepit, & absumpsit, an teneatur postea restituere, si ad meliorem fortunam pervenerit, ib. a n. 99.

Quid liceat in necessitate gravi tantum, f. 174. n. 103.

Negotiatio.

Negotiatio quid, f. 279. n. 102.

Negotiare quibus specialiter prohibitum, ib.

Occupatio, & inventio rerum.

Occupatio, & inventio rerum, f. 199. res vacantes, derelictæ, pro derelictis habitæ, vel incertæ, ib. n. 137. jure gentium fiunt primo occupantis, ib. n. 141. res vacantes fiunt primo occupantis, f. 201. n. 161. cujus sint lapilli, gemmæ, uniones &c. in littore maris, vel flumine, insula in mari, vel flumine nata, a f. 202. n. 162. venæ metallicæ, auri, argenti &c. ib. n. 164. cujus sint Sylvæ, pascua &c. ib. n. 165. res derelictæ, vel pro derelictis habitæ, ib. n. 166. bona naufragantium, ib. n. 167. thesaurus in proprio, vel alieno fundo, aut in loco communi repertus, ibid. n. 170.

Occidere.

Occidere malefactores licitum est, f. 86. a n. 2. quando eorum delicta ita merentur, ibid. a n. 4. Idque auctoritate publica tantum, non privata, ib. n. 8.

An, & quando privato liceat occidere Tyrannum, f. 87. a n. 10.

Qualis Juris ordo servandus, seu quæ requirantur, ut quis licite possit ad mortem damnari, vel occidi, ib. n. 13.

An, quando, quibus, & qualiter occidere liceat bannitos, seu proscriptos, ib. n. 16.

Leges civiles positive, & approbative permittentes marito occidere adulterum, vel adulteram inflagranti deprehensam iniquæ sunt, f. 88. a n. 20. sunt tamen justæ negative, quatenus tali pœnas homicidii remittunt, ib. n. 23.

Occidere innocentem per se nulla auctoritate humana licet, n. 25. per accidens autem quandoque licet, ib. n. 26. tribus præsertim casibus I. quando in bello justo victoria aliter obtineri non potest, nisi simul cum nocentibus occidantur innocentes, ib. n. 27. & II. quando injustum aggressorem te occisurum aliter non possis effugere, vel occidere, nisi simul occidas innocentem, ib. n. 28. ac III. quando, equo vectus aliter inimicum fugere non possis, nisi proculcando innocentem, infantem, dormientem, claudum &c. ib. n. 22.

Non licet nec Principi, nec Judici, sive supremo, sive inferiori ad mortem damnare, vel occidere, quem privata notitia certo scit esse innocentem, f. 89. a n. 30.

An civitas, vel Respublica possit occidere, vel caput mittere civis alicujus innocentis Tyranno alias excidium minitanti, ia. a n. 36. & an talis civis ille occidendus obedire teneatur, f. 90. n. 39.

Occisio per defensionem inculpatæ tutelæ, f. 100.

Defendere se cum moderamine inculpatæ tutelæ, seu talis defensio quid; & quæ ejus conditiones, ut talis sit, ib. n. 133.

Actualem aggressorem injustum vitæ propriæ, ib. n. 134. quemcumque, etiam proprium parentem, filium, consanguineum, Superiorem, Dominum, Principem, personam publicam quamcumque, etiam in mortali existentem, vel furiosum, amentem, ebrium &c. f. 101. n. 137. quicumque licite occidere potest, ibid. n. 142. Immo per se, & cæteris paribus tenetur, ib. n. 144. Opposita tamen sententia, scilicet non teneri, est valde probabilis, ib. n. 145. præsertim si interveniat notabilis inæqualitas, ib. n. 146.

Quid sit, aut quando quis censeatur servare moderamen inculpatæ tutelæ, ib. a n. 147.

An, & quando liceat actualem insidiatorem occisurum prævenire, & occidere, f. 102. n. 150. Casus varii.

An, quando, & pro quibus bonis temporalibus conservandis liceat occidere furem, raptorem &c. ibid. a n. 154.

An etiam aliquando ob proprium honorem, vel famam conservandam, liceat occidere injustum, & contumeliosum aggressorem, f. 103. a n. 159. Casus varii, ib.

An ad pudicitiam propriam, alio modo non conservandam, liceat occidere violentum aggressorem, f. 104. a n. 165.

An, & quando liceat occidere, vel mutilare alium, ad conservandam vitam, bona, vel pudicitiam proximi, ei succurrendo, ibid. a n. 169. Exempla, & casus varii, ibid.

De sui ipsius occisione, & mutilatione, f. 108.

Seipsum directe, & voluntarie occidere nunquam licet, ibid. a n. 2. nullo casu, vel causa, ib. n. 5. nullaque auctoritate humana, quantumvis publica, saltem probabilis, ib. n. 6. Excepto solo casu, quo Deus juberet, f. 113. n. 8.

Qua ratione liceat sibi mortem optare, ib. n. 9. Nec etiam indirecte licet seipsum occidere, ib. n. 10. ad mortem suam cooperando proxime, ib. n. 11. se certo mortis periculo exponendo, ib. n. 12. aut mortem suam permittendo, v. g. in gravi morbo, si remedia ordinaria haberi possint, fol. 114. n. 13. Ad remedia tamen extraordinaria infirmus non obligatur, ib. n. 14.

Potest tamen quisquandoque per accidens admittere propriam mortem ob justam causam Charitatis, vel justitiæ, ibid. n. 15. Quando, & quibus casibus ex Charitate erga proximum, ib. a n. 21. Quinam, & quando, obligentur ex justitia legali, & commutativa vitam exponere periculo mortis, fol. 115. n. 26.

Qualiter, & quantum ad mortem damnatus, possit ad eam indirecte cooperari, ib. a n. 29. potest licite fugere, carcerem perfringere &c. ad quod ei etiam alii consilium, vel instrumentum dare possunt, exceptis Ministris justitiæ, ib. n. 30.

Non licet se mutilare aliquo membro per se loquendo, ibid. n. 32. nec etiam castrare ob commodum vocis, ib. a n. 33. nisi quando conservatio vitæ propriæ, & totius suppositi mutilationem alicujus membri admittit, vel exigit, f. 116. num. 37.

Referuntur pœnæ se occidentium, ib. a n. 39.

Irregularitas ex mutilatione sui ipsius, ib. n. 44.

Paupertas Religiosa.

PAupertas Religiosa in quo consistat, f. 189. n. 61. quando, & qualiter contra eam peccetur, ib. n. 62. casus varii, f. 190. n. 64.

Pecunia.

Pecunia, ut sit justa, tria requirit, f. 263. n. 2.

Permutatio.

Permutatio quid, & quæ ejus materia, ib. n. 1.

Precarium.

Precarium quid, fol. 293. qualiter differat a commodato, f. 294. & quibus modis finiatur, ib. n. 15.

Pignus.

Pignus quid, f. 303. n. 100. quotuplex, ib. n. 101.

Quæ res oppignorari possint, ib. n. 104.

An eadem res possit pluribus oppignorari, f. 304. n. 105. quid si res mutetur, ibid. n. 106. cujus sint fructus ejus, ibid. n. 107.

Quale jus habeant creditor, & debitor in pignus, ib. n. 108. an creditor illud vendere possit, ib. n. 109. aut eo uti, vel aliis oppignorare, ib. n. 110. si illud interea melioravit, detrahere potest expensas, ib. n. 112. si debitum non solvatur, quale jus in pignus habeat creditor, ib. n. 113.

Possessor.

Possessor bonæ fidei, quando, quid, & qualiter restituere teneatur, f. 17. num. 87. seqq. Vide *Restitutio ex delicto materiali.*

Possessor malæ fidei quid restituere teneatur, f. 22. n. 131. seq. Vide *Restituere ex delicto formali.*

Possessor malæ fidei quos fructus restituere teneatur, f. 27. a n. 173. seq. quale damnum emergens, & lucrum cessans, ib. a n. 180. & seq. Exempla varia, ib.

Præcepti quinti explicatio.

Præcepti quinti explicatio, f. 1. n. 1. & quæ illo prohibeatur, ib. n. 2.

Præcepti sexti.

Præcepti sexti, & noni explicatio, f. 144. seq.

Præcepti octavi.

Præcepti octavi explicatio, f. 145. seq.

Præcepti septimi.

Præcepti septimi, & decimi explicatio, f. 166. seq.

Præscriptio.

Præscriptio quid, f. 205. n. 192. an, & quando justa, & licita, ibid. num. 193. qui rem jam legitime præscriptam restituit ignorans illud jus, eam repetere potest, ibid. n. 192.

Præscriptionis prima conditio est *Possessio*, qualis esse debeat, f. 206. n. 199. qui, & quantum ratione ejus præscribere possint, ib. num. 200.

Quando, & qualiter fiat præscriptio Jurium, ibid. n. 203.

Præscriptionis titulus qualis esse debeat, ibid. n. 204.

Ad præscribendum necessario requiritur bona fides, f. 207. n. 206. quæ, quando tollatur, ib. a n. 207. dubitans, an res sit aliena necne, an, & quando habeat bonam fidem, ib. n. 210. an scientia juris alieni tollat bonam fidem, f. 216. n. 211. quando mala fides prioris possessoris noceat successori, ib. n. 212.

Præscriptionis tempus varium, f. 208. n. 213. quando præscribantur *res mobiles*, ib. n. 214. *immobiles*, ib. n. 215. res incorporales, seu jura, ibid. n. 216. leges, vel consuetudines, ib. seq. beneficium restitutionis in integrum adversus præscriptionem, ib. n. 218.

Pretium.

Pretium rerum legitimum, seu lege taxatum, f. 264. nu. 9. quando taxa illa cesset, vel non obliget, f. 265. n. 10.

Pretium naturale, seu vulgare quid, ibid. n. 14.

Pretia rerum naturalia augeri possunt ex parte mercis, & pretii, ib. n. 15. ex parte ementium, ib. num. 16. ex parte vendentium variis modis, & causis, ib. a nu. 17. item ex parte modi vendendi, aut emendi, f. 266. n. 21. an etiam ob necessitatem, vel utilitatem, distinguendum est, ibid. a num. 25.

Pretium naturale triplex, *summum*, *medium*, *infimum*, ib. nu. 26.

In pretio decipiens, an teneatur restituere, ib. num. 27. & cui, immediato, vel mediato damnificato, fol. 267. num. 29.

Quodnam sit pretium justum pro emendis juribus debitis, seu creditis, chyrographis &c. f. 270. a n. 46.

Promissio.

Promissio absoluta, fol. 214. n. 13. ad diem, vel certum tempus, ib. n. 14. sub conditione possibili honesta, ibid. a n. 16. sub modo impossibili, & honesto, ibid. num. 18.

Promissio qualiter debeat esse deliberata, f. 215. n. 23. quid in dubio ib. n. 24. Item qualiter libera a coactione, deceptione &c. ib. n. 25. differt a proposito, ib. n. 26. debet esse de re possibili, & licita, f. 216. n. 27. ac necessario vera interna, ib. n. 30. externa solum, & verbalis adhuc parit obligationem fidelitatis, ib. n. 31. intentio ad promissionem requisita, ib. n. 32.

Promissio debet esse insinuata alteri, f. 217. n. 36. an etiam facta ad causam piam, v. g. Ecclesiæ, pauperi, &c. ib. n. 37. an acceptatio etiam debeat manifestari promittenti, ib. num. 38.

Promissio debet esse acceptata ab altero, ib. n. 39. non acceptata nullam obligationem parit, f. 218. n. 40. & etiam Juramento firmata revocari potest, antequam ad promissarium pervenerit, ib. n. 41. nec postea ad eum perveniens obligat, ib. a n. 42. etiam remissio debiti non obligat ante sui acceptionem, ib. num. 47.

Promissio debet esse acceptata legitime, ab ipsomet promissario, vel ejus legitime vices gerente, ib. a n. 48. qui legitime ejus loco acceptare possint, f. 219. a n. 50. qualiter, & a quo acceptans debeat eam audire, ib. n. 54. debet acceptari absolute, ib. a n. 57. non tamen necessario externe, & expresse, nisi in contractibus onerosis, ib. n. 60. an debeat acceptari ante mortem promittentis, f. 220. n. 61. si promittens per nuntium, vel litteras moriatur, antequam promissio ad promissarium perveniat, an valide acceptari possit, ib. a n. 62.

Promissio qualiter obliget, ib. a n. 64. quantitas, & qualitas obligationis unde desumenda, etiam in dubio, ibid. a n. 66.

Promissionis obligatio quibus modis cesset, f. 230. n. 72. dubia varia, ib. a n. 73.

Promovens.

Promovens indignos ad officia, Beneficia &c. relictis, vel impeditis dignioribus, an, quando, quid, & cui restituere debeat, f. 29. a n. 196. seq. Vide *Restitutio ex injusta damnificatione.*

RApina quid, f. 162. n. 13.

Reparatio.

Reparatio famæ, vel honoris, f. 153. n. 88.

Religiosorum dominium.

Religiosorum dominium in particulari nullum, f. 189. a n. 57. eorum paupertas in quo consistat, ibid. n. 61. quando, & qualiter contra illam peccent, ib. n. 62. casus varii, f. 190. nu. 63. an possit a Prælato concedi proprium peculium, f. 191. a num. 72.

Religiosus cui acquirat, extra Monasterium beneficium habens, ibid. a n. 77. an ei in particulari possit legari, f. 192. num. 80.

Religiosorum dominium in communi quale, ib. a n. 83.

Res vacantes.

Res vacantes, incertæ, derelictæ, vel pro derelictis habitæ fiunt primi occupantis, f. 201. a n. 161. Vide *Occupatio.*

Res incerta.

Res incertæ inventæ, si earum dominus non compareat, cui applicandæ, f. 204. n. 180.

Rerum pretia.

Rerum pretia, Vide *Emptio. Venditio.*

Res aliena.

SI res aliena perit, cui pereat, f. 33. a n. 218. Vide *Restitutio ex contractu.*

Restitutio.

Restitutio generatim quid, f. 9. n. 1. quid late sumpta, ib. quid stricte sumpta, ib. Ejus obligatio unde, ib. seq.

Restitutionis radices quæ, quot, f. 9. num. 9. Regulæ generales, ib.

Restitutionis, & satisfactionis differentia, ib. a n. 13.

Restitutionis obligatio per se oritur solum ex violatione justitiæ commutativæ, f. 10. n. 18. Non ex violatione aliarum virtutum, ib. n. 19. Nec ex violatione justitiæ legalis, ib. nu. 20. Nec ex violatione justitiæ distributivæ, ib. n. 21. Nisi quandoque per accidens, quatenus simul violatur commutativa, ib. n. 23.

Restitutio est necessaria ad salutem, f. 11. n. 25. Non necessitate medii, ib. n. 26. sed præcepti, ib. n. 27. nimirum septimi, ib. n. 29. quod secundum plures est principaliter negativum, ib. n. 30. Secundum alios autem verosimilius principaliter est affirmativum, ib. n. 32. Obligans ex genere suo sub mortali, ib. n. 34.

Ut quis in foro conscientiæ sub *mortali* obligetur ad restitutionem, debet delictum fuisse commissum *per actionem injustam*, ib. n. 35. *Externam* f. 12. n. 36. Quæ sit culpa *Theologica*, ib. n. 37. Et quidem *gravis*, ib. a n. 44.

Resolvuntur casus varii, præsertim de furtis minutis, ib. a num. 46.

Resolvitur dubium notabile, an, quando culpa externa est levis tantum, sed cum interna mortali voluntate lædendi graviter, secuto damno gravi, inducat onus restitutionis sub mortali, f. 13. n. 53.

Quid restituendum f. 13.

Ex justitia commutativa id, & tantum restituendum est, quantum ablatum, vel damnificatum est, f. 14. a n. 57. Et quidem per se loquendo universaliter res ablata adhuc existens eadem numero, nisi Dominus sit, aut rationabiliter præsumatur, vel debeat esse contentus restitutione alterius rei æquivalentis, ibid. n. 61. Ut fieri solet in rebus functionem suscipientium, v. g. pecunia, frumento, vino &c. Casus varii, ib. num. 62.

Quid, & qualiter restituendum, si res ablata non amplius existat, ib. n. 67.

Fructus rei, quid, quotuplex, quinam restitui debeant, fol. 15. n. 68. seq. vide *Fructus rei.*

Restitutio ex delicto materiali.

Seu quid, & quantum restituendum ratione rei acceptæ a Possessore bonæ fidei, vel etiam dubitare incipiente, fol. 17. n. 88. seq. Possessor bonæ fidei tenetur restituere, statim, ibid. num. 89. seq. ubi certo intellexit rem esse alienam, ibid. num. 90. Si incipiat dubitare propter leves tantum rationes, non tenetur examinare veritatem, f. 18. num. 91. secus, si rationes dubitandi sint graves, ibid. nu. 92. & interea rem conservare debet, num. 93. seq. ac si dubium vincere non possit, rem licite retinet tanquam suam, ib. seq. & licite usurpat, consumit, alienat, &c. ibid. a n. 94. seq. res sic bona fide absumptas non tenetur restituere, nisi in quo factus est ditior, ibid. n. 98.

Unde quis cognoscere possit se ex re aliena se factum esse ditiorem, f. 19. n. 101.

Qui rem alienam bona fide alienavit, vendidit, consumpsit, donavit, ver. grat. rem furtivam emit, dono accepit, & eam rursus bona fide alienavit, vendidit, &c. ad quid teneatur, casus varii, ibid. a n. 102.

Qui rem alienam bona fide consumpsit, ad quid teneatur, ibid.

ibid. n.109. Exempla, & casus varii de invitato ad cœnam furtivam, ib. a n. 110. vestem alienam dono acceptatam atterente, f. 20. a n.113. In bello injusto bona fide multantibus, & prædantibus, ib. n. 114.

Cognoscens rem esse alienam, non tantum ipsam, sed etiam fructus naturales, & mixtos restituere debet, ibid. n. 116. Tamen fructus extantes tantum, detractis expensis, ib. num. 117. Idque ipsi Domino rei, etiam non repetenti per se loquendo, non furi, v.g. a quo accepit, ib. n. 118. seq. Sive nullum immineat periculum amittendi pretium, ibid. n.119. sive aliquod immineat, ib. n. 120.

Adhuc tamen probabile est, posse rem furtivam restitui furi, vel malæ fidei possessori ad pretium recuperandum, seque indemnem servandum, f. 21. n. 121. probatur variis exemplis, & casibus, ib. num.122. Solvuntur fundamenta in oppositum, ib. a num. 126.

Restitutio ex delicto formali ratione injustæ acceptionis, f. 21.

Possessor malæ fidei quid restituere teneatur, ib. n. 129.

Accipiens,& retinens rem dubiam animo reddendi Domino fors compariturо non peccat, & facta diligenti inquisitione, eo non comparente, incipit fieri possessor bonæ fidei, fol.22. a n. 232. Si vero rem dubiam accipiat animo retinendi, peccat, & restituere obligatur in integrum,ib.n.134. Si dubium sit æquale pro utraque parte, cujus res sit, quid, & cui restituendum, ib. a n. 136. Resolvuntur duo dubia, f.23. a n. 138.

Possessor malæ fidei tenetur ipsammet rem restituere in individuo, ib. a num. 141. aut si destructa, vel commixta sit cum propria, in æquivalenti, ib. n. 142. Cum omni incremento intrinseco, ib. n. 143. Detractis expensis, aut si absumpsit, vel periit, ejus valorem, ib. n.145. Incrementum intrinsecum, & extrinsecum quid, ib. n. 147.

Quando res aucta est apud Possessorem malæ fidei, quid restituendum, f.24. n. 148. Exempla varia, ib. a n. 150.

Quid, quando res aucta est augmento, seu valore extrinseco, ib. n. 151. Exemplificatur clarissime variis casibus & exemplis, præsertim de tritico per tria tempora, quibus valor modo crescit, modo decrescit, & minuitur, ib. a n. 150.

Possessor malæ fidei tenetur restituere totum rei alienæ valorem, quomodocumque ea apud ipsum perierit, etiam mero casu, si ea apud Dominum similiter non periisset, f.25. n.161. Secus si res similiter casu fortuito, v.g. incendio, &c. certo apud Dominum periisset, ib. n. 162.

Si res aliena periit dolo, vel culpa Possessoris malæ fidei, tenetur is, non obstante, quod taliter apud Dominum periisset, eam compensare juxta valorem, quem apud Dominum habuit, f. 26. n. 166.

Ad quid teneatur, qui rem alienam destruxit, consumpsit, vendidit &c. non prævidens, eam quoque apud Dominum perituram,ib.n.167. Vel etiam prævidens, ib. n.168. aut probabiliter credens, eam quoque apud Dominum perituram, ibid. nu.169.

Qui surripuit rem, apud Dominum etiam certissimo perituram casu, bello, vel incendio, &c. tenetur eam tamen restituere, ib.num.170. Quid, si fur, vel malæ fidei Possessor rem alienam in communi incendio non salvet, ib. num. 171.

Quid de milite, qui transeundo per terras non hostiles aufert rem, ea ratione motus, si ipse non auferat, socios certo ablaturos, f. 27. n. 172.

Possessor malæ fidei insuper restituere tenetur non solum fructus adhuc extantes, sed etiam quomodocumque consumptos, ib. nu. 173. Immo non tantum quos percepit, sed etiam quos verosimiliter percipere potuisset, nu. 274. ac perceptos, etiamsi Dominus illos, vel tantos non percepisset, ib.a n.275. Resolvuntur duo dubia, ib. a n. 178.

Restitutio ex delicto formali ratione injustæ damnificationis, f. 28.

Qui per culpam Theologicam gravem, rem alterius destruxit vel deterioravit, ib. n.185. etiam indirecte, per se, vel per suos, ib. n.187. tenetur restituere valorem rei, ejusque fructus, omne damnum emergens, vel lucrum cessans, ib. n.188. Si vero nulla culpa Theologica adsit, ad nihil tenetur in foro conscientiæ, nisi post sententiam Judicis, f.29. nu. 191. afferuntur, & resolvuntur exempla, & casus varii, ib. a n.192.

Qui alium a consecutione alicujus boni, v.g. beneficii, officii, jam ex justitia commutativa aliquo modo debiti, impedit per vim, vel dolum, tenetur ad restitutionem juris, vel spei habitæ, ib. a nu.197. secus, si illud bonum sit debitum solum ex justitia distributiva, f.30. n.198. Aut si bono zelo sine vi, vel fraude impediat, v.g. indignum, ib. num. 199.

Qui autem perverso, & iniquo affectu digniores, vel vere dignos sic impediunt, quovis modo promovendo indignos, peccant gravissime, & Ecclesiæ, vel Reipublicæ obligantur ad restitutionem, ib. n. 200.

Impediens alium vi, fraude, metu, mendaciis, detractionibus a consecutione alicujus boni non ex justitia, sed ex libera solum, & determinata jam alterius voluntate conferendi, obligatur ad compensandum damnum juxta proportionem spei habitæ, f. 31. n. 207.

Unde gravissime peccant, & ad restitutionem obligantur, I. qui sic malevole apud Episcopum, vel Principem impediunt dignum, f.30. num.202. II. Qui Testatorem, vi vel fraude impediunt, ne testamentum sic, vel sic condat. Casus varii, f.31. n. 203. III. Qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus, apud Dominos impediunt Opifices, operarios, famulos, vel famulas, mercatores, mendicos, ib. n.204. IV. Qui injuste alterius litteras aperiunt, ut ipsi præoccupando beneficium consequantur, negotiatione lucrentur, ib. n. 205. resolvuntur casus varii valde notabiles de aperientibus litteras aliorum, ib. a n. 206.

Impediens alium sine vi, vel fraude a consecutione boni non ex justitia debiti,sed ex gratuita alterius voluntate jam determinata conferendi, non peccat contra justitiam, nec ad restitutionem obligatur,ib.n.209. Exempla, & casus varii, f.32.a nu.210.

Impedientem sic alium sine vi, vel fraude quidem, ex odio tamen, vindicta, aut expressa etiam intentione nocendi, ad restitutionem obligant DD. antiqui, ibid. n.212. vera tamen, & communis sententia opposita negat eo casu obligationem restitutionis, ib. n.213. Exempla, & casus varii, ib. num. 214.

Restitutio ex contractu licito, & justo.

Restitutionis obligatio ex contractu duplex, una *formalis*, & *immediata*, solvendi scilicet in contractu promissum: alia *radicalis*, & *mediata*, compensandi damnum rei ex contractu debitæ, si ea pereat, f. 33. a n. 216.

Unde quando res determinata in individuo apud alium perit casu, Domino, seu creditori perit, ib. nu. 219. Exempla varia, ib. n. 220. Excipiuntur tres casus, ib. a n. 221.

Si vero res indeterminata in certo genere perit, debitori perit, ib. n. 224. Exempla, & casus varii, ib. a n. 225.

Si res pereat culpa debitoris, jure naturali tenetur is solum ex *dolo malo*, & culpa gravi, f. 34. n. 229.

Leges vero Civiles, & Canonistæ statuunt I. ut quando contractus factus est in utilitatem solius dantis, debitor recipiens teneatur solum ex culpa lata, non levi, vel levissima, ib. n.230. II. Si autem factus sit in utilitatem utriusque, recipiens, seu debitor teneatur ex culpa lata, & levi, non tamen levissima, ibid. num.231. III. Si vero factus sit in utilitatem solius recipientis, teneatur is ex omni culpa, lata, levi, & levissima, ib. n.232. Quæ leges juxta communiorem obligant in conscientia, etiam ante sententiam Judicis, ib. n.233. Sententia tamen opposita est probabilior, scilicet eas non obligare in foro conscientiæ ante sententiam Judicis, ibid. num. 234.

Inferuntur, & resolvuntur varia, & an, scilicet tenearis rem alienam conservare ab incendio, naufragio, rapina &c. cum jactura rei tuæ, f. 35. n. 235.

Et hæc prædicta intelligenda sunt tam in veris, quam in quasi contractibus, ib. n. 239. saltem post sententiam Judicis, ibid. num. 240.

De restitutione ad damnum injustum cooperantium, f. 36.

Præter injusti damni executorem, ad restitutionem etiam obligantur ejus concausæ, ib. n. 1. Omnes scilicet scienter, deliberate, & voluntarie, ib. n. 2. cooperantes *efficaciter* ad injustum damnum proximi, ib. a nu. 3. Re ipsa secutum, f. 37. n. 6. Etsi alias etiam illud sine eorum cooperatione secutum fuisset, ib. n. 7. Causæ cooperantes positive, & negative, quæ ib. n. 8. *Mandans* (prima causa cooperans) si mandatum suum ante damni executionem revocet, & illa revocatio ad notitiam mandatarii pervenerit, liber est ab onere restitutionis, ib. n. 9. Resolvitur casus, ib. num. 10. Secus si illa revocatio ante damni executionem ad notitiam mandatarii non pervenerit, ibid. n. 11. Quid si quidem quis vellet, non tamen amplius potest revocare mandatum, ib n. 12.

Si mandatarius excedat mandatum in damna inferendo, is, non mandans, excessum illum compensare tenetur, ib. n. 13. Quid si mandatarius ipse ob executionem mandati damnum patiatur, v. g. occidatur, f. 38. num. 14.

An mandans, sicque obligatus censeatur, si alium in sui gratiam tertio damnum inferre jam paratum non prohibeat, cum facile posset, ib. n. 15. Casus varii, ib. a n. 16.

Consulens sæpe solus obligatur ad compensandum totum damnum, ut sæpe sunt Consiliarii Principum, Advocati, Jurisperiti, & Confessarii, &c. ib. n. 19.

Qualis culpa requiratur, ut quis ad restitutionem obligetur ex malo consilio, ib. n. 20.

Licet *mandans*, revocato mandato, non tamen *consulens*, revocato consilio, liberatur a restitutione, damno secuto: quænam ratio discriminis, f.39. n.21. Oppositum tamen, eum liberari, est etiam probabile, ib. n. 22.

Ad quid obligetur, qui alium jam resolutum, & determinatum, sive ex se, sive ex aliorum consilio, insuper etiam suo consilio, vel hortatu magis animat, & confirmat ad damnum alterius, ib. n. 23. Resolutiones, & casus varii, ib. a n.24.

Consentiens in damnum alteri inferendum quidem semper peccat consensu etiam inefficaci, f.40. a num. 28. Ut tamen ad restitutionem obligetur, debet esse consentiens consensu efficaci dependentiæ, ita ut damnum inferendum, vel illud inferens ab eo dependeat: Casus varii de Consiliariis, Consultoribus, Senatoribus, Vocalibus, in Senatu, Capitulo &c. ib. num. 30.

Ad quid, & qualiter obligentur, qui suo voto, vel suffragio fuerunt causa damni, ib. a n. 31.

Palpo quis dicatur, & qualiter obligetur, ib. n. 36.

Ad quid, & qualiter obligetur *receptor*, seu recipiens, custodiens, defendens, &c. damnificantes, fures, latrones, &c. ib. a n.37.

Quis dicatur, & qualiter obligetur causa participans, f.41. a n.40.

A peccato, & restitutione excusatur, qui metu mortis, v.g. furi præbet claves, instrumenta, milites, & prædones &c. juvat in asportandis prædis, abigendo vaccas, &c. Casus varii, ib. a n.42.

Mutus, non *obstans*, non *manifestans*, tripliciter obligari possunt ad impediendum damnum alterius, ib. a n. 46.

Obligatio impediendi damnum alterius potest esse, vel ex charitate,

tate, vel ex justitia, & quinam obligentur ex justitia, ib. n. 47.

Soli ex justitia obligati impedire, & non impedientes damnum alterius, obligantur ad damni secuti compensationem, f. 42. n. 50. Non vero obligati ex charitate tantum, ib. n. 51. Etiamsi ex vindicta, odio &c. & erga alterum, damnum ei non impedias, te negative habeas &c. ibid. n. 52. vel etiam pecuniam accipias a fure, v. gr. ne clames, impedias, manifestes, &c. ib. n. 53. Secus si, accepto pretio, tua promissione tacendi furem animosiorem reddas, ib. a n. 54.

Qualis debeat esse culpa, gravi, an levis, ut obligatus ex justitia impedire, & non impediens, teneatur compensare damnum a te non impeditum, f. 43. n. 56. Resolvuntur varii casus, de Principe, Magistratu, Gubernatore, Consiliariis, famulis, Ancillis, Custodibus urbium, agrorum, Judicibus, Reis, testibus, & Confessariis &c. non impedientibus damna, ubi deberent, ib. a n. 57.

Concausæ ad damnum alterius ad restitutionem obligantur juxta proportionem influxus, & causalitatis in damnificando, f. 44. n. 63. Ad quid, & qualiter teneatur. I. Causa totalis totalitate causæ, ib. n. 64. II. Ad quid partialis partialitate effectus, ib. n. 65. III. Ad quid partialis partialitate causæ tantum, n. 66. ac IV. partialis partialitate causæ quidem, totalis tamen totalitate effectus, ib. n. 67. Resolvitur casus de militantibus in bello injusto, f. 45. n. 68.

Quo ordine, qualiter, seu quis prior ex damnificantibus, vel cooperantibus restituere teneatur, ib. a num. 69.

Cui restituendum, f. 46.

Debita certa ordinarie restituenda sunt Domino immediate, f. 47. n. 75. nisi rationabilis causa excuset (quales enumerantur quatuor) ib. a n. 76. aut justo possessori, cui res debita, vel ablata est, ibid. num. 80. nisi rursus rationabilis causa excuset, uti videbis in quatuor casibus, ib. a n. 81.

Si res restituenda sit nocitura Domino, ei debet non restitui, saltem ex *Charitate*, ib. n. 86. ac etiam ex *Justitia*, si ea mox certo abusurus sit Dominus contra *justitiam* in damnum alterius, ib. a n. 86. solvuntur objectiones, f. 48. a n. 90. si vero ea abusurus sit contra alias solum virtutes, debet ei non reddi ex charitate tantum, ibid. n. 93. nisi rursus rationabilis causa excuset (ubi quæ, & quanta esse debeat) ib. num. 96.

Defuncto Domino, res restituenda est hæredibus, ib. n. 97. quid faciendum, si nulli adsint hæredes, ib. a n. 98.

Debita incerta ex delicto formali contracta, v. g. per Simoniam, usuras, injustos contractus, defraudationes, furta, rapinas, &c. si Dominus ignoretur, vel ita absens sit, ut ei restitui non possit, restitui debent pauperibus, vel applicari ad pias causas, f. 49. n. 101. Prius autem facienda est sufficiens inquisitio veri Domini, ib. n. 103. qua præmissa, & re jam sic erogata, etsi Dominus postea compareat, ad nihil amplius tenetur restituens, ib. n. 104. Quinam intelligantur nomine pauperum, ib. a n. 105.

Etiam possessor bonæ fidei, ubi agnoscit rem esse alienam, sed domino ignoto, vel ita se habente, ut ei restitui non possit, probabiliter eam restituere debet pauperibus etiam, vel applicare ad pios usus, ib. n. 107. Tamen æque probabiliter eam sibi retinere potest, f. 50. n. 108. & domino comparente, solum restituere tenetur, quantum inde factus est ditior, ib. n. 106.

Idem omnino dicendum est de rebus inventis, domino non comparente, post factam diligentem inquisitionem, ib. a n. 110. quæ eo major, & diuturnior esse debet, quo majoris momenti est res perdita, ib. n. 113. quousque quis talis rei inventæ dominum expectare debeat, ibid.

Sententia tamen probabilis, & æque tuta est, res inventas, domino non comparente, titulo inventionis posse retineri ab inventore, ib. a n. 111. via media, & tutissima, f. 51. n. 114.

Quando damnum illatum est immediate ipsi Communitati, restitutio facienda est ipsi Communitati immediate, non particularibus civibus, vel personis, ib. n. 116. Secus, si illatum sit civi, vel personæ particulari, ib. n. 117.

Quando restituendum, f. 51.

Restitutio *interna* quoad propositum internum facienda est statim *mathematice*, seu in puncto, quo quis scit se esse debitorem, f. 52. n. 119. Unde non tantum positive nolens, sed & negative se habens, seu omittens velle restituere, invito Domino, continuo peccat toto tempore, ib. n. 120. talis tamen prolongata rei alienæ detentio semper manet idem numero peccatum, quamdiu voluntas non restituendi moraliter continuatur, ib. n. 121. alias tot committuntur peccata, quoties voluntas non restituendi formaliter, vel virtualiter interrumpitur, ib. n. 122.

Restitutio *externa*, quoad executionem facienda est statim *moraliter* tantum, quamprimum commode fieri potest, ib. n. 124. secus faciendo debitor peccat, & insuper obligatur etiam ad compensandum damnum emergens, & lucrum cessans, seu interesse ordinarium, & extraordinarium, f. 53. a n. 125. etiam nulla præmissa admonitione, ib. n. 127. nisi in raro casu, quo facile, & utiliter moneri potuisset, & monitus non fuit; tunc enim creditor præsumitur, lucrum, vel damnum illud extraordinarium remisisse, ib. a n. 128.

Etsi debitor ex delicto quandoque ob paupertatem, vel impotentiam excusetur a restitutione ipsius rei, non tamen excusatur ab interesse ordinario, & extraordinario, ib. n. 130.

Quando, & quid restituere teneatur possessor bonæ fidei, ubi cognovit rem esse alienam, ib. a n. 131. Debitor ex contractu obligatur statim *Mortaliter* impleto termino contractui præfixo, ib. n. 136.

Gravitas dilationis sumi non debet ex mora temporis, sed damno creditoris, f. 54. n. 137. quo cessante, differre solutionem, etiam juratam, veniale tantum erit, ib. n. 138.

An, & quando liceat terminum solutionis prævenire, ib. n. 139.

Debitor ex contractu solutionem culpabiliter differens, obligatur creditori sub mortali ad omne interesse, ib. n. 40. si culpa sit Theologica, & gravis, ib. n. 141. Secus, si culpa non sit gravis, aut creditor putetur non esse graviter invitus, ibid. n. 142. Si vero creditor sit omnino invitus ad dilationem solutionis ultra terminum, ad hoc ut ei tenearis ad interesse, probabilius debes prius fuisse ab eo admonitus, ib. n. 143.

Qui commode posset restituere simul totum, non satisfacit restituendo successive per partes, nec cum tali proposito absolvi potest a Confessario, ib. n. 144. nisi in raro casu, quo scilicet Confessarius videt, eum alio modo omnino non restituturum, nec creditorem notabile damnum pati, & debitorem bona fide ita procedere, alias non, f. 55. a num. 145. Sicut nec in articulo mortis quidem absolvi potest debitor non habens propositum restituendi, quamprimum commode poterit, ib. n. 148.

Ad absolutionem tamen conferendam sufficit restitutio mentalis, seu propositum in proximum, ib. n. 149.

Qui bis, ter, vel sæpius in aliis Confessionibus jussus restituere, non restituit, cum facile potuisset, regulariter absolvendus non est, nisi prius restituat, ibid. n. 150. sicut etiam non tantum sanus, volens restitutionem differre usque ad mortem, sed nec moribundus absolvi potest, qui, cum facile possit, non vult ipse restituere, sed onus restituendi relinquere hæredibus, ib. n. 151.

Ubi, seu quo loco restituendum, f. 55.

Restitutio *ex delicto* facienda est in loco domini, seu creditoris, ubi scilicet is rem suam haberet, si ei ablata, vel detenta non fuisset, f. 56. n. 153. Idque semper expensis ipsius debitoris, ib. n. 154. non solum quando ipse rem alio transtulit, ib. n. 155. sed etiam, quando ipse Dominus, seu damnificatus alio migravit, vel rem, seu pretium ejus secum asportasset, ib. n. 156. quod etiam verum est, si restitutio fiat ex sola injusta detentione, ib. n. 157.

Quantas expensas facere debeat debitor ex delicto ad restituendam rem alienam, variæ sunt sententiæ, ib. a n. 158. In nostra Sententia: si debitor in expensis faciendis pro restitutione rei alienæ patiatur damnum solum æquale, vel paulo majus, quam patiatur Dominus ex carentia rei suæ, adhuc obligatur restituere, f. 57. n. 161.

Si vero deberet pati damnum longe majus, restitutionem differre potest, ib. n. 162.

Ideoque restitutio facienda est per expensas debitoris proportionatas debito, ut si aliter restitutio fieri non possit, tantæ faciendæ sint expensæ, quantum est debitum, v. g. mille, ut restituas mille, ib. n. 163.

Si nulla sit via, vel spes rem cum talibus proportionatis expensis restituendi ipsi domino, restituenda est ejus proxime consanguineis, vel in horum defectu pauperibus, ib. n. 164.

Restitutio *ex re accepta* in loco debitoris, si alio transferenda sit, fieri debet expensis creditoris, vel domini, ib. n. 165. qui proinde a debitore litteris, v. g. monendus est, quid de re sua fieri velit, ib. n. 166.

Quid faciendum debitori, si dominus ignoretur, aut conveniri, vel res transferri non possit sine æquali, vel majori sumptu, quam ipsa valeat, ib. a n. 168.

Restitutio *ex contractu justo* facienda est in loco conventionis expresso, vel tacito, ib. a n. 170. Si vero res sit alio transferenda, id fieri debet expensis illius, in cujus gratiam, vel utilitatem potissimum contractus est initus, f. 58. a n. 174.

Quomodo restituendum, f. 58.

Restitutio facienda est eo modo, quo res sufficienter veniat ad manus domini, ib. n. 2.

Debita ex delicto occulto occulte, ex publico autem quandoque etiam publice restituenda sunt, ib. n. 3.

Quando restitutio occulte facienda, commode fieri non potest ab ipsomet debitore, adhibenda est persona tertia, qualis plerumque est Confessarius, ib. n. 4.

Ex rationabili causa sufficit restituere, recte, fingendo se, quasi quid donaret, cum tamen revera animus sit sic restituere, f. 59. num. 5.

Si debitum transmissum per personam a creditore delegatam pereat quomodocumque, ipsi creditori perit, ib. n. 6.

Unde si famulus a creditore ad petendum debitum missus, cum eo aufugiat, debitor liber manet, ib. n. 7. pariter si nuntius a debitore cum præscitu, & voluntate creditoris electus, rem ex quacumque causa non reddat domino, debitor liberatur, ib. n. 9. Idē est, si debitor, & creditor statuerunt signum, quo a quacumque persona exhibito res mittatur, si perit, domino perit, ib. n. 10.

Item etiam debitum *ex contractu*, vel *re accepta* transmissum per personam fidelem habitam, deputatam ab ipso debitore, non huic, sed creditori perit, si debitum sit *reale*, ac *determinatum in individuo*, ib. n. 11. Secus, si debitum sit personale, & indeterminatum in aliquo genere, v. g. centum floreni, tot modii frumenti, ib. n. 12.

Si rem voto, vel juramento promissam Ecclesiæ, v. g. mittas per virum fidelem tibi putatum, si is eam sibi retinuit, tu deobligaberis, non tamen ipse, ib. n. 13. nisi rem illam sine sua culpa, v. g. furto, latrocinio &c. amisisset, ib. n. 14.

Debitum vero *ex delicto*, sive reale determinatum, sive perso-

sonale, & indeterminatum in specie, & individuo, transmissum per internuntium quemcumque, etiam Confessarium, si pereat, vel non reddatur quocumque casu, debitori perit, f. 60. n. 15. Solvuntur objectiones, ibid. a n. 16.

Qui rem furtivam Petro, v. g. debitam, bona fide, suo vel alterius, v. g. Confessarii consilio, jam erogavit pauperibus, de errore edoctus, secundum communem sententiam adhuc tenetur eam restituere domino: secundum alios tamen probabiliter liberatur, ib. n. 20.

Resolvitur casus de famulo, qui vas argenteum nomine Titii dono dandum Cajo, id retinuit usque post mortem Titii, ad quid, vel quibus teneatur, ib. n. 21.

Quo ordine restituendum, f. 60.

Ordine restitutionis, debita certa præferenda sunt incertis, ita ut habens plura debita, prius restituere debeat certa debitoribus notis, postea de reliquo incerta, quousque se extendunt facultates, f. 61. a n. 24.

Pariter debita realia præferenda sunt personabilibus, ib. a n. 26. Inter debita autem personalia, hypothecata præferenda sunt nudis, non hypothecatis, ib. a n. 29. Similiter debita privilegiata præferenda sunt nudis in totum, f. 62. n. 34.

Docetur summarie, quæ, & quo ordine ex bonis defuncti solvenda sint, ib. a n. 35.

Inter debita nuda onerosa præferenda sunt gratuitis, ita ne quis prius solvere debeat debita ex contractu, quam donatione, legato &c. a n. 40.

Reliqua debita personalia nuda ejusdem rationis, scilicet nec hypothecata, privilegiata indifferenter solvenda sunt pro rata parte facultatis, & debitorum proportione geometrica, ib. n. 42. Resolvuntur fundamenta oppositæ sententiæ, ib. n. 44.

Enumerantur quatuor casus, quibus debitor non potens solvere omnibus, licite solvit uni, vel pluribus integrum debitum ante alios, etiam priores creditores, f. 63. a n. 45.

Restitutio ex homicidio.

Restitutio ex homicidio debita, f. 134. n. 212.

Omnis homicida, vel mutilator obligatur compensare damnum temporale ex homicidio voluntario, & injusto, ib. n. 213.

Qui occidit volentem, & petentem occidi, peccat quidem gravissime contra jus DEI, ad nullam tamen restitutionem obligatur, ib. num. 215. sicut nec provocatus ad duellum, si provocantem occidat, f. 135. n. 216. Uti nec invasus injuste in vita, vel bonis, si invasorem occidat; etiam cum aliquali moderaminis excessu, ib. n. 217.

Pro damno personali, seu vita occisi non est facienda restitutio aliqua, ibid. n. 219. nisi probabiliter spiritualis, ib. n. 220. saltem post sententiam Judicis, ib. n. 221.

Nulla etiam facienda est restitutio pro bonis spiritualibus, quæ occisus fecisset imposterum, f. 136. n. 222.

Compensanda autem sunt omnia damna temporalia mortem læsi antecedentia, ib. a n. 223.

Idque, vel ipsi læso mortuo, vel eo mortuo proximis ejus hæredibus, ibid. n. 225. idem est de mutilatione, vulneratione, & quavis damnificatione corporali, ib. n. 226.

Damna temporalia homicidii, mortem subsequentia, quando, quibus, & qualiter restituere teneatur occisor, ib. n. 227.

Obligatio restituendi pro damno temporali antecedente, & consequente mortem, transit ad hæredes occisoris, f. 137. n. 231. nisi moriturus ante mortem suam ei totum remiserit, ib. a n. 232. si tamen possit, ib. n. 235. aut nisi & ipse homicida extremo supplicio afficiatur; tunc enim probabiliter ejus hæredes liberantur ab omni obligatione restituendi loco ejus, ib. n. 236.

Restitutio famæ.

Restitutio famæ personalis, & realis, f. 153. a n. 83.

Reparatio famæ quando, & qualiter fieri debeat, si crimen fuit falsum, ibid. n. 89. qualiter, si fuit verum, f. 154. n. 90. Quibus modis, ib. n. 91. apud quos, ib. n. 97.

A restitutione famæ excusat. I. *Cessatio damni*, f. 156. n. 110. ut si a principio ex detractione, vel calumnia alteri nullum secutum fuit damnum famæ, vel honoris, ib. n. 111. vel postea alia via recuperata sit, ib. n. 112. aut infamia jam oblivione deleta sit, ib. n. 113. aut crimen illud postea aliunde pateat, f. 157. n. 114.

II. Excusat remissio læsi expressa, vel tacita, ibid. a n. 115.

III. *Compensatio mutua*, quando scilicet infamatus te vicissim infamavit, ib. n. 117. quæ tamen compensatio per se directe, & per modum compensationis licita non est, ib. n. 118. sed solum per accidens, indirecte, & per modum defensionis, ib. n. 119.

IV. Excusat *impotentia* physica, & moralis, quamdiu durat, ib. n. 120. quando censeatur esse impotentia moralis, ib.

Nullus tenetur famam restituere cum evidenti periculo vitæ, ib. n. 121. vel cum notabiliter graviori detrimento propriæ famæ, f. 158. a n. 122.

Nullus tenetur famam compensare pecunia, si aliter non possit, ib. n. 124.

Scandalum.

Scandalum *activum* quid, f. 71. a n. 2. est duplex, aliud directum, ib. n. 6. aliud indirectum, ib. a n. 7. quod variis modis fieri solet, dicendo, faciendo, omittendo &c. ib. n. 11. Utrumque tam directum, quam indirectum, est ex genere suo mortale, f. 72. nu. 13. vel etiam veniale pro ratione materiæ, ib. n. 14. quomodo ex veniale fiat mortale, ib.

Scandalum directum probabilius est peccatum speciale contra Charitatem, ideoque necessario explicandum in Confessione una cum specie peccati, & circumstantiis personæ inductæ, vel scandalizatæ, ib. n. 18. Exempla varia, ib. a n. 19.

Scandalum passivum est etiam duplex, datum, & acceptum, f. 73. a n. 22. Scandalum mere passivum, & acceptum non semper, ib. n. 24. sed aliquando solum vitari debet, ib. n. 25. aliquando autem ob justam causam permitti potest, ib. n. 26. Immo aliquando permitti etiam debet, ib. n. 27. Ut quando occurrit præceptum divinum, vel humanum magis obligans ad agendum aliquid, quam omittendum illud timore scandali passivi in aliis secuturi. Exempla varia, ib. n. 28. Unde ob scandalum pusillorum omittenda non sunt spiritualia ad salutem necessaria, f. 73. n. 30. Bona autem spiritualia ad salutem non necessaria ob scandalum pusillorum occultari, vel aliquantulum differri debent, donec reddatur ratio facti, f. 74. n. 31. ob scandalum pusillorum, bona temporalia quandoque dimittenda sunt, si sine gravi proprio, vel tertii incommodo fieri possit id, ib. n. 32. Resolvuntur varii casus circa fœminas, v. g. an matrona, vel virgo, sciens se ab aliquo turpiter amari, quoties ab eo videtur, possit I. permittere se ab illo videri, ib. n. 33. aut II. se videndam per fenestras præbere, ib. n. 35. aut III. prodeundo in publicum illi occasionem videndi facere, ib. a n. 36. Item, qualiter, & quantum liceat fœminæ se ornare sine peccato scandali, ib. a n. 38. Item, an, & qualiter prævisо scandalo liceat fœminæ saltare, ib. n. 40. ac an, & quos tactus permittere possit inter saltandum, ib. n. 41.

An, quando, & qualiter citra peccatum scandali liceat inducere, & cooperari ad peccatum alterius jam parati peccare, vel alias certo peccaturi, f. 75. n. 42. v. g. an jam parato, f. 76. n. 45. vel jam volenti peccare, ib. n. 45. aut certo peccaturo, jejunium fracturo &c. liceat dare potum uberem, cibos vetitos &c. ib. a n. 47. commissuro peccatum gravius suadere minus, ibid. a n. 52. Ut evitetur damnum majus, proponere minus &c. f. 77. n. 60. Item an liceat peccatum alterius permittere, vel ad illud ansam dare saltem ob bonum finem, ad alterius emendationem, ibid. n. 63. v. g. filium, servum suspectum permittere denuo furari, ei pecuniam exponere, clavem relinquere &c. ib. a nu. 65. uxori de adulterio suspectæ occasionem, vel ansam relinquere, ut deprehensa emendetur, &c. ibid. num. 67.

Item, an, quando, & qualiter citra peccatum scandali, ob justam causam necessitatis, vel utilitatis liceat petere opus ab aliquo, quod is sine peccato præstare posset, etsi putetur, vel prævideatur non sine peccato præstiturus, f. 78. a n. 75. v. g. petere Sacrum, absolutionem, vel alia Sacramenta a concubinario, vel alias notorie in mortali existente, excommunicato, ib. n. 76. petere mutuum ab usurario, f. 79. n. 77. solutionem maleficii, ib. n. 78. fœminæ adire Judicem, Magnatem, vocare Medicum &c. esto advertat eos inde lapsuros, vel tentandos, ib. n. 80.

An citra scandali peccatum, ob cessationem lucri notabilis, licite possint hospites, caupones, coqui &c. ministrare vinũ inebriaturis, ib. a n. 81. cibos indifferentes etiam carnes in locis, ubi Catholici permixti sunt cum hereticis, aut hereticis transeuntibus per loca Catholica, ib. n. 84. Opifices licite facere, mercatores vendere, arma, fucos muliebres, taxillos, carthifolia &c. ad peccatum abusuris, ib. a n. 85. vel artefacta ad libidinem excitantia, f. 80. n. 87. aut ædificare, restaurare hæreticorum templa, Judæorum synagogas extruere, vel locare domum meretrici, &c. ib. n. 90. pingere, vel repræsentare valde turpia, ibid. n. 92.

Item, an citra peccatum scandali possit debitor reddere mutuũ, subditus tributum dominis immediate abusuris, ib. a num. 95. Confessarius absolutionem, Parochus Eucharistiam, &c. indispositis, ib. n. 97. uxor debitum marito votum castitatis habenti, ib. n. 98. famuli, ancillæ, heros, vel heras juvare ad peccata, vel facere opera ad peccatum ordinata, fol. 81. n. 99.

Item, an, & quando liceat Christianis captis apud Turcas contra Christianos bellare, remigare, fodere, sarcinas, & arma advehere, ib. n. 102. Tyranno obedire, ib. n. 105. Parentibus, vel dominis in domo servare filios, vel servos lascivos, fornicantes &c. ib. n. 106. offerre pecuniam pro administrandis Sacramentis necessariis Sacerdoti, vel Parocho aliter nolenti, &c. ib. n. 107.

Scandalizans active, seu lædens alium in bonis animæ, tenetur ad procurandam ejus emendationem non tantum ex Charitate, f. 82. n. 112. sed probabiliter etiam ex justitia, ib. n. 115. Idque certum, si per vim, vel fraudem induxit alium ad peccatum, vel errorem in rebus fidei, ib. n. 116. ita ut talis sub mortali obligetur vim, metum, minas, imperium &c. revocare, fraudem, dolum, vel falsas persuasiones amovere, f. 83. n. 117. ac mediis opportunis seducti emendationem procurare, ibid. n. 119. & si deductus inde damnum passus est, illud compensare, ib. n. 120.

Qui vero sine vi, vel fraude aliquem, vel alias jam paratum induxit in peccatum, non ex justitia, sed ex Charitate tantum obligatur ad ejus emendationem, ib. a n. 121.

Item quomodo peccent Parentes, consanguinei, vel quivis talis aliquem, vel aliquam a Religione ingredienda, vel profitenda retrahentes, impedientes &c. ib. n. 124. & ad quid obligentur in primis ipsi taliter abstracto, f. 84. n. 126. deinde ad quid Religioni pro abstracto ingressuro, vel professuro, ib. n. 131. aut pro jam professo sic abstracto, ib. n. 133. ac tandem quantum, & quomodo pro his abstractis restituendum Religioni, ib. n. 134. An, quomodo, & quotupliciter peccent, qui malo animo, & sine causa Novitio negant votum ad Professionem, f. 85. a n. 138.

Secre-

Secretum.

Secretum sibi commissum revelans, an, quando, & qualiter peccet, f.147.n.45. Quæ sint causæ justæ revelandi, ib. num.46.

Servitus.

Servitus quid, quotuplex, f.185.n.30. alia rustica, alia urbana, f.186. n.31. Quomodo servitutes acquirantur, & quando præscribantur, ib. n. 33.

Societatis Contractus.

Societatis contractus quid, f. 288. n. 51. lucrum, ib. n. 52. & damnum debet sociis esse commune, f. 189. n. 53. juxta proportionem rerum contributarum, ibid. n. 54.

Societatis contractus licitus, & justus est, cum certis tamen conditionibus, ib. n. 55.

Societatis privilegium, ib. n. 56.

Societatis contractui licite apponi pactum assecurationis capitalis, & lucri, negant multi, ib. n. 57.

Sed verius affirmant alii communiter, ib. n. 58.

In societate virtualiter, & implicite involvuntur tres contractus, ib. n. 59.

Subjectum dominii.

Subjectum dominii duplex, remotum, & proximum, f. 186. Vide *Dominium.*

Suspicio.

Suspicio temeraria quid, f.144.n.25. est ex genere suo peccatū veniale tantum, f.145.n.31. per accidens sæpe fit mortale, ib. n.32.

Testamentum.

Testamentum quid, & quotuplex, f. 237. n. 61. solemne quid, ib. n.62. quæ ad ejus solemnitatem requirantur, ib. a n. 63. aliud est scriptum, & clausum, aliud nuncupativum, & apertum, ib. n. 64.

Testamenta privilegiata sunt. I. ad pias causas, ib. a n.67. & II. Inter liberos, f.238. a n.73. ac III. Testamenta militum, & rusticorum, ib. n.74. & IV. testamenta tempore pestis, ib. n. 75.

Testamentum imperfectum, seu codicillus quid, ibid. n.76.

Testari volenti quid, & qualiter prudenter consulere possit Parochus, vel Confessarius, f. 241. a n. 99.

An, & quando testamentū mutari, vel revocari possit, f.239.n.77.

Testari qui prohibeantur, f. 241. a n. 97.

Testamenti Executores ad quid, & qualiter obligentur, f.242. num. 103.

Quid si certum, rem esse legatam, vel testatam, sed nescitur, vel dubitatur cui, ib.n.104. aut quid, vel quantum, ibid. num.105.

Thesaurus.

Thesaurus quid, & cujus sit repertus in fundo proprio, alieno, vel loco communi, f. 202. n. 169.

Licite quis emit pretio ordinario agrum, in quo scit thesaurum latere, f. 203. a n. 174.

Thesaurus improprie dictus, ib. n. 177.

Quid de emente rem mobilem, vestem, saccos, &c. in qua latet thesaurus, ib. n. 178.

An, qui videt thesaurum infodi, possit statim sibi eum effodere, ibid. n. 179.

Testimonium falsum.

Testimonium falsum, f. 148. a n.49. quando quis teneatur testari, ib. n.51. Quæ causæ ab eo dando excusent, ib. num. 52.

Tributum.

Tributum quid, quotuplex, f.178. n. 142. ut justa sint, quatuor requiruntur conditiones, f.179. n. 144. quibus habitis, licita est eorum exactio, ibid. n. 148.

Tributa solvere est obligatio in conscientia, si justa sint, ib. a n.150. secus, quando constat esse injusta, vel dubitatur de eorū justitia, f.180. n.152. Quid in his consulendum a Confessariis, ib. n.156.

Vectigal.

Vectigal, Tributum, &c. quid, fol. 178. n. 142.

Venatio, Piscatio.

Venatio, Piscatio &c. qualiter prohibitæ, & quibus, f.200. a n.153. resolvuntur varia dubia, f.201. n.156. venantes, piscantes, contra jus Principis, an fiant domini animalium captorum, ib. n.158. ad quid teneantur, ib. n.160. qualiter peccent, ibid. n.159.

Venditio.

Venditio, Emptio quid, f. 277. n. 3.

Vendere rem carius, an liceat eo solo prætextu, quod credito vendatur, f. 267. n. 31.

Vendens rem pretio præsenti, quod scit brevi minuendum, non peccat, f. 268. a n. 33.

Vendens alieno nomine, an possit sibi lucrari carius vendendo, ib. n. 36. resolvuntur casus varii, ib. n. 37.

Vendi possunt omnia nostra in re, f.269. n.42. nostra in spe, f.270. n.44. nostra in jure, ib. n.45. nostra in credito, ibid. n. 46.

Quodnam sit pretium justum, seu quanti juste vendi, & emi possint ejusmodi jura, debita, credita, chyrographa &c. ibid. n.47.

Vendi non possunt res sacræ, prohibitæ, alienæ, furtivæ &c. f. 271. n. 52.

Vendens scienter rem alienam emptori ignaro, ib. a n. 53. resolvuntur varia de negotiante pecuniis alienis, ludente falsis aleis, emente equum bona fide a fure, &c. eumque rursus vendente, ib. a n. 54.

Quid si uterque, & vendens, & emens sciat rem esse alienam, f. 272. n. 59. resolvuntur varia, ib. a n. 69.

Vendi non possunt res vitiatæ pro bonis, aut e contra, f.273. a n.64. Unde venditor tenetur manifestare vitium rei, tam interrogatum, ib. n. 65. quam latens, vel occultum, ibid. n.66. non vero patens, f.274. n.67. si tamen res adhuc serviat ad finem ab emptore intentum sine ejus damno, vitium, sive latens, sive patens, non necessario manifestari debet, ib. n. 68.

Vendens rem per positivam deceptionem, v.g. vitium celando, colorando, &c. f. 275. n. 73.

Vendere quid pro quo, ib. n. 74.

Vendere rem diminutam, vel deterioratam prætextu vilioris pretii, ib. n. 75.

Vendere rem alia materia permixtam, specialiter vinum aqua dilutum, an, & quando liceat, f. 276. n. 77.

Vendere eamdem pluribus in solidum, f. 277. a n. 85.

Si res vendita nondum tradita pereat, vel patiatur, cujus damno id fiat, ibid. n. 89.

Rei venditæ nondum traditæ fructus pendentes ad quem spectent, f. 278. n. 93.

Quid de rei venditæ nondum solutæ fructibus percipiendis, vel nascituris, ib. n. 94.

Venditioni justæ an possit pactum onerosum adjici, ibid. n. 97. pactum commissorium, ib. pactum in diem, f. 279. n. 99. pactum retrovendendi, seu redimendi in futurum, ib. n. 10[illegible]

Virginitas.

Virginitas quotuplex, f.140. n.2. Virgo mente solum, ib. n. 3.

Virgo corpore solum, ib. num. 4.

Virgo mente, & corpore &c. ib. n. 5.

Quando amittat virginitatem, ita ut inter virgines consecrari, & velari non possit, ib.n.6. & qualiter secus faciens peccet, ib.

Usura.

Usura quid, & quotuplex, f. 253. a n. 61.

Usura est in mutuo aliquid accipere ultra sortem, pro absentia pecuniæ, ejusque molestia sibi inde orta, ib. n. 66. pro commoditate mutuatario proventura, ib. n. 67. pro voluntate mutuandi, f. 254. n. 68. pro obligatione non statim repetendi, ib. n.69. etiam ad longius tempus, saltem probabilius, ib. a n. 70. sententia opposita probabilis, ib. n.71. solvuntur tamen facile fundamenta ejus, ib. a n. 72.

Usuræ divisio in realem, & mentalem, f. 255. n. 75.

Usura mentalis quid, & quando, ib. n. 76.

Usura non est in mutuo mentaliter solum sperare, vel intendere benevolentiam, & gratitudinem, ib. n. 77.

Usura mentalis completa, & restitutioni obnoxia, quæ, & quando, ib. n. 78.

Usura restitutioni obnoxia non est, si quid detur liberaliter & accipiatur, ut debitum, ib. n.79. secus est e contra, ib. In dubio autem, an mutuatarius det, vel dederit liberaliter, vel tanquam debitum, distinguendum est, ibid. n. 80.

Quid, si mutuatarius det ex timore, vel metu non inveniendi alia vice mutuum, ib. n. 81. aut cum eo ita paciscatur, f. 256. n. 82.

Usura realis, & aperta quid, ac quando, ib. n. 83.

Usura est obligare mutuatarium cum pacto ad quodcumque munus, a manu, a lingua, ab obsequio, ib. n. 84. seu ad remittendam aliam obligationem, ib. n. 85. ad dandum mutuum vicissim, vel quemvis alium contractum ineundum, ib. n. 87. imponere gravamen in ipso mutuo recipiendo, vel reddendo v.g. alibi, illuc mittendo &c. f. 257. n. 88. hoc onus usurarie impositum qualiter compensandum, ib. n. 92.

Praxis Confessariis notanda, ib. n. 93.

Quando, & qualiter a vitio usuræ, & restitutione excusentur ejusmodi gravamina, ib. a n. 94.

Usura palliata quid, & qualiter fiat in deposito, f. 257. n. 96. qualiter in emptione, & locatione, f. 258. n. 97. in venditione, & emptione, ib. n.98. in venditione, & reemptione, seu mohatra, ib. n. 99.

Usura etiam est dare mutuum, accepto aliquo pignore, interea eo utendo, ib. n. 101. nisi justus titulus accedat, ibid. n. 102.

Quid de usura explicita solum ex ignorantia, & bona fide facta, f. 259. a n. 105.

Usura Jure Canonico, & positivo divino, & naturali prohibita, f.260. a n.109. est peccatum ex genere suo mortale, ibid. n.113.

Usurarius an acquirat dominium usurarum, ib. a n. 114. an res alienare possit, f. 261. n. 218.

Usurarius obligatur restituere usuras ipsas, f. 262. n. 120. an etiam fructus rei usurariæ, ib. n. 121.

Quæ obligatio tamen non afficit bona propria usurarii, ib. n. 122. transit tamen ad hæredes usurarii, ibid. n. 123.

Usurarii pœnæ quales, ib. n. 124.

Usuram petens, an, & quando peccet, f. 263. n. 125. an eam solvens peccet, ib. n. 126.

Ad usuras cooperantes qualiter peccent, ib. n. 127.

Item eas permittentes Principes, Magistratus, ib. n. 128.

Ususfructus.

Ususfructus quid, f. 184. a n. 18.

Usufructuarius, & usuarius in quo conveniāt, & differāt, ib. n. 22.

Ususfructus quibus modis finiatur, ib. n. 23. Si usufructuarius Religionem ingressus profitetur, ad quem ususfructus devolvatur, f. 185. n. 24.

Usus.

Usus rei quid, ib. n. 25.

Usus Juris, usus facti, ib. n. 26.

Usus facti simplex quis, qualis, & qui illum habeant, ib. n. 27.

Usucapio.

Usucapio quid, vide *Præscriptio.*

FINIS.